Digitized by Google

IVSTI HENNINGII BOEHMERI

ICTI POTENT. REGI BORVSS. A CONSIL. INT. REGIM.
DVCAT. MAGDEB. CANCELLAR. ACAD. FRIDERIC. DIRECT.
ET PROF. IVR. PRIMAR.

IVS ECCLESIASTICVM PROTESTANTIVM

VSVM HODIERNVM
IVRIS CANONICI
IVXTA SERIEM LIB. V. TIT. X. & seqq.
VSQVE AD FINEM DECRETALIVM
QVIBVS PRAECIPVE DOCTRINAE DE CRIMINIBVS SECVLARI-
BVS AC MIXTIS CLERICORVM EXCESSIBVS PVRGATIONE POENIS
ECCLESIASTICIS POENITENTIA ET EXCOMMVNICATIONE
TRADVNTVR
IN FORIS PROTESTANTIVM
OSTENDENS
ET
IPSIS RERVM ARGVMENTIS
ILLVSTRANS.

TOMVS V

ADIECTI SVNT
INDICES GENERALES
TITVLORVM AVCTORVM ET RERVM PRAECIPVARVM
IN
QVINQVE TOMOS ET IVS PAROCHIALE.

EDITIO TERTIA.

ILLO SPLENDENTE LEVABOR.

CVM PRIVILEGIIS SACR. CAES. ET REGIAE BORVSS. MAIES.

HALAE MAGDEBVRGICAE
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI, MDCCLXIII.

PRAELOQVIVM
DE
VARIO SYSTEMATE VNIVERSI IVRIS TVM CANONICI TVM ECCLESIASTICI TRIVM PRAECIPVE RELIGIONVM IN GERMANIA APPROBATARVM.

I.

Laboris a me suscepti difficultas & exitus.

Ad quod sollicita mente nec sine suspiriis iam dudum adspiraui, id nunc per summi Numinis clementiam ad exoptatum deductum esse exitum, summopere lætor. Fateor, me laborem perdifficilem in explicandis & superandis iuris canonici syrtibus suscepisse, in quo tot infinitos scopulos &

 iter

iter periculoſiſſimum offendi, vt ei vltra *viginti annos* impendere coactus fuerim, antequam nauem diuerſis agitatam ventis ſubducere, & in portum ex longa nauigatione venire mihi fuerit datum. Poſt IV. tomos *quintus*, isque *vltimus*, multorum votis expetitus fuit, quem nunc demum, plurimis antehac diſtrictus obſtaculis negotiisque academicis, in publicum prodire iuſſi, vt tandem riuos claudere licuerit. Dignitas argumentorum, in hoc tomo excutiendorum, moram poſtulauit atque tarditatem diuturniorem, ac quidem exoptaueram, quæ non leui brachio elaboranda, ſed magna cura extricanda fuerunt. Ecquis enim negauerit, in titulis, quibus *liber vltimus decretalium* clauditur, primario illud *iniquitatis myſterium* contineri, quod vniuerſo orbi Chriſtiano grauiſſimum indixit bellum, tot hominum ſtragem horribilem edidit, ſummorum imperantium colla fregit, atque ima ſummis miſcuit, vt, niſi Deus nos proſpexiſſet, tandem dominatui immani ſacro res ſacra & profana penitus ſuccumbere debuiſſet? Sed ſicut olim Roma, vbi in nimiam excreuerat molem, vt ſe ſuis non amplius viribus potuerit ſuſtinere, inteſtinis morbis interitum & occaſum experta eſt, ita etiam recentioribus ſeculis ſua propria vltra modum extenſa poteſtate ruere debuit, id quod ex variis eiusdem fatis probatum eſt.

Dignitas materiarum tomo V. explicatarum.

§. II.

§. II. Nihilominus tamen ipsa *principia*, quamuis viribus vt plurimum hodie destituta, a curia Romana nunquam deseruntur, sed quauis occasione recocta in scenam producuntur, variisque artibus ac insidiis obtruduntur orbi, ceu *tit. vlt. §. 46. sqq.* obseruaui, vt in hoc Augiæ stabulo purgando non potuerim non diutius insudare. Sunt hæc ipsa per vniuersum ius canonicum sparsa, & in quibusdam materiis apertius sese exserunt, in quibusdam vero anguem in herba latentem sistunt, vt quandoque necesse fuerit, eadem fulcra, quibus hæc insignis & modum omnem egressa structura innititur, pluribus in locis ex fontibus suis illustrare, & quæ alibi paucis tantum tacta sunt, in alio loco, occasione ferente, paulo prolixius enucleare. Ita vero factum est, vt idem argumentum vno eodemque loco absoluere non licuerit, sed diuersis titulis sæpe sub incudem reuocari debuerit. Neque enim mihi integrum fuit, omnia iura suprema, quæ pontifex suo pedo attribuit vindicauitque, vna serie complecti, & iusto proponere ordine, sed RAYMVNDVM ducem, cuius tramitem elegi, sequi ratio methodi iussit, qui hanc immanem potestatem per omnes titulos sparsit, vt fere vbique OMNIA IN OMNIBVS esse videatur. Episcoporum plena sunt omnia, & sacerdotum parochorumque atque ceterorum clericorum iura sese pariter vbi-

Principiis antiquis inhæret curia Romana etiam hodie.

Per totum ius canonicum sparsa.

Diuersis locis etiam explicandis.

que exſerunt, quæ rurſus per plures titulos, non adeo inter ſe cohærentes, diſperſa, vt ſæpe in poſterioribus ad titulos priores recurrere coactus fuerim. Neque enim ſyſtema artificioſe elaboratum conſcribere, ſed decretales, prout iacent, lumine perfundere animus fuit, in quibus curſum, quem RAYMVNDVS de PENNA FORTI tenuit, ſequendum eſſe duxi.

Inde indices generales in omnes quinque tomos conficiendi fuerunt.

§. III. Vt itaque cuncta, quæ his *V. tomis* diuerſis in locis tradita ſunt, in perfacili cognitione verſarentur, & cuiuis obuia atque perſpecta eſſent, denique ea, quæ inter ſe cohærent, coniunctim etiam & vna ſerie ob oculos ſingulis ponerentur, operam dedi atque curaui, vt *generales indices* tum *titulorum* tum *rerum præcipuarum* in omnes *quinque tomos* conficeret atque adornaret filius ſecundo genitus, nonc potentiſſ. regis Boruſſ. conſil. int. & præſes regiminis Glogauienſis, in quibus ſeries quorumcunque argumentorum ſpecialiſſimorum, de quibus diuerſis tomis quandoque agendum fuit, cohærenter & continuata cum ſuis partibus traderetur, & ſimul vnicuique conſtaret atque innoteſceret id, quod quandoque vno in loco contractione breuius propoſitum, alia occaſione productione longius per exempla & apparatum maiorem apparere. Neque piguit, hoc quod a plurimis ob incommoda *indicum ſpecialium* tribus prioribus tomis iam

Quorum vtilitas oſtenditur.

iam annexorum, monitum fuit, hoc *vltimo* emendare, & desideriis satisfacere eorum, qui indices *generales* in fine totius operis construendos esse censuerunt. Etenim aliter olim fieri non poterat, quam vt, labore hoc per aliquot tomos & diuersa temporum interualla distributo, tantisper prioribus tribus tomis *speciales* adiicerentur *indices*, quo interim eorum vsus esset procliuior, qui iam, toto opere perfecto, & *generalibus indicibus* instructo, vsum priorem amiserunt. Vnde etiam consilium cepi, in *quarta* editione (trina enim vice iam recusi sunt *tres* priores *tomi*) *speciales* prorsus omittere, qui iam in *generales indices* accuratiori opera & maiori cum fructu coniecti sunt. Denique quia *tomus II.* in titulo *de parochis & parochiis* desinit, huius vero expolitio atque expositio diffusior in peculiari tractatu *de iure parochiali* tradita est, atque hanc ob causam *tomo II.* coniungi debet, operam dedi, vt etiam series doctrinarum in hoc tractatu expositarum *indicibus generalibus* insereretur. Hoc modo effectum est, vt quæ v. c. de *Archidiaconis* passim adducta sunt, ex his coniunctim haberi queant.

§. IV. Præterea vero consultum atque salutare visum fuit, *systema vniuersi iuris canonici* his tomis præmittere, atque inde ostendere, qua ratione tota huius iuris structura cohæreat, quibusque fulcris magna & immanis illa respublicæ eccle-

Hunc in finem quoque præmittendum fuit systema vniversi iuris canonici.

ecclesiasticæ seu *hierarchiæ* moles subnixa sit. Hanc vbi rerum ecclesiasticarum faciem declaravero, id me obtenturum esse prorsus arbitror, vt omnes intelligant, me non sine ratione *tomo I.* præmisisse dissertationem *de suprema lege ecclesiastica*, atque in ea ostendisse, hanc in finibus potestatis ecclesiasticæ, in infinitum extendendis, & corroborando imperio sacro vnice a curia Romana collocatam & quæsitam fuisse, vt quicquid huic salutare atque proficuum est, id ipsum *supremam* constituat *ecclesiasticam legem*, & omnibus modis expetendum sit, licet vel maxime omnium rerum publicarum & priuatarum inducat devastationem. Ex hoc fundamento enim potestati suæ asseruit exercuitque pontifex ius deponendi reges, & absoluendi subditos a vinculo subiectionis: ius adimendi & in alios transferendi regna, exemplo MARTINI IV. *anno* 1283. regnum Arragoniæ a PETRO, ob bellum Siciliæ illatum, ad filium regis Galliæ secundo genitum transferentis in diplomate a RYMERO in *act. Anglic. tom. II. p.* 252. relato: ius regna & vniuersas populi alicuius terras interdicto subiiciendi, & sacristitium vniuersale inducendi, atque hoc modo religionis vsum in *instrumentum dominandi* coniiciendi, quod hoc medium dominatui sacro firmando apprime inseruiat, regibusque omnibus & singulis obedientiæ & subiectionibus addictissimæ legem

gem imponat, alia vt nunc taceam. Atque hoc primum & fundamentale principium illud ipsum est, quod per omnes & singulos titulos fere dispersum, quod tamen merito Protestantes horrent nauseantque, ac proinde eo maiori prouidentia curare debent, ne in applicando quicquam admittant, quod ex hoc fonte turbido deriuatum est.

Systema iuris canonici vniuersi.

§. V. Intelligo autem per *systema vniuersi iuris canonici* aptam principiorum huius iuris & cum his connexarum conclusionum dispositionem constructionemque, vt legitime intellectus quorumuis iurium inde haberi possit. Sicuti autem *systemata iurium* variant, pro diuerso statu eorum corporum, quibus hæc præscribenda, & iudice TVLLIO, *dissimilitudo ciuitatum varietatem iuris habet maximam;* ita etiam *facies ecclesiarum* earumque pro diuersitate temporum mutatum *systema*, dissimilia iura produxit, effecitque, vt *antiquum ecclesiarum systema* ab eo, quod sub *imperatoribus christianis*, & tandem fauentibus seculorum tenebris nouiter conditum est, toto cœlo differat. Videlicet quamuis proceres sodalesque aulæ Romanæ, ne aliquid innouasse videantur, hanc orbi christiano sententiam obtrudere semper studuerint, *vnum* eundemque semper *ecclesiæ* fuisse *statum* eademque iura principaliora; Galli vero & Germani illius sacris addicti, *duplex* diuersum agnoscant *systema*, alterum, quod per

Iuxta systema societatum æstimandum.

mille priores obtinuit annos: & alterum, quod poſtea e Vaticano prorupit, orbemque vniuerſum infelici quodam ſidere infecit; accuratius tamen rem contemplantibus *quadruplex* potius *ſyſtema eccleſiaſticum* ſeſe inſinuabit: primum, quod ad *tria priora ſecula* ſpectat, & *aequale:* ſecundum, quod ſub imperatoribus chriſtianis *epiſcoporum* potentia emerſit, & *epiſcopale:* tertium, quod poſt abitum mille annorum ex dominatu immenſo *pontificis* artificioſe conſtitutum enatumque eſt, & *papale* dici meretur. Denique his tribus etiam addi poteſt quartum, quod *monaſticum* dixeris, quod ſua peculiaria iura, regimen politicum, & ſtructuram ſingularem ſub vno capite, *ordinis Generali*, accepit, & adeo omnium animis ſe inſinuauit, vt principia ſua inſolita per omnes doctrinas ſpargeret, & laicorum quorumuis patrimonio incumberet.

Quadruplex ſyſtema eccleſiaſticum,

1) aequale,

§ VI. Haec *quatuor ſyſtemata* in eo differunt, quod *aequale* illum deſignet eccleſiae ſtatum, qui ſub *perſecutionibus* in ſingulis ſeſe exſeruit coetibus, quem *diſſert. XII. ad Plinium II. & Tertullian.* delineaui. Quamuis enim omnes coetus inter ſe *vnione arctiſſima* coniuncti eſſent, vt *vnum corpus* conſtituiſſe videantur; haec tamen vnio in *aequali foedere* ſubſtitit, ſingulae vero eccleſiae ad inſtar *collegiorum aequalium* res ſuas ſeparatim habuerunt, *communique* totius coetus *conſenſu*

omnia,

omnia, ad ordinem idoneum ſeruandum, adornarunt, & ſic *diſciplinam confœderatam*, teſte SEPTIMIO, inter ſe coluerunt. In hoc ergo *ſyſtemate*, prout in *collegiis æqualibus* moris eſt, epiſcopi & presbyterorum conſeſſus directionem negotiorum tantum exercuit, plebe tamen ſimul in conſilium vocata, quoties de rebus maioris momenti ſtatuendum ac deliberandum. Nemo ex cœtu eccleſiæ relegabatur, niſi poſt maturam & ſollicitam cognitionem: nemo poſt lapſum eiectionemque in integrum reſtituebatur, niſi ex communi decreto eccleſiæ, quæ non ex clero vnice, ſed ex tota fidelium concione, in conſilium vocata, conſiſtebat. Ipſi epiſcopi ſuffragiis maioris partis deſignabantur, & quæ in rem eccleſiæ facere videbantur, communi conſenſu parabantur, inſtituebantur, ordinabantur. Iurisdictionis imperiique ſimulacra atque veſtigia non ſuppetebant, vt tamen piis & ſalutaribus monitis epiſcoporum ac presbyterorum morem gererent, eosque debita veneratione & honore proſequerentur.

§. VII. Hoc ſyſtema licet circa finem ſeculi III. in *eccleſiis maioribus*, vt *Romana, Antiochena, Alexandrina, Carthaginenſi*, ceteris, iam declinare cœperit, non tamen penitus ſublatum eſt, mutatione euidentiori demum tempore CONSTANTINI I apparente. Hoc enim *ſyſtema epiſcopale*, ſer-

2) epiſcopale.

feruentibus dissidijs ecclesiasticis, immutationi vniuersali admodum accommodis, vires sumsit, & vsu sequentium seculorum magis magisque corroboratum est. Meliori nihilominus loco res christianorum steterunt sub primo, quam sub hoc *episcopali systemate*, quod iam imperium aliquod sacrum episcopi sibi ex *iure sacerdotali* arrogauerint, vt tot iam construerentur principatus ecclesiastici, quot essent episcopatus, & in his quoque aliqua subintroducta esset subordinatio, salua tamen suprema inspectione imperatorum & regum, qui *ius sacrorum* in hoc systemate exercuerunt, plebis vero nulla amplius haberetur in regimine ecclesiastico ratio, nisi quod ex prisco more electionibus episcoporum interesset. Quae communibus ecclesiarum comprouincialium vsibus conducere videbantur, a congregatis in vnum episcopis ordinabantur, qui etiam de causis maioribus coniunctim, de ceteris soli cognoscebant & decernebant. Episcopi Romani in Occidente quidem insignis autoritas, sed non iurisdictio in reliquos. Ipse canonibus & imperatoribus suberat, honore *primi episcopi* inter *occidentales* gaudens.

3) papale.

§. VIII. *Tertium systema*, scilicet *Papale*, potissimum in supremo & ab omnium legum vinculis soluto dominatu pontificis Romani consistit, quem non tantum in ecclesiastica sed & in ipsa imperia secularia exercuit, quosuis imperantes suo sub-

ſubiecit pedo, eosque ab omni iure ſupremo ſacrorum arcuit. Hoc *ſyſtema*, quod eccleſiam, ſub vno complexu ſumtam, in immanem rempublicam ſtatumque politicum talem coniecit, qualem magnitudine & ambitu antiquitates ignorant, nouas prorſus leges deſiderauit, nouumque *iuris pontificii ſyſtema* produxit, quod a *ſyſtemate intermedio* admodum differt. Quocirca caute admodum incedunt, qui *ius pontificium*, quod ad poſterius ſyſtema referendum, a *iure canonico*, ſeu *eccleſiaſtico*, quod in *decreto* GRATIANI primario ſedem ſuam habet, diſcernunt, quippe quod mere *eccleſiaſtica* tangit determinatque, cum illud ſe ad quæuis negotia, gentium, publica, priuata, ſecularia, ac feudalia extendat, & imperia, regna, ac principatus ſibi ſubiiciat. Huic ſubiunxi *quartum ſyſtema monaſticum*, quod pedetentim nouam aſſumſit in ſingulis ordinibus reipublicæ formam, vt *tom. III. de ſtatu monach.* docui. Huius magna in regimine eccleſiaſtico tum *epiſcopali*, tum *papali* autoritas, ex purioris & ſanctioris vitæ opinione, adeo vt *ſingularia* ſua *principia*, a *ſuperſtitione* tamen non aliena, per omnes ſpargeret eccleſias, ſeſeque quibusuis cauſis ingereret, vt paſſim declaratum.

4) monaſticum?

§. IX. Hæc *quatuor ſyſtemata* per omnes tomos V. ſedulo diſtinxi, operamque dedi, vt ortum, progreſſum, corruptiones, & præſentem ſtatum

Proteſtantium eccleſiarum ſyſtema.

vbique referrem, ſimulque, quid ex principiis Proteſtantium diuerſis mutatum fuerit in *regimine eccleſiaſtico*, reſuſcitato ſupremo principum iure circa ſacra, ſedulo percontarer, quod *ſyſtema Proteſtantium* dici poteſt. Etenim a *tribus* prioribus in eo diuerſum eſt, quod plura hauſerit ex *primo*, ſimul tamen non potuerit non quoque quædam trahere ex ſecundo *ſyſtemate*, quod principes Proteſtantes ſuprema iura circa ſacra ſibi vindicauerint, miniſtros vero eccleſiæ in eum ſtatum retraxerint, in quo fuerunt ſub ſyſtemate *primo*. Denique quamuis admodum alieni videantur a *tertio ſyſtemate*, vtpote quod *papale* eſt; plura tamen inſtituta ex hoc retinuerunt, quæ, remoto pontificis & epiſcoporum imperio, conſeruari potuerunt, quatenus per leges imperii & ordinationes eccleſiaſticas haud ſunt immutata vel emendata. Inde vero luce meridiana clarius eſt, hoc ſuppoſito rerum ſtatu, *iuris canonici* & *pontificii* peritia penitiore Proteſtantes carere non poſſe, quod abſque hoc præſidio de emergentibus quæſtionibus eccleſiaſticis ſolidum nemo ferre poſſit iudicium, nec diſcernere, quatenus iuris huius deciſiones & conſtitutiones ſecure noſtris poſſint applicari eccleſiis, quæ ante omnia curate ponderandæ, inquirendo, ex quo *ſyſtemate* potiſſimum fluxerint, &, vtrum ſaluo *ſyſtemate noſtrarum eccleſiarum*, in vſum deduci queant. In hoc peccarunt

quod deſiderat iuris canonici peritiam.

runt maiores nostri, qui instituta iuris huius, sine examine penitiore, ex quo systemate profluxerint, in vsus Protestantium vertere, & quæuis ex illo sua facere voluerunt, præpostera licet applicatione. Perspicuum est ex *systemate tertio papali*, iura episcoporum *quatuor classes* esse distributa, pontificis tamen supremæ potestati arbitrioque subiecta, adeo vt respectu eius (a) *dependenter*: (b) intra *restrictos limites*, & (c) intra suam *diœcesin* ea exerceant episcopi. Nihilominus tamen haud erubuerunt ICti quidam Protestantes ius sacrorum, quod *territoriali imperio* cohæret, inde explicare; principes A. C. addictos *episcopos* appellare: eis *iura episcopalia* tribuere: ipsas quoque species diuersas potestatis episcopalis, vt iura *ordinis pontificialis, iurisdictionis, legis diœcesanæ* & *status* quoad eos distinguere, & ad hanc doctrinam omnia componere. Merito tamen huius systematis nouas & diuersas rationes ponderare atque cogitare debuissent, α) principes Euangelicos in sacris esse *independentes*, nec superiorem agnoscere: β) species ipsas *potestatis episcopalis* inepte distingui intuitu *iuris sacrorum*, quatenus *imperii ciuilis* pars est, cum pontificali charactere prorsus destituti sint episcopi, & tamen ex *sacerdotii iure* hæc omnia trahant: γ) plus iuris illos habere quam episcopos, cum limites, quos papa his præscripsit, non agnoscant: δ) vi

ter-

territorialis & *ciuilis imperii* illos hoc ius sacrorum exercere, & ita sub *qualitate seculari*, non *ecclesiastica;* cum conceptus *iurium episcopalium* vel etiam *papalium* inuoluat conceptum iurium *clericis*, qua talibus, ex *hierarchiae*, seu *reipublicae ecclesiasticae* fundamento competentium, in quo subsistunt, qui has naenias cantant: e) principes *vnam* duntaxat gerere *personam*, non *duplicem*, quam in Germania in episcopis distinguimus, quatenus sunt *status imperii* principesque seculari potestate praediti, & quatenus sacerdotium gerunt atque *personam ecclesiasticam* sustinent, alia vt iam non tangam. Qui ergo *ius relaxandi iuramentum ad effectum agendi* assignant, immediate principi id vnice propter *ius imaginarium episcopale* constituunt, cum tamen cognitio de *validitate iuramenti* sit actus *iustitiae*, iudiciis quibuscunque asserendus, quod hi de negotiis controversis subditorum ius dicant, nec *causa iuramentorum* apud nos *fori ecclesiastici* sit.

Protestantes tamen **non** vnum **idem**que **systema** ecclesiasticum efformant.

§. X. Neque tantum ICtos in hoc aberrare, sed theologos quoque non raro hic falli animadverti. Nam hi quoque non vnum idemque *systema ecclesiasticum* efformant, sed prout illud ipsum, quod clerus Gallicanus suscipit, a *curiae Romanae systemate* infinitis modis differt; ita non mirandum est, si etiam Protestantes, quatenus adhuc in duas partes abeunt, ecclesias sub diuerso plane sy-

ſyſtemate concipiant. Etenim 1) quidam eccleſiis Proteſtantium *ſyſtema epiſcopale* conuenire arbitrati ſunt, concilia anxie deſiderarunt, ius decidendi controuerſias theologicas miniſtris eccleſiæ, vt olim *epiſcopis*, aſſignarunt, vt *lib. 1. tit. 1.* demonſtraui: ad ius *excommunicandi* ſingulos fere clericos admiſerunt, vt tot fere *epiſcopos* habeant eccleſiæ, quot *miniſtros verbi diuini*, ſi veſtigia FECHTII *de excommunicatione* & Theologorum rigidiorum Wittebergenſium prioris ſeculi calcamus: conſiſtoria ab eccleſia dependere cum WEBERO de *iure conſiſtorii* cenſuerunt, & parum a conceptu *reipublicæ eccleſiaſticæ* abfuerunt, quod DEDEKENNI & *Wittebergenſia conſilia* monſtratum eunt. Cum enim *epiſcopos*, iuxta faciem *ſecundi ſyſtematis*, non habeant eccleſiæ in Germania, maiores paſtores ſeu eccleſiæ miniſtros, epiſcopos antiquos referre arbitrati ſunt, iutaque clauium in ſubſidium aduocarunt. In *hoc ſyſtemate* parum iuris relinquitur ipſis principibus, quos potius *iudiciis eccleſiaſticis* ſubiiciendos eſſe, cum MYLERO AB EHRENBACH *in gamologia* crediderunt, vt nec ab *excommunicatione* ſint liberi, ſed pari cum ſubditis fortunæ ſubiecti. Ea tamen principi relinquenda eſſe crediderunt, quæ ad *confirmationem, executionem*, & *propugnationem* decretorum eccleſiaſticorum pertinent.

α) epiſcopale.

γ) collegiale.

§. XI. Nouum ante aliquot annos, ex rationibus iam non tangendis, excogitatum est *ſyſtema*, quod *collegiale* dixerunt, & quodammodo ad *ſyſtema æquale* primitiuæ eccleſiæ compoſitum eſt. Etenim conſtituunt, eccleſias eſſe *corpora æqualia* atque *collegia* ex Proteſtantium ſententia, etiamſi in republica plena gaudeant libertate: denegari illis ergo non poſſe ea iura, quæ *collegiis* quibuscunque competunt, etiam in primitiua eccleſia exercita: communi conuentione in his determinari poſſe, quæ ad *ordinem* ſeu *diſciplinam eccleſiaſticam* pertinent: lite ſuper hac mota cognitionem collegiis his non denegandam: eccleſias etiam quadam inſtructas iurisdictione, propriisque iudiciis, cetera. Mox tamen vela retrahunt, conſtituuntque, reformatione ſuſcepta, hæc quidem *ſingulis eccleſiis* competiisſe, verum vbi ipſi principes ad hæc ſacra transierunt, communem cum ſubditis confeſſionem amplexi, haud conſultum viſum eccleſiis, his *collegialibus iuribus* vel in *communi* vel in *ſingulis concionibus* vti, ſed hæc potius in principes transferenda in perpetuum: conſenſu vnanimi quoque hanc *iurium collegialium* delegationem factam fuiſſe; ex hoc principes leges generales eccleſiis dare, conſiſtoria erigere, iudicare, ac cetera conſtituere, quæ vſibus eccleſiaſticis proficua ſunt. Tale ſyſtema etiam certo modo propugnauit pl.

reuer.

reuer. Dn. PFAFFIVS, magni nominis theologus, *de origin. eccleſ. c.* 2. & præterea Dn. PERTSCHIVS in *iur. canon. elem.* vt tamen vterque *ius ſacrorum* principi iure *imperii* competens ſuo modo eidem adiunxerit. Præterea etiam anno 1733 perſonatus quidam CHRISTIANVS LIBER de hoc ſyſtemate nouiter excogitato edidit tractatum: Kurtze doch gründliche Untersuchung der *conuentional*-oder *collegial*-Rechten der Evangelischen Kirchen und deren rechtmäßigen Verwaltung, in quo autor (a) hæc diſtinguit a iuribus circa ſacra: (b) hiſtoriam illorum in principes Euangelicos *translatorum*, (quam Freye Uebertragung vocat,) addit, eorumque (c) legitimam adminiſtrationem demonſtrat. Sub incudem hoc nouum ſyſtema reuocaui in *diſſ. XII. ad Plin. II. & Tertullian.* vnde apparebit, plura ἀσύστατα ex hac *translatione* & *delegatione* propullulare, dum principem, *perpetuum* eccleſiarum *commiſſarium*, conſtituunt, atque inde neceſſario inferri debet, hunc non *proprio* ſed *delegato iure* quæuis in regimine eccleſiaſtico agere, decernere, & ordinare. Facilius forſan tolerari potuiſſet hæc aſſertio, ſi planius adſtructum fuiſſet, ex *iure collegii* hæc iura naturaliter eccleſiis tum *particularibus* tum *inter ſe vnitis* competiiſſe, easque proprio quodam regimine ſeſe ſuſtentare potuiſſe; illis autem, reformatione ſuſcepta, pedeten-

epicriſis.

tim renunciasse, & in regimine publico ciuitatis acquieuisse, cui naturaliter itidem competit potestas iudicia exercendi & leges de quibuscunque rebus ferendi. Hoc modo enim nihil transtulerunt in eum, sed ex iusta causa iure suo se abdicarunt. Hæc *præsumta* autem *abdicatio* illis tribui nequit ecclesiis, quæ sub *principe diuersæ religionis* subsistunt, a quo infinita obstacula illis imminent non raro, vt proinde non censeantur ei libertati renunciasse, qua omnia collegia gaudent. Hoc tantum pro mitiganda hac sententia adduxi, quo consecutiones ex *translatione* propullulantes e medio tollerentur, præsertim cum hoc modo principes *eiusdem religionis* iure *proprio* non *delegato* hoc modo omnia agant.

3) christocraticum.

§. XII. Superest, vt quædam etiam adiiciam de *systemate* a prioribus diuerso, quod *Christocraticum* dici potest, & cum *æquali* magnam conuenientiam habet, quod tempore primitiuæ ecclesiæ obtinuit, quodque videtur habere *apostolos* autores. Oblatum mihi hoc ipsum est a Theologo doctissimo, de commodis ecclesiæ admodum sollicito, vt prorsus existimem, illum haud moleste laturum esse, si structuram eius in compendio hic referam, & dubia, quæ hoc *systema* premunt, haud dissimulem. Connexio totius systematis huc redit: 1) *Disciplina euangelica* est nihil aliud quam *ordo & regula, per quam susti-*

Nexus eiusdem per theses demonstrata.

ne-

netur vnio ecclesiæ, modo societati sanctæ conueniente, h. e. sustinentur constitutiones & dispositiones, omnia ecclesiæ vniuersalis, in generali complexu sumtæ, aut ecclesiarum particularium concernentes membra, quoad vocationem ministrorum ecclesiæ, functiones circa doctrinam & sacramentorum administrationem, cetera. (II) Disciplina talis eiusque obseruatio *absolute* in ecclesiis necessaria, & autoritatis diuinæ; forma autem eius est mere *iuris ecclesiastici* & consequenter *humani*. (III) Ipsemet Christus, in terra hac commoratus, formam haud dedit ecclesiæ, nec disciplinam formauit discrepantem a disciplina iudaica, inter quos viuebat, sed potius docuit, se non venisse, vt legem tolleret, sed vt impleret, imo suos discipulos autoritati legitimæ capitum synagogæ subiecit. *Matth. V*, 17. *XXIII*, 2. 3. (IV) Quia autem triplici munere functus est, *prophetæ*, *sacerdotis*, & *regis*, in diuerso statu *exinanitionis* & *exaltationis*, omnino hic loci est, nosse, vtrum Christi intentio fuerit, vt singulis relinqueretur cura sui ipsius, semet instruendi, & separatim viuendi secundum proprium arbitrium, sine obligatione ad mutuam confœderationem & consocietatem; an vero serio voluerit, vt tanquam discipuli eius, vniti in *fide* & *charitate*, vnanimiter inter se conuenirent, de mediis externis, spiritualem illam vnionem, ope *mini-*

nisterii publici & *formæ regiminis*, fini illorum professionis conuenientis, colendi, sibi acquitendis, vnde legitime iudicari posset de illis, quinam membra ecclesiæ legitima & qui non sint futuri. (V) Saluatorem nostrum disciplinæ talis instituendæ autorem fuisse, apparet liquido ex institutione sacramentorum, & præcipue ex clausula institutioni baptismi adiecta, *Matth. XXVIII*, 20. qua iniungit apostolis, vt docerent fideles, *omnia seruare*, *quæ illis mandauerat*, simulque monstrauit, se non tantum *magnum* illum *Doctorem veritatis*, sed etiam *magnum pastorem animæ* esse, cuius munus non tantum in *pascendo* oues, sed etiam in *medendo*, eas *custodiendo*, *ducendo regendoque*, & *defendendo* ab insidiis luporum consisteret. *Ioh. X*, 14. *Ezech. XXXIV*, 16. (VI) Etiam ecclesiis dedit *doctores* & *pastores*, *Eph. IV*, 11. quod sine his discipuli eius non possent formare talem ecclesiam, contra quam portæ inferorum non sint præualituræ, *Matth. XVI*, 18. nec talem, in qua falsi fratres denunciari, & obstringi possent, vt eam audirent, alioquin scirent, se *publicanorum* ac *paganorum* loco habendos. *Matth. XVIII*, 17. (VII) Apostoli necessitatem disciplinæ ecclesiasticæ monstrarunt *doctrina* pariter ac *exemplo suo*. Illa apparet in ordine, quem in *constituendis ministris* expresse commendauit ecclesiis Paulus 1 *Tim. III*, 10. iniungens, vt præ-

ter

ter eorum habilitatem omnia *ordine* & *decenter* fierent. *1 Cor. XIV, 33. 40.* Quid? quod in eadem epiſtola *V, 12.* obiurget Corinthios, quod non *iudicent de his*, qui *intra eccleſiam* ſunt; vnde neceſſitatem *iudicii eccleſiaſtici* manifeſte præſupponit, ad conſeruandos bonos mores, & ſemet inuicem ædificandum. In tribus epiſtolis ad *Timotheum & Titum* PAVLI præcipuum argumentum eſt inſtructio horum duorum Chriſti ſeruorum fidelium *de regimine eccleſiaſtico*, vt integritas doctrinæ conſeruaretur, ſcandala præcauerentur, & fraterno more corrigerentur errantes, denique vt cura pauperum haberetur. (VIII) *Exempla Apoſtolica* reſponderunt quoque eorum *doctrinæ.* Ipſimet fundarunt eccleſias *optima diſciplina* inſtructas. *Act. II, 44. ſqq. IV, 32. ſeqq.* Aſſeri etiam poteſt, quod in contradictorio obtinuerint ius erigendi, ſine vlla permiſſione expreſſa magiſtratus, cœtum diſcipulorum IEſu Chriſti, inſtitutis profeſſioni eorum conformibus ſubiectum. Synedrium magnum illis ſeuere interdixerat, ne vllo modo in nomine IEſu Chriſti verba ad populum facerent docerentque, quo mandato ex iuſta ratione ſpreto, *Act. IV, 18. 19. V, 28. 29.* poſtea nihilominus *presbyterium* erexerunt, *Act. VI, 1. ſqq.* & in vnum coiuerunt, ad decidendam doctrinæ & diſciplinæ controuerſæ cauſam. *Act. XV, 6. ſqq.* (IX) Notandum vero

ex

ex *Act. XVI, 4.* PAVLVM & SILAM per ciuitates, quas obambulabant, fideles instruxisse, vt obseruarent *decreta* ab *Apostolis* & *presbyteris*, Hierosolymis congregatis. Huius primi concilii iudicium fundatum fuit non in *compromisso* ecclesiæ Antiochenæ, sed in *obligatione generali*, in qua erant ecclesiæ ex professione communi, sese vniendi, non per viam *subiectionis*, sed *mutuæ fiduciæ* erga semet inuicem, cui Christus & auxilium & benedictionis gratiam promisit. *Matth. XVIII, 19. 20.* (X) Ex his obseruationibus custodia disciplinæ *in genere* colligitur, autoritate diuina aut iure diuino inter Christianos mandatæ; *modus* autem & *forma* eius variat necessario secundum diuersitatem membrorum ecclesiæ, & aliarum circumstantiarum externarum, quæ ecclesiis adesse possunt, ad quas earum regimen conformandum. Modo haud discedatur a *fine generali* & *essentiali* communionis Christianæ; modus id, quod in communi omnibus prodest, determinandi, & *media* scopum obtinendi ex arbitrio hominum dependent, & sic *humana* sunt. (XI) Maximum discrimen est inter statum Christianorum, viuentium sub imperio *infidelis principis*, & *Christiani* eiusdem confessionis. Naturali ratione inspecta, Christianis in exercitio disciplinæ ecclesiasticæ in *posteriori* plus libertatis tribui deberet, quam in *priori* statu degentibus,
vtut

vtut præuaricatione pessimorum Christianorum, & nouis ICtorum systematibus inuentis *iurisdictionem ciuilem* cum *iudiciis ecclesiasticis* confundentium, res aliter euenerit. (XII) Quidquid sit, quia Christus fundauit suam ecclesiam, eamque conseruauit in maxima integritate per tria secula sub *dominatu infidelium* imperatorum, omnes neruos ad eam opprimendam intendentium, hoc ipso docuit, ecclesiam qua talem haud regendam esse *autoritate secularium principum.* Quodsi enim nullum regimen ecclesiasticum legitimum esse posset, absque *concessione* & *directione* imperantis, Seruator noster, qui *Matth. XXII,* 21. optime populo inculcauit, vt *quæ DEI essent, DEO, & quæ Cæsaris, Cæsari redderent*, Apostolos & quoscunque Christianos in tribus prioribus seculis in tristissimam necessitatem coniecisset, boni ciuis officium violandi, & rebellium more agendi contra legitimum imperantem, cum tamen ipsi in procliui fuisset, infideles principes ad fidem conuertere, eorumque protectionem ecclesiæ suæ conciliare, si hac opus fuisset. (XIII) Enimuero quod *diuinum caput ecclesiæ* dixit discipulis suis *Matth. XX,* 25. 26. eos, tum vt Christianos, tum vt ministros & præcones euangelii respexit. *Scitis*, ait, *principes gentium in eas dominari: & magnos viros potestatem exercere in eas. Inter vos non sic agetur.* Inde est, quod

vnice dependeat a voluntate populi, amplecti religionem, atque communioni ecclesiasticæ se adiungere, vt nec possit nec debeat quisquam ad hanc per remedia coactiua compelli; e contrario principia & obligatio ecclesiæ non dependeant neque a principibus, neque a ministris, neque a plebe, quoniam autorem ipsum Christum habent, cui soli integrum fuit, determinare conditiones, secundum quas legitima ecclesiæ membra & veri discipuli censeri debeant. (XIV) Quia Christus est *caput ecclesiæ* & *rex sui populi;* vt *talis*, in rei veritate, certo sensu *rempublicam* & *regnum* in quibuscunque regnis & rebuspublicis, in quibus euangelium eius receptum est, erexit, quod ex duplici respectu *ciuis* & *Christiani* nascitur. Neque vero hi *duo status* sibi inuicem opponuntur, nec alter alterum destruit; e contrario sibi inuicem ita subordinati sunt, vt populus nullibi rectius regatur, nec principibus fidelius obedientia præstetur, quam vbi IESVS CHRISTVS regnat, & vbi *lex charitatis*, quam nobis tulit, est *lex legum.* Quocirca disciplina euangelica nec potest nec debet derogare iuribus principum *fidelium* & *infidelium;* alioquin ius habent, se omnibus modis opponendi conatibus & attentatis eorum, qui sub *prætextu religionis* subditos ab obedientia erga imperantes auertere, ac quietem publicam iustitiæque administrationem turbare nituntur;

mo-

modo moniti Gamalielis *Act. V, 39.* memores caueant, *ne bellum DEO inferant.* (XV.) Doctrina euangelii recepta vt *lege* & *regula sacra*, siue per *antecedentem conuentionem expressam* & *formalem* ab omnibus illis, qui in particularem coiuerunt ecclesiam: siue per *pactum tacitum* ex post facto & *praesumtiuum* eorum, qui actu se submittunt & confidunt directioni electi regiminis ecclesiastici, obseruata: ipsa forma regiminis, siue *episcopalis* sue *presbyterialis*, siue ex vtroque *mixti* pro exsequenda conuentione communi instituta, aeque indifferens ac arbitraria est, ac forma *regiminis ciuilis*, quae potest esse *monarchica*, *aristocratica*, *popularis* aut *mixta.* Vnaquaeque ex his formis regiminum est accommoda ad procurandam salutem societatis, quantum in hominum viribus est, modo lex dominetur, & memores simus aeque in *statu ciuili* & *ecclesiastico*, autoritatem directorum limitibus *finis societatis* circumscriptam. (XVI) Quia *particulares* ecclesiae coniunctim sumtae constituunt vnam solam *ecclesiam catholicam* seu *vniuersalem*, non sufficit, quod membra *particularis ecclesiae* sint inter se vnita, sed praeterea necessarium est, vt in causis essentialibus, *doctrinam* & *cultum* respicientibus, particulares vnionem sanctam & fraternam inter se, quantum quidem possibile est, vel per *conuentus synodales*, vel *confessionem publicam*, vel *litteras ca-*

nonicas, vel denique per *mutuam assistentiam* colant. Hæc omnino & alia similia sunt media, quibus oues ex quibuscunque ouilibus ad vnum idemque ouile pastorale IEsu Christi reduci possunt, *Ioh. X,16.* vt *vnus pastor* & *grex* sit. (XVII) Singulis Christianis honori cedit, si huic ordini se conformant. Nulla præstantior dignitas, quam se ordinationibus disciplinæ per *conscientiam* submittere, quod animi maximi & sapientis sit, voluntarium frenum suis affectibus iniicere, & sibi imponere obligationem, bene viuendi, vt dicitur *Eccles. VI,30: & erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis & bases virtutis & torques illius in stolam gloriæ.* Optime etiam de ecclesia intelligi potest, quod idem Autor *cap. LI, 30.* dicit: *Appropiate ad me, ignorantes, & congregate vos in domum disciplinæ.* Ecclesia *domus disciplinæ* est speciatim, non tam ratione *censurarum* & *correctionum*, quam ratione illorum, qui in ea manere nolunt, sed se per mores turbulentos, inordinatos, scandalis plenos, nec compatibiles cum professione Christianismi & communione sanctorum separant, dicente Apostolo: *Si Spiritu agimini, non estis sub lege. Gal. V, 18.* (XVIII) Denique ex his omnibus constat, principes directionem negotiorum ecclesiasticorum quidem habere posse, non tamen aliter, quam ex *voluntate expressa* aut *præsumtiua populi*, eius-

que

que poteſtatem ſemper per regulas religionis ab omni autoritate humana independentes, eſſe limitatam, adeoque eam abſque attentato nefario & ſacrilegio, imo hoſtilitate erga DEVM & eccleſiam, opprimere, & *iuxta beneplacitum* limitibus includere neminem poſſe, quod vel ex *reſeruato eccleſiaſtico*, a Proteſtantibus vsque ad pacem Weſtphalicam ſtrenue oppugnato, liquet. Neque tam *de iure principis circa ſacra*, quam *de officio eius circa ſacra* ſcribendum eſt.

Syſtematis Chriſtocratici denominationis ratio.

§. XIII. Ita cohæret hoc, quod recenſui per theſes, *ſyſtema*, quod ideo *chriſtocraticum* dici poſſe cenſui, quia CHRISTVS in eo, vt conditor *regni vniuerſalis externi eccleſiaſtici*, ſiſtitur atque repræſentatur. Quemadmodum enim in *terra ſancta* DEVS *Theocratiam* in populo ſuo erexit; ita ex hoc *ſyſtemate* etiam CHRISTVS inter fideles, in *vniuerſali & catholica eccleſia* coadunatos, & in vnum *corpus viſibile* conflatos, *(N. IV.) Chriſtocratiam* formaſſe cenſeri debet. Et ſicuti in illa *caput* reipublicæ ipſe DEVS; ita huius *caput* & *Rex ſui populi* vniuerſali fœdere vniti, dici poteſt CHRISTVS ſaluator mundi. *(N. XIV.)* Denique ſicuti illam per Moyſen *legibus* & *magiſtratibus* inſtruxit DEVS; ita etiam CHRISTVS generaliter digito monſtrauit, leges fini huius *reipublicæ eccleſiaſticæ* conuenientes ab eccleſia eſſe ferendas, *(N. V.)* atque *doctores*,

& PASTORES præcipue, munere *magistratus* in hac republica fungentes, esse necessarios, (*N. VI.*) imo a semet ipso ecclesiis in hac *qualitate* datos. Huc enim nexus totius systematis tendit, & hoc ex principio omni iuri *principum circa sacra*, qualecunque sit, derogatur, (*N. XII.*) nisi *voluntas populi expressa* vel *tacita* hoc ei concesserit, indulserit, dederit. (*N. XVIII.*) Cum enim hæc *respublica*, hoc *regnum ecclesiasticum*, habeat *propria sua iudicia*, (*N. VII.*) potestatem legislatoriam exerceat, (*N. VII. & VIII.*) decreta ab omnibus obseruanda præscribat, (*N. IX.*) formamque huic conuenientem pro arbitrio eligere possit, (*N. X.*) siue *monarchicam* siue *aristocraticam* siue *popularem*, siue denique *mixtam*, æque vt in *statu ciuili*, (*N. XV.*) consequens fuit, vt *proprio*, *non alieno* & *extraneo* reipublicæ secularis regeretur *imperio* ecclesia, siue *particularis* siue *catholica* ex omnibus, qui sunt eiusdem confessionis, composita fuerit; nam etiam omnes coniunctim sumtæ inter se vnitæ corpus quoddam *reipublicæ magnæ* constituunt, comitia sacra instituunt, atque in iis ordinant, quæ communem ecclesiæ totius vtilitatem concernunt, (*N. XVI.*) recipienda ab omnibus non lege quadam *subiectionis*, sed ex *mutua fiducia*, quam sancti erga semet inuicem habent; (*N. IX.*) qui enim Spiritu aguntur, sub lege non sunt. (*N. XVII.*) Denique quod huic systemati

non

non omnes ſubſcripſerint, id tribuitur proditoribus iurium eccleſiaſticorum, & ICtorum *nouis ſyſtematibus*, qui *ius ſacrorum* principibus Chriſtianis attribuerunt, *(N. XI.)* cum tamen eccleſiæ ſub his maiori libertate perfrui & agere deberent, quam ſub infidelibus *(N. XI.)*

§. XIV. Circa hoc *ſyſtema* generalia quædam præmittam monita, vt eo ſincerius iudicium de eo ferri poſſit. *Primum* eſt, quod hoc ipſum non ſit nouum, ſed illud ipſum, quod in *iure canonico* & *pontificio* quoad *fundamenta* & *principia* traditur, & ſic cum eo in *ſubſtantialibus* conueniat, vtut mitigatum ſit. Etenim (1) hoc ipſum pariter conicit in ſtatum *reipublicæ* eccleſiam tum *vniuerſalem*, tum *particulares epiſcopatus* & *cœtus*, *independentes* a ſtatu ciuili, quem ſtatum etiam hoc *ſyſtema Chriſtocraticum* ſuſcipit, defendit, & *independentiam* a *ſtatu ciuili* agnoſcit. *(N. XIII. XIV.)* (2) In hoc tantum abit a *iuris pontificii* ſententia, quod hoc *formam* a Chriſto eccleſiis præſcriptam & traditam doceat, curia Romana *Monarchicam*, clero Gallicano vero *ariſtocraticam* progugnante; hoc ſyſtema vero hoc neget, formamque humanæ ſubiectam diſpoſitioni, *(N. II. X.)* adeoque arbitrariam eſſe conſtituat. *(N. XV.)* Interim (3) ſyſtema *iuris canonici* & hoc *Chriſtocraticum* in fundamento conueniunt, formam *reipublicæ independentis* ab eccleſiæ conceptu

Primum monitum circa illud, quod cum ſyſtemate iuris canonici papali in ſubſtantialibus conueniat.

ceptu non esse separandam, idque ex necessitate *disciplinae euangelicae* fluere (*N. I. II.*) (4) Imo in hoc quoque conuenit cum *systemate iuris pontificii*, quod regimen huius regni possit esse *aristocraticum* seu *episcopale*, imo etiam *monarchicum*, & sic etiam *caput* quoddam *vniuersale* omnibus ecclesiis praefici queat, cui particulares subiectae sint; (*N. XV.*) vtut hoc non *necessarium* sed *arbitrarium* sit, in quo rursus recedit a systemate iuris pontificii, quod *necessitatem* alterutrius arguit. (5) Sicuti ius canonicum *subordinationem* huius duplicis regni, *spiritualis* seu *ecclesiastici* & *secularis* agnoscit inculcatque; ita pariter hoc systema. (*N. XIV.*) Quamuis autem (6) haud indigitetur, quodnam in *hac subordinatione* praeualeat, cum tamen omnis subordinatio dependentiam alterius corporis ab altero inuoluat; probabile tamen est, *regno ecclesiastico*, vtpote quod *spirituale* & cuius conditor Christus est, praerogativam tributam fuisse, vt huic reipublicae seculares cedere debeant, licet singuli vt *ciues* maneant subditi reipublicae secularis. In hoc discrepat *clerus Gallicanus Romano-catholicus* a *curia Romana*, quippe quae *subordinationem* & *dependentiam* regnorum a rebus publicis ecclesiasticis defendit, cum ille *coordinationem* vtriusque regni *aequalem* praeoptet, & *concordiam inter regnum atque sacerdotium* omnibus modis tueri contendat, li-

mi-

mitibus vtrique imperio positis, vt PETRI DE MARCA aureus liber *de concord. sacerd. & imperii* docet. (7) Talem concordiam etiam hoc systema suo modo agnoscit, laudat, & commendat, (*N. XIV.*) atque hoc ipso immenso quidem *papali imperio*, quod omnibus regnis perpetuum indicit bellum, dicam scripsit, (*eod. N.*) & propius ad mitigatum *cleri Gallicani pontificii* systema accedit, æque docentis, in hac concordia & coniunctione vtriusque regni res ciuiles publicasque felicius procedere, &, *regnante Christo* seu eius vicariis, subditos nunquam suo officio defuturos. (8) Ius canonicum nihil iuris in *ecclesiasticis* & *sacris* tribuendum esse imperantibus, sed *sacerdotio* hoc deberi vnice, docet. Idem constituit hoc systema, (*N. XII.*) nihilque iuris in sacra *proprio iure* eis indulget, nisi ex *voluntate populi*, (*N. XVIII.*) sed *pastoribus* regimen radicaliter assignat, quorum est *regere* & *ducere* oues, *defendere*, atque *his mederi.* (*N. V.*) Inde (9) dubito, vtrum *popularis* respublica in ecclesiis secundum hoc systema recipi, & populo summa rerum committi queat, quod hic ad *oues* referatur, quarum non est *regere* sed *regi*, non *ducere* sed *duci*; *pastorum* vero, *regere* & *ducere*, id quod etiam ius canonicum inculcat, plebemque ab omni regimine penitus excludit. (10) Porro *ius pontificium* propriam *iurisdictionem* & ex his fluentia *iudicia ecclesiastica* ec-

clesiis assignat: nec ab hoc dissentit systema praesens, (*N. VII.*) redarguitque ICtos, quod differentiam inter *iurisdictionem ciuilem* & *ecclesiastica iudicia* ignorent; (*N. XI.*) sicuti enim in vna eademque prouincia, in qua fides Christi recepta est, *duplex respublica*, (*N. XIV.*) ita pariter *duplex* diuersa *iurisdictio ciuilis* & *ecclesiastica* constituenda est, vt haec vnice ab *ecclesia* eiusque *pastoribus*, vtpote quorum est *regere* & *ducere*: (*N. V.*) illa vero ab imperantibus secularibus (vtpote quorum etiam est *regere* & *ducere* in *secularibus* populum) dependeat, & ita hi quoque illi subiecti sint aeque ac illi hisce in causis secularibus. (11) Ius canonicum vtrique reipublicae *proprios iure diuino* assignat *magistratus*: hoc systema pariter, quia Christus dedit ecclesiis *doctores* & *pastores*, (*N. VI.*) qui sunt legitimi *magistratus* in ecclesia, (*N. V.*) a republica independentes. (12) Ius canonicum in officio retinendos esse christianos, seu *fideles*, *censuris poenisque* docet: praesentis systematis eadem est doctrina, (*N. VI XVII.*) nec etiam diuersa esse potest, quod *iudicia propria ecclesiastica independentia* agnoscat. (13) Leges disciplinae ecclesiasticae conuenientes dari ecclesiis vel a synodis vel a singulis episcopis, docet ius canonicum: idem tradit hoc systema, (*N. V. VII. X.*) modo a fine generali ecclesiarum

non

non recedatur in legibus ferendis. (14) Ius canonicum omnibus & ſingulis *obedientiam* cœcam inculcat: hoc ſyſtema etiam *obedientiam* ex *obligatione*, qua vniti ſunt, generali ab omnibus poſcit, (*N. IX.*) magis tamen ex *fiducia* erga paſtores, quam ex *cœco impetu* eam deriuat, in quo a iure canonico recte abit. (15) Ius canonicum Chriſti dogma, *Matth. XX*, 25. 26. ſaluo imperio ſacro, accipiendum, *improbamque Tyrannidem imperatorum gentilium*, religionis liberum vſum remediis coactiuis opprimere conantium, improbatam eſſe docet; eundum ſenſum recipit *ſyſtema chriſtocraticum*, & verba: *non ſic agetur inter vos*, dirigit ad diſcipulos vt *chriſtianos*, & *miniſtros eccleſiæ* atque *præcones euangelii ſui*, ſub qua qualitate *magiſtratus legitimi eccleſiaſtici* ſine dubio fuerunt. Hoc diſcrimen tamen omnino illis obſeruandum eſſe iubet, ne *more Tyrannico magiſtratuum infidelium* imperent, neminem ad religionem Chriſtianam cogant, ſed ſingulis libertatem eam amplectendi relinquant. (*N. XII.*) (16) Ius canonicum, quando contentio inter *ſacerdotium* & *imperium* emergit, (id quod non poteſt non contigere, hominum ambitione, & *ſacra* & *ciuili*, ad criſtas erigendas admodum procliui) *bellum DEO inferri* aſſerit; nec hoc ſyſtema ab eo alienum eſt principio, (*N. XIV. in f.*) quia id DEO negari & fieri creditur, ſecundum ius ca-

nonicum, quod in praeiudicium *ecclesiae* h. e. *sacerdotii* fit. (17) Vnam *catholicam ecclesiam visibilem* sub vno communi imperio agnoscit ius canonicum: pariter etiam praesens systema, *(N. XVI.)* quod non tantum in *fide*, sed etiam in *cultu* seu *externis ritibus* easdem leges eosdemque mores habere debeant ecclesiae eiusdem confessionis, vt vnus *pastor* & *grex* sit; quamuis nequidem *clerus Gallicanus* pontificius hunc rigorem in *ritibus* agnoscat.

Alterum monitum, concipi in hoc systemate christianos, vt sanctos, & integros, vel prout esse debebant iuxta Christi doctrinam.

§. XV. Alterum monitum est, concipi in hoc systemate *ecclesiam*, non vti reuera hodie est, sed prout esse, & sese componere debebat ad Saluatoris nostri doctrinam & verbum. Etenim *ecclesia hodierna* (nam de statu eiusdem duntaxat erimus solliciti, non de *purissima* illa *apostolica* primi seculi) concipitur in hoc systemate, vt *communio sanctorum*, & eorum, qui *Spiritu S. aguntur*, *(N. XVII.)* adeoque *non sunt sub lege*: qui ex fiducia erga semet inuicem mutua omnia iusta sponte suscipiunt: *(N. IX.)* qui ex *conscientiae* dictamine lubenter se submittunt ordinationibus, & in hoc *gloriam* suam atque *honorem* quaerunt. *(N. XVII.)* Vno verbo: qui veri sunt discipuli IESV CHRISTI, totali cordium mutatione innouati ad eius imaginem, & ita ab omni ambitione & *spiritu dominandi* alieni. Ita compositi qui sunt, (prout omnes, inprimis vero *pastores* & *doctores* esse

esse debebant,) de *systemate ecclesiae* haud erunt solliciti, sed *sine lege* sunt, nec vllo ducuntur studio regendi aut resistendi. Sicuti vero CICERO *lib. II. ad Att. ep. 1.* CATONEM, qui tamen ipsi *vnus pro centum millibus* fuit, vt scribit *lib. II. ad Att. ep. 5.* non sine ratione redarguit, quod *saepe, optimo animo vtens & summa fide, noceat interdum reipublicae. Dicit enim*, pergit, *tanquam in Platonis* πολιτείᾳ, *non tanquam in Romuli fece sententiam;* ita pariter *ecclesia visibilis* quatenus in *certas societates* coiit, *bonis malos permixtos excipit*, vt PHILIPPVS MORNAEVS PLESSAEVS *de ecclesia cap. 1. p. 3.* ait, & *p. sq.* addit: *Inuisibilis multas habet oues, in visibilem nondum adductas: Visibilis lupos multos, in inuisibilem nunquam admittendos.* Denique *p. 5. inuisibili* recte attribuitur, *quod dicitur, portas inferorum aduersus eam non praeualituras*, quod in *systemate Christocratico (N. VI.) visibili* per errorem tributum est. Hoc rerum statu corrupto stante, qui non tantum infecit *oues plurimas*, sed etiam plures *pastores*, a quibus maius periculum imminet, perpendendum omnino est sedulo, an talis *suprema & independens potestas* in ecclesiasticis hisce societatibus sacris vel potius eorum praesidibus ex mente Christi concessa sit, ita vt imperanti eiusdem *confessionis & fidei*, qui ecclesias fouet, nulla *inspectio* nullaque *cognitio* atque *directio* in eas competat,

maxime ad implorationem eorum, qui se ab *ecclesia* inique grauatos asserunt? & an *iure diuino* solæ causæ ecclesiasticæ a legitimi imperantis fidelis *suprema inspectione* & *directione necessario* & *absolute* sint exemtæ? Cetera collegia in republica etiam res suas separatim habent, & de rebus ad se pertinentibus disponunt, sed salua suprema inspectione principis. Ecclesiæ pariter sub republica degunt, & licet *iure collegii* pleraque ordinare queant, demonstrari tamen hactenus non potuit, illas prorsus esse exemtas a suprema *inspectione* & *directione* imperantium *fidelium*, qui eas protegunt. *Infidelium* enim diuersam rationem in tribus seculis fuisse, per se euidens est, a quibus, ob odium & hostilitatem, quam exercebant in Christianos, nil nisi hostilia & interitum præsentissimum totiusque ecclesiæ destructionem exspectabant Christiani. Idem quoque asserendum est de magistratu Christiano, qui hostis ecclesiarum *diuersæ religionis* est, quique ob *principia suæ confessionis* subditos diuersæ confessionis, separatam constituentes ecclesiam, instar *hostium Salvatoris* & *religionis inimicorum* habere a clero iussus est, & ita eorum disciplinam non potest ad suum trahere arbitrium. Hostem *iudicem supremum* alicui obtrudere, recta ratio prohibet; ast imperantem eiusdem *confessionis* supremum iudicem agnoscere in causis controuersis in eccle-

ſia excitatis, ea iubet, verbumque diuinum præcipit. Coram *infideli* litigare, PAVLVS *1 Cor. VI, 1. ſeqq.* recte improbat: non æque coram *fideli*, qualiscunque cauſa ſit; & quamuis *rerum terrenarum* tantum mentionem faciat, lis tamen de his facile in *eccleſiaſticam* mutari poteſt, quod peccatorum reſpectus vbique ſe ingerat, & ita ad quæſtionem *diſciplinæ eccleſiaſticæ* trahi queat, præcipue ſi alter litigantium fauorem *ſynedrii* pro ſe habeat. Denique ſi eccleſiis vel qui iis præſunt, vbique ea eſſet modeſtia, integritas & vita ad exemplum Chriſti compoſita, vt nulla *inſpectione ſuprema* opus haberent; ſyſtema adductum, quod vnice ad *ſtatum integerrimum*, quem inter *deſideria* habemus, æque vt *rempublicam* Platonis, quadrat, tolerari poſſet: iam vero, quia clerus non raro dominatur, imperium exercet in conſcientias, & plebs religione capta plus vatibus quam præſidi reipublicæ paret; quia hæ ſocietates latiſſime ſe extendunt, & ita earum directores in interitum reipublicæ ſua autoritate facile abuti poſſunt, vt euentus ipſius papatus docuit: omnino cauere debent imperantes, ne reſpublica detrimentum capiat, quod ſine *inſpectione ſuprema* & *directione atque imperio in ſacra* impetrari nequit. Monitum ſub *N. XIV.* relatum hoc periculum imminens non auertere, hiſtora ſeculi IV. & ſequentium docet, quia, *vbi Chriſtus regnat*, ibi

ibi pax: aſt vbi turbarum plena ſunt omnia, ſeculi IV. ſequentiumque exemplo; vbi epiſcopi dominari incipiunt: ibi Chriſtus non regnat, nec aſſeri poteſt, ibi ſemper Chriſtum regnare, vbi *diſciplina eccleſiaſtica Chriſtocratica* in eccleſiis obtinet, quod *tom. I. lib. I. tit. 31. §. 30. ſeqq.* illuſtraui, ſimul tamen *§. LVIII. ſeqq. officia principum circa ſacra* haud neglexi, vt in adducto ſyſtemate recte monitum eſt. Alia ad illuſtrationem huius argumenti pertinentia, tradidi infra *§. vlt.*

Publico pacto tale ſyſtema recipi poteſt.

§. XVI. Tertium monitum eſt, non quæri, vtrum tale ſyſtema conſtitui & pacto publico ab imperante approbari, & ita independens forma his eccleſiis inter ſe vnitis tribui per *priuilegium* poſſit; ſed an illud ex *natura religionis* per ſe fluat? quod nego. Prius interim ſi factum eſt, ſi princeps diſciplinam hoc modo compoſitam permittit certis eccleſiis, aliunde aduenientibus, quæ in ea innutritæ & educatæ ſunt; iuſtum eſt, vt membra harum eccleſiarum hac libertate indulta perfruantur, & pacti fides ſeruetur, quia tunc princeps ſuo iuri reſpectu illorum renunciauit, modo hoc *priuilegio* in detrimentum reipublicæ haud abutantur, & dominatu omni abſtineant paſtores. Exemplum illuſtre præbent Reformati ex Gallia ex cauſa religionis profugi, qui vbi ſedem in Germania inter Proteſtantes figunt, facile impetrare ſolent, vt *diſciplinam eccleſiaſticam*, qua

quod exemplo Reformatorum

vſi ſunt in Gallia, in ſuis eccleſiis pro *lege* in poſterum obſeruent, & ad præſcriptum huius diſciplinæ, per ſynodos conſtitutæ, agant, quod ex his eccleſiis, exiguo ambitu prouinciæ incluſis, nullum detrimentum reipublicæ metuendum ſit. Ipſum ſyſtema harum eccleſiarum, ex ſynodis earum collectum, ſub *tit. la diſcipline des les egliſes reformées de France* cura D' HVISSEAV, miniſtri eccleſiæ Salmurienſis, anno 1669 denuo recuſum; in Germania vero Heidelbergæ anno 1711. & Hannoueræ poſtea in Gallica & Germanica lingua prodiit, quamuis *Salmurienſis editio* hisce palmam præferat, quod ſingulis decretis ſubiectæ ſint ſynodi, vnde deſumta, in prioribus omiſſæ, retentis ſolis decretis; adhuc vero præſtantior ſit editio Belgica notis LORROQVANI illuſtrata. Paucis circa eam obſeruo: (1) Reformatos non potuiſſe non diſciplinam talem ab omni *poteſtate ciuili* independentem in Gallia conſtituere, tum quod Rex ex principiis eccleſiæ Romano-Catholicæ ad ſacra manus haud extenderet, (excepto caſu *abuſus*) ſed *epiſcopis* horum curam relinquere coactus eſſet: tum quod ſub vtrisque, vt *hoſtibus* & deſtructionem earum cogitantibus, in ſacris militare recta natio non ſiuerit. (2) Fateor, propius eosdem acceſſiſſe ad praxin primitiuæ eccleſiæ ſub *infidelibus*, & ſecundum eam eccleſias ſuas vt plurimum compoſuiſſe, niſi quod *epiſco-*

ex Gallia profugorum monſtratur.

pos non receperint, quia ſub hoſte ſuorum ſacrorum principe hoc modo ſibi cauendum eſſe, arbitrati ſunt. (3) Concedendum tamen etiam *nobis* A. C. addictis in Germania fuit, vt iura principum eiusdem confeſſionis circa ſacra ſecundum ſtatum eccleſiarum ſub Chriſtianis imperatoribus reſuſcitarent, & hoc *communi* inter ſe *iure* vterentur, ceu omnium eccleſiarum vſus docet.

Discrimen eſt faciendum inter magiſtratum fidelem & infidelem.

§. XVII. Vltimum denique monitum eſt, magnum omnino eſſe discrimen ſyſtematis eccleſiaſtici ſub *infideli principe*, & ſub *fideli* eiusdem confeſſionis. Sub illo, vtpote hoſte fidei, & bellum perpetuum eccleſiis inferente, eccleſiæ in *regimine* ſui iuris ſunt, ſibi ipſis relictæ, & in *ſtatu naturali* poſitæ, quem ſtatum *diſſ. XII. ad Plin. II. & Tertull.* delineaui atque obſeruaui, ex hoc *ſingulari ſtatu* multa pro *neceſſitate* eius temporis conſtituta fuiſſe, quæ in ſtatu poſteriori non abſolute retinenda fuerunt. Hoc etiam agnouerunt plerique moderatiores epiſcopi, & imperatoribus ſupremam *inſpectionem*, *directionem*, & *iurisdictionem* in eccleſiaſtica in dubium non vocarunt. Quid? quod, vbi hæc iura dimittere violentia paparum coacti ſunt, in periculoſiſſimam malorum voraginem reſpublicæ coniectæ fuerint, vt antiquitates memorant.

Monita ſpecialia ad ſyſtema Chriſtocraticum.

§. XVIII. His præmiſſis, *monita* quædam *ſpecialia* ad ipſum ſyſtema allatum dabo, ſecundum

(*N.*

(*N. I. & II.*) agnoſco *neceſſitatem diſciplinæ eccleſiaſticæ*, etiam a me indicatam *diſſ. iur. eccleſ. antiq. ad Plin. & Tertull. III.* §. 2. cum nulla ſocietas ſine *ordine* eſſe queat. Agnoſco, vt obſeruaui *cit. l.* §. 6. *ſeqq.* formam eius eſſe iuris *eccleſiaſtici* & *humani*, & quamuis primariam functionem Chriſti & Apoſtolorum in *annunciatione euangelii* conſtituerim, ipſis Apoſtolis teſtibus *Act. VI, 2. 4.*, non negaui tamen, ipſos Apoſtolos curam *diſciplinæ* ſeu *ordinis ſeruandi* habuiſſe, prout ipſe faſſus ſum *cit. diſſ. III.* §. 17. *ſeqq.* & ita *N. III. & IV.* admitto. Pariter eiusdem ſententiæ ſum, cum *N. V. & VI.* modo monuerim, α) Chriſtum inculcaſſe diſcipulis, vt *docerent fideles*, *omnia fideliter ſeruare*, *quæ illis mandauerat*, quæ non poſſunt non ad *doctrinam euangelii* & *vitam*, ad eius exemplar componendam, referri, quia *hanc ſalutis viam* illis vnice inculcauerat, vt *Matth. XXVIII, 19.* monſtrat: β) paſtorum functionem etiam in *regendo* & *ducendo* collocatam; *1 Tim. V, 17.* ſed hanc propterea non abſolute *independentem* eſſe, nec reſpuere *fidelis principis eiusdem fidei inſpectionem* & *directionem ſupremam*: γ) locum *Matth. XVI, 18.* determinare tantum *eccleſiam inuiſibilem*, vt §. *XV. ſupra* iam obſervaui, nec recte tribui *cœtui viſibili*, imo Chriſti doctrinam *Matth. XVIII, 15 ſeq.* expoſitam non euidenter inuoluere poteſtatem *excommunicandi*, vt obſeruaui *cit. diſſ. III.* §. 6. cum SELDENO; vtut interim illam *neceſſariam* & *vtilem* eſſe, ex aliis euidentioribus principiis demonſtrauerim, ſalua tamen *inſpectione ciuili* & *moderatione ſuprema*, ne, quod facile fieri poteſt, in *abuſum* trahatur. Vitia enim, donec homines. Admitto pariter, quod (*N. VII.*) traditur, quamuis *iudicii forenſis* veſtigia euidentia non deprehendam *1 Cor. V, 12.* Etenim PAVLVS in præcedente *commate* de fratre inordinate ambulante & ſcandala præbente publica *iudicauerat*, h. e. cenſuerat, atque arbitratus erat, cum tali nequidem capiendum cibum eſſe; inde pergit: *nam de alienis*, ſeu qui ſunt extra eccle-

 ſiam,

ſiam, *quid me attinet iudicare?* additque: Ὀυχὶ τὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε; *nonne diiudicate eos, qui intus ſunt?* vel vt SEBASTIANVS CASTELLIO vertit: *cum vobis ſit de veſtris iudicandum.* Neceſſe omnino eſt, vt, cuius familiarior vitæ conſuetudo eſt vitanda, ille ante omnia ex vita ante acta & moribus excutiendus & pro indigno agnoſcendus ſit, quod fit ſingulorum *priuato iudicio*, prout in *excommunicatione iudaica* olim fiebat. Hanc etiam *priuati* infligere poterant, & ab initio adhuc vſitata inter fideles fuit, de qua PAVLVS, ex Iudæis ortum trahens, videtur loqui, quorum inſtituta paſſim in ore habet. Si de *eiectione*, Chriſtianis paulo poſt vſitata, locutus fuiſſet, omne *commercium* cum his *ſacrum* a priori; non vero, *phraſi iudaica* vſus, cibum communem cum his capere prohibuiſſet. Si ergo aliud *iudicii eccleſiaſtici* fundamentum non adeſt, quam quod *ex 1 Cor. V, 12.* trahitur ſub bona cauſa, cuius momenta *cit. diſſ. III. §. 62. ſeqq.* dedi, facile ſuccumbet antiquitas, cum tamen teſte TERTVLLIANO in *apol. 39.* nihil certius, quam exiſtentia huius *iudicii eccleſiaſtici* fuerit, quod ſub *ſtatu extraordinario* eccleſiarum neceſſarium fuit. Ad vſum religionis Chriſtianæ formandasque eccleſias ſecundum (*N. VIII.*) permiſſionem publicam nec ego deſidero, nec tamen inde colligendum eſſe, Proteſtantes cenſent, illas principis fidelis eiusdem confeſſionis etiam excludere *inſpectionem* & *directionem ſupremam*. Proceſſus ſub (*N. IX.*) relatus, & in examinanda controuerſia Antiochiæ coorta obſeruatus, ſingulares habet circumſtantias non omittendas. Etenim obſeruo, α) æquum fuiſſe, vt communi apoſtolorum conſilio, in omnem *veritatem* a Spiritu S. deductorum, hæc cauſa ſubiiceretur: β) eos potuiſſe illam definire ob *donum falli neſcium*, a Chriſto ipſis *peculiari iure* promiſſum: γ) noluiſſe tamen eo iure vti Apoſtolos, ſed *ſeniorum* & *totius eccleſiæ Hieroſolymitanæ* conſenſum adhibuiſſe: δ) concluſum horum conſenſu *Act. XV. 22.* confectum, lit-

litterasque *omnium nomine* ad ceteras ecclesias exaratas, per *comma 23.*, & fratres delegatos *communi nomine* per *comma 25.* non tantum *Apostolorum* & *seniorum* autoritate: *e*) huic decreto merito standum fuisse primario ob Apostolorum autoritatem, qui authentica *Christi* delegatione ad docendum missi erant, siue *compromissum*, siue *concilium*, siue *simplicem vnius particularis ecclesiæ congregationem* hunc conuentum dixeris. Interim certum est, pro statu illius temporis ecclesias ex vnione inter se arctissima habuisse potestatem synodos cogendi, & de *causis communibus* deliberandi. Vnde conclusionem sub (*N. X.*) pariter admitto, modo cogitemus, ecclesias fuisse collegia *æqualia*, vt *diss. III. cit. §. 12. seqq.* euictum, a forma *reipublicæ* prorsus aliena, per *§. vlt. huius præloquii*, in quo πρῶτον ψεῦδος totius systematis, quod examino, consistit. Pariter certo modo admitto sententiam (*N. XI.*) cum declaratione, quam *§. XVII.* supra tradidi. Quod vero *commune systema*, quo Protestantes in Germania vbique vtuntur, (licet quidam Theologi *priuata doctrina* diuersum de eo conceptum habuerint, vt *§. X. seq.* innui) tribuatur *præuaricationibus pessimorum Christianorum*, & *inuentionibus ICtorum*, id per iniuriam factum fuisse, & Autoris *systematis Christocratici* affectui, cui plus iusto dedit, tribuendum prorsus arbitror. Id enim (a) sub imperatoribus fidelibus iam in vsum deductum, & paparum astutia & violentia demum extinctum: (b) in instrumento pacis assertum: (c) publicisque Theologorum & ICtorum scriptis, vt infra §. vlt. ostendo, vindicatum fuit, quos *præuaricationis criminis* postulare nefas est. Iudicia *ecclesiastica* æque sunt iudicia atque *secularia*, quæ *imperio* ciuili, non ecclesiis, tribuenda. Argumentum sub (*N. XII.*) admitto (1) in *thesi*, vt absolute *permissio superioris* non sit necessaria ad colligendas ecclesias, quod Christiani primæui sub infideli magistratu constituti suo exemplo demonstrarunt;

 runt;

runt; in *hypothesi* autem nego, quod singulis ecclesiis sub *magistratu fideli* eiusdem vel parum discrepantis fidei viventibus simpliciter permissum sit, a *systemate communi* illius prouinciæ per *leges publicas* stabilito recedere, & proprium sibi systema eligere, nisi hoc fiat indultu principis territorii, cuius est, legum publicarum vinculum intuitu certorum subditorum, maxime nouiter receptorum, laxare, vt §. *XVI.* monui. Vnde (2) conclusio de *regno ecclesiastico*, sub (*N. XIV.*) adducta nec ex præmissis fluit, si ad statum ecclesiæ sub *principe fideli eiusdem confessionis* trahitur: nec *regnum Christi*, quod *in nobis* esse debet, *statum hierarchicum ecclesiarum* necessario inuoluit, vtpote quæ sunt mera *collegia æqualia*, ordine *imperandi* & *parendi* destituta; quamuis *iure collegii* sub *infideli principe*, vel alio ecclesiarum certarum *hoste infensissimo*, confœderatam disciplinam inter se instituere & institutam exercere possint. Atque huc inprimis tendit locus, sub (*N. XIII.*) ex *Matth. XXII, 21.* adlatus, qui (a) omnem ad *hierarchiam* aditum claudit, simul vero (b) id, quod (*N. XV.*) dictum, a statu ecclesiarum æquali prorsus alienum esse docet, qui non admittit nec *monarchiam*, nec *aristocratiam*, nec *popularem* nec *mixtam formam:* hi conceptus *rempublicam* designant, quæ non datur in ecclesia, ne dicam, *papatum*, ex *monarchia* in ecclesiam introducta, inde prono fluere alueo. Denique etiam (3) sensus eius, quod (*N. XVI.*) traditur, ex dictis declarandus, vt talis coitio ecclesiarum (sicuti etiam in collegiis) fieri possit sub *hoste* earum, quamuis inde ecclesiæ vnius confessionis inter se vnitæ in vnam rempublicam haud coalescant, nec inde *catholica ecclesia* nascatur, cuius conceptum curatius euoluit MORNAEVS *de eccles. c. 1. p. 12.* Etenim (a) nihilominus vnio inter ecclesias eiusdem fidei est, licet coire non possint: (b) *coitio* sub eiusdem fidei principe non absolutæ necessitatis est, quippe qui supremus

mus arbiter *negotiorum ecclesiasticorum* tali casu est, præsertim quod ad minimum (c) ex *plurimis prouinciis* talis confluxus fieri non debeat, qui non semper in effectum deduci potest, ob causas plurimas, præsertim §. *XV.* supra indicatas, ex quibus mala reipublicæ imminent. Denique etiam idem §. *XV.* docet, id, quod sub *N. XVII.* traditur, applicatione destitui, & raros esse, qui ex *principio honoris* ad obedientiam legum trahuntur, paucissimos vero, quibus applicari possit locus *Gal. V, 18.* Vltimam obseruationem sub *N. XXIII.* non tangam, quia destructis præmissis destruitur conclusio, licet monitum vltimum *de officio principis circa sacra* laudem, & ambabus amplectar manibus, prout supra §. *XV. in f.* indicaui.

Consensus B. Buddei adducitur, hoc systema impugnantis.

§. XIX. Binis verbis tantum retuli mentem meam circa has theses, in his tomis fusius declaratam atque firmatam, ad cuius illustrationem potissimum conferenda est dissert. præliminaris *de suprema lege ecclesiastica*, *tom. I.* præmissa, & *ius publicum vniuers. P. spec. lib. II. c. 5.* in quo libro quauis occasione Machiauellistis & Hobbesii discipulis bellum perpetuum indixi. Superpondii loco addam magni quondam Theologi BVDDEI *in Isagoge historico-theol. ad vniuers. Theol. libr. poster. c. V. §. III. in not. p. 657.* consensum cum his, quæ a me adlata sunt. Etenim postquam statum ecclesiæ primitiuæ retulerat, ita pergit: *Quæ cum ita sint, magnopere falluntur, qui ecclesiam apostolicam ad reipublicæ cuiusdam formam compositam esse contendunt.* Deinde §. *VII. in not. p. 695.*, postquam PVFENDORFIVM *de habitu relig. ad vitam ciuil.* vt emendatorem iuris ecclesiastici laudauerat, hæc subiungit: *In eo* (libello) *namque* SOLIDE *demonstrauit, ecclesiam non ad instar reipublicæ seu status independentis, sed potius instar collegii cuiusdam esse concipiendam. Ex quo consequitur, solos imperantes summos in omnibus imperiis ac rebuspublicis supremo circa sacra iure gaudere; idque illis non prout episcopi, sed prout* im-

imperantes sunt, tribuendum esse; hinc & eos solos, in iis, quae ad externum ecclesiae regimen spectant, leges praescribere, eaque, quae ad ecclesiae conseruationem pariter, ac reipublicae tranquillitatem faciunt, constituere posse. Plenius idem argumentum *§. IX. cit. l. p. 716.* regustat, asserendo, *ecclesiam non esse statum aliquem siue rempublicam independentem; ecclesias autem particulares instar collegiorum esse concipiendas, quae potestati summorum imperantium sint subiecta; verbi diuini ministros dispensatores esse mysteriorum DEI, 1 Cor. IV, 4. adeoque doctorum, non imperantium loco habendos; hinc & non aliud illorum officium esse, quam docere verbum DEI, & recte administrare sacramenta; & licet quoque illis vsus clauis ligantis & soluentis seu potestas remittendi & retinendi peccata sit concreditus, nulla tamen eos ideo gaudere iurisdictione, nullo imperio, nulla potestate homines cogendi.* Denuo *§. X. p. 734.* eandem sententiam firmat, &, *regimen ecclesiae,* ait, *iurisdictio, facultas coactiua, potestas puniendi, & quae eiusdem sunt generis, vti citra controuersiam summum imperium arguunt; ita ecclesiae nullo modo tribui possunt, nisi eam in rempublicam commutare, & ita rempublicam in republica statuere, imperantesque summos magna imperii parte spoliare velis.* Idem denuo repetit *p. 738.* aitque, *ecclesias particulares instar collegiorum se habere, quae directioni summorum imperantium sunt obnoxia.* Denique in *institut. theol. dogmat. lib. V. c. 3. §. 17.* plenius errorem dissentientium refellit, & ita illorum obiurgationem redarguit, qui *systema Protestantium commune,* quod ego in his tomis secutus sum, *inuentum ICtorum, & praeuaricationem pessimorum Christianorum* esse, arbitrati sunt. Quod superest, in votis habeo, vt omnes *prudentiam Theologicam, modestiam & pietatem,* quas virtutes in magno BVDDEO adhuc post fata veneramur, pari ardore sequantur, & *vnicum* illud *necessarium* ob oculos habeant indesinenter. Dab. Halae d. V. Oct. MDCCXXXVI.

IVSTI

IVSTI HENNINGII BOEHMERI IC.

IVS ECCLESIASTICVM PROTESTANTIVM

VSVM HODIERNVM

IVRIS CANONICI

IVXTA SERIEM

LIBRI V. TIT X. ſqq.

DECRETALIVM

QVIBVS POTISSIMVM DOCTRINAE DE DELICTIS SECVLARIBVS AC MIXTIS, EXCESSIBVS CLERICORVM, PVRGATIONE, POENIS ECCLESIASTICIS, POENITENTIA ET EXCOMMVNICATIONE TRADVNTVR,

OSTENDENS

ET

IPSIS RERVM ARGVMENTIS

ILLVSTRANS.

TOMVS V.

LIBRI V.
DECRETALIVM
TIT. X.
DE
HIS, QVI FILIOS OCCIDERVNT.

§. I.

NOn adeo mirandum est, RAYMVNDVM etiam ea compilasse, quæ circa *crimina publica*, mere *secularia*, a pontificibus fuerunt constituta, exemplo GRATIANI, qui ex antiquis scitis ecclesiasticis plura in hanc rem collegit. Supra iam *tit. I. huius libri §. VII.* obseruaui, iudicia ecclesiastica quælibet crimina sub suam reuocasse censuram, iisque more antiquo *pœnitentias canonicas* inflixisse, nec *foris criminalibus* eo ipso vllum attulisse præiudicium. Has qui ad

In iure canonico agitur etiam de criminibus secularibus.

(1) pœnitentiæ causa.

ad præfinitum canonibus tempus sustinere cogebantur, in eo statu erant positi, vt antequam absoluerentur, pro *eiectis* & *exclusis* suo modo haberentur, quod absolutio non nisi exacto tempore fieret *regulariter*, vt plenius tradit IO. MORINVS *de admin. sacram. pœnit. lib. IX* & imprimis *c. XXIV.* ostendit, seculo XII. demum confessioni mox iunctam fuisse *absolutionem* contra morem priscum, sub conditione tamen, vt *satisfactio* iniuncta *ipso opere* compleretur; interim tamen eucharistiæ communionem, qua demum *perfecte* restituebantur, relaxatam fuisse, donec imposita pœnitentia integre & magna ex parte peracta fuisset. Grauiora tamen dubia sæpius emergebant circa delicta *clericorum*, vnice in *foro ecclesiastico* vindicandorum, de quorum censuris consulebantur quotidie pontifices, vnde tot decretales enatæ sunt. Et quamuis post hæc tempora delictorum *occultorum* pœnitentiæ factæ essent *arbitrariæ*, postquam, INNOCENTII III. nouo instituto, *forum pœnitentiale parochorum* exstructum, & a *foro externo criminali* episcoporum, in quo *publicæ pœnitentiæ* per modum pœnæ inflictæ, distinctum fuit; sæpe tamen causarum grauiorum & ambiguarum fata adeo suspensos tenebant iudices, vt curiæ Romanæ decisioni eas submittere cogerentur, vt rescripta pontificum his titulis relata docent.

Qua peracta demum fiebat absolutio ab excommunicatione.

(2) Intuitu clericorum delinquentium.

§. II. Equidem, prout *tit. I huius libri §. LXIV.* traditum est, *seculo XII.* ad hæc *fora externa episcopalia*, quæ *contentiosa* dicebantur, quæuis *laicorum* crimina adhuc tracta sunt ex philosophia INNOCENTII III. in *c. 13. X. de iudic.* ita edisserentis: *non intendimus iudicare de feudo - - sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione* CENSVRA, *quam in* QVEMLIBET *exercere possumus & debemus.* Enimuero hæ *censuræ* iam degenerauerant in *pœnas* proprie dictas, *plus quam criminales*, *forensi more* dictatas, processuque quodam *criminali* delicta examinabantur, vt hæc *fora contentiosa a criminalibus iudiciis* vix quicquam differrent. Et quamuis INNOCENTIVS III. post pauca subiiciat: *nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat, quin ad officium nostrum spectet, de* QVOCVNQVE MORTALI PECCATO *corripere* QVEMLIBET CHRISTIANVM, *& si correctionem contemserit, per districtionem ecclesiasticam coercere;* nullus tamen, qui est sanæ mentis, etiam ignorat, sub hac *correctione* & *districtione ecclesiastica* proprie dictas *pœnas* latuisse, & sic duplici processui *criminali* subiectos laicos, tum in foro *ecclesiastico*, tum *criminali*. Id quod cum ægre haberet delinquentes imo & iudices seculares legitimos, ansam tandem

Pœnitentiæ tamen iam in pœnas proprie dictas degenerauerant.

Inde iudicia episcopalia facta criminalia,

& distinctio inter qualitates criminum orta,

tandem dedit, vt diſtinctio inter crimina *mere eccleſiaſtica*, *mere ciuilia* ſeu *ſecularia* & *mixta* pedetentim fuerit facta, hoc ſenſu, vt de his *prauentioni* locus eſſet; de illis vero ſolus *iudex ſecularis*, de iſtis ſolus iudex *eccleſiaſticus* more forenſi cognoſceret, quod etiam obſervatum ab ESPENIO *P. III. iur. eccl. tit. IV. c. 1. §. 30.* Ita quidem cenſuere *iudices eccleſiaſtici*, contentiones de finibus iurisdictionis vtriusque componi potuiſſe; non tamen intra hos limites ſeſe continuerunt pontifices, quod decretales quæcunque laicorum crimina conſtanti more ad ſacrum reuocauerint tribunal, & de eis etiam diſpoſuerint.

Quam pontifex neglexit.

§. III. In Germania potiſſimum hæc confuſio & vtriusque iurisdictionis colliſio adhuc *ſeculo XVI.* perdurauit, quod teſtantur euidenter *centum grauamina* oratori pontificio in comitiis Noricis anno 1523. oblata, nec a proteſtantibus tantum, vt quidam ſomniarunt, ſed ab vniuerſo imperio concepta & oratori exhibita. Etenim in *art. LXX.* de abuſu iudicum eccleſiaſticorum circa *cauſas mixtas* has mouent querelas: *licet complures ſint cauſæ ita promiſcuæ iurisdictionis, vt ſecundum* IVRA COMMVNIA *apud eccleſiaſticos atque ciuiles iudices agitari & puniri poſſint; ſapiuscule tamen euenit, vt cum ciuiles iudices conceſſam ſibi hac in re prouinciam & iurisdictionem adminiſtrare atque exercere velint, quod id ipſum ne faciant, per iudices eccleſiaſticos ſub excommunicationis pœna eis interdicitur probibeturque. Quod ſi diutius perſtare deberet, breui eccleſiaſtici iudices a magiſtratu eiusque iurisdictione quascunque etiam cauſas eximerent, ſuæ aſſererent ditioni.* Per *ius commune* intelligunt nouum illud ius ab interpretibus potiſſimum aſſumtum inter diuerſa delictorum genera antea relata. Addunt rurſus: *Et quanquam ſecundum* IVRA COMMVNIA *manifeſta periuria atque adulteria maleficiorumque præſtigiæ & conſimiles aliæ cauſæ per eccleſiaſticos ac ciuiles iudices promiſcuum, vter occuparit, ciuiliter pro tempore plecti poſſint, habeatque ita prauentio hac in re locum: attamen eccleſiaſtici iudices contra omnia iura cauſas huiusmodi ſolis ſibi ſuæ ue iurisdictioni vſurpare conantur. Quod ipſum iurisdictioni ciuili non ferendum eſt onus ac grauamen.* Verum etiam ſimilem abuſum indicant circa crimina mere ſecularia *art. LXXIV. cum diuina humanaque iura vetent, vt nemo duabus cædi debeat virgis, merito plerique, quibus cerebrum eſt, nonnullarum cathedralium eccleſiarum odioſa ſtatuta, peruerſosque mores, quibus vtriusque ſexus homicidas, reliquosque maiorum minorumue criminum reos hucusque vexarunt, deteſtantur. Nam hactenus*

Colliſio vtriusque fori in Germania adhuc durauit ſeculo XVI.

Tum quoad crimina mixta.

Tum quoad mere ſecularia.

nus seruata est consuetudo, quod homicidii similiumque facinorum (quos casus episcopis reseruatos vocant) rei peracta in aurem confessione, publicam pœnitentiam in totius populi conspectu cum magno suorum ipsorum dedecore, ignominia, infamia, subire coguntur. Quæ quidem pœnitentiæ forma non vsquequaque improbanda foret, vtpote quæ ad primitiuæ ecclesiæ instituta quam proxime accederet, si hac contenti, non etiam ampliorem iusto peccantibus egregii isti maleque officiosi officiales extorquerent pecuniæ summam ac duplici delinquentes punirent pœna. Quare mirum, quam multi offendantur. Quod quam iniquum quamque longe a Christi instituto sit alienum, cuique sanæ mentis coniectura assequendum relinquitur. Aperitur hic fucus, sub quo *crimina* etiam *secularia* ad iudicem ecclesiasticum trahuntur, ad minimum quoad *pœnam.* Auricularis confessio quidem regulariter fit sacerdoti seu presbytero, qui de quibuscunque peccatis confitenti absolutionem indulget, eique *satisfactionem* imponit. Ast tum *pontifex*, tum *episcopi* quosdam casus suæ *absolutioni priuatiuæ* reseruarunt, a quibus non absoluit sacerdos parochus, sed ad episcopum ablegantur delinquentes, vt hic absolutionem indulgeat, & *satisfactionem* imponat, quam in grauiores *pœnas pecuniarias* transmutarunt, cupiditatibus suis congruas, licet hoc modo sæpe duplici adficiantur pœna delinquentes. Delicta hæc *secularia* absolutioni episcopali reseruata enarrat & explicat IO. GEORG. KIENE *de casibus reseruatis P. 2. c. 3. & 7.* vnde liquet, hoc modo ad coercitionem ecclesiasticorum iudicum etiam trahi posse *homicidia voluntaria*, *duella*, *abortus*, *percussiones parentum*, *machinationes in necem coniugum*, *coitus cum bestia*, similiaque, magis consuetudine vel statutis synodorum episcopalium quam iure communi episcopis reseruata. Imo probabile est, ex ratione mere politica tales casus per *statuta synodalia* episcopis esse reseruatos, vt eo facilius hæc crimina rursus *per indirectum* ad suum forum & coercitionem ecclesiasticam traherent, quorum vindicationem sibi ereptam doluerunt sine causa.

Imprimis quoad casus reseruatos absolutioni episcopali,

Per statuta synodalia.

§. IV. Conclamatum itaque est, variis ex caussis quoque de *criminibus secularibus* agendum fuisse in decretalibus: (1) quod clerici in his vnice *iurisdictioni ecclesiasticæ* essent subiecti, & per illam plectendi: (2) quod plura *mixtam* naturam habere viderentur, & *præuentioni* locus esset: (3) quod licet quorundam inquisitio atque coercitio vnice esset relicta *foro criminali*, nihilominus tamen ex ratione *peccati* concurrentis, ad *pœnitentiale forum* adhuc pertinerent, vt

Hinc de secularibus etiam agendum in iure canonico variis ex causis.

vt *absolutionem* delinquens mereretur, quam in plerisque tantum episcopus *immediate* indulget, & ita variis pœnis ecclesiasticis sponte confessum supponit: (4) quod quædam singularem *irregularitatis* effectum producerent, impedirentque, ne quis ad sacros ordines deinceps admoueri posset, si vel maxime *vt laicus* deliquerit, nisi dispensatione præuia inhabilitas hæc correcta & abstersa fuerit. Denique (5) quod ratione *sepulturæ ecclesiasticæ* multum ecclesiæ interesset, quo mortis casu vel genere quis occubuerit, quod, qui in duello, torneamentis vel in alio delicto mortali mortem obierint, vel semet ipsos interemerint, *honesta sepultura* eodem modo deneganda sit, ac illis, qui ob crimina publica vltimo affecti supplicio, absque pœnitentia decesserunt, quod etiam in *statutis synodalibus* regustatum, vt in *Coloniensibus de anno 1661.* sub electore MAXIMILIANO HENRICO apud LVNICH. *in spicil. eccl. contin. III. p. 691.* suisque locis ostendendum erit.

Hoc titulo de infanticidio agitur.

§. V. Hoc titulo *infanticidii* reatus, tum *culpa* tum *dolo parentum* commissus, perstringitur. Culpa imprimis offenditur in *oppressione infantum* in lecto, quem casum tangit pontifex in *c. 2 X. h. t.*

a) culposo

si repertus fuit infans cum patre & matre, nec apparet, vtrum a *patre*, an a *matre* oppressus sit vel suffocatus, vel *propria morte defunctus*, vt dicitur in *cit. f. c.* non sunt sine omni *pœna* seu *pœnitentia* dimittendi, vt tamen *pietatis* & naturalis amoris ratio habeatur, *vbi non voluntas sed euentus mortis causa fuerit.* Enimuero si constat, suffocatum esse infantem a parentibus in lecto, grauiter delinquunt, *trium annorum pœnitentia*, iuxta antiquos ecclesiæ canones, plectendi, quorum vnum in *pane* & *aqua* seu carena vel *ieiunio pœnitentiali* peragere debent. Grauior pœnitentia exigitur a *patribus sacerdotibus orientalibus*, quibus matrimonium permissum est, qui si infantes in lecto voluntate *directa* vel *indirecta* oppresserunt, ab officio altaris iussi sunt in perpetuum abstinere, grauiorque eis quam laicis pœnitentia (non tamen *publica*) imponenda: si vero ex *incuria* eorum in cunis reperiuntur mortui, *ad tempus* tantum abstinere ab altaris ministerio & pœnitentiam arbitrariam subire debent. *c. 7. X. de pœnit. & remiss.* In *Saltzburgensi synodo prouinciali* de anno 1560. apud LVNICH. *contin. III. spicil. eccles. p. 891. constit. 57. cap. 19.* casum hunc sibi Archiepiscopus reseruauit: *admoneri mandamus omnes & singulos parochianos vtriusque sexus, sub cura quorumlibet presbyterorum prouinciæ Salzburg. degentes, quod non audeant filios vel filias suas saltem*

Cuius censura traditur.

Reseruata absolutione episcopo per statuta synodalia.

tem per annum vnum a die natiuitatis eorum secum communi lecto ad lactandum seu dormiendum tenere & collocare, ne negligentia vel culpa eorum suffocentur, vt saepe contingit, vnde ipsimet parentes homicidii vel parricidii rei inueniantur, & sub praetextu frigoris non sunt facienda bona, vt proueniant mala. Quem casum nobis specialiter reseruamus praecipimusque tam presbyteris parochis (extra confessionem tamen) quam ipsis parochianis, quod scientes dictam transgressionem statim reuelent nobis, aut vicariis nostris h. e. officialibus. Pariter in *statutis synodalibus Hildesiensibus de anno 1539.* sub VALENTINO episcopo *c. 50.* apud LVNICH. *P. II. spicil. eccl. p. 269.* oppressionem propriae prolis sibi reseruauit episcopus, quod etiam factum in *Paderbornensi synodo de anno 1688. c. 7.* apud EVNDEM *contin. III. spicil. eccl. p. 1192.* quo infanticidium tam *prolis natae* quam *foetus* ANIMATI reseruatum episcopo. Speciatim quoque *oppressio prolis per negligentiam parentum in Wormatiensibus* decretis *de anno 1701.* apud EVNDEM *cit. l. p. 1324.* ad *reseruata ecclesiastica* relata est.

β) Doloso.

§. VI. De infanticidio *dolose* commisso itidem *h. t.* agitur, sed tantum quoad effectum *poenitentiae* imponendae, adeoque *poenam criminalem* hic tangere nolo, quae ex iure Romano & Carolino depromenda. Id tantum paucis moneo, legibus antiquis hoc crimen non absolute capitis supplicio suppositum fuisse. Liquet ex *c. 1. X. h. t.* matrem, ex calore iracundiae infantem necantem, per sexennium prouincia Flandriae comitem eiecisse, eam tamen licentia pontificis remanendi potestatem impetrasse. Pariter ex *c. 2. X. h. t.* palam est, a domino terrae tantum marito legem impositam, vxorem, quae infantem iugulauerat, abiurandi, quod tamen pontifex improbauit. In *LL. Wisigoth. lib. VI. tit. 3. leg. 7.* a PETRO PITHOEO editis *p. 135.* poena vel capitalis vel oculorum effossionis imponitur. *Lege Allemannorum tit. 41.* parricidio maculatorum bona confiscantur, ac delinquentes secundum canones poenitentiam agere iubentur. HENRICVS II. imperator in legibus Francicis & Longobardicis additis *pacto legis Salicae* apud ECCARDVM *p. 200.* eandem poenam in eo casu decreuit, si quis parentes necauerit spe hereditatis consequendae. Nec *leges Frisionum tit. XIX.* aliter de *parricidio* disponunt, nec praecise mortis supplicium decernunt *leges Longobardorum tit. 79.* Athenienses vero poenam parricidii capitalem constituisse, monstrat variis documentis IO. FRANCISCVS RAMOS ICtus Salmanticensis *de error. Tribon. de poena parricidii p. 94.* imo Romani, *quod intelligerent*

Olim non absolute capitaliter punito in foro seculari.

Romani & Athenienses parricidia morte plectebant.

tent, nihil tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitarunt, vt ait CICERO *in orat. pro Roscio*, intelligens pœnam *culei* atrocissimam. Hæc iam ante *legem* POMPEII Romanis vsitata fuit, vt vel VALERIVS MAXIMVS *lib. I. c. 9.* testis est, referens, Tarquinium superbum culei pœnam inflixisse M. Tullio duumviro, quod librum, secreta sacrorum depingentem, corruperit, hoc addito, eam *non multo post parricidis lege assignatam fuisse; quod pari vindicta parentum ac Deorum violatio expianda videretur.* Ex quo non improbabiliter coniicit IO. FRANCISCVS RAMOS *cit. l. p. 51. in f. seq.* iam legibus XII. tabularum hanc pœnam fuisse introductam, *lib. III. & sqq.* varia singularia notatu digna de more antiquo exequendi hanc pœnam crudelissimam annectit, quæ hic exponere, instituti ratio non permittit.

Infanticidia vero a Romanis non semper punita.

§. VII. Ceterum quod de *parricidarum pœna* apud Romanos iam olim vsitata dictum adlatumque est, ad necem parentum tantum referendum est. Maior olim Romanis licentia liberos vel *natos* vel *in vtero latentes* enecandi, & ita quodammodo ius sceleri datum erat. Equidem non dubium est, quin mitioris ingenii & sapientiores gentilium hæc facta turpia vituperauerint atque damnauerint; obseruante ALPHONSO A CARANZA *de partu c. IV. p. 318. n. 17.* impunita tamen & extra pœnam legis *suo modo* fuisse, ad minimum ante TRAIANI & HADRIANI æuum, tralatitium est; adeo vt nequidem post hæc tempora mos hic scelestissimus quieuerit, quamuis pœna *extraordinaria* tantum punitus. Christiani imprimis hunc improbissimum morem in gentilibus notabant, & facinus in eos retorquebant, per mendacium istis obiicientes, quod sacramento quodam *infanticidii* Deum colerent, obseruante KORTHOLDO *in pagan. obtrect. lib. III. c. 9. §. 43. sqq.* TERTVLLIANVS, qui circa finem seculi II. floruit, adhuc improbi huius moris passim mentionem facit, atque ita demonstrat, hunc non tam facile eradicari potuisse. Ait *in apol. c. 9. Quoniam de infanticidio nihil interest, sacro an arbitrio* (pro arbitrio fastidioque parentum) *perpetretur, licet de parricidio intersit, conuertar ad populum* (gentiles). *Quot vultis ex his circumstantibus,* (ex infima hominum plebe) *& in Christianorum sanguinem hiantibus, ex ipsis etiam vobis iustissimis & seuerissimis in nos præsidibus* (& sic ex honestioribus) *apud conscientias pulsem, qui natos sibi liberos enecent? Siquidem & de genere necis differt, vtique crudelius in aqua spiritum extorquetis, aut frigori & fami & canibus exponitis, ferro enim mori ætas quoque maior optauerit:*

Quod Christiani gentilibus obiecerunt.

rit: nobis vero, homicidio semel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissoluere non licet. homicidii festinatio est, probibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. homo est, & qui futurus. etiam fructus omnis iam in semine est.

In triplici scelere.

§. VIII. Triplicem refert SEPTIMIVS impium morem, tam *plebeiis*, quam *honestioribus*, quos obiurgat, vsitatum, α) liberos iam *natos enecandi*: β) eos *exponendi*: γ) *conceptos*, antequam edantur, *abigendi*. Vtrum autem hæc tria facinora *indistincte* eo tempore sine crimine fieri potuerint; an vero principum constitutionibus vel alia lege barbaries hæc *extra ordinem* coercita fuerit? in disceptationem ambiguam vocatum est a NOODTIO & BYNCKERSHOEKIO. Ille publicauerat hac de re meditationem sub titulo: *Iulius Paulus siue de partus expositione & nece apud veteres*, quam licentiam demum sub VALENTINIANO, VALENTE & GRATIANO per *l. 8. C. ad L. Cornel. de sicar.* eradicatam fuisse defendit. Parum ab hac sententia recedit ALPHONSVS a CARANZA *de partu c. IV. p. 321.* arbitratus, vsque ad tempora imperatorum Christianorum parentibus licuisse filios in necem etiam exponere, pro cuius confirmatione ad CASAVBONI autoritatem *in not. ad Sueton. in Claud. c. 25.* prouocat. Longe diuersa stetit sententia BYNCKERSHOEKIO in opusculo *de iure occidendi liberos*, quo grauissimis argumentis contrarium ostendit monstratque, TRAIANI & HADRIANI temporibus hanc improbitatem crimine haud caruisse, simulque NOODTII momenta resoluit. Huic opposuit NOODT *amicam responsionem*, quam cum *notis* denuo publicauit BYNCKERSHOECK, & his nouis obiectionibus satisfecit.

De quibus concertarunt Noodtius & Bynckershoekius.

Quæ tamen tempore Tertulliani haud impunita.

§. IX. Liti huic dirimendæ vel solum TERTVLLIANVM sufficere posterior recte credidit, quod IAC. GOTHOFREDVS ad *l. 1. C. ad L. Cornel. de sicar.* iam subodoratus est, & ad EIVSDEM testimonium *lib. I. ad Nation. c. 15.* prouocauit, iam antea notis illustratum. Verba TERTVLLIANI, licet iniuria temporum mutilata, magni tamen ponderis atque momenti sunt: *nam etsi nos aliter;* (infanticidæ esse dicamur, infantes ad sacrificia nostra ex vulgi opinione vel calumnia cædentes) *tamen non aliter vos quoque infanticidæ, qui infantes* EDITOS *enecantes* LEGIBVS *quidem* PROHIBEMINI, *sed nullæ magis leges tam impune, tam secure sub omnium conscientia vnius æ - - tabellis eluduntur. Sed nec eo distant, si vos non ritu sacri neque Deo necatis: atquin in hoc asperius, quod frigore, & fame aut bestiis - - tis,*

tis, aut, longiore in aquis morte demergitis. Post pauca pergit: *quanquam quid minus imo quid non amplius facitis? parum videlicet humanis visceribus inhiatis, quia viuos & puberes deuoratis? parum humanum sanguinem lambitis, quoniam futurum sanguinem elicitis? parum infante vescimini, qui infantem totum praecoquum perhauritis?* Diserte TERTVLLIANVS testatur, *legibus* necem infantum *editorum* prohibitam iam eo tempore, his tamen parum vel nihil effectum fuisse, quod leges tales impune eluserint. Quæstionem duplicem, & *iuris* & *facti*, in scenam producit. Palam asserit, sub SEPTIMIO SEVERO, quo vixit & scripsit, *iura* hoc scelus iam subiecisse debito supplicio, simul tamen hæc inania fere & sine effectu fuisse, quod variis artibus eluderentur, vt si *continuatum morem improbum* respexeris, NOODTIO; si *legum emendationem & meliorem iuris sententiam*, BYNCKERSHOEKIO; si necem infantum siue *natorum* siue *edendorum*, *neutri* accedendum sit. Nam de *editis* liberis tantum loquitur SEPTIMIVS, quorum cædes legibus antiquis etiam prohibita, *citra causam* facta, vt infra ostendam. Maior licentia in liberis in ventre necandis & natis abiiciendis. Eodem fere tempore facit quoque mentionem triplicis huius sceleris MINVCIVS FELIX *in octav. c. XXX. p. m. 306. edit. Gronov. Putas posse fieri, vt tam molle tam paruulum corpus fata vulnerum capiat? vt quisquam illum rudem sanguinem nouelli, & vix dum hominis cadat, fundat, exhauriat? nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere. Vos enim video procreatos filios nunc feris & auibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere; sunt, qui in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequam pariant.*

§. X. Hoc modo ex mente purioris doctrinæ Christiani rationes subducebant, infanticidii scelus æque in *natos* ac *nascituros* committi existimantes. Romanis diuersam stetisse sententiam quoad libertos in vtero clausos, multis & variis documentis probari potest, quorum expulsionem violentam nequidem ad *infanticidii* crimen referebant, cædem autem infantum iam *natorum* omnino plectendam iudicabant. De *edendis*, & *in vtero adhuc latentibus* primo agendum loco, quorum exstinctio olim sub *republica libera*, imo adhuc sub imperatoribus *cædes hominis* seu *homicidium* esse negabatur. Etenim (1) ex loco TERTVLLIANI notatu digno, *§. IX.* allato, obseruo, illum expressam *editorum liberorum* mentionem facere,

Necem infantum in vtero non indistincte criminibus accensebant Romani.

1) Teste Tertulliano,

cere, asserendo, Romanos *infantes editos enecantes legibus prohiberi:* idem de *nece nasciturorum* haud asserit, quod sine dubio quoque gentilibus obiecisset, si par vindicta vtrumque scelus vindicasset. (II) Euidentissime diuersitatis rationem inter *editos & edendos* infantes agnoscebant, atque allegabant, in illos duntaxat *crimen infanticidii* cadere, non æque in hos, & quidem ex principiis philosophorum, maxime *Stoicorum.* Facile animaduertebant, in *homicidio* necem *hominis* concipi, *hominem* autem ex *corpore & anima* constare, adeoque hominem dici non posse fœtum, quamdiu *anima* ei non esset ingenerata & insinuata. Nemo vero ignorat, quanta fuerit sylua materiæ de *origine animæ*, vt verbis TERTVLLIANI *de anima c. 2.* vtar, quot varietates sententiarum, quot palæstræ opinionum! Vid. ALPHONSVS A CARANZA *de partu c. 1. §. 1. p. 48.* Dn. ALBERTI *de termino animat. fœtus humani.* Diuersas philosophorum sententias collegit, atque retulit PLVTARCHVS *de placit. Philosoph. lib. V. c. 15. p. 907. Plato* inquit, *animal censet, quia & moueatur in vtero & alatur. Stoici partem ventris, non animal, vtque fructus, qui stirpium partes sunt, vbi maturuere, defluunt, ita rem quoque habere de fœtu. Empedocles fœtum non esse quidem animal, spiritu tamen præditum in vtero, primam autem animalis respirationem fieri, cum partu edito, decente humore, qui est in fœtu, & in exhausti locum succedente in vasa reserata aere externo. Diogenes inanimata nasci animalia, sed cum calore, atque insitum calorem simul atque natum est animal, animam in pulmones attrahere. Hierophilus naturalem fœtum in vtero, non animalem motum permittit, motusque causam edit neruos; animalia autem tum demum fieri, cum ex vtero effusa aliquid aeris accipiunt.*

2) Ex principiis Stoicorum.

3) Aliorum philosophorum.

§. XI. Plerique in eo conueniebant, fœtum, nondum editum, animal, quod *anima* esset præditum, non censeri, sed illam ei demum accedere ex *aere*, quem haurire incipit, post natiuitatem. Nequidem PLATO ab hac sententia interdum alienus fuit ex mente TERTVLLIANI *de anima c. 25.* relato *Stoicorum* dogmate, subiungentis: *Hoc Stoici cum Aenesidemo, & ipse interdum Plato, dum dicit, perinde animam extraneam alias & extorrem vteri, prima adspiratione nascentis infantis adduci, sicut ex spiratione nouissima educi;* quamuis dubius fuerit SEPTIMIVS, vtrum ex animi sui sententia, an sub alterius persona occasione dialogi hoc dogma retulerit? Stoici vero inter omnes

4) Ex animæ defectu.

Ex mente Platonis,

omnes negabant, fœtum nondum editum hominem esse, quod SIMPLICIVS *in Epictetum* corroborauit, asserendo, *quemadmodum falsum est, æs, quod conflatur adhuc, statuam dicere*, ita æque falsum esse, *fœtum conceptum in vtero hominem* dicere. Ex hoc principio VARRO definitionem *animæ* trahebat, quam refert LACTANTIVS *de opific. Dei c.17. p. 833. edit. Oxon. Anima*, inquit, *est aer conceptus ore, tepefactus in pulmone, feruefactus in corde, diffusus in corpus.* Hac definitione vero efficitur, vt anima demum infanti post editionem insinuari credatur, vt LVCRETIVS etiam *lib. III.* canit:

Simplicii, Varronis, Lucretii;

Quodsi forte putas, extrinsecus insinuatam
Permanare animam nobis per membra solere.

Redarguit philosophos TERTVLLIANVS *cit. l.* eosque *audaces* vocat, qui præsumunt, *non in vtero concipi animam, nec cum carnis figulatione compingi atque produci; sed effuso iam partu viuo infanti extrinsecus imprimi.*

§. XII. Prolixe hunc errorem conculcat atque refellit TERTVLLIANVS *cit. l.* & philosophos ad prægnantes ablegandos esse arbitratur. *Respondete matres*, ait, *vosque prægnantes, vosque puerperæ, steriles & masculi taceant; vestræ naturæ veritas quæritur, vestræ passionis fides conuenitur, an aliquam in fœtu sentiatis viuacitatem, alienam de vestra? de quo palpitent ilia, micent latera, tota ventris ambitio pulsetur, vbique ponderis regio mutetur? an hi motus gaudia vestra sunt, & certa securitas, quod ita infantem & viuere confidatis & ludere? an si desierit inquies eius, illi prius pertimescatis? - - Denique desinit viuere, qui desinit fungi. Denique & mortui eduntur, quomodo nisi & viui? qui autem & mortui, nisi qui prius viui? Atque in ipso adhuc vtero infans trucidatur, necessaria crudelitate, cum in exitu obliquatus denegat partum, matricida ni moriturus.* Pariter LACTANTIVS *cit. l.* falsitatem dogmatis Stoicorum hoc modo demonstrat: *Anima ergo non est aer ore conceptus, quia multo prius gignitur anima, quam concipi aer possit. Non enim post partum insinuatur in corpus, vt quibusdam philosophis videtur, sed post conceptum protinus, cum fœtum in vtero necessitas diuina formauit: quia adeo viuis intra viscera genitricis, vt & incremento augeatur & crebris pulsibus gestiat emicare. Denique abortum fieri necesse est, si fuerit animal intus extinctum.*

Quam refellit Tertullianus, Et Lactantius.

Inde ICti Stoici collegerunt abactionem partus non esse infanticidium.

§. XIII. His verbis simul & occludit & aperit fontes, ex quibus ICti Romani, dogmate hoc Stoicorum imbuti, conclusionem hanc traxerunt, *infanticidium* ab eo non committi, qui fœtum, medicamine adhibito, ex ventre mulieris expulerit corruptumque eiecerit. Etenim eodem modo supponebant, docebantque, fœtum nondum editum nec *hominem* nec *in rebus humanis* esse, qua locutione frequentissime vtuntur, vt in *l. 10. §. 1. D. de vulg. & pupill. substit. l. 7. de ventre in possess. mitt. l. 164. de V. S. l. pen. de his, quæ pro non script.* Talem fœtum *hominem speratum* dicebant, *l. 14. C. de fideic. libert.* *animal* vero esse negabant. *l. 1. §. 8. unde cognati.* PAPINIANVS inter omnes apertissime suo tempore docuit, *partum nondum editum hominem non recte fuisse dici*, vt censuit in *l. 9. in f. ad L. Falcid.* sed tantum *spem animantis*, vt MARCELLVS *in l. 2. D. de mort. infer.* fœtum nondum editum designauit. Eadem hæresi infectus fuit VLPIANVS, Stoicorum discipulus, asseruitque in *l. 1. §. 1. de inspic. ventre: partus, antequam edatur, mulieris portio est viscerum*, & sic eo ipso negauit, iam hominem aut animatum esse fœtum nondum editum. Ex singulari quidem iuris beneficio in vtero latentes in multis partibus iuris *comparari* iam natis, asserebant iuxta *l. 2. §. 6. de excus. tut.* simul tamen hoc ipso indicabant, hoc *extra ordinem* & contra *regulam* fieri. *l. 7. & l. 26. de stat. hom.* quod talis fœtus nondum *homo* esset, & ita *iure veteri* ad iura, ciuibus Romanis *hominibusque* præscripta, admitti non posset.

Quod fœtus non sit homo.

Inde varias ICti traxere conclusiones.

§. XIV. Ex hoc durissimo & ab omni humanitate alieno dogmate propullularunt acerbissimæ conclusiones. Etenim 1) *posthumo alieno* inutiliter antea seu iure veteri legatum fuisse, nec eum heredem institui potuisse, ipse IVSTINIANVS refert in *§. 26. I. de legat. & pr. I. de bonor. possess.* Scripta quadam lege hos exclusos fuisse, probari nequit: ICtorum interpretationi forensi hæc sententia debebatur, qua leges XII. quoque admodum coangustatæ sunt, *l. 120. D. de V. S.* Etenim quia persuasio vniuersalis forum occupauerat, fœtum in vtero latentem non esse *in rebus humanis*, in quibus demum infantes post natiuitatem esse dicebantur, *l. 7. pr. de ventr. in possess. mitt.*, inde colligebant, nec cum eis esse testamenti factionem, qui nondum in rebus humanis essent, *l. 10. de vulg. & pupill. substit.* Post natiuitatem enim demum in *rebus humanis* infantes esse dicebantur, seu in *societate hominum naturali*, & ita demum commercio *iurium ciuilium* fruebantur, quod homines *liberos*, *ciuesque Romanos* desiderabat.

rabat. Humanior tamen iurisprudentia hanc duritiem poſtea eatenus temperauit, vt in plurimis iuris articulis, contra rigorem *iuris ciuilis*, quod interpretatio prudentum produxerat, concepti pro *natis* habe-rentur. *l. 24. §. 4. de fideic. libert.* Vnde 2) non dicebatur proximus cognatus ei, *quo viuo nondum animal fuerit*, vt ait VLPIANVS *in l. 1. §. 8. D. vnde cognati.* 3) Legatum ei adſcriptum, qui eo tempore nondum *in rebus humanis* erat, pro non ſcripto habebatur. *l. 4. pr. de his, quae pro non ſcript.* 4) Tutor poſthumo datus demum tutor fieri incipiebat, ex quo editus erat. *l. 19. §. 2. D. de teſtam. tut.* 5) Inter veteres dubitatum fuit, vtrum ſeruo, *qui adhuc in ventre portaretur & homo fieri ſperaretur*, fideicommiſſaria libertas relinqui queat? fatente IVSTINIANO *in l. 14. C. de fideic. libert.* quae diſputatio vnde ortum traxerit, palam eſt, demum ab imperatore deciſa. 6) Ii, qui in ventre erant, antequam naſcebantur, non dicebantur in poteſtate morientis patris fuiſſe, iuxta ſententiam PAVLI *in l. f. D. de collat.* licet *prouiſionaliter* ex ratione humanitatis eis quandoque aeque ac liberis iam natis proſpectum fuerit. *l. f. §. 1. D. de aſſign. libert.*

Inde mater procurans abortum infanticidii rea non credebatur.

§. XV. Haec erant iuris veteris commenta, ex quibus inferebant, matrem, foetum expellentem, homicidii aut infanticidii ſupplicio haud eſſe coercendam. Id quod ſatis recte quoque obſeruauit IO. FRANCISCVS RAMOS *de poena parricid. l. 7. p. 257.* ita rationes ſubducens: *poena igitur matris, procurato abortu abiicientis partum, iam ex his pendet principiis; dum enim foetus, cum in vtero degit, nec homo ſit, nec filius, eapropter nec lege Cornelia de ſicariis, nec Pompeia de parricidiis, eius nex potuit vindicari.* Interim tamen non negabant ICti Romani, hac partus abactione aliis iniuriam fieri eamque *extra ordinem* vindicari poſſe, quod quidem *lex publica*, qua crimina *ordinaria* vindicabantur, deficeret, non tamen *ratio iuris*, quae non permittebat, facinus inultum relinquere, quo aliis grauis iniuria inferebatur. Etenim vxorem grauidam hoc ſcelus perpetrantem marito ſummam infligere iniuriam cenſebant, cuius intererat ex lege matrimonii & nexu coniugali, ſe patrem potius fieri, quam liberis carere. *l. 1. §. 3. de inſpic. ventre.* Hac de cauſa etiam poſt diuortium marito integrum erat, vxori, etiam neganti, ſe grauidam eſſe, facta inſpectione ventris, cuſtodes apponere. Equidem SCta *de liberis agnoſcendis* tantum loquebantur de muliere, poſt diuortium ſe grauidam aſſerente, cuius fauorem vnice intendebant,

Punita tamen ſi aliis iniuriam hoc ipſo intulerat,

Vt marito,

Cuius intererat foetum ſeruari.

Cuſtodes apponendo vxori poſt diuortium.

bant, vt maritus partum natum agnoſcere teneretur. Non ergo locum habebat, ſi mulier ſe diſſimularet prægnantem vel etiam negaret; *l. 1. §. 1. de inſpic. ventre*, id quod ex *doctrina forenſi* tractum erat, ſecundum quam pater poteſtatem nullam in eum, qui in ventre erat, habebat, ſed partus, antequam ederetur, *mulieris portio viſcerum cenſebatur*, qua ratione illuſtrat ICtorum diſpoſitionem VLPIANVS. Poſt editum partum demum in poteſtate patris eſſe incipiebat, vt maritus *iure ſuo* filium per interdictum deſiderare aut exhiberi ſibi aut ducere permitti poſſet. Deficiebat ergo lex, SCtum, aut alia iuris diſpoſitio, qua vxor, diuortio facto, ſe prægnantem eſſe negans, cogi a marito poſſet, vt cuſtodes admitteret. Princeps ergo *in hac cauſa neceſſaria* (quæ neceſſariam principis & extraordinariam opem deſiderabat) ſubueniebat, quod *ordinarium iuris auxilium* deeſſet. Ideo autem princeps ſubuenire marito debebat, quod eius intereſſet, ne vxor, ſe prægnantem eſſe negans, partum vel celaret vel abigeret, quem ex eo conceperat. Ideo 1) per obſtetrices probatæ artis & fidei ante omnia inſpicienda; 2) hæ ſi renunciabant, eam prægnantem videri, cuſtodes admittere debebat, non in alium, vt puto, finem, quam ne mulier partum a ſe expelleret. Metus partum alienum ſupponendi tunc demum adeſt, ſi vxor ſe prægnantem dicit, idque marito renunciat, qui metus prorſus quidem ceſſat, ſi ſe prægnantem negat, non tamen ſuſpicione partum a ſe expellendi caret, quod in odium mariti, qui ſe patrem fieri præoptabat, non raro atttentabant mulieres poſt diuortium. Vnde cuſtodia ventris huc potiſſimum dirigenda erat, vt cuſtodes ſedulo obſeruarent vxorem prægnantem, ne quid in præiudicium eius, qui in ventre erat, auderet ſuſciperetque.

Et abactionem præcauendo.

§. XVI. His poſitis, grauiſſime vxor, etiam poſt *diuortium* & *mortem* viri, peccabat in maritum, fœtum, quem ex eo conceperat, a ſe expellendo, & hac de cauſa *extra ordinem* plectabatur. Ex hac ratione vnice pœnam deriuat MARCIANVS *l. 4. de extraord. crim.* aitque: *Diuus Seuerus reſcripſerunt, eam, quæ data opera abegit, a præſide in temporale exilium dandam; indignum enim videri poteſt, impune eam maritum liberis fraudaſſe.* Licet enim nondum natus *pars viſcerum maternorum* dicebatur, ex lege matrimonii tamen, in quo conceperat, *marito & reipublicæ* obligata erat ad procreationem liberorum: ideo in matrimonium locata: ideo dotata, vt ſcilicet ſobolem procrearet, repleretque liberis ciuitatem *l. 1. ſolut.*

Inde pœna extraordinaria vxoribus inflicta abigentibus partum intuitu mariti.

solut. matrim. Hæc quoque erat sententia HADRIANI imperatoris, dicentis, *se ampliari imperium hominum adiectione quam pecuniarum copia malle.* Hæc ratio æuo imperatorum antiquior est, imo cum ipsa republica, cuius seminarium *coniugia* sunt, nata & indies propagata, vt vel CICERO *in orat. pro Cluentio*, cuius verba repetit TRYPHONINVS *in l. 39. de pœn.* exemplo idoneo illustrat, referens, Milesiam quandam mulierem, quod, ab heredibus secundis accepta pecunia, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam. *Neque iniuria*, addit CICERO, *quæ spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, heredem familiæ, designatum reipublicæ ciuem sustulisset.* Iniuriam ergo intulerat mulier improba *marito* iam defuncto, *genti*, *reipublicæ*; huic quidem, ciuis sperati & iam reipublicæ designati natiuitatem impediendo; isti, subsidium, quo gentis gloria continebatur, subtrahendo: illi vero, illud e medio tollendo, quo memoria nominis paterni æternitati consecrabatur: imo in quo pater iam defunctus post obitum rursus reuiuiscebat, heres *familiæ* futurus; hac appellatione enim continebantur res patrisfamilias & *diuina* & *humana*. Non tantum enim sacra publica erant, sed etiam *priuata*, siue *familiaria*, quorum memoria ne patrisfamilias morte occideret, iis erant adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit, vt CICERO loquitur *lib. 2. de LL.* & GALVANVS *de vsufr. c. 9. §. 4.* illustrat.

Quod ex Cicerone illustratur.

§. XVII. Præterea extra ordinem quoque coercenda erat vxor, quæ fœtum medicamentis abegerat, etiam *post diuortium*, cum quod conceperat, marito pareret. Ita rursus TRYPHONINVS prodit in *l. 39. de pœn.* *Sed & si quasi visceribus suis post diuortium, quod prægnans fuerit, vim intulerit, ne iam inimico marito filium procrearet, vt temporali exilio coerceatur, ab optimis imperatoribus nostris rescriptum est.* Nihil ergo æquius, nihil salubrius, quam, ceu antea dictum, ad viri instantiam ventri custodes apponere, quo talis vis imminens ab infante sperato auerteretur. Quis enim inficias iuerit, & maritum vxori & vxorem marito inimicam fuisse? quorsum collineat ICtus in *l. 78. §. 2. in f. de iur. dot.* & in *cit. l. 39.* Pari ratione VLPIANVS in *l. 8. D. ad L. Cornel. de sicar.* generatim quidem asserit: *Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret, constiterit, eam in exilium præses prouinciæ exiget;* palam tamen est, eum de muliere, quæ in matrimonio conceperat, & in præiudicium mariti partum abegerat, locutum fuisse. Desumta sunt verba adducta

Etiam facto diuortio.

ducta ex commentario VLPIANI *ad lib. 33. ad edictum*, quo, vt textus alii designati a LABITTO *in indicib.* & WIELINGIO *in iurispr. restit. p. 279.* docent, de *matrimonio* & *dotibus* vt & de *priuatione* earum actum est.

Declaratio l. 38. §. 5. de pœn.

§. XVIII. Denique PAVLVS *lib. V. sent. tit. 23. §. 14.*, vnde desumta est *l. 38. §. 5. de pœn.* iuxta hypothesin, in foro inter ICtos vsitatam, receptamque de pœna *procurati abortus* ita censet: *qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen quia res mali exempli est, humiliores in metallum, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur. Quod si eo mulier aut homo perierit, summo supplicio adficiuntur.* Quomodo vero, qui mulieri *poculum abortionis* dant, *dolo* possunt carere? Videlicet *dolus* PAVLO vocatur *intentio directa necandi:* hac dicebatur carere, qui poculum tale mulieri dederat, etsi inde partum eiecit, quod homicidio non fuit annumeratum. Vnde pœna *legis Corneliæ de sicariis* cessabat, *extraordinaria* tantum substituta, *quod res mali exempli esset.* Si mulier inde perierat, tunc demum locum habebat summum supplicium, quod homo esset necatus: idem dici non posse censebant de *fœtu eiecto* & *deperdito*, quem *hominem* non esse arbitrabantur. Interim res pessimi exempli erat, venena *abortionis* aut *amatoria* dare, quod facile inde *mulier* perire, sibique mortem accelerare posset. Quæ cum ita sint, vix est, vt hoc ad *mulierem nuptam* restringi queat, prout quidam censent, diuersum constituentes in ea muliere, quæ vulgo conceperat. A qua sententia non adeo alienus fuisse videtur BYNCKERSHOEK. *de iure occid. liber. c. 7.* aiens: *Ego puto, si mulieri partus in ventre necandi potestatem dederint leges Romanæ, non aliter dedisse, quam de partu, quem mulier ex vulgiuaga venere, non ex marito concepit.* Verum animaduertendum est, PAVLVM non loqui de pœna mulieris, quæ fœtum studio eiecit, sed de his, qui *venena abortionis* præparabant, dabantque, quod generatim prohibitum erat, quod mulier inde facile interire posset, & sic res *mali exempli* esset. Hoc enim dicitur res *mali exempli*, ex quo *grauiora mala* facile propullulare queunt, licet hæc ipsa ab intentione agentis directa abfuerint, quo in sensu hæc locutio etiam occurrit in *l. 3. §. 2. ad L. Cornel. de sicar.* Vtrum autem mulier, quæ ex multiuaga venere conceperat, & eiecerat fœtum, itidem punita fuerit, non addit ICtus, quod forsan eius non adeo ratio habita fuerit, quæ nec hominem occidisse, nec alteri iniuriam fecisse credebatur.

§. XIX.

§. XIX. Maior potestas *patri* concessa erat in necandis in *ventre* infantibus & *abigendo* ab vxore *fœtu*, cum etiam occidendorum liberorum iam natorum *suo modo* potestatem haberet. Hoc ius patri datum fuisse virtute *imperii paterni*, docet tum PAVLVS in *l. 11. in f. de liber. & posth. hered. instit.* tum *formula adoptionis* consueta, tradita a GELLIO *lib. 5. N. A. c. 1.* huius tenoris: *vtique & vitæ necisque in eum potestas siet.* Ius *vitæ necisque* etiam exercebant magistratus *imperio mero* instructi, non tamen aliter, quam ex *legum præscripto*, si accusatus reus capitalis criminis iudicatus fuisset. Quid ergo de *patre* dicendum, an ei liberior & ab omnibus legum vinculis soluta potestas data censetur, *pro lubitu* & *sine causa legibus probata* occidendi liberos immerentes? Id quidem indistincte quoad liberos iam *natos* & *educatos* vix probari; facilius vero admitti potest quoad *liberos* adhuc in *ventre* existentes, ex principiis philosophiæ gentilis, cum etiam *recens natos* abiicere vel vendere liceret, si patrem penuria rei domestiæ premeret. Horridum huiusmodi morem laudauit, imo lege certo modo legitimandum olim suasit ARISTOTELES *lib. VII. polit. c. 16. tom. II. edit. Paris. p. 447.* inquiens: *Propter multitudinem autem liberorum, ne plures sint, quam expediat, si gentium instituta & leges vetent procreata exponi: definitum esse oportet procreandorum liberorum numerum. Quodsi quibus inter se copulatis & congressis, plures liberi, quam definitum sit, nascuntur, prius quam sensus & vita inseratur, abortus est fœtui inferendus.* Equidem ex lege ROMVLI, teste DIONYSIO HALICARNASSEO *lib. II. p. m. 88.* infantes masculini sexus & ex filiabus primogenita educari debebant; *mutilum* aut *monstrosum* demum certo modo abiici poterat. Enim vero Romani patres ne quidem intra hos limites substiterunt: maiori audacia in quoscunque liberos, oneri sibi futuros, grassati sunt, & eosdem pro lubitu exposuerunt, prout ALPHONSVS A CARANZA *c. IV. de partu n. 17.* & RAMOS *de pœna parricid. lib. VII. p. 235.* aliique plenius exponunt, donec tandem sub *humaniori iurisprudentia* etiam hæc pestis pœnis subiecta fuerit, vt indicat PAVLVS *l. 4. de agnosc. vel alend. liber.* Inde olim patribus arbitrium datum, vtrum id, quod natum erat, *tollere*, (h. e. e terra, in quam more prisco ponebantur, suscipere) an e medio tollere seu *abiicere* mallent. Si tollere & educare decreuerant, sub *potestate* quadam *absoluta* quidem eosdem educabant, sed tamen ius pro lubitu eosdem occidendi exercere amplius non poterant, quod semel eosdem tollere & educare constituissent.

Patris potestas in necandis liberis tum in ventre; tum iam natis;

tum intuitu recens natorum.

Patres intuitu liberorum magistratus domestici erant;

§. XX. Erant videlicet patres in domo sua *magistratus domestici* intuitu *liberorum* & *seruorum*, adeoque *iure magistratus* agere debebant. Id intendisse atque egisse Romanos, eo magis credendum est, quod *iustum iudicium* patres ex *amore erga liberos naturali* exercituri crederentur. Illustrat hoc exemplum patris HORATII *Tergemini* apud LIVIVM *lib. I. c. 26.* Cum enim HORATIVS victor sororem, sponsum occisum deflentem, interemisset, dies ei quidem a senatu dictus est; sed pater eius interueniendo allegabat: *se filiam iure caesam iudicare: ni ita esset*, PATRIS IVRE *in filium animaduersurum fuisse.* Duo hic notanda sunt: primum est, quod pater sibi in ea causa iudicium in filium vindicauerit, iure *magistratus domestici*, quod expressius DIONYSIVS *Halicarnass. lib. III. p. 159.* declarat, aitque, patrem *postulasse*, *de suis malis sibi permitti iudicium, vt qui amborum esset pater:* alterum, quod *iure* caesam filiam pronunciauerit, adeoque filium absoluerit iure *magistratus*, non pro lubitu, sed ex *iuris* sententia, certo sane indicio, patres *ius vitae necisque* exercuisse iure *magistratus domestici*, vt prodit SENECA *lib. III. de benefic. c. 31.* his verbis: *Quia vtile est iuuentuti, regi, imposuimus illi quasi* DOMESTICOS MAGISTRATVS, *sub quorum custodia contineretur.* Quocirca vt omni labe irae & vindictae careret sententia patris in filium, non aliter sententiam in eum dicebat, quam *causa cognita*, & adhibito consilio vt plurimum cognatorum aliorumque ex senatu, vt idoneis testimoniis illustrat IO. FRANCISCVS RAMOS *de poena parricid. lib. VIII.*

ergo iure magistratus agere debebant, ex iuris sententia,

causa cognita.

Licet impune olim pater potestate sua abuteretur.

§. XXI. Quod si pater magis *impetu irae*, quam *amore iustitiae* filium occidisset, aeque sine dubio peccabat, ac magistratus immerentem puniendo, & limites *imperii publici* transiliendo. Pariter nec domini *herilem potestatem* ex *iure vitae & necis* aliter exercere poterant, quam secundum tramitem legum, adeo vt si seruum impetu irae occidisset, improbatum ab aequioribus id fuerit. Non tamen *domino* seruum sine causa occidenti sub republica libera dies dictus fuit; imo ne quidem *patri*, patria potestate abutenti. Vtrumque imperium olim *absolutum*, licet factum eius, contra tramitem iuris exercitum, a prudentioribus improbatum fuerit. Exemplo illustri hoc probatum dedit SENECA *lib. I. de element. c. 14. in f.* aitque: *Erixonem equitem Romanum, memoria nostra, qui filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit. Vix illum Augusti Caesaris autoritas infestis tam patrum, quam filiorum manibus eripuit.* Abusus erat

Quod tamen improbatum fuit.

erat patria poteſtate Erixo: populi odium in ſe excitauerat: ex hoc in eum impetus publici facti; nullo tamen indicio conſtat, ei diem dictum fuiſſe, quem potius Cæſaris Auguſti autoritas e manibus infeſtis eripuit, quibus ob odium publicum expoſitus erat. Hoc præſidium ei denegaſſet ſine dubio Cæſar, ſi *crimen publicum* in filio occidendo commiſiſſet pater.

§. XXII. Pari libertate liberos ſæpe immerentes, & *ſine cauſa* exheredabant, quod licet improbarent iudicio meliori instructi, effectum tamen iuris olim habebat, vt rurſus ICtus in *cit. l. 11. de lib. & hered. inſtit.* ex patrum immenſa poteſtate trahit. Inde ſæpe iniquum circa ſanguinem ſuum inferebant iudicium, nouercalibus delinimentis inſtigationibusque corrupti, vt ICtus faſſus eſt in *l. 4. de inoff. teſtam.* Neque enim olim *legitima* certa liberis debita: vnice a parentum nutu ſucceſſio eorum dependebat *in ſtatu populari*: hoc poteſtas patrum in liberos, hoc maieſtas domeſtica iuſtum eſſe cenſuit abſolute. Enimuero a tempore CICERONIS humanior iam inualuerat iuris philoſophia. Iuriſprudentes acriter tam inhumana, impia & furoris plena patrum conſilia condemnabant, nec ferenda amplius cenſebant, & occaſionem *centumuirali iudicio*, quod de *hereditatibus* ius dixit, ſuppeditabant, aliquando liberis inique & more impio exheredatis *extra ordinem* ſuccurrendi, vt VALERIVS MAXIMVS *lib. VII. c. 7. & 8.* nonnullis exemplis docet. Inde *vſu forenſi* & *interpretatione prudentum* magis quam *iure ſcripto* inualuit, vt liberi de iniquitate eiuſmodi teſtamentorum querelas mouerent, eorumque reſciſſionem vrgerent, quod tandem in ius certum, variis occaſionibus determinatum, & ad certas perſonas reſtrictum, abiit.

Eodem modo impune exheredabant liberos ſine cauſa,

quod tempore Ciceronis pedetentim mutatum.

§. XXIII. Hoc modo maieſtas patrum domeſtica, ſemel legibus humanioribus quoad *exheredıtationem* ſubiecta, nouis quoque limitibus in exercitio iuris *vitæ & necis* circumſcribi cœpit. Equidem *lex Pompeia* de *parricidiis* adhuc *patrem* immunem præſtabat a crimine infanticidii, ex antiqua iuris ratione, & *matrem* tantum complectebatur, quæ ſi truncabat liberos, hac lege tenebatur. *l. 1. in f. ad L. Pompei. de parricid.* Eadem ratio pietatis ſuadebat, vt etiam *herile imperium* ad iuſtum reduceretur tramitem, & atrocitati immani dominorum in ſeruis occidendis obex poneretur. Hanc TRAIANVS, HADRIANVS & ANTONINVS, humaniſſimi principes, conſtitutionibus ſuis coercuerunt, optime rati, ſeruis, vt *hominibus*, vten-

Inde quoque ius vitæ & necis legibus circumſcribi cœpit,

tempore Traiani, Hadriani & Antonini,

vtendum, & *more magistratus* in eos statuendum. Circa *liberos* idem constituisse TRAIANVM, PAPINIANVS testis est *in l. 5. D. si quis a par. manumiss.* ademta patribus sæuiendi in liberos licentia. Non ferebat humanior iurisprudentia priscam patrum crudelitatem, sed potius inculcabat, potestatem patriam *in pietate, non atrocitate consistere debere*, vt censuit HADRIANVS in *l. 5. ad L. Pompei. de parricid.* Ex hoc principio prælaudatus imperator patrem, in venatione filium suum necantem, qui nouercam adulterauerat, in insulam deportauit, *quod latronis magis quam* PATRIS IVRE *eum interfecit.* Potuisset sine dubio in eum capitale supplicium statuere, si causa cognita, & adhibitis in consilium consanguineis vel senatoribus, eum condemnasset, quem magis *latronum more*, odio priuato, interemit. Neque enim inauditum filium pater occidere, *l. 2. D. ad L. Cornel. de sicar.* sed *iustum* in eum statuere *iudicium* debebat. Interim HADRIANVS non *pœnam parricidii* ei dictauit, sed magis *legis Corneliæ de sicariis*, quæ in honestioribus erat deportatio. *l. 16. ad L. Cornel. de sicar.* Hac de causa HADRIANVS quoque in *l. 3. §. 5. de bon. eor. qui sibi mortem consciu.* rescripsit, *videri patrem, qui sibi manus intulisset, quod diceretur filium suum occidisse, magis dolore filii amissi mortem sibi irrogasse*, quam conscientia criminis. Sine dubio delatus erat pater post mortem, *bonorum* intuitu, vt publicarentur. Dicebatur filium *dolo malo* occidisse; quo probato, ad minimum deportandus fuisset in insulam, nisi in semetipsum supplicium exercuisset. Sed minus probabile erat, patrem *dolo* filium occidisse, qui potuit per errorem vel casu filium interimere, id quod *in dubio* potius credendum, atque statuendum, eum ex iusto dolore ob amissum casu fatali filium semet occidisse, more gentilibus admodum vsitato, illustrato a IO. FRANCISCO RAMOS *de pœna parricid. p. 314. seqq.*

vt pater temere occidens filium ex lege Cornelia non Pompeia teneretur.

Inde patres offerebant liberos magistratui.

§. XXIV. Denique hoc æuo adeo patriæ potestatis remissus laxatusque videtur neruus, vt potius præsidi prouinciæ offerre filium, quam *priuatum* in eum exercere *iudicium* iussus fuerit pater; *l. 2. D. ad L. Cornel. de sicar.* vt tamen præses eam in filium merentem sententiam ferret, quam pater ipse dicturus esset. Hoc constituit ALEXANDER SEVERVS *in l. 3. C. de patr. potest.* aiens: *filium, si pietatem patri debitam non agnoscit, castigare iure patriæ potestatis non prohiberis: acriori remedio vsurus, si in pari contumacia perseuerauerit; eumque præsidi prouinciæ oblaturus, dicturo sententiam, quam tu quoque dici volueris.* Concurrebat eo tempore adhuc pater ad condemnatio-

tionem filii, præsidique iniunctum erat, vt *patris sententiam* sequeretur, & publica autoritate exequeretur; patri autem priuatum & domesticum iudicium ademtum, quorsum etiam collineat VLPIANVS in *l. 9. §. 3. de offic. procurat. & l. 1. pr. & §. 2. de obseq. parent. & patron. præstand.*

§. XXV. Humanior atque sanctior Saluatoris doctrina tam immanem Romanorum potestatem atque philosophiam antiquam non tulit, non perdendis, sed conseruandis hominibus vnice occupata. Hanc sedulo sequebantur Christiani, atque horrebant potestatis patriæ ius antiquum immensum, moresque Romanorum improbos, prout TERTVLLIANI & MINVCII loca euincunt. Omnem sanguinis effusionem adeo eos reformidasse, antiquitates memorant, vt ne quidem *spectaculis*, ad hominum perniciem præparatis, adesse, fas esse crederetur, vt rursus TERTVLLIANVS *de spectac.* probat. Multo minus probare poterant cædes infantum aut partus abactiones. LACTANTIVS, testis grauissimus, ex doctrina Christianorum recte tradit in *diuin. instit. epit. c. 4.* nec verbis licere periculum mortis inferre, *nec infantem necare aut exponere;* et prolixius de præcepto, *ne occidas*, agit *lib. VI. diuin. instit. c. 20.* et *n. 18.* hæc subiicit: *Ergo ne illud quidem concedi aliquis existimet, vt recens natos liceat oblidere, quæ vel maxima est impietas: ad vitam enim Deus inspirat animas, non ad mortem; verum homines, ne quod sit facinus, quo manus suas non polluant, rudibus adhuc & simplicibus animis abnegant lucem non a se datam. Exspectet vero aliquis, vt alieno sanguini parcant, qui non parcunt suo; sed hi sine vlla controuersia scelerati et iniusti.* Idem porro applicat ad eos, qui infantes exponunt, quæ duo scelera Romani excusare solebant inopia facultatum. Seuere quoque damnabant *abactiones partuum*, Romanis vsitatas, vtut prohibitas, prout innuit AVGVSTINVS *lib. I. de nupt. & concupisc. c. 17. (tom. X. oper. edit. Paris. p. 289.)* relatus etiam a GRATIANO in *c. 7. C. 32. q. 2. Aliquando eousque peruenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam sterilitatis venena procuret, & si nihil valuerit, conceptos fœtus aliquo modo intra viscera exstinguat, ac fundat, volendo suam prolem prius interire, quam viuere, aut si in vtero iam viuebat, occidi, antequam nasci.* Vtrumque improbat, tum perdere in vtero fœtum, antequam viuat, tum etiam, postquam iam viuere cœpit. Posterius grauius alebat scelus, vnde quæsitum fuit, a quo tempore *viuere* incipiat partus? quod, vtrum ab homine inueniri possit, se ignorare, IDEM dixit

A Christianis hæc domestica potestas non probata,

Lactantio teste.

Abactiones quoque partus damnatæ.

dixit in *enchirid. de fide, spe & charit. c. 86. tom. VI. oper. p. 228.* Nihilominus tamen existimauit, non esse *animam* in fœtu ante corpus formatum in *c. 9. C. 32. qu. 2.* atque ea de causa ad *legem Moysis* prouocat, nec homicidium committi existimat, si abortiuum *non formatum* procuratum fuerit.

Verus legis Mosaicæ sensus.

§. XXVI. Quia itaque distinctio inter fœtum *animatum* & *non-animatum* inde originem traxit, in foris criminalibus etiam assumta, iuuabit, ex lege MOYSIS fundamenta eius eruere. Ita autem diuinus legislator *Exod. XXI, 22.* iuxta textum originalem disposuit: *Si rixantes viri percusserint mulierem prægnantem, vt fœtus eius exierit, nec tamen mors fuerit secuta, mulctentur pro mulcta, quam eis imponet vir mulieris, eamque dent apud iudices; si vero mors fuerit secuta, animam pro anima dabis.* Mortem *matris grauidæ* intellexerunt Hebræi interpretes, qua secuta, pœna mortis; hac vero non secuta, tantum mulcta obtinere debebat, quod sensui legis Mosaicæ conueniens esse videtur, vt docet L' EMPEREVR de *LL. Hebræor. forens. c. VIII. §. 2. p. 200.*

Erronea interpretatio eorum, qui Septuaginta secuti.

§. XXVII. Diuersam interpretationem huic textui dederunt *Septuaginta*, & ad *fœtum* distinctionem allatam retulerunt, verteruntque Hebraicam vocem, quam de *morte* Hebræi accipunt, ἐξεικονισμένον *formatum*, vt sensus sit: Si mulier abortum fecerit *non-formatum*, mulcta; si *formatum*, capitale supplicium obtineat, obseruante GROTIO ad *h. l.* Hunc sensum, docente CLERICO ad *cit. l.* & IO. FRANCISCO RAMOS, *de pœna parricid. lib. VII. p. 274.* secutus est PHILO *de LL special,* aitque: *Si abortiuum rude & informe fuerit, mulctetur cum propter contumeliam, tum quod impedimento fuerit naturæ, formanti & effingenti hominem, animal pulcherrimum, quod viuum immitteret. Si vero iam formatum erat, omnibus membris suum ordinem suasque qualitates nactis, moriatur.* Magna semper fuit autoritas versionis, quam *Septuaginta* tradiderunt, in ecclesia, vt patres illi plus iusto inhærerent, & versionem etiam latinam inde efformarent, ceu innuit SIMONIVS *dans l' histoire critique du vieux testament. tom. I. lib. 2. c. 1. p. 182. sq.*

Quam Philo secutus,

Et Augustinus.

§. XXVIII. AVGVSTINVS *in cit. c. 9. C. 32. q. 2.* eam secure apprehendit, & rationes inde hoc modo subduxit: *Moyses tradidit:* Si quis percusserit mulierem in vtero habentem, & abortierit, si *formatum* fuerit, det animam pro anima: si autem *informatum* fuerit, mulctetur pecunia, *vt probaret, non esse animam ante formatam.*

Ita-

Itaque si iam formato corpore datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine deriuata. IDEM *in libro quaest. Exodi qu. 80.* repetitus a GRATIANO *in c. 8. C. 32. q. 2.* eandem sententiam defendit, aitque: *Quod vero non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profecto nec hominem deputauit, quod tale in vtero geritur. Hic de anima quaestio solet agitari, vtrum quod formatum non est, nec animatum quidem possit intelligi, & ideo non sit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat. Si ergo illud informe puerperium ita quidem fuerit, sed adhuc quodammodo informiter animatum (quoniam magna de anima quaestio non est praecipitanda indiscussa temeritate sententiae) ideo noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viua in eo corpore, quod sensu caret.*

§. XXIX. Eodem argumento iam antea vsus erat TERTVLLIANVS *de anima c. 37. p. m. 292.* praemisitque hanc thesin: *Ex eo igitur foetus in vtero homo, a quo forma completa est.* Rationem subiungit ex lege Moysis iuxta versionem LXX: *Nam & Moysis lex tunc abortus reum talionibus iudicat, cum iam hominis est causa* (formato iam foetu, vt addit RIGALTIVS) *cum iam illi vitae & mortis status deputatur, cum & fato iam inscribitur, etsi adhuc in matre viuendo cum matre plurimum communicat sortem.* Supra iam SEPTIMII confutationem *dogmatis Stoicorum* retuli, atque obseruaui, in eo quidem recte illum Stoicos deseruisse atque redarguisse, quod demum vitam infanti a momento, quo haurit aërem, assignauerint, nec in vtero materno clausum viuere crediderint; interim momenta, quae huic sententiae opponit, vnice huc redeunt, vitam ex *motu interno*, quem foetus in vtero matris edit, cognosci atque intelligi, quo cessante foetum viuere desinere. Haec si cum antea adductis verbis confero, atque coniungo, huc redire videtur TERTVLLIANI de anima infantum conceptorum sententia: (a) vitae statum ei assignandum esse, ex quo *formatus* seu *forma* completa est: (b) *animam* ab hoc tempore ei demum accedere, quae *vitae* caussa principalis, imo vnica est: (c) formatum ante partum esse, intelligi ex *motu interno*, quod hoc modo viuacitatem ostendat, alienam de motu materno, & fiduciam certam matri ingeneret, infantem viuere. Etiam hanc distinctionem inter foetum *formatum* & *non-formatum* laudat, fouet, & terminum *animationis* inde accipiendum esse, statuit ALPHONSVS a CARANZA *de partu c. I. §. 2. n. 12. sqq.* constituens, animae rationalis *infusionem* demum fieri post *corporis efformationem* in vtero, adeoque ante illam id, quod conce-

Et Tertullianus.

Nouissime Caranza.

ptum est, hominem non esse. Arcem causæ suæ collocat 1) in autoritate AVGVSTINI & HIERONYMI, imo & PHILONIS; qui tamen decepti sunt erronea *versione græca*: 2) in ipso textu Mosaico, quem ex LXX. refert, qui tamen non est authenticus: 3) autoritate D. Thomæ, quem veritati præfert: 4) denique *vulgata* versione, quæ itidem LXX. sequitur. Potissimum autem 5) hanc sententiam recipiendam credidit, quod proxime accedere videatur ad mentem ICtorum Romanorum, imprimis PAVLI *in l. 38. de pœn.* & quidem ex verbis: *Quodsi eo mulier vel homo perierit, summo supplicio punitur. Hominem*, ait CARANZA, appellat PAVLVS *fœtum efformatum & animatum, velut eum ab informi distinguens, & membrorum perfectam conformationem animationemque simultaneas supponens.* Sensus itaque eius huc redit, si contingat, ex poculo abortionis perire aut *mulierem*, quæ poculum sumsit, aut *hominem in vtero latentem*, seu infantem; postquam iam *homo* est, pœna vltimi supplicii coercendum esse criminis autorem. Ridicula admodum hæc interpretatio est, PAVLO potius obtrusa quam propria. Quis enim non intelligit ex ipso contextu, per *hominem* non intelligi infantem in ventre clausum, sed *masculum*, cui *poculum* amatorium datum, qui significatus sæpe in iure eidem attribuitur; ne dicam, PAVLVM cum Stoicis opinatum fuisse, animatum & *hominem* demum partum fieri *natiuitate.* Interim tamen incertus & in biuio hæret, a quo tempore terminus *animationis* sit constituendus, quem tandem *n. 35.* ad arbitrium iudicis defert, eique suadet, vt, adhibitis medicis & peritis obstetricibus, *animationis* tempora distinguat. Cur vero *obstetricum* iudicium hic desideret, in causa hac *medica* & *philosophica*, non satis percipio, & denique quid si medici circa *animationem* infantis diuersas inter se foueant sententias? quid si asserant, statim cum ipsa conceptione infanti accedere animam?

Basilius hanc distinctionem insuper habuit in pœnitentia ecclesiastica.

§. XXX. BASILIVS distinctionem hanc non probauit, sed decennali pœnitentiæ subiiciendam esse censuit mulierem, quæ fœtum sibi abegerat, eamque homicidii ream esse iudicauit, siue *formatus* fuerit infans, siue *non-formatus.* Ita enim *in epistola ad Amphilochium*, quæ decisiones ecclesiasticas continet, *c. 2. Quæ de industria fœtum corrupit, cædis pœnas luat; formati vel informis subtilitas a nobis non attenditur. Hic enim non solum, quod nasciturum fuit, vindicatur; sed etiam ipsa, quæ sibi insidias parauit, quoniam vt plurimum eiusmodi inceptis vna quoque mulieres intereunt. Subtilitatem* meram

ram

ram in hac diſtinctione latitare, cenſet BASILIVS, non *rei veritatem*, quod facile quilibet concedet, qui, vnde ortum traxerit, attendet perpendetque. Simili ratione quoque *homicidii* crimen in procuratione ſterilitatis contineri, canon Wormatienſis concilii docet, relatus *in c. 5. X. de homicid. Si aliquis cauſſa explendæ libidinis vel odii meditatione, vt non ex eo ſoboles naſcatur, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non poſſet generare aut concipere, vt homicida teneatur.* Multo magis ergo indiſtincte crimen perpetrare dicendus eſt, qui fœtum iam conceptum abigit, ſi ſecundum huius canonis ſententiam pronunciandum eſt.

Item concilium Wormatienſe.

§. XXXI. Quid? quod BENEDICTVS LEVITA in collectione capitularium *lib. VI.*, quo varia ex lege diuina compilauit capitula, etiam textum *§. anteced.* adductum *in capitul. 12. & 13.* reguſtauerit, non ſecundum Septuaginta interpretationem, ſed veram textus Hebraici mentem: *Si rixati fuerint homines, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortionem fecerit, ſi IPSA vixerit, ſubiacebit damno, quantum expetierit maritus mulieris & arbitres iudicarint. Si autem mors eius fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Ex verſione HIERONYMI hæc deſumta ſine dubio ſunt, quæ eo tempore omnium terebatur manibus, quod indicat ſeptimo ſeculo ISIDORVS *lib. I. offic. diu. c. 12. De Hebræo autem in latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter ſacras ſcripturas conuertit, cuius editione generaliter omnes eccleſiæ vsquequaque vtuntur, pro eo, quod veracior ſit in ſententiis, & clarior in verbis.* Vſus huius verſionis continuauit etiam temporibus ſequentibus, & quia textus Hebraici cenſum magis tetigit, quam verſio LXX., non mirandum eſt, verba hæc magnopere recedere a *vulgata*, quæ LXX. magis adoptauit interpretationem.

Et Benedictus Leuita.

Ex verſione Hieronymi.

§. XXXII. Nihilominus tamen diſtinctio, quæ ex *LXX. verſione* a quibusdam patribus *tertio & quarto* ſeculo accepta eſt, in legibus regum Francorum repetita & aſſumta eſt. In DAGOBERTI II. *capitulari III.* ſeu *lege Baiuuariorum tit. 7. c. 19.* apud BALVZ. *tom. I. capitul. p. 116.* muliere ictu quodam abortum faciente diſtinguitur, vtrum mulier mortua ſit, quo caſu *tanquam homicida* tenetur: an *tantum partus extinguatur, & ſi adhuc partus viuus* (ſeu animatus) *non fuerit, viginti ſolidos componat.* Si autem *viuus* ſeu *animatus* fuit, weregeldum perſoluat quinquaginta & tribus ſolidis & tremiſſe. Pariter

Verſio Græca in legibus Francorum aſſumta.

ter de ancillis abortum facientibus ita in *c. 21. Si ancilla a quacunque persona debilitata fuerit, vt auorsum* (abortum) *faceret, si adhuc viuus non fuit, cum quatuor solidis componat. Si autem iam viuus, decem solidos componat.* Rursus in DAGOBERTI regis *capitulari II.* seu *lege Alamannorum c. 91.* apud BALVZ. *cit. l. p. 82.* approbatur adducta distinctio: *Si quis mulieri prægnanti abortiuum fecerit, ita vt iam cognoscere possit, vtrum vir, an femina fuerit; si vir debuit esse, cum duodecim solidis componat; si autem fœmina, cum XXIV. Si neutrum cognoscere potest, etiam non fuit formatus in lineamenta corporis, cum XII. solidis componat.* Hæ leges perspicue euincunt, in foro adeo tritam fuisse hanc distinctionem, vt secundum eam leges diuersam pœnam statuerint, & ita erroneam patrum interpretationem ex suggestione clericorum, quorum ex iudicio legum vis & potestas dependebat, receperint. Quis enim negauerit, aut in dubium vocauerit, talia a clericis sapientioribus legibus forensibus adiecta fuisse, cum id sæpius ipsæ *rationes* euincant, præsertim in hoc argumento, quod aliquid trahere videbatur ex religionis christianæ principiis, quod indicat *cit. capitulare III.* DAGOBERTI *tit. VII. c. 20. Quod sine sacramento regenerationis* anima infantis *abortiuo modo tradita sit ad inferos.* Sola itaque a BENEDICTO LEVITA facta repetitio legis Mosaicæ, iuxta interpretationem HIERONYMI veriorem, abolere & tollere non potuit dogma commune patrum, legibus forensibus approbatum & propagatum.

Item in decretalibus pontificum.

§. XXXIII. Denique etiam hoc addo: Pontifices in *decretalibus* in hac substitisse distinctione, cum *ad tit. de constitut. tom. I. §. XXIV.* euictum sit, *curiam & Rotam Romanam* in decidendo GRATIANI sententiis inhæsisse, eiusque decretum pro *norma* adhibuisse, licet *confirmationem expressam* ei addere noluerit. Etenim INNOCENTIVS III, qui imprimis decisiones suas ex *decreto* GRATIANI formavit, interrogatus de presbytero, abortum mulieri prægnanti per culpam procurante, vtrum ministerio altaris abstinere deberet? seu an *irregularis* factus fuisset? respondit hoc modo: *Si nondum erat viuificatus conceptus, ministrare poterit; alioquin debet altaris officio abstinere. c. 20. X. de homicid.* Ratio differentiæ non aliunde, quam inde petenda, quod priori casu *verum homicidium* haud perpetrauerit presbyter, quod tamen duntaxat operatur *irregularitatem*, sed tantum posteriori.

Vt Innocentii III.

§. XXXIV.

§. XXXIV. Enimuero SIXTVS V., feuerioris difciplinæ pontifex, quod æuo fuo, in Italia potiffimum, morem fceleftiffimum, abigendi conceptos fœtus, clericis & laicis familiarem effe animaduerteret, nouo edicto, *anno 1588.* publicato, & *tom. II. bullar. magni p. 648.* relato, huic malo occurrendum cenfuit, & vt quæuis fubterfugia delinquentibus fubtraheret, diftinctionem adductam prorfus fuftulit. Præmittit vero concilii *Conftantinopolitani VI.* & *Ilerdenfis* fanctiones, quibus abactiones hæ generatim *homicidiis* annumeratæ funt, atque hoc modo edicit: *Omnes & quoscunque, tam viros, quam mulieres, cuiuscunque ftatus, gradus, ordinis, & conditionis, etiam clericos feculares, vel cuiusuis ordinis regulares, quauis dignitate & praeminentia ecclefiaftica vel mundana fulgentes, qui de cetero per fe aut interpofitas perfonas abortus feu fœtus immutari, tam ANIMATI quam INANIMATI, FORMATI vel INFORMIS eiectionem procurauerint, percuffionibus, oneribus, laboribusque mulieri prægnanti impofitis, ac aliis etiam incognitis vel maxime exquifitis rationibus, ita vt re ipfa abortus inde fecutus fuerit, ac etiam prægnantes ipfas mulieres, quæ fcienter præmiffa fecerint, pœnas tam diuino, quam humano iure, ac tam per canonicas fanctiones & Apoftolicas conftitutiones, quam ciuilia iura aduerfus VEROS HOMICIDAS, qui HOMICIDIVM VOLVNTARIVM actu & re ipfa patrauerint, propofitas & inflictas eo ipfo incurrere, hac noftra PERPETVO VALITVRA conftitutione ftatuimus & ordinamus, ipfasque pœnas, leges, & conftitutiones ad cafus præfatos extendimus.* Inde vero colligo: 1) clericos, tale quid perpetrantes, *indiftincte* irregulares effe, laicos vero inhabiles ad ordines fufcipiendos: 2) foro ecclefiaftico fubiectos degradandos, & curiæ feculari tradendos, vt fupplicio capitali adficiantur: 3) easdem pœnas exercendas α) contra eos, *qui fterilitatis potiones & venena potionibus propinauerint, &, quo minus fœtum concipiant, impedimentum præftiterint, ac ea facienda & exequenda curauerint*: β) contra mulieres ipfas, *quæ eadem pocula fponte & fcienter fumferint*: 4) omnes, in hoc reatu deprehenfos, *ipfo facto* excommunicatos iudicandos effe: 5) hanc cenfuram a folo pontifice & quidem fpeciali difpenfatione foluendam effe, nec cenferi remiffam per quamcunque indulgentiam aut iubilæa &c.

In quo receffit Sixtus V.

§. XXXV. Plus iufto acerbior hæc conftitutio vifa fuit fucceffori eius GREGORIO XIV., mitioris ingenii pontifici, qui anno 1591. in nonnullis capitibus *Sixtinam* correxit in Bulla, relata in *bullario magno, tom. II. p. 709.* conftituitque: (a) quemlibet presbyte-

Sed Gregorius XIV Sixtinam rurfus correxit,

rum in *foro pœnitentiali* de hoc peccato abſoluendi poteſtatem habere debere: (b) diſtinctionem inter fœtum *animatum* & *inanimatum* reducendam eſſe. Ita enim hac bulla prouiſum eſt: *Quo vero ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis, aut exhibentium mulieribus vel ſumentium venena ſterilitatis, aut quocunque modo auxilium vel conſilium eis dantium in prædicta conſtitutione contentas conſtitutionem præfatam in ea parte, vbi de his agit, ad terminos* IVRIS COMMVNIS *ac ſacrorum canonum & concilii Tridentini diſpoſitionem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, tam quoad præterita, quam quoad futura perpetuo reducimus, perinde ac ſi eadem conſtitutio in huiusmodi parte nunquam emanaſſet.* Sublata in hac parte eſt *Sixtina conſtitutio*, resque redacta quoad fœtus in vtero clauſos 1) ad *ius commune*, quo tales nondum inter animalia hominesque referuntur: 2) ad *ius ſacrorum canonum*, quod ſupra ex *decreto* GRATIANI relatum oſtenſumque, ratione pœnæ multum referre, vtrum fœtus ſit *formatus* vel *non formatus? animatus* an *inanimis?* 3) quoad fœtus nondum conceptos, ſed quorum conceptio ſublata & impedita eſt ob ſumtum *ſterilitatis* poculum, æque *ius commune* hac conſtitutione reductum, vt mulier non ordinaria ſed *arbitraria* coerceatur pœna. FARINAC. *qu.122. rer. crim. P. 2. n. 99.*

& vulgatam diſtinctionem.

§. XXXVI. Hactenus oſtenſum eſt, ex quo fonte profluxerit decantata diſtinctio inter fœtum *formatum* & *non-formatum*, *animatum & inanimatum*, quæ quamuis in *apertiſſimo errore* fundata ſit, vt ſupra euictum, *iuris canonici* tamen auctoritate roborata eſt. Id recte obſeruauit ANTONIVS THESAVRVS *in deciſ. Pedemont. XII. n. 3.* aitque: *Et quidem non ex ſuo capite diſtinctionem hanc animati & inanimati partus doctores noſtri ſibi finxerunt, ſed ex iuris canonici diſpoſitione in medium attulerunt.* Hunc in finem autem eam in medium attulerunt, vt 1) de genere pœnæ diſtinctum iudicium ferre poſſent, cenſentes, fœtum *animatum* expellentem, grauiori; *non animatum* vero, leuiori pœna afficiendum eſſe: 2) vt de *irregularitate* clericorum conſtituere poſſent iuxta deciſionem pontificis. Inde vero quæri cœptum eſt: a quo tempore fœtus cenſeatur *viuificatus*, vt pontifex *in c. 20. X. de homicid.* loquitur, vel, vt alii loqui amant, *animatus & formatus?* Hæc enim pro ſynonymis vulgo accipiunt, credentes, fœtum viuere incipere, quando eidem *anima* infunditur ſeu fœtus anima informatur, vt per animam *formam* accipiat hominis. Quamuis vero ex ſupra dictis liqueat, *formatum* dici fœtum, qui iam quodam-

Hoc modo ex auctoritate iuris canonici error in ius commune tranſiit, ex ſententia Anton. Theſauri.

dammodo maturus, & *formam* infantis *externam* accepit, vt etiam in eo ſexus diſtingui queat; palam tamen eſt ex *cit. c. 20.* pontificem *formatum* dixiſſe, qui *viuificatus* eſt, SIXTVM V. vero vtramque diſtinctionem inter *formatum* & *non-formatum*, *animatum* & *inanimem* reieciſſe atque voluiſſe, vt, ſi quædam adhuc inter has ſpecies differentia eſſet, ea penitus tolleretur, quas tamen GREGORIVS XIV. rurſus reduxit.

§. XXXVII. De termino ergo *a quo* ſolliciti fuerunt interpretes, vt conſtituerent, a quo tempore pro *vitali* habendus ſit fœtus? Ex *motu* cognoſci vitam dixerunt, atque ad ARISTOTELEM prouocarunt, qui *lib. VII. hiſtor. animal. c. 3.* ita cenſuit: *Mares fœtus magna ex parte circa quadrageſimum diem dextro potius latere mouentur, fœminæ ſiniſtro, circiter nonageſimum*, quamuis ingenue addat, *nihil certi in his affirmari poſſe.* Interim tamen PLINIVS *lib. VII. hiſtor. natur. c. 6.* idem dogma rurſus reſuſcitauit, aiens: *Melior color marem ferenti, & facilior partus: motus in vtero quadrageſimo die. Contraria omnia in altero ſexu: ingeſtabile onus, crurum & inguinis leuis tumor: primus autem nonageſima die motus*, tanquam *indicium vitæ*; quamuis animam *nutritiuam*, quam *vegetatiuam* vocant, fœtui iam adeſſe dicant ante hoc tempus, quod creſcat in vtero matris, prout ex THOMAE doctrina refert MENOCH. *de A. S. Q. caſ. 357. n. 3.* Secundum quid hanc approbat doctrinam PAVLVS ZACHIAS *in quæſt. medic. legal.* aitque: *Reſpectu noſtri & noſtræ cognitionis fœtus poſt LX. dies erit animatus, quia per motum ſe manifeſtat; ante vero non animatus, quia nullo motu ſe prodente, videtur anima non dotari, h. e.* ante motum deeſt *certitudo grauiditatis*, quæ demum per *motum* ſeſe manifeſtat; adeoque ante illum intelligi nequit, conceptum fœtum abactum eſſe. Interim recte ZACHIAS addit, fœtum non demum *animam rationalem* recipere, dum *mouetur*: poſt *conceptionem* mox eam accipit, a qua corpus efformatur & abſoluitur, quamuis *præſentia* eius ex *motu perceptibili* in vtero ſeſe exſerat.

Vitalitatem ex motu conſtituerunt interpretes.

§. XXXVIII. Vtrum vero iam motus *perceptibilis* ſit poſt diem XL. a tempore *conceptionis*, vel inde dubitari poteſt, quod plerumque grauidæ motum hunc demum ſentiant poſt *dimidium* grauiditatis *tempus.* Qua de cauſſa non omnes in hac demonſtratione ſubſtiterunt, ſed aliud argumentum ex *legis Moſaicæ* ſcitis traxerunt. Cautum hac lege erat, vt mulier, ſi maſculum pareret, quadraginta diebus

De termino motus

ex lege Moſaica.

bus a templi cessaret ingressu. *Leuit. XII*, 2. *sqq.* Hoc discrimen immunditiei vel ideo datum fuit, quod fluxus lochiorum diuturnior post editam puellam credatur ex opinione medicorum & philosophorum, cui sese legislator accommodauit. Incidenter repetiit hanc legem GRATIANVS *D.* 5. cuius rationem insipidam hanc GLOSSATOR *ad cit. l.* esse voluit, quod *XL. diebus mortuus sit infans ante infusionem animæ, sed fœtus femineus LXXX. diebus*, & sic anima *puero* citius infundatur quam *puellæ*. Commenta hæc sunt, irrisione magis, quam admiratione digna, quæ tamen antiquos adeo deceperunt ICtos, vt plerique in eam, ex autoritate glossatoris barbari, iuerint sententiam, post dies designatos demum intrare animam in fœtum conceptum, eumque ab hoc tempore *animatum* censeri. vid. FARINAC. *in oper. crim. qu. 122. p. 6. n. 143.* MARTIN. AZPILCVETA *ad tit. X. de homicid. cons. 46. n. 2.*

Gratiano interprete.

§. XXXIX. Immo hæc distinctio inter partum *vitalem* & *non-vitalem* seu *non-animatum* adeo radices egit, vt CAROLVS V. eam quoque receperit in *art. 133.* his verbis: So iemand einem Weibes-Bilde durch Bezwang, Essen oder Trincken ein lebendig Kind abtreibet: Wer auch einen Mann oder Frau unfruchtbar macht, so solch Ubel fürsetzlicher und boshaftiger Weise beschicht: soll der Mann mit dem Schwerdt, als ein Todtschläger, und die Frau, so sie es auch an ihr selbst thäte, erträncket, oder sonsten zum Tode gestraft werden. So aber ein Kind, das noch nicht lebendig wäre, von einem Weibes-Bilde getrieben würde, sollen die Urtheiler der Strafe halber bey den Rechtsverständigen, oder sonst, wie zu Ende dieser Ordnung gemeldet, Raths pflegen. Quis crederet, autoritatem *iuris canonici*, etiam insipida narrantis & referentis, in *materia criminali* in tantum valuisse, vt legislatores instar piaculi duxerint, eius commenta spuriasque doctrinas deserere?

Distinctio communis iure Carolino recepta.

§. XL. Parum vero ea distinctione huic caussæ prospectum fuisse, & ad ancipites quæstiones ansam datam, ex sequentibus perspicue apparebit. Etenim (1) legislator non determinauit, (quod tamen merito fieri debebat) sed intactum reliquit *terminum a quo*, seu tempus, ex quo partus *vitalis* censeri debeat, quod ancipiti ICtorum disputationi reseruatum, cum tamen in eo primarius cardo controuersiæ fuerit, a quo tempore *vitalis*, *animatus* vel *formatus* censeri deberet? Longe prudentius hac in causa incessit AVGVSTVS Elector

Quæ tamen incertitudinem corporis delicti magis auget, quam tollit.

ctor Saxoniæ *P. IV. const. 4.* qui quidem hoc discrimen approbauit, sed terminos eius accurate circumscripsit, constituitque, vt fœtus, post dimidium in vtero gerentium tempus, *vitalis* atque *animatus ciuiliter* haberi debeat. Id quod hoc consilio factum fuisse credendum, quia ab hoc tempore ex *motu* admodum *perceptibili* cognouit grauida, infantem adhuc vixisse eo tempore, quo illum expellere conatur, & ita *corpus delicti* non deficit, nec in dubium vocari potest. Ante hoc tempus sæpe fallitur puella, quæ cum masculo sese commiscuit, vt se grauidam putet ex tumore ventris, ex alio tamen defectu nato. Manus & oculi obstetricum sæpe fallunt. Denique ipsa grauiditas tantum ex *probabilibus signis* constat, quæ tamen non raro etiam sagaciores decipiunt. Enim vero si *motum* sensit post dimidium temporis spatium, ex quo sese grauidam existimauit: si pro expellendo fœtu venena abortiua adhibet: si eiicit infantem immaturum, vt tamen ei liqueat, id, quod eiectum est, infantis speciem habuisse, *corporis delicti* defectus amplius allegari nequit. Et cum hæc omnia in *occulto* fieri soleant, iudicis prouidi prudentisque est, idonea eruendi veritatem media adhibere, prout infra dicendum.

Saxonica constitutio hac in re certior.

§. XLI. Præterea (II) ipsa distinctio inter fœtum *vitalem* & *non-vitalem* omni caret fundamento, vt supra iam euictum, ostensumque, erroneam interpretationem *legis Mosaicæ* a patribus & pontifice pro veritate assumtam & admissam fuisse, quod etiam TESSAVRVS *decis. XII. n. 5.* iam animaduertit. Secundum veram interpretationem discrimen faciendum erat, vtrum ex *abortu procurato* mulier perierit, nec ne? quod etiam *ius ciuile* commendat in *l. 28. de pœn.* (III) Si concepit mulier, fœtus statim *vitalis* est, & *animatus*, nec anima ex *post facto* demum ei infunditur, vt *glossator* ineptiit. Imo post conceptionem mox partus *formatur*, experientia teste, cum ipsemet obseruauerim, *fœtum menstruum* adeo iam *formatum* fuisse, vt distincte iam *sexus* cognosci in eo potuerit. De eo itaque tantum inquirendum *primario* videtur, vtrum mulier, quæ *poculum abortionis* hausit, reuera grauida fuerit, nec ne? Equidem (IV) ad ICtos Romanos vel ideo hic prouocari aut præsidium in legibus Romanis quæri non potest cum TESSAVRO *cit. l.* & MENOCHIO *de arb. iur. quæst. cas. 357. n. 7. seqq.* quod hi, distinctione ea omissa, pœnam determinauerint; iam supra enim demonstratum, illos hac fuisse captos hæresi, quod crediderint, animam fœtui demum infundi, dum aërem haurit, antea vero nec *animal* nec *hominem*, sed tantum *spem hominis*

Alia monita circa constitutionem Carolinam.

nis esse. (V) Denique patres supra adducti magis inter *formatum* & *non-formatum fœtum* distinxerunt, vt in istum, quia prope ad *maturitatem* peruenit, verum cadat homicidium, non item in hunc; adeoque illo casu *ordinaria*, hoc vero *arbitraria* pœna decernenda sit. Etiam hæc distinctio ex praue intellecta *lege Mosaica* desumta est, & experientiæ repugnat; multo minus toleranda ea, quæ *animatum* secernit ab *inanimi*, qualis non datur, aut si vitio morboue interno interit fœtus, natura eum mox abigit, ne dicam, tempus assignari non posse, quo *viuere* incipiat partus, qui ex *medicorum opinione* statim animatur, quo concipitur. Interim fœtus per nouem menses maturescit, & quo propius ad *maturitatem* accedit, eo maiora crimen capit incrementa, & *certitudinem* ob *spem proximam* peremtam extinctamque; quo longius adhuc a *maturitate* abest, eo remotior spes incertiorque fœtus status, vt *corpus delicti* multis dubitationum procellis expositum sit. Atque huc sine dubio respexit legislator Saxo, vt post *dimidium tempus*, ex quo concepit abigens fœtum, pœna *mortis;* ante hoc tempus vero abortum procurans pœna *extraordinaria* plectatur, quod grauius periculum illo casu immineat matri non æque hoc. Vnde factum est, vt in decidendo fere vbique hæc tempora obseruentur, quæ cum CAROLVS V. non determinauit, interpretatione prudentum determinationem eam acceperunt, quæ in ratione antea dicta fundata. Huic accedit, quod, expleto dimidio grauiditatis tempore, grauida *motum sensibilem* percipere, & inde intelligere queat, fœtum iam ad eam maturitatis telam peruenisse, vt *motum perceptibilem* ederet. Id quod cum dubium ob variam puellæ assertionem in tempore concubitus designando, indiciis grauioribus concurrentibus, torturæ subiici solet.

Examinari quoque sedulo debet qualitas venenorum abortiuorum.

§. XLII. Ante omnia tamen *propositi mali* seu *doli* habenda est ratio, & præterea constare debet, *venena abortionis* sumta eius esse efficaciæ, vt fœtui vim inferre, eumque expellere possint, id quod iudicio & decisioni medicorum committendum, CARPZOVIO obseruante *in praxi crim. qu. XI. n. 26.* Hoc vbi exploratum, pari pœnæ subiiciendi, & qui medicamenta hæc dedit, & quæ ea *hac intentione* hausit, vt fœtum expelleret, quia par reatus vtrumque coinquinat. Sicuti enim qui venena mala necandorum hominum caussa scienter vendunt, & qui aliis præbent, eiusdem criminis rei sunt; ita idem quoque dicendum de his, qui medicamina hac intentione, vt abortum procurent, præparant, & quæ eadem intentione eadem bibunt. Neque

Neque enim medicamenta nocendorum, ſed ſanandorum hominum cauſſa inuenta, hominibusque data ſunt. Id quod HIPPOCRATES magnopere præcauere voluit, de quo SCRIBONIVS LARGVS, qui ſub TIBERIO floruit, hæc prodidit: *Hippocrates conditor noſtræ profeſſionis initia diſciplinæ ab iureiurando tradidit; in quo ſancitum eſt, ne prægnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur, aut demonſtretur a quoquam medico, longe præformans animos diſcentium ad humanitatem. Qui enim nefas exiſtimauit, ſpem dubiam hominis lædere, quanto ſceleſtius perfecte iam nato nocere iudicabit? Scientia enim ſanandi non nocendi eſt medicina.*

Incertitudo circa qualitatem veneni abortiui.

§. XLIII. Ipſe CAROLVS V. etiam in verbis ante adductis innuere videtur, *qualitatem venenorum abortionis* ſedulo percontandam eſſe, mentionem faciendo des Gezwangs, Eſſen oder Trincken, quibus vehiculis venenum hoc alicui propinatur. Vtrum vero eiusmodi pharmaca dentur, *abſolute* fœtum immaturum expellentia, etiam in foro medico litibus non caret. Etenim Dn. FRIDER. HOFFMANNVS in *diſſ. de læſion. extern., abortiuis venenis ac philtris obſeru. XII.* graue dubium hoc in argumento mouet, & propoſitionem hanc præmittit: *Non dantur pharmaca ſimpliciter & abſolute natura ſua talia, quæ abortum procurant, ſiue fœtum immaturum expellant.* Id quod ſi verum eſt, deficit in abortu vtplurimum *corpus delicti*, & inania videntur commenta, quæ a priſcis ICtis tradita & relata ſunt in noſtra iuris Romani compilatione. Qua de cauſa in ſubiecta exegeſi ICtos ita alloquitur: *Notent autem hactenus allata ICti & iudices, qui ſecundum legum criminalium rigorem abactionem partus vitalis ſtudio patratam, infanticidium cenſent, eodemque modo vtrumque delictum puniendum eſſe putant, cum, licet animus malignus non abſuerit, ipſa etiam corporis natura & morboſa diſpoſitio ad effectum obtinendum plus contulerit, quam medicamentum ipſum.* Cenſet vir doctiſſimus, voluntatem maleuolam quidem in ſtupratis non deeſſe, deficere tamen idonea medicamenta, quibus ſcelus hoc perpetrari queat, adeo vt ſi abortus, hauſto veneno, ſecutus, magis effectus *morboſæ corporis diſpoſitioni & naturæ*, quam medicamentis adſcribendus ſit. Paſſim quidem nota eſſe pharmaca, quibus hæc virtus adſcribi ſoleat, neque negari ab his in copia vſurpatis, proritatum quandoque abortum fuiſſe. *Sed*, addit, *quod hoc non ſemper, ſed raro & ſub certa tantum corporis diſpoſitione cooperante contingat, aſſerimus.* Qualis autem diſpoſitio in vtero deſideretur, his declarat verbis:

Abortus potius per conuulsiuum vteri motum succedit, nec vnquam accidit, nisi hæmorrhagia ex ruptis in vtero vasis praecedat. Quare nisi talis in vtero adsit dispositio, vt fibræ ipsius ad concipiendos conuulsiuos motus sint aptæ & vasa a stagnante & infarcto sanguine facile perrumpantur, abortus fit nullus. Si vero vicissim adest hæc ad abortum dispositio, is leui ex causa, per impensionem corporis & animi commotionem, per oneris gestationem, lapsum in terram, vsum medicamenti spirituosi exæstuantis, per morbum, præsertim febrem, sine causa alia manifesta inducitur, tanto autem facilius, si purgans aut emmenagogum validius fuerit assumtum. Duæ itaque in *abortu procurato* & *prouocato* causæ occurrunt, quarum altera *media violenta*, altera *dispositionem singularem subiecti*, in quo prouocata est expulsio infantis imperfecti, tangit, quæ si coniunguntur, necem infantis in vtero, eiusque eiectionem operantur, adeoque *corpus delicti* non absolute deficit. Id tantum ex hac doctrina fluit, non *absolute* & *simpliciter* ex hausto veneno abortiuo abortum sequi, si *dispositio mulieris* non inclinet ad abortum, sicuti *venenum quoduis* non in quouis subiecto eundem producit effectum, sed *dispositionem* quoque *subiecti* desiderat. Enimuero si hæc adest, si qualitates naturales feminæ ita compositæ sunt, vt facile abortum prouocatum facere queant, recte meo iudicio asseritur, talem puellam vel feminam mediis violentis adhibitis procurasse abortum, si aliæ causæ externæ accidentales desunt. Prudentis omnino iudicis est, sedulo inquirere in omnes circumstantias, quæ ante eiectionem fœtus emerserunt, eas actis inserere, statum mulieris, adhibitis peritis medicis, examinare, & hausti veneni rationem ad acta referre, atque hoc facto collegia Medicorum consulere, vtrum in hoc *subiecto*, in quo talis *dispositio* adfuit, abortus ex hausto tali veneno, an aliunde prouocatus sit? Ad minimum enim ex suspectis medicamentis suspicio grauis emergit, quod his ipsis in *hoc subiecto*, habili ad concipiendum abortum, procurata sit fœtus immaturi expulsio, id quod *crimine* carere nequit, cum experientia testetur, sumto *poculo abortiuo*, mox eiectionem fœtus immaturi secutam fuisse. De varia eiusmodi dispositione & procliuitate puellarum ad abortum, vt & signis procurati dolose abortus plenius agit Dn. ALBERTI *diss. de abortus violenti modis & signis §. IV.* ex cuius consideratione ICtus hanc capit vtilitatem, vt non facilis sit in decernenda pœna *ordinaria*, sed in dubio *extraordinariam* inquisitis imponat, imo, quantum fieri potest, magis ad hanc, quam ad illam inclinet. Interim tamen

men non temere a lege ſcripta recedat, ſi ex iudicio Medicorum liquet, abortum ex hauſto veneno, per violentam expulſionem, cauſatum fuiſſe. Ita enim nemo in dubium vocabit, cædem infantis in ventre a grauida procuratam fuiſſe.

TIT. XI.

DE INFANTIBVS ET LANGVIDIS EXPOSITIS.

§. I.

Titulo præcedente toruum gentilium ſed inter Chriſtianos prohibitum morem necandi infantes *natos* & exſtinguendi *fœtus* in vtero atro carbone notaui, & damnaui: ſupereſt, vt nouam parentum atrocitatem enarrem excutiamque, exponendo tum *infantes* in genere tum ſpeciatim *languidos*. Prius criminis nota aſpergere, non ſufficere viſum fuit, quod gentes quidem legem de *infantibus educandis non exponendis* vtplurimum ſeruarent, ſed ſub ea non comprehendi *languidos*, infirmos, corpore vitiatos, & diſtorſione membrorum notabiles cenſerent, quin potius eorum expoſitionem licitam permiſſamque iudicarent, quod *inutiles onerique* reipublicæ futuri crederentur.

Mos antiquus exponendi liberos,

imprimis languidos,

§. II. Morem hunc ſeruabant *Lacedæmonii*, vt tamen non parentibus arbitrium, vtrum tollendi an exponendi eſſent liberi, ſed magiſtratui concederent. Teſtis eſt PLVTARCHVS *in Lycurgo tom. I. p. 49. Arbitrium tollendi partus non erat penes parentem, ſed portabat eum in locum Leſchen dictum, vbi tribulium natu maximi conſidentes infantem ſpectabant. Qui ſi membris compactis & robuſtis eſſet, tolli iubebant eum, ſortemque ei ex nouem millibus aſſignabant. Debilem & diſtortum amandabant in locum voraginoſum propter Taygetum, quos apothetas nuncupabant, quaſi nec illi ipſi, nec ciuitati, qui non eſſet a primordio ad bonum habitum neque ad robur comparatus, expediret vivere.*

apud Lacedæmonios,

approbante Aristotele.

vere. Commendauit hanc legem ciuitatibus ARISTOTELES *lib. VII. polit. c. 16. tom. II. edit. Parif. p. 447.* aitque: *de exponendis autem tollendisque partubus lex esto: ne quid mancum & debile alatur.* Aliam æque horridam legem suadet ciuitatibus, ne liberi vltra debitum numerum alantur aut procreentur, vt *titulo præcedente §. XIX.* obferuaui. Videlicet fi lex de *exponendis liberis* in republica deeft, rogandam legem fuadet, vt vltra numerum præfcriptum nati exponantur; fi lex talem inhumanitatem damnat, imperat abortuum procreationem peffimo confilio, matri æque ac fœtui noxio. *Excufari hoc poffe*, cenfet IO. PHILIPP. PFEIFFERVS *lib. IV. antiq. græc. c. 25. fi attendatur eius propofitum. Format enim ille*, pergit, *in fuis libris de republ. rempublicam κατ' εὐχὴν ad votum & in idea, quomodo v. g. perfectus orator fcribi folet, etfi forte nunquam talis extiterit.* Addit rationem, quod tales non fint vtiles reipubl., *oneri etiam, fi viuant, aut dedecori certe eidem futuri.* Enimuero tale quid nequidem in *perfecta republica* expetendum, quod hominum naturæ & rectæ rationi repugnat. Non ex *angelis*, fed ex *hominibus* refpublica conflatur: per homines eorumque coniugia conferuatur: nec vere vtile reipublicæ dici poteft, quod *iuftitiæ naturali* repugnat, quod CICERO *de officiis* præclare ac prolixe docuit. Debiles non onerant rempublicam bene ordinatam, cui prima cura effe debet, debilibus aliter confulere, ne oneri fint. Multo minus numerus liberorum abundantior reipublicæ noxam infert, fi optimis legibus inftructa, hisque educatio liberorum ita difpofita, vt in commodum reipublicæ hæc debite inftituatur.

Lex Romuli de abiiciendis monftris,

§. III. Lex ROMVLI parum abfuit ab inftitutis Lacedæmoniorum, tefte DIONYSIO HALICARNASSEO *lib. II. p. m. 88.* ROMVLVS *primum*, ait, *neceffitatem colonis impofuit educandi, quicquid effet mafculum, & e filiabus primogenitas; nullam autem prolem necari permifit minorem triennio, nifi fi quid mutilum aut alioqui monftrofum in ipfo partu effet editum. Tales enim fœtus exponi a parentibus non vetuit, fed oftenfos prius quinque viris e vicinia proximis, fi illi quoque exponendos cenfuiffent. Si quis contra hanc legem committeret, præter alias mulctas, etiam dimidiam bonorum partem addixit ærario publico.*

XII. tabulis probata.

Tabula IV. ex duodecim hanc legem roboratam iudicat IAC. GOTHOFREDVS *in quat. font. iur. ciu.* additque *p. 72.* eius rei probationem ex CICERONE *lib. III. de LL.* inquiente: *Deinde cum effet cito necatus tanquam ex XII. tabulis infignis ad deformitatem puer, breui tem-*

tempore nescio quo pacto creatus, multoque tetrior & fœdior natus est. Eiusdem legis memor SENECA *lib. I. de ira c. 15.* ait: *portentosos fœtus extinguimus, liberos quoque, si debiles monstrosique editi sint, mergimus*, quod talia monstra inter liberos non numeranda, *l. 14. D. de stat. homin.* quod vlterius declarat FELTMANN. *in comment. ad cit. l.* & ad CICERONIS & SENECAE loca prouocat. Nequidem substitisse Romanos intra hos limites, sed maiori audacia in quoscunque liberos, quos sibi oneri futuros credebant, grassatos, eosque impune exposuisse, facile colligi potest ex traditis ad *tit. praeced.* quod etiam illustrat RAMOS *de pœna parricid. lib. VII. p. 235.* Inde tot orti errores circa liberos alienæ misericordiæ expositos, quam parens non habuit, quorum species recensetur in *l. 29. de manum. test.* Ceterum, quæ *tit. anteced. de cæde liberorum* iam *natorum* obseruaui, meo iudicio etiam ad *expositionem infantum*, qua perierunt, referri queunt, quia *necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, sed & eum*, QVI ABIICIT, & *qui alimoniam denegat, & eum, qui publicis locis misericordiæ causa exponit, quam ipse non habet*, vt scite ait PAVLVS in *l. 4. de agnosc. & alend. lib.* Aetate PAVLI iam morem impium liberos necandi sub pœna *criminali* parentibus prohibitum fuisse dixi, ex quo conficitur, vt etiam *expositio infantis*, vnde periit, non potuerit inulta relinqui, quod parum referat, occidat quis, an mortis causam præbeat. Infantem expositum quidem sed non seruatum a PAVLO intelligi, facile liquet, quia, qui seruatus est, peremtis occisisque accenseri nequit. Parum hæc sententia probata fuit NOODTIO in *Iulio Paulo c. VIII.* existimanti, eo tempore adhuc impunitam fuisse infantum cædem, & magis regulas *virtutis* seu *praecepti moralis*, quam *iuris* a PAVLO traditas; quod non tantum a ratione iuris, iam tum recepta, abhorret, sed a mente eius alienum esse videtur, qui *ius* inculcare, non *praecepta morum* docere voluit.

Latius extensa ad liberos quoscunque.

Tempore Pauli tamen reprobata.

§. IV. Sed iam propius ad ipsa *iura ecclesiastica*, circa *expositos* statuta, accedo, examinaturus, tum quid circa *seruatos*, tum vero quid circa *peremtos* constituerint? Circa *seruatos*, & ab aliis educatos *concilia antiqua* ius Cæsareum repetierunt, quod proinde præmittendum est. Duo potissimum in quæstionem venerunt: α) quo in statu essent habendi? β) vtrum patri vel domino ius vindicandi saluum esset? De vtroque magnam olim fuisse quæstionem in *Bithynia*, refert PLINIVS *lib. X. epist. 71.* quod *vniuersale ius* aut constitutio principis deficeret. Rescripsit TRAIANVS *epist. 72: Quæstio ista, quæ*

Iure ecclesiastica circa expositos seruatos.

Ius dubium circa expositorum collectorum statum.

quae pertinet ad eos, qui liberi nati, expositi, deinde sublati a quibusdam in seruitute educati sunt, saepe tractata est, nec quicquam inuenitur in commentariis eorum principum, qui ante me fuerunt, quod ad omnes prouincias sit constitutum. Concludit tandem: *assertionem non denegandam iis, qui ex eiusmodi causa in libertatem vindicabuntur puto: neque ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum.* Non ergo, qui expositum educauerat, potestatem dominicam ex praestitis alimentis acquirebat in *collectum*, sed huic *assertio libertatis* integra erat, imo & patri in *libertatem* vindicanti. Huius doctrinae vestigia clariora post haec tempora deprehendo. GORDIANVS *in l. 2. C. de ingen. manum.* natanter asserit, *ingenuam natam neque nutrimentorum sumtus* in educationem expositi factos *facere ancillam.* Patri vero in expositam puellam ius illibatum esse, ostenderunt DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS in *l. 16. C. d. nupt.* aientes: *Patrem, qui filiam exposuit, hanc nunc adultam sumtibus & labore tuo factam matrimonio coniungi filio tuo desiderantis fauere voto conuenit.* Non ergo erat ancilla, quod alias iustum matrimonium inire non potuisset: non soluta a patris potestate, cuius consensus desideratus in filiae expositae nuptias; additur enim: *Qui si renitatur, alimentorum solutioni in hoc solum modo casu parere debet.* Regulariter ergo nequidem alimenta repeti poterant, misericordiae causa data, nisi dicere velis cum CARANZA *de partu c. IV. n. 39.* verba: *in hoc solum modo casu* superaddita textui nec genuina esse. Liquet vero ex PLINII *epist. cit.* & monumentis apud REINESIVM *inscript. ant. class. XI. n. 59. & class. XII. n. 33. &* GRVTER. *de inscript. p. 687. n. 3. 684. n. 1.* eiusmodi expositos & enutritos a collectoribus vocatos fuisse θρεπτὰς *alumnos*, *altos* vel *altellos*, sicut *Romulus* dictus fuit *altellus*, quod expositus a Faustulo educatus fuerit, vt notat SCALIGER *in notis ad Festum* voce *Altellus*, simulque huius Grammatici insaniam cachinnis excipit. Atque id confirmant varia ICtorum antiquorum decisa, simul tamen indicant, praedicatum hoc attributum fuisse tam *ingenuis* seu alienis liberis, ex *misericordia*, quam *seruis* domi educatis & nutritis singulari fauore & dilectione exceptis, vt etiam iusta manumissionis causa esset, si minor *alumnum* vel *alumnam* manumittere vellet, *§. 5. I. quib. ex caus. manum. n.* & sub generali pignore nunquam continerentur; *l. 8. de pign. l. 1. C. quae res pign.* Conf. *l. 38. de fideicomm. libert.* Imo alieni liberi, solo pietatis affectu nutriti, & nutritori traditi hac appellatione veniebant, *l. 132. de verb. obligat.*, quorsum etiam pertinebant, qui ex instituto

Collecti vocabantur alumni.

TRA-

TRAIANI *publicis* alebantur *sumtibus*, teste PLINIO SECVNDO *in paneg. c.* 36. ab eo dicti *Vlpiani*, obseruante SPANHEMIO *de vsu & praestant. numism. diss. XIII. tom. I. p.* 543. Variis inscriptionibus id illustrat praeterea RAPHAEL FABROTTVS *in script. antiq. c. V. n. 19. sqq. p.* 349. praemittit vero satis scite, *alumnos* quoque dictos fuisse, *qui a parentibus inhumaniter abiecti ferisque & auibus expositi, a praetereuntibus tralatitia humanitate sublati atque educati reperiebantur.*

§. V. Ex hactenus allatis momentis obseruo, I) quosdam expositos & in *seruitute* a collectore educatos fuisse *alumnos* dictos, non tamen omnes seruos *alumnos* dictos ex conditione *expositorum* fuisse, quod etiam *vernae alumni* in lapidibus occurrant, qui domi in seruitute nati, & *singulari adfectu* a domino educati erant. vid. REINES. *in script. class. XI. n. 47. & XIV. n. 70.* II) Expositos, & a quibusdam susceptos vtplurimum in *seruitute* educatos fuisse, prout indicat epistola TRAIANI *cit. l.* & quia ἀπάτορες erant, quod de eorum parentibus non constaret, & ita in libertatem proclamare non possent, in *perpetua seruitute*, vt alumnos, mansisse, adeoque de his etiam, quod FABROTTVS *cit. l.* cum LIPSIO *cent. 1. epist. 8.* obseruat, posse intelligi textus iuris disponentes, sub *generali pignore* alumnos non posse comprehendi ob adfectum, quem in eos nutritores habebant. Quamdiu enim natalium conditio incerta erat, omni probatione destituta, quomodo sibi *libertatem* asserere poterant, cum aeque seruilis ac ingenui conditionis infantes exponerentur? Ad hos applicari poterat, quod apud SENECAM *lib. 5. c. 33.* traditur: *expositi in nullo numero sunt: serui sunt: hoc legum latori visum est.* III) A parentibus tamen agnitos repeti, imo, probata ingenuitate, sibimet ipsis libertatem asserere potuisse, non vero sub praetextu *nutrimentorum in perpetua seruitute* detineri. Nec *ingenuitati* eorum praeiudicium fiebat, si vel maxime manumissi essent. *§. vlt. I. de ingen.* Id quoque indicat SENECA *cit. l.* proponens casum de eo, qui expositos debilitauerat, & debilitatos mendicare coëgerat, qui eo nomine accusatus fuerat. *Aestimate*, inquit accusator, *quale sit scelus istius, quo factum est, ne laesi patres liberos suos aut agnoscant aut recipiant.* Non ergo liberati erant a patria potestate olim expositi, quin potius in eius sacris manebant, vt supponit *l. 16. C. de nupt.* IV) Agnitione vel assertione neglecta, vel ab exposito repudiata, (forsan quod a *matre* assereretur) eum rursus *perpetuae* & *voluntariae* subiectum mansisse *seruituti.* Illustrat id exemplum, cuius meminit SVETO-

Collecti alumni.

Vtplurimum in seruitute educati.

Vt tamen a parentibus reperi possent vel asseri in libertatem.

Quo non facto serui manebant.

(Böhmer. Iur. Eccles. Tom. V.) F

TONIVS *de illustr. Grammat. c. 21. Caius Melissus, Spoleti natus ingenuus, sed ad discordiam parentum expositus, cura & industria educatoris sui altiora studia percepit: ac Mecænati pro Grammatico muneri datus est. Cui cum se gratum & acceptum in modum amici videret, quamquam adserente matre, permansit tamen in statu seruitutis, præsentemque conditionem veræ origini anteposuit: quare cito manumissus, Augusto & insinuatus est.* V) Hoc modo in concordiam reduci potuisse, quæ late contra quosdam ICtos PIGNORIVM, RANCHINVM, VELAM, & Historicos, vt LIPSIVM, DEMSTERVM & SCHOTTVM, disputat ALPHONSVS A CARANZA *de partu c. IV. n. 37.* Sicuti enim illi assertionem *patribus* temere negarunt, ita hic pariter nimis generaliter expositis statum *ingenuitatis* asseruisse videtur.

Dubiis hoc modo sublatis.

§. VI. Atque hoc iure vtebantur Romani sub imperatoribus Gentilibus. Aliud placuit CONSTANTINO M. *in l. 1. C. Theod. de exposit.* in hunc modum constituenti: *Quicunque puerum vel puellam, proiectam de domo patris vel domini voluntate scientiaque, collegerit, ac suis alimentis ad robur prouexerit, eundem retineat; sub eodem statu, quem apud se recollectum voluerit agitare, h. e. siue filium siue seruum eum esse maluerit; omni repetitionis inquietudine penitus submouenda eorum, qui seruos aut liberos scientes propria voluntate domo recens natos abiecerint.* Idem HONORIVS & THEODOSIVS denuo anno 412. regustarunt *in l. 2. C. eod. Nullum dominis vel patronis repetendi aditum relinquimus, si expositos quodammodo ad mortem voluntas misericordiæ amica collegerit: nec enim dicere suum poterit, quem pereuntem contempsit; si modo testes episcopalis subscriptio fuerit subsecuta, de qua nulla penitus ad securitatem possit esse cunctatio*, h. e. explicante GOTHOFREDO, vt postea de *expositione* publicum adsit testimonium & calumnia imputati plagii arceatur. Tale *testimonium collectionis* expositorum *in scriptis* conficiendum, a *testibus* roborandum, & ab *episcopo loci* subscribendum, quod in plerisque ciuitatibus celebrioribus, antiquo more, adhuc episcopi essent. Modum conscribendi testimonium receperunt & accuratius determinarunt patres *concilii Vasensis* anno 442. *c. 9. & 10.*, referente HARDVINO *tom. I. concil. p. 1750.* Etenim laudantes *statuta fidelissimorum, piissimorum, augustissimorum principum*, constituerunt, *vt, quisquis expositum colligit, ecclesiam* h. e. episcopum *contestetur, contestationem colligat* atque diligenter custodiat. Ne tamen domino vel patri ius suum præmature auferatur, hæc addita præcau-

Lex Constantini nouam repetitionem sustulit.

Vt & Honorii & Theodosii.

Si de collectione constabat.

Per testimonium publicum.

cautio: *Nihilominus de altario dominico die minister annunciet, vt sciat ecclesia, expositum esse collectum: vt infra decem dies ab expositionis die expositum recipiat, si quis se comprobauerit agnouisse.* Sine dubio in Gallia hoc æuo adhuc sermones coram altari, in editiori loco posito, habiti, quibus finitis, non tantum *matrimonia desponsatorum*, sed & alia publice ecclesiæ proposita ac annunciata, vt nullus postea calumniandi superesset locus. Reuera, vt in proclamatione sponsalitia, hic *edictaliter*, quorum intererat, citabantur, vt intra certum agnoscerent expositum repeterentque, deinceps vero omni iure caderent quod innuunt patres his verbis: *sane si quis post hanc diligentissimam sanctionem expositorum hoc ordine collectorum repetitur aut calumniator exstiterit, vt homicida ecclesiastica districtione feriatur.* Se ipsum enim prodere, & spatio elapso fateri videtur, se *homicidii causa* exposuisse infantem, adeoque eandem seueritatem ecclesiasticam subire cogebatur, quam *homicida* in foro pœnitentiali.

Præuia edictali citatione eorum, quorum intererat.

§. VII. Anno 452. eadem sanctio repetita est in *concil. Arelat. II. c. 51.* apud HARDVIN. *tom. II. p. 777.* & GRATIANVM *c. 9. D. 87.* *Si expositus ante ecclesiam cuiuscunque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam, & si is, qui collectus est, intra decem dies quæsitus agnitusque non fuerit, securus habeat, qui collegit. Sane qui post prædictum tempus calumniator exstiterit, vt homicida ecclesiastica districtione damnabitur.* Colligo ex hoc canone, 1) expositos fuisse infantes *ante ecclesiam*, in *loco publico;* vt eo facilius seruarentur, & misericordiam, qua destitutus erat exponens, aliorum prouocarent: 2) a quouis potuisse colligi expositum, quo non facto, *sumtibus ecclesiæ* sine dubio alendus erat, quæ curam pauperum gerebat, prout illustrat FRANC. PITHOEVS *in glossar. ad capitular.* ex WANDELBERTO *Diacono* apud BALVZIVM *tom. II. capitular. p. 720.* 3) citari potuisse eum, cuius intererat, vt repeteret intra decem dies expositum, agnosceretque h. e. probaret suum esse: 4) hoc tempore elapso, collectorem ab omni impetitione securum fuisse, eoque in recollectum vti potuisse iure, quod sibi *contestatione publica* iuxta legem CONSTANTINI acquirere voluit. Denuo id generatim confirmatum anno 506. in *concilio Agathensi c. 24.* apud HARDVIN. *cit. l. p. 1000.* & collectione ISAACI episcopi Lingonensis *tit. XI. c. 16.* apud EVNDEM *tom. V. p. 447.* nec non CHILDERICI III. *capitular. c. 1.* insertum apud BALVZIVM *tom. I. capitul. p. 151. in f.* Conf. *lib. VI.* *ca-*

Denuo hoc repetitum in concilio Arelatensi,

Agathensi,

Formula testimonii.

capitular. c. 144. p. 947. In *formulis Sirmondianis tom. II. capitular.* a BALVZIO *p. 474.* relatis *epistola collectionis* ad mentem legum & canonum accommodata refertur huius tenoris: *Nos quoque in DEI nomine matricularii* (matriculæ ecclesiæ inserti) *sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius ecclesiæ obseruanda conuenissemus, ibique infantulum sanguinolentum, periculo mortis imminente, pannis inuolutum inuenimus, & ipsum per triduum seu amplius apud plures homines inquisiuimus, quis suum esse diceret, & non inuenimus; cui nomen ipsum imposuimus. Sed postea pietate interueniente, & Domini misericordia opitulante ipsum infantulum homini alicui, nomine illo, ad nutriendum dedimus, vt si DEO conualuerit, ipsum in suis seruitiis ac solatiis iuxta legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valentem sol. tantos. Et vt præsens epistola firmior sit, manibus propriis eam subterfirmauimus & bonis hominibus roborandam decreuimus secundum sententiam illam, quæ data est ex corpore Theodosiani libri quinti dicens &c.* Annectuntur hic verba *l. vn. C. Theod. de his, qui sanguinol.* cuius insignis eo tempore in Gallia erat auctoritas.

Languidi servi expositi liberi fiebant,

§. VIII. De *recens natis* liberis vel *seruis expositis* hactenus actum. Solebant vero præterea serui *languidi* vel *ægrotantes* exponi & derelinqui, de quibus simul, teste *rubrica h. t.*, agitur. Horum conditio olim melior, quam *expositorum* recens natorum, quia ad valetudinem reuocati liberi erant. Testis est MODESTINVS *in l. 2. D. qui sine manumiss.* inquiens: *Seruo, quem pro derelicto dominus ob grauem infirmitatem habuit, ex edicto D. Claudii competit libertas.* Alias serui pro derelictis habiti non erant liberi, sed occupantis fiebant, vt aperte indicat *l. f. D. pro derelict.* & *l. 36. de stipul. seruor.* Inhumanior erat expositio *infirmorum*, in quibus *ius singulare* & *exceptionem* constituendam esse censuit CLAVDIVS, quod testimonio illustrat DIO *lib. XL. p. 685. Quia multi seruos ægrotantes nulla cura dignabantur, sed domibus eiiciebant, legem tulit princeps, vt, qui ita exturbati ad sanitatem rediissent, liberi essent.* Distinctius sententiam *legis Claudianæ* recitat SVETONIVS *in Claudio c. 25. n. 5. Cum quidam ægra & affecta mancipia in insulam Aesculapii tædio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si conualuissent: quod si quis necare quem mallet, quam exponere, cædis crimine teneri.* Vnde rursus liquet, immanitatem dominorum in seruos æuo CLAVDII iam valde limitatam, cædemque talem iniquam ex

contra regulam,

ex lege Claudii.

L. Cor-

L. Cornel. de sicariis coercitam fuisse, idque multo magis in liberis propriis occisis obseruari debuisse. *Imperfectam* vero talis seruus expositus accipiebat *libertatem*, scilicet *latinam*, vt IVSTINIANVS indicat *in l. vn. §. 3. C. de lat. libert. toll.* adeoque dominus, *quem morientem antea deliquit, eius bona iterum, cum moreretur, accipiebat.* Correxit hoc IVSTINIANVS *cit. l.* sanxitque, vt talis expositus illico fiat *ciuis Romanus*, nec aditus in *iura patronatus* quondam domino reseruaretur. Humanissimam addit rationem: *Quem enim a sua domo suaque familia publice repulit, neque ipse eum procurans, neque alii commendans, neque eum in venerabilem Xenonen mittens, neque consueta ei praebens salaria: maneat ab eo eiusque substantia penitus segregatus tam in omni tempore vitae liberti, quam cum moriatur, nec non postquam in fata sua concesserit.*

Vt libertatem latinam acciperent.

Sed nouo iure ciues Romani fierent.

§. IX. Hoc argumento ductus IVSTINIANVS *in Nov. 153.* idem in *infantibus expositis* constituendum, & legem CONSTANTINI abolendam esse credidit, adeoque eam nequidem Codici suo inseri voluit. Neque enim amplius colligenti infantem arbitrium dedit, vt posset infantem recollectum, vt *seruum*, educare, sed in *l. 3. & 4. C. de infant. expos.* iuncta *Nov. 153.* edixit, vt exemplo *languidorum seruorum*, a dominis neglectorum, tales infantes *libertatis* gauderent statu. *Sed neque*, ait, *his, qui eos nutriendos sustulerunt, licentiam concedimus penitus cum quadam distinctione ita eos tollere, & educationem eorum procurare, siue masculi sint siue feminae, vt eos vel loco seruorum aut loco libertorum, vel colonorum, aut adscriptitiorum habeant, sed nullo discrimine habito, hi, qui ab huiusmodi hominibus educati sunt, liberi & ingenui appareant*, addita hac ratione, *ne videantur quasi mercimonio contracto ita pietatis officium gerere*, vtpote quod *gratuitum* esse debet. Idem ius confirmandum esse censuit GREGORIVS XI., neglecto antiquo canonum iure, quod ex *Codice Theodosiano* desumtum erat. Edixit enim in *c. vn. X. h. t. si a patre siue alio, sciente ipso aut ratum habente, (relegato pietatis officio) infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patris liberatus. Nam in hoc casu in ingenuitatem libertus, & seruus in libertatem eripitur. Quod & de praedictis cuiuscunque aetatis languidis, si expositi fuerint, vel si alicui eorum alimenta impie negari contigerit, est dicendum.* Alimenta negare liberis, eosque exponere publicis locis, etiam ad paria reducit PAVLVS in *l. 4. de agnosc. lib.* vnde haec pontifex desumsit. Ceterum omne quoque ius nutritori in alumnum ademtum his verbis: *Sane qui hos suscipiunt,*

Quod iure nouell. ad infantes expositos extensum.

Etiam iure Canon.

piunt, non possint propter hoc in eorum personis ius aliquod vindicare.

Quid iure Wisigothorum?

§. X. Leges Wisigothorum a PITHOEO editæ *p. 95. lib. IV. tit. 4.* ius antiquum Romanum, quod ante CONSTANTINUM obtinuit, secutæ magis videntur. Disponunt enim, 1) expositos a parentibus agnosci potuisse, vt tamen pater vel vicarium seruum daret aut pretium: 2) patre hoc negligente, redimendos eos esse ex officio a iudice loci ex proprietate parentum, parentes vero exilio mulctandos: 3) facultatibus destitutos, vt expositum redimere non possint, patrem, proiicientem infantem, pro eo *seruitutem* subire debere, infante in libertatem restituto: 4) seruos infantes exponentes, consciis dominis, in potestate eius, qui nutriuit, permansuros; si eis insciis in fraudem eorum abiecerint, tertia parte pretii expositum a domino redimi posse.

Quidam legitimos tales infantes censent.

§. XI. De statu *expositorum* libertatis actum. Inde vero non statim præsumtio capienda, quod etiam *legitimi* censendi. Possunt enim esse *liberi* ex *legis beneficio*, vt tamen sint *illegitimi.* Cardo ergo totius rei in hoc consistit, quid *in dubio* de hoc expositorum statu iudicandum, vtrum *legitimi* censendi, si de parentibus non constat, vt ad ordines, ad collegia opificum, & honestorum virorum dignitates admitti queant? an vero *legitimatione* indigeant? Non desunt, qui eos *in dubio* legitimis annumerandos censent, vt PALAEOTTVS *de nothis c. 63. n. 2.* CARANZA *de partu c. 4. n. 49.* PETRVS LEVRENIVS *in foro benefic. P. 1. qu. 265. n. 1.* argumentis a MENOCHIO *lib. VI. præs. 54. n. 20. sqq.* traditis vsi, quod 1) in dubio quilibet legitime natus præsumatur: *c. 5. & 11. X. qui fil. sint legit.* 2) stuprum non præsumatur, ergo nec natiuitas illegitima: 3) quod *communis opinio* huic sententiæ faueat. His quidem accedere videtur GRATIANVS *c. 135. n. 31. & c. 267. n. 22.* contextus tamen docet, eum magis loqui de exposito a patre agnito, quia ei *ius succedendi* tribuit, quo casu argumenta magis stringunt. Ast vbi omnino parentes incerti, quis crederet, *hodiernis moribus* esse legitime natos, qui alienæ misericordiæ expositi sunt? Apud Romanos olim frequenter etiam parentes legitime natos exponebant: horrebant numerum liberorum: puellas imprimis parui ducebant, ideo vt patri arbitrium darent, vtrum filiam humi post natiuitatem abiectam tollere seu suscipere an exponere mallet. Inde facile *legitime nati* præsumi potuissent, si in *seruitute* non essent educati, prout plerumque fiebat.

Quod reiicitur.

Ho-

Hodie vero exempla parentum, liberos *legitimos* exponentium, fere inaudita sunt. Ex stupro suscepti a matribus exponuntur regulariter, quod vel acta iudicialia ostendunt, quæ stupro infectas matres ordinarie huius criminis reas faciunt. Id vero præsumendum, quod *regulariter* & *vtplurimum* fit, non quod rarissime aut fere nunquam. Denique cum demum potissimum iura Romana præsumebant *legitimum*, quem *constante* parentum *matrimonio* natum constabat. *l. 2. C. de Carbon. edict.* Ita recte iudicat GARCIAS *de benef. tom. II. P. 7. c. 2. n. 10. Reuera ita est, vt experientia docet, quod quamuis aliqui legitimi exponantur, tamen hi sunt paucissimi: & fere omnes, qui exponuntur, sunt illegitimi, & ex centum, qui exponuntur, certum est, plusquam 90. esse illegitimos, & ita expositi communiter reputantur & dicuntur ex copula illicita, & ab eo, quod fere semper fit, videtur interpretatio sumenda, quam ab eo, quod aliquando sed raro fit, quamuis id sit melius & benignius.* Conf. ANTONIVS GALLATIVS MALVASSIA *conf. 24.* IVLIVS CAPONVS *discept. 262. n. 13.* Hoc hodie magis asserendum, quia ad effectum, vt quis *iure legitime natorum* gaudere possit, veluti, vt ad collegia opificum, ius ciuitatis, ordines clericales, cetera, admittatur, desideratur, vt *testimonium legitimorum natalium* adferatur, id quod expositus producere nequit, quod etiam CAPONVS *cit. l.* vrget, adeoque nequidem communes illæ præsumtiones hic adferri possunt, vt BESOLDVS *voc.* Findel=Kinder, non debuisset hic laudare PALAEOTTVM, causam propriam sine dubio agentem, & quæuis in fauorem nothorum interpretantem. Conf. HIERON. DE CAEVALLOS *Tom. IV. qu. 900. n. 110. sqq.* Denique in *exponente*, quæ grauiter delinquit, facile præsumitur *stuprum* ex ipsa *facti qualitate*, quod ægre tale crimen imo fere nunquam cadat in *matrem legitimam*. *Communis opinionis* spectro hodie nemo capitur, nemo deterretur, quod adeo inane & lepidum est, vt RENNEMANNVS *in iurisprud. Rom. Germ. M. IV. disp. 3. in append.* quæ *de communium opinionum vanitate* succincte agit, illud *monstrum horrendum*, *informe*, *ingens*, *cui lumen ademtum*, verbis Horatius merito dixerit.

Præsertim hodie.

§. XII. Quæ huc vsque dicta sunt, curam *priuatam* expositorum respiciunt, a quibuscunque, qui ex misericordia expositos colligunt, exercendam. Superest, vt hic etiam de *publica* agamus, quod argumentum in *iure canonico* eo magis pertractandum, quod sollicitudo circa *expositos* ecclesiis præ ceteris demandata sit. *Publica* videlicet duplex est, vel *ciuilis* vel *ecclesiastica*: illa iure reipublicæ:

Publica cura ciuilis.

cæ: hæc officio pietatis, ecclesiæ potissimum proprio, exercetur. Vtramque rursus scite & apte exponit ALPHONSVS A CARANZA *cit. l. sect. 2.* obseruatque, apud Gentiles quoque *publicam curam* obtinuisse, atque ideo *publicis locis* expositos fuisse infantes, tum vt ob confluxum hominum facilius conseruarentur, tum etiam vt publicæ curæ commendarentur. Apud Athenienses locus sacer, *Cynosarges* dictus, vbi Herculis fanum & gymnasium erat, exponendis infantibus idoneus locus iudicabatur, quod MEVRSIVS *in Athen. Atticis lib. II. c. 2.* plenius illustrat, paucis etiam tangit PETRVS FABER *in Agonist. lib. I. c. 16. p. 55.* Romæ in *vndecima* vrbis *regione*, vbi *forum olitorium* erat, circa *lactariam columnam* infantes recens nati exponebantur, ita dictam, *quod ibi infantes lacte alendos deferebant*, teste SEXTO POMPEIO FESTO *lib. X. de verb. signif. voce lactaria columna p. m. 198. ex edit.* ANDREAE DACERII & illustrante BARTHOLINO *de puerper. p. 90.* ad quem morem sine dubio respexit PAVLVS *in l. 4. de lib. agnosc.* agens de his, qui PVBLICIS LOCIS *misericordiæ causa exponunt.* Sed sæpe expositi *publicis* etiam *locis* negligebantur a prætereuntibus, qui ad hoc officium cogi non potuerunt. Cura *publica* ergo desiderabatur, quia, vt scite PLINIVS SECVNDVS *in panegyr. c. 26.* ait, *pauperibus educandi vna ratio est bonus princeps*, quibus imprimis expositi, omnia secum portantes, annumerandi. Hoc applicat ad TRAIANI pietatem PLINIVS *cit. l. c. 28.* &, *paulo minus*, ait, *quinque millia ingenuorum fuerunt, quæ liberalitas principis nostri conquisiuit, inuenit, adsciuit. Hi subsidium bellorum, ornamentum pacis,* PVBLICIS SVMTIBVS *aluntur, patriamque non vt patriam tantum, verum vt* ALTRICEM *amare condiscunt.* Ait, *c. 27. magnum esse educandi incitamentum, tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum*, quo ipso simul docet, hac sollicitudine & *cura publica* parentes pauperes auocari a consilio iniquo liberos abiiciendi, quod hac spe facilius incitentur ad educationem, qua antehac carebant, & sic sæpe ad *expositionem* mouebantur. Hoc institutum TRAIANI ex nummis Romanis egregie illustrat SPANHEMIVS *de vsu & præstant. numism. tom. I. diss. XIII. §. 7. p. 542. sqq.* aliorumque imperatorum, qui vestigia TRAIANI legerunt, imitationem laudat. *Ciuitatibus* quoque *multa largitus est* extra vrbem *ad educationem liberorum, in quos magna beneficia contulit*, vt ait DIO CASSIVS *lib. 68. p. 771. c.* atque rursus hoc *publico subsidio* expositiones infantum præcauere voluit.

Apud Gentiles.

Circa infantes in locis publicis expositos.

Exemplo Traiani.

XIII.

Cur ecclesiastica episcopis demandata?

§. XIII. Cum vero imprimis episcopis clericisque ex *instituto ecclesiæ generali* cura pauperum & miserabilium personarum commendata esse debeat, a vero non est absimile, eos potissimum quoque curam expositorum gessisse. BVRCHARDVS ex *synodo Matisconensi c. 6.* hunc refert canonem: *Decretum est, vt vnusquisque presbyter in sua plebe publice annunciet, vt, si aliqua femina clanculo corrupta conceperit & pepererit, nequaquam diabolo cohortante filium aut filiam suam interficiat, sed quocunque praualet ingenio ante ianuas ecclesiæ partum deportari ibique poni faciat; vt coram sacerdote in crastinum delatus ab aliquo fideli suscipiatur aut nutriatur.* Supra iam *§. VII.* morem exponendi infantes *ante fores* ecclesiarum retuli, alio non introductum consilio, quam quod clerici singularem *expositorum* crederentur habere curam, quod speciatim ex moribus Treuirorum illustrauit HIERONYMVS BIGNONIVS *ad form. Sirmondic.* apud BALVZ. *tom. II. capitul. p. 973.* Ex hoc *pietatis officio* enata tandem sunt tot *pauperum* & *miserabilium* personarum *diuersoria publica.* *Cum enim*, ait THOMASSINVS *P. 1. de nov. & vet. eccl. discipl. lib. II. c. 89. §. 8. episcoporum esset, & excipere hospites & pauperes alere, qua in re Christi & Apostolorum exemplum haberent & praeceptum, miramque consensionem fidelium, qui ad pedes Apostolorum vel clericorum, quos incitante Spiritu S. erogabant, conferebant eleemosynas: non poterat commodius quidquam aut vtilius excogitari, quam vt constructis Xenodochiis & Ptochotrophiis, constitutisque idoneis prouentibus tam pium tamque sanctum opus perficeretur.* Diuersi inde generis exstructa sunt *hospitia religiosa*, prout iam traditum est *tom. III. iur. eccl. tit. 36. §. 37. sqq. p. 382.* quæ a *fine specialiori* denominata & distincta, & speciatim his quoque annumerata fuere *brephotrophia*, quorum fit mentio in *l. 19. 22. 23. C. de SS. eccles. l. 35. l. 42. §. 6. 9. l. 46. §. 1. C. de episc. & cler.* Hæc sicuti *infantibus pauperibus* alendis destinata fuere, ita quoque *expositos* collegerunt, & educarunt, prout perspicue tradit *concil. Colon. I. de anno 1536. P. XI. c. 1.* apud HARDVIN. *tom. IX. concil. p. 2021.* vbi brephotrophiis dicantur *parentibus orbati atque inopes liberi, & infantes expositi.* Denique pedetentim in pluribus locis exstructa fuerunt hospitalia, speciatim expositorum collectioni & educationi inseruientia, die Findel-Häuser, de quibus agit ALPHONSVS A CARANZA *de partu c. IV. sect. 2. n. 133. seqq.* Hæc in magnis ciuitatibus eo potissimum consilio exstructa sunt, vt, quantum fieri potest, impediantur & præcaueantur tot infanticidia, quæ alioquin ex stupro conceptis liberis imminent. Denique, his diuersoriis

Ante fores ecclesiæ expositorum.

Exstructis brephotrophiis.

Etiam in magnis ciuitatibus.

In subsidium hæc educatio altæ iurisdictioni debetur.

deficientibus, cura educandi expositos ad magistratum, *iurisdictione alta* pollentem, refertur, vtpote qui etiam de *crimine expositionis* cognoscit, & cuius est tum *viuentes* tum *mortuos* tollere infantes. Equidem CARANZA *cit. l. n. 173.* expositos alendos esse censet a regibus & principibus, qui bona deperdita amissa aut vacantia suarum ditionum percipiunt. Ratio *connexionis* vero hic nulla adest, nec satis intelligitur, quomodo consequentia huius sententiæ cohæreat. Ipsa expositio *crimen* est, adeoque huius cura eum tangit primario, qui de crimine cognoscit, & sic onus educationis per consequentiam in eum deuoluit, vt recte CARPZ. *in pr. crim. qu. 10. n 26. sq.*

De expositis mortuis,

§. XIV. De expositis *seruatis* atque *educatis* dictum. Superest, vt de his, quibus expositio exitio fuit, agamus. Equidem *pœnæ criminales* proprie ad *ius canonicum* non spectant, vt de his interpretem huius iuris non adeo sollicitum esse oporteat; interim sæpe suppeditat nouas obseruationes & rationes, ad fora criminalia pedetentim traductas, quæ potissimum ex hoc iure colligenda duxi. Nihil vero hic titulus suppeditat, quod ad eruendam pœnam eiusque applicationem facere queat, adeoque paucis tantum obseruo, pœnam huius criminis vel *corporalem* vel *capitalem* constitutam esse in *art. 132. const. crim* nach Gelegenheit des gefährlichen Hinlegens. Mulier infantem exponens in syluis, desertis, aliisque locis, ad quæ rarior hominum accessus, non potest non *intentionem directam* infantem occidendi habere, adeoque merito plectenda *pœna infanticidii.* Quid enim interest, vtrum infantem occidat, an inedia & frigore consumendum abiiciat? Expositiones autem factæ in locis minus periculosis, publicis forsan, ad quæ frequens aditus, vel per quæ vulgo iter fit, non censentur ea factæ intentione, vt infans periret, sed potius seruaretur, licet forsan contra intentionem exponentis matris perierit, corporale ergo tantum supplicium hoc casu obtinebit. Ceterum meo iudicio *qualitas* periculosæ expositionis non vnice ex *loco*, sed etiam ex *tempore* æstimanda; quæ enim fit *hyeme*, nocturno tempore, vbi horridum gelu fluminum ripas iungit, quis negaret, hanc quoque expositionem *periculosam*, *letiferam*, & ad internecionem infantis comparatam fuisse, licet vel maxime ratione *loci* nullum infanti periculum immineat?

& diuersa pœna.

TIT.

TIT. XII.

DE

HOMICIDIO VOLVNTARIO VEL CASVALI.

§. I.

AB ant[illegible] tritum ſermone fuit hoc *iuris eccleſiaſtici* dogma, *eccleſ[illegible] non ſitire ſanguinem*, cuius natales in ipſis eccleſiæ prin[illegible]diis deprehendere licet, effectus vero per plures iuris cano[illegible] materias ſeſe diffundunt, vt paſſim iam, præſertim *tit. I. lib. III. §. 62. ſeqq.* obſeruaui. Imprimis vero plerique textus *huius tituli* ex hoc principio tracti, atque in eo occupati ſunt argumento, quatenus ex cæde hominis *irregularitas*, ſingulare iuris canonici caput, inducatur. Et quia adeo omne *iudicium ſanguinis* abhorrere debent, qui eccleſiaſticis ſe volunt mancipare miniſteriis, id ipſum grauem mihi ſuppeditauit dubitandi rationem: Vtrum patres eccleſiæ tum *naſcentis*, tum *adultæ* tradiderint, pœnam capitalem, lege Moſaica homicidis dictatam, *iuris diuini vniuerſalis* eſſe, vt nulla principis *diſpenſatio*, nec huius ſupplicii immutatio contra eam locum inueniat? Imo an hoc dogma iuri canonico quoque debeatur, & inde originem traxerit. Equidem B. THOMASIVS *de iure principis euangelici aggratiandi homicidas c. III. §. 3.* magna cum fiducia aſſerit, ſententiam hanc, qua hæc pœna mutari neſcia iudicatur, deberi clero pontificio, quod non alio accipiendum eſt ſenſu, quam eam a patribus inculcatam, per pontifices propagatam, & ſic tandem per ipſum *ius canonicum* roboratam fuiſſe. Sicuti vero ipſemet determinare & indicare non potuit, quo ſeculo hæc ſententia in ſcenam producta, & a quibus patribus defenſa fuerit; ita in diuerſa plane abire cogor, ponderando concluſiones, quæ ex ſententia contraria in iure canonico & patrum dictis ſuperſunt, aperte, ni fallor, euincentes, patres eccleſiæ a primordio docuiſſe, *pœnam capitalem*, homicidis iure Moſaico ſtatutam, non eſſe *iuris æterni*, ſed *reipublicæ iudaicæ*

Eccleſia non ſitiit ſanguinem.

Inde irregularitas clericorum.

Ne quidem in homicidio.

Dogma de indiſpenſabili capitis pœna iuri canonico aduerſatur.

propriam. Id vero propugnabo ex ſequentibus argumentis, quibus demonſtratum ibo, (I) Chriſtianos primæuos ab omni *iudicio ſanguinis* in quibuscunque delictis abhorruiſſe: (II) licet ſub chriſtianis imperatoribus pœnas capitales non prorſus reprobauerint, ſui tamen officii eſſe, arbitratos epiſcopos, pro damnatis ad mortem, etiam cæde illicita infectis, intercedere & pœnam ſanguinis deprecari: (III) ea de cauſa quoque homicidis eccleſias patuiſſe, in quibus patres illis quoddam ſacrum refugium præbebant: (IV) inhabiles iudicatos fuiſſe, qui ad clericatum aſſumerentur, qui iudicio ſanguinis etiam in cauſa homicidii interfuerant: (V) leges, pecuniarias pœnas homicidis ſtatuentes, per decreta patrum in conciliis non reprobatas ſed approbatas fuiſſe: (VI) clericos homicidas pœnis capitalibus non ſubiectos, nec creditum fuiſſe, eos neceſſario degradandos, quo pœnis iure diuino conſtitutis ſubderentur. Hæ omnes propoſitiones ex vno eodemque propullularunt fonte, pœnis *capitalibus*, quantum fieri poſſet, abſtinendum eſſe, non quod eas *iure* non meruerint, ſed quod noui fœderis genius ad manſuetudinem inclinatior eſſe debeat, nec lex antiqui iuris de *pœna capitali* huc etiam porrigi debeat.

Quod ſex dogmata iuris canonici euincunt.

§. II. Primum ergo Chriſtianorum primitiuæ eccleſiæ dogma, *de fuga pœnæ ſanguinis*, primarium hoc habuiſſe videtur fundamentum, quod, vt dixi, genius noui fœderis ad *manſuetudinem* magis quam ad delinquentes perdendos ſit procliuior, quod imprimis AVGVSTINVS *epiſt. 113.* (al. 54.) *tom. II. oper. edit. Pariſ. p. 523.* explicat atque declarat. Obiectum ipſi erat, *quemadmodum nos poſſimus ex religione contendere, vt QVALECVNQVE illud CRIMEN fuerit, dimittatur.* Non excludebant ergo vllum crimen, ne quidem *homicidii*, ab hac doctrina: tantum in eo ſollicitus erat, vt vitam homicidæ ab interitu & periculo mortis vindicarent, atque emendarent. Hac de cauſa *c. 16.* ait: *Nec ob aliud, quantum ſapio, in veteri teſtamento, antiquorum temporibus prophetarum ſeuerior legis vindicta feruebat, niſi vt oſtenderetur, recte iniquis pœnas conſtitutas: vt, quod eis parcere noui teſtamenti indulgentia commonemur, aut remedium ſit ſalutis, quo peccatis parcatur & noſtris, aut commendatio conſuetudinis, vt per eos, qui parcunt, veritas prædicata non tantum timeatur, verum etiam diligatur.* Idem *tom. V. ſerm. 2. c. 2. p. 6. eiuſd. edit.* diſcrimen idem denuo inculcat, &, *Nos dicimus*, ait, *eundem eſſe euangelii miſericordiſſimi largitorem, qui exſtitit etiam legis terribilis lator. Lege enim terruit, euangelio conuerſos ſanauit, quos, vt conuerterentur,*

Primum dogma eccleſiæ de fuga pœnæ ſanguinis,

etiam in homicidio.

lege

lege terruerat. Non tamen *absolute* pœnas capitales improbabant, sed, vt verba adducta docebant, id tantum præ se ferebant, eas, quantum fieri potest, inter Christianos remouendas & impediendas, non excipientes vllum casum, qui absolute *pœna sanguinis* expiandus esset, qualem hodie plerique in *cæde humana*, consulto facta, quærere solent. Hoc sensu accipio TERTVLLIANVM, alioquin a *iudicio sanguinis* alienum, *de spectacul. cap. XIX. p. m. 81. Bonum est, cum puniuntur innocentes. Quis hoc nisi nocens negabit? Et tamen innocens de supplicio alterius lætari non potest; cum magis competat innocenti dolere, quod homo, par eius, tam nocens factus est, vt tam crudeliter impendatur. Quis autem mihi sponsor est, nocentes semper vel ad bestias, vel ad quodcunque supplicium decerni, vt non innocentiæ quoque inferatur, aut vltione iudicantis, aut infirmitate defendentis, aut instantia quæstionis? Quam melius ergo est, nescire cum mali puniuntur, ne sciam, & cum boni pereunt; si tamen bonum sapiunt.* Recusabant ergo, præsentes esse suppliciis reorum, ne his ipsis animum pascere *more gentilium* viderentur. Nam etiam præterea ex hoc fundamento, quod secundum erat, supplicia sanguinis horrebant, quod in eorum executione gentiles summam exercere crudelitatem, aut voluptatem ex iis capere viderent, ceu *spectaculorum* vsus publicus in eis, qui ad *bestias condemnati* erant, ostendebat. Hanc ob rem Christianis autor erat SEPTIMIVS, ne horrendis his spectaculis interessent, oculosque in crudeli reorum laniena pascerent. *Si sæuitiam,* ait, *si impietatem, si feritatem permissam nobis contendere possimus, eamus in Amphitheatrum. Si tales sumus, quales dicimur, delectemur sanguine humano.* Calumnias gentilium his verbis notat TERTVLLIANVS de *Thyesteis epulis*, in quibus infantes comedere, & sanguinem humanum degustare dicebantur, a quo tam alieni erant, vt nequidem suppliciis nocentium interesse vellent, imo etiam a sanguine animalium abstinerent.

Licet pœnas capitales non absolute reprobauerint.

Nisi quod gentilium morem damnauerint, in pœnis his animum pascentium.

§. III. Hoc duplici argumento vtplurimum retundebant gentilium mendacia & obtrectationes. ATHENAGORAS *in legat. pro Christ. p. 8.* primo vsus est argumento: *Quomodo enim quisquam vel homicidii vel humanarum carnium epulationis insimularet illos, quos ne iuste quidem occidendi hominis supplicium intueri velle aut posse cognouerit? Quis non spectacula illa, in quibus gladiatores & belluas populo, præsertim vos imperatores, exhibitis, maximi facit? Nos vero non ita multum, siue spectator sit aliquis, siue autor cædis, interesse iudicantes,* alieno

Nequidem præsentes erant christiani suppliciis capitalibus.

alieno ab his spectaculis animo sumus. Quomodo igitur, qui ne ab aliis quidem fieri, ne quid inde sceleris & piaculi in nos redundet, videre sustinemus, homicidium committemus ipsi? Altero argumento vtitur MINVCIVS FELIX *in Octau. c. 30. in f. p. m. 381. edit. Gronou. Nobis nec homicidium videre fas est, nec audire; tantumque ab humano sanguine cauemus, vt nec edulium pecorum in cibis sanguinem nouerimus.* Imprimis vero gladiatorum certaminibus adesse nefas credebant, ex quo fundamento calumniam *de Thyesteis epulis* refellebat THEOPHILVS *ad Autolyc. p. 126. Praesertim*, aiens, *cum etiam monomachias spectare, nobis interdictum sit, ne videlicet participes huiusmodi caedium reddamur.* Planius LACTANTIVS *lib. VI. c. 20.* contra pœnas sanguinis agit, &, *Quaero nunc*, ait, *an possint pii & iusti homines esse, qui constitutos sub coitu mortis ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed efflagitant, feruntque ad mortem crudelia & inhumana suffragia?* Damnat quoque accusationem de *crimine capitali. Neque vero accusare quenquam criminis capitali*: (licebit) *quia nihil distat, vtrum ferro an verbo potius occisio ipsa probibetur. Itaque in hoc D E I praecepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, quem DEVS sanctum animal esse voluit.* Denique etiam interesse pœnarum capitalium executioni nefas esse duxit. *Ergo si homicidium facere nullo modo licet, nec interesse omnino conceditur, ne conscientiam perfundat vllus cruor; siquidem populo sanguis ille praestatur.* Denique TERTVLLIANVS *in apol. c. 37.* publice Christianorum decus & gloriam in eo quaerit, quod *apud disciplinam istam magis occidi liceret, quam occidere.*

Multo minus accusabant.

§. IV. Ex hoc dogmate sequebatur alterum *§. II.* indigitatum, quod aliquot capitibus illustrat THOMASSINVS *de nou. & vet. eccl. disciplin. P. II. lib. III. c. 95. sqq.* Intercessio haec pro damnatis ad mortem, etiam ob *caedem voluntariam*, iniquissima & ab officio sacerdotum aberrans imo contra *ius diuinum* fuisset, si hoc etiam Christianis in *nouo foedere*, ex eorum sententia, necessitatem imposuisset, homicidas secure ferire. Iustitia, hac lege *aeterna*, (si pro tali a patribus habita) magistratui demandata, non potuisset impediri ab episcopis sine offensa diuini numinis, quin potius eorum partes fuissent, segniores magistratus ad vindictam publicam excitare, & *legis diuinae* obseruantiam seueram illimitatamque inculcare ad remissionem pœnae capitalis pronis. Enim vero id non agebant episcopi, aliis principiis imbuti: intercedebant pro damnatis ad vltimum supplicium:

Alterum dogma de intercedendi officio pro ductis ad mortem.

cium: delicto veniam petebant, atque imperatores inducere omnibus laborabant modis, vt gratiam in miseros effunderent, atque animaduersionem debitam remitterent condonarentque, id quod *dispensationis* vocabulo, stylo ecclesiastico, hodie indigitamus. Defendit hunc episcoporum morem AVGVSTINVS in iam *alleg. epist. 153. p. 524.* pluribus argumentis, atque his, quæ obiecta erant a MACEDONIO in *epist. 1, 2.* (aliis 53.) prolixius respondet. Præmittit generaliter: *Ideo quippe, quantum facultas datur, pro peccatis omnibus intercedimus; quia omnia peccata videntur venialia* (venia digna) *cum is, qui reus, correctionem committit. Hæc tua, hæc & nostra sententia.* Addit post pauca notanter: *Ideo compellimur humani generis caritate interuenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, vt ea finita non possint finire supplicium.* Prouocat postmodum ad præceptum Saluatoris, quo nostros inimicos diligere, & eis, qui nos oderunt, benefacere iubemur. *Num ergo etiam pro impiis orandum est?* quærit, respondendo: *Ita plane. Qui enim hoc præcipit, DEVS est: nec tamen nos hoc pacto societati adiungit impiorum, quibus & ipse parcendo & vitam salutemque largiendo non vtique sociatur.* Hoc modo Macedonio satisfacit, qui hæc obiecerat: *certum est, nos culpæ societate vinciri, quoties eum impunitum esse volumus, qui culpæ tenetur obnoxius;* simul vero addit, delinquentes *pœnitentiis* ecclesiasticis subiici, *vt pœnitendo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo.* Facile vero præuidebat, sibi obiectum iri, diuersum *iudicis* officium, ab *hominis priuati*, & maxime *Christiani*, officio esse, quo tamen nihil effici opinabatur. *Licet*, ait *c. 8. accusatoris alia persona sit, alia defensoris, alia intercessoris, alia iudicis: sic tamen etiam ipsos criminum vltores, atque in hoc officio non ira propria concitatos, sed legum ministros, nec suarum sed alienarum examinatarum iniuriarum vindices, quales iudices esse debent, terruit censura diuina, vt cogitarent, sibi propter sua peccata DEI misericordiam necessariam, nec putarent ad culpam sui officii pertinere, si quid erga eos misericorditer agerent, quorum vitæ necisque haberent legitimam potestatem.* Hoc declarat *c. 9.* exemplo adulteræ ad Christum deductæ ideo, vt de illa decerneret, ex cuius dato responso *Ioh. VIII, 7.* ita infert: *Ita nec legem improbauit, quæ huiusmodi reas iussit occidi, & illos terrendo ad misericordiam reuocauit, quorum iudicio hæc posset occidi.* Addit *c. 12. Postremo ipse Dominus apud homines intercedit, ne lapidaretur adultera, & eo modo nobis intercessionis commendauit officium, nisi quia ille terrendo fecit, quod nos peten-*

Ex doctrina Augustini.

Quo officium iudicis instruit.

petendo. - - Cedat huic sententiæ pietas Christianorum, cui cessit impietas Iudæorum. Cedat humilitas obsequentium, cui cessit superbia persequentium. Cedat confessio fidelis, cui cessit simulatio tentatoris. Malis parce, vir bone: quanto melior, tanto esto mitior: quanto sis celsior potestate, tanto humilior fieri pietate. Inde *c. 15. in f.* concludit tandem: *iam vides igitur de religione descendere, nec nos societate criminum obstringi, quod intercedamus plerumque etiam pro sceleratis.*

Et ad homicidas etiam applicat.

§. V. Quod *in genere* & in *thesi* AVGVSTINVS *cit. l.* propugnauerat, id ipsum in *epist. 133. p. 369. tom. II. edit. Paris.* (al. 159.) adplicat speciatim ad *homicidas.* Præmittit, se comperisse, *plurimos* Donatistarum *de homicidio, quod in Restitutum catholicum presbyterum commiserant, & de cæde Innocentii alterius catholici presbyteri, atque de oculo eius effosso, & de digito præciso fuisse confessos.* Nihilominus tamen admodum dissuadet, ne legum seueritate eos plectat. *Imple*, ait *c. 2. cit. epist. Christiane iudex, pii patris officium; sic succense iniquitati, vt consulere humanitati memineris: nec in peccatorum atrocitatibus exerceas vlciscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem.* Precibus primum agit: arctius his addit vinculum ex ipso *munere episcopali*, aitque: *audire te episcopum conuenit iubentem.* Huic epistolæ aliam adiungit ad APRINGIVM proconsulem in eadem causa, idemque argumentum *ep. 134. p. 397. sq.* persequitur, annectendo *in f.* se prouocaturum esse a seuera eius sententia, nisi de eius christiana obedientia præsumeret.

Pro quibus etiam intercedendum esse censuit.

Tanta sollicitudine pro homicidis sibi orandum esse duxit, vt etiam per *appellationis* beneficium effusionem sanguinis eorum auertere studuerit. Pariter quoque *in epist. 139.* (al. 158.) ad MARCELLINVM idem serio vrget, & *c. 2.* scribit: *Pœna sane illorum, quamuis de tantis sceleribus confessorum rogo te, vt præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram & propter catholicam mansuetudinem commendandam.* Denique si intercessioni suæ nullum locum sit relicturus proconsul, petit, vt ad minimum hoc sibi præstet, *vt in custodiam recipiantur, atque*, pergit, *hoc de clementia imperatorum impetrare curabimus, ne passiones seruorum DEI*, qui iniquissime trucidati erant, *quæ debent esse in ecclesia gloriosæ, inimicorum sanguine dehonestentur.* Addit exemplum clementiæ imperatoriæ: *Scio enim in causa clericorum Anaunensium, qui occisi a gentilibus nunc martyres honorantur, imperatorem rogatum facile concessisse, ne illi, qui*

eos

eos occiderant, & capti iam tenebantur, pœna simili punirentur. Remittendo ergo pœnam capitalem ad instantiam episcoporum crediderunt imperatores, sibi arbitrium in causa *homicidii* circa pœnas competere. Idem argumentum in *epist. 100.* (al. 127.) *p. 269. sq.* tractat, atque apud Donatum Africæ proconsulem intercedit, ne ad pœnam mortis contra Donatistas procedat, quamuis atrocia perpetrauerint in orthodoxos, quos, prout dictum, variis modis nefariis affligebant, vt nequidem a cædibus abstinerent. Grauiter tamen deprecatus est, ne supplicio capitali afficeret sceleftos, tali pœna licet dignos: etenim *si occidendos*, scribit, *in his sceleribus homines putaueritis, deterrebitis nos, ne per operam nostram ad vestrum iudicium aliquid tale perueniat: quo comperto, illi in nostram perniciem licentiore audacia grassabuntur, necessitate nobis impacta & indicta, vt etiam occidi ab iis eligamus, quam eos occidendos vestris iudiciis ingeramus.* Id ergo agebat AVGVSTINVS, vt nequidem ex odio sectæ orthodoxos interimentes pœnis capitalibus afficiendos esse censeret, sed quouis modo eorum conseruationi studeret. Hac disciplina constante per omnia secula imbuta fuit ecclesia, vt GRATIANVS adhuc suo tempore hæc loca AVGVSTINI, ius ecclesiasticum antiquissimum præ se ferentia, repetierit in *c. 1. sqq. C. 23. q. 5.*

In hunc finem permissum erat episcopis ad palatia principum accedere.

§. VI. Ex hoc principio in *concilio Sardicensi c. 8.* anno 347. apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 643.* occidentales generatim quidem prohibendum esse constituerunt, *ne episcopi ad comitatum* h. e. ad palatium principis, *accederent;* addunt tamen limitationem: *sed quoniam sæpe contingit, vt ad misericordiam ecclesiæ confugiant, qui iniuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel insulis damnantur, aut certe quamcunque sententiam accipiunt: subueniendum est his, & sine dubitatione petenda indulgentia.* Exempla harum intercessionum passim in antiquitatibus obuia, in ipsis etiam legibus agnita. Capitale supplicium in eos statutum erat, qui conficiendi naues incognitam ante peritiam barbaris tradebant. *l. pen. C. de pœn.* Addit tamen imperator in *l. vlt. C. Th. de pœn.* (quod omisit Tribonianus) se *propter petitionem Asclepiadis, Censenesirana ciuitatis episcopi, imminenti pœna & carcere huic pœnæ obnoxios liberasse*, legi autem in posterum locum fore. EVTYCHIANI monachi & AVXANONIS presbyteri intercessio pro eo, qui durissimis catenis constrictus ad supplicium ducebatur, refertur a SOCRATE *lib. I. hist. eccl. c. 13.* nec singulari miraculo caruisse dicitur. Hæc sine dubio, quæ sequuntur,

certiora sunt: *vbi admissus* Eutychianus *in palatium*, *hominem mortis periculo liberauit*. Grauissimum erat facinus populi Antiocheni, qui statuas imperatoris THEODOSII & vxoris eius deiecerat & fune iniecto, additis etiam verbis contumeliosis, per vrbem traxerat, quod morte reorum punire destinauerat imperator. Sed FLAVIANVS, Antiochensis episcopus, pro ciuibus suis legatione fungens, arte singulari placauit animum imperatoris, vt reis gratiam faceret, teste SOZOMENO *lib. 7. c. 23. p. 601.*

Monachi etiam per vim quandoque liberabant raptos ad supplicium.

§. VII. Monachi imprimis hoc officium ad se pertinere crediderunt, vt ad supplicium raptos quomodocunque vel liberarent vel pro iis intercederent. Quid quæris? officium hoc pietatis tandem in deforme opprobrium mutatum est. En testes, omni exceptione maiores, ARCADIVM & HONORIVM in *l. 6. C. de episc. aud.* iuncta *l. 29. C. de appellat.* qui textus *in Cod. Theod. in l. 16. C. de pœn.* in sua integritate referuntur: *Addictos supplicio & pro criminum immanitate damnatos, nulli clericorum vel monachorum (eorum etiam, quos coenobitas vocant) per vim atque vsurpationem vindicare liceat, ac tenere: quibus in causa criminali, humanitatis consideratione, si tempora suffragantur, interponendæ prouocationis copiam non negamus, vt ibi diligentius examinetur, vbi contra hominis salutem vel errore vel gratia cognitoris oppressa putatur iustitia. - - Reos etiam tempore prouocationis emenso ad locum pœnæ sub prosecutione pergentes nullus aut teneat aut defendat: sed sciat se cognitor XXX. librarum auri multa, & primates officii capitali sententia esse feriendos, nisi vsurpatio ista aut protinus vindicetur: aut si tanta clericorum ac monachorum audacia est, vt bellum potius quam iudicium futurum esse existimetur, ad clementiam nostram commissa referantur, vt nostro mox seuerior vltio procedat arbitrio. Ad episcoporum sane culpam (vt cetera) redundabit, si quid forte in ea parte regionis, in qua ipsi populum Christianæ religionis doctrinæ insinuatione moderantur, ex his, quæ fieri hac lege prohibemus, a monachis perpetratum esse cognouerint, nec vindicauerint.*

Contra quos leges publicæ latæ.

Abusus monachorum in eximendis reis,

§. VIII. Constat ex hac lege, (1) clericos & monachos ex *zelo intempestiuo*, pro impediendis suppliciis capitalibus, nonnunquam per vim reos exemisse, & communi præiudicio imbutos, quod sanguinem hominum fundere nefas esset, contra executionem turbas mouisse. De hac audacia monachorum, ex desertis locis gregatim aduolantium, iam edisserui *tom. III. p. 311. §. 5.* simulque attuli exem-

em-

emplum, quod THEODORETVS *lib. V. c. 20.* enarrat, & repetit FLESCHIERIVS *dans l'histoire de Theodose le grand lib. III. §. 79. sq.* Seditione Antiochiæ coorta, statuæ, imprimis Augustæ FLACILLAE, defunctæ ante biennium, subuersæ erant, ad quæ facinora plectenda missi, qui in perduelles animaduerterent iusto iudicio. Tota vrbs in lacrymis erat, plerisque nil nisi extrema exspectantibus, quæ tandem monachorum, vertices montium inhabitantium, accursu conseruata est. Laudat sapientiam eorum CHRYSOSTOMVS in *homil. 17. ad popul. Antioch.* (*tom. V. p. 133. edit. Paris.*) quæ tamen non caruit temeritate, audacia & violentia. *Namque*, ait, *tot annis in cauernis suis conclusi, nemine aduocante, suadente nemine, postquam nubem tantam ciuitatem circumstantem viderunt, tabernacula, speluncasque suas derelinquentes vndique confluxerunt, veluti angeli quidam de cœlo profecti. Et erat cernere tunc ciuitatem vni similem homini. Vbique tunc vidisses sanctos illos, manifestos vel ex aspectu solo, dolore pressos consolantes, & ad omnem calamitatis contemtum inducentes. - - Nec hoc solum erat mirabile, sed quod principibus ipsis, accedentes cum fiducia, loquebantur pro reis & omnes sanguinem fundere parati erant, & capita deponere, vt captos ab exspectatis tribulationibus eriperent: & dixerunt, se non prius recessuros, quam iudices parcerent ciuitatis populo, vel se communiter cum reis ad regem legatos mitterent.* Post pauca addit: *Tanta contra iudices vsi sunt libertate, quanta solos de salute sua desperatos vti verisimile fuit: & tali cum sententia de montibus ad tribunal cucurrerunt. Nec enim nisi prius se neci præparassent cuilibet, tam libere potuissent iudices alloqui, & tantam tunc exhibere magnanimitatem: etenim ante prætorii ianuas totos dies agebant sedentes, ABDVCENDOS DE CARNIFICVM MANIBVS ABRIPERE PARATI.* Hanc obsessionem prætorii ceu *opera virtutum* miratur: consilia eximendi per vim ad supplicium ductos probat vt *sanctitatis eminentioris* specimina, quæ leges damnant, nec scelere vacare credunt *turbam, vim publicam, exemtiones reorum*, licet sub *pietatis* larua committantur. Ita aliter patres, monastico spiritu acti & præiudiciis hypocriticis occæcati iudicant, aliter ICti rectæ rationis & infucatæ pietatis principia sequentes.

Exemplo singulari demonstratur.

Quod tamen probauit Chrysostomus.

§. IX. Paria cum monachis erant *sacerdotum* studia. *Nec monachi tantum*, pergit CHRYSOSTOMVS *cit. l. p. 135. verum & sacerdotes eandem præstiterunt animi magnitudinem, nostramque dispensauere salutem. Et alius quidem in castra se contulit, omnia dilectioni vestræ postponens, & paratus, nisi regi persuaderet, mori.* Hæc intercessio

Sacerdotes quoque ea occasione pro facinorosis intercessere,

cessio *desperatione* non carebat, quam quilibet sacerdotum morte sua extorquere conabatur. Pergit vero: *alii vero hic remanente, & eadem cum monachis exhibentes, propriis manibus iudices continentes, non permittentes abire, priusquam de iudicii fine promitterent: & cum renuentes quidem videbant, multa fiducia & ipsi vicissim vtebantur.* Episcopi ad imperatorem profectionem, eiusdem lacrymas, planctus, & cum his coniunctam intercessionem IDEM oratorum more repraesentat *homil. XX. ad popul. Antioch. p. 154. sq.* in quo plus affectui, quam veritati dedit. Interim circumstantias plures adduxit a THEODORETO praeteritas, qui tantum monachi MACEDONII preces importunas singulari encomio euehit, singularem viri fiduciam in imperatorem miratur. Nihilominus tamen contra haec temeraria *monachorum* & *clericorum* attentata, quae anno 388. Antiochiae perpetrata, lex adducta anno 398. condita, certo argumento, magis per *vim* & *intestinos motus*, a monachis, quorum autoritas in plebe eximia erat, quam per *preces* actum fuisse. Id etiam designant verba legis haec: *Aut si tanta clericorum ac monachorum audacia est, vt BELLVM potius quam IVDICIVM futurum existimetur, ad clementiam nostram commissa referantur, vt nostro mox seuerior vltio procedat arbitrio.*

tumultuarie, cum episcopo, quod lege postea lata improbatum,

§. X. Constat praeterea (II) ex hac lege, hos impetus clericales & monasticos, quibus reorum supplicia impediebantur, susceptos fuisse ex ea sententia, quod fas non esse crederent, sanguinem humanum ob qualecunque crimen fundere. Id videntur designare verba MACEDONII monachi a THEODORETO adducta, quae imperatori nuncianda esse voluit: *Homo cum sis, eiusdem naturae consortibus imperas. porro hominum natura ad imaginem ac similitudinem DEI condita est. Ne igitur imaginem DEI adeo crudeliter atque atrociter iugulari praecipias. Offendes enim artificem, si eius imaginem supplicio affeceris,* vltimo scilicet. Praeterea (III) id vnice monachi resistendo executioni agebant, vt interim dilationem impetrarent, facultatemque adeundi imperatorem, & pro addictis supplicio legationem suscipiendi, quod in causa adducta factum erat. Hoc vero (IV) prohibet lex adducta, tantumque indulget monachis & clericis *interponendae prouocationis copiam*, vt causa sanguinis apud *potestates* seu *magistratus maiores* denuo sub examen reuocetur, non ad imperatorem referatur. Hoc ipso vsitatum morem, per *intercessiones* impediendi capitalia supplicia, tollere vel ad minimum minuere intenderunt imperatores, quas tamen non intermiserunt clerici.

Licet monachi clericique crederent, poenas capitales iniquas esse.

Vnde facultatem intercedendi restringere imperatores.

§. XI.

§. XI. Ex hoc more legationem suscipiendi pro *homicidis*, ne sanguinem eorum funderent, secuta est *protectio* episcoporum, iis indulta, qui refugium suum in templis quaesiuerunt, quod *momentum tertium* iuxta *§. 1.* est. Iam *tom. III. p. 1032. §. 19. sqq.* obseruaui, hanc *protectionem ecclesiasticam* ortum debere tum *intercessionibus episcopalibus*, tum doctrinae patrum, qua constituerunt, in republica Christiana nec sanguinem homicidarum fundendum esse, nec poenam iuris Mosaici esse iuris aeterni. IVSTINIANVS quidem in *Nou. XVII. c. 7. pr.* ius asyli *homicidis* negauit, sed episcopi haud destiterunt intercedere pro eis, ne magistratui seculari traditis poena capitalis infligeretur. Hoc temperamentum approbauit THEODORICVS Rex Gothorum apud CASSIODORVM *lib. III. epist.* 47. de Iouino curiali homicida ita rescribens: *Sed conscius facti sui inter ecclesiae septa refugiens, declinare se credidit praescriptam legibus vltionem, Vulcanicae insulae perpetua relegatione damnamus, vt & sancto templo reuerentiam habuisse videamur, nec vindictam criminosus euadat in totum, qui innocenti non credidit esse parcendum.* Pariter homicidis, ad altare confugientibus, iuxta doctrinam ecclesiasticam, parcendum esse cauerunt *leges Wisigothorum lib. VI. tit. 5. c. 16. p. 146. ex edit. Petri Pithoei. Sed etiamsi contigerit, eum* (homicidam) *ad altare sanctum fortasse confugere, non quidem praesumat eum absque consultu sacerdotis persequutor eius abstrahere. Consulto tamen sacerdote ac reddito sacramento, ne eundem sceleratum publicae mortis poena condemnet, sacerdos eum sua intentione ab altari repellat, & extra chorum proiiciat: & sic ille, qui eum persequitur, comprehendat. Cui ab ecclesia eiecto non alias mortiferas inferat poenas, sed in potestate parentum & eorum, cuius propinquus occisus fuerit, contradendus est: vt excepto mortis periculo, quicquid de eo facere voluerint, licentiam habeant.* Quae alias fuerint fata huius protectionis vsque ad GREGORII XIV. tempora, & quae huic pontifici sententia steterit circa homicidas ad templa confugientes, *tom. III. cit. l.* prolixius demonstratum est, vnde id constat, nec *homicidis dolosis* denegatam fuisse protectionem, si exceperis reos *qualificati homicidii*. Vnde prono alueo fluit, tale quid in ecclesia recipi non potuisse, nisi omnibus haec sententia insedisset, *poenam capitalem* homicidis non necessario infligendam esse.

Tertium fundamentum petitur ex asylo in ecclesiis homicidis oblato.

Quo impedita poena sanguinis.

§. XII. Rursus, quod poenas sanguinis generatim horrerent & reformidarent, in eam transierunt sententiam, (quae *quartum momentum* tangit) *ad clericatum non assumendos, qui iudicio sangui-*

Quartum fundamentum inde trahitur, quod a

clericatu exclusi, qui iudicio sanguinis interfuerunt.

guinis etiam in causa homicidii interfuerant; ad munia sacra enim haud promouendos iudicabant, nisi omni reprehensione carentes, qua infecti credebantur, qui, etiam ex legum præscripto, in iudicio suffragium mortis dederant. Multa, quæ ad illustrationem huius antiqui dogmatis faciunt, iam adlata sunt *tom. II. de vit. & honest. cleric. §. 62.* His adiungo testimonia INNOCENTII I. apud HARDVINVM *tom. I. concil. p. 1006. sqq.* etiam a GRATIANO *c. 1. sqq. D. 51.* collecta. Etenim *epist. IV. c. 3.* eis, qui ad clericatum peruenire non possunt, annumerat, *si quis fidelis militauerit: si quis fidelis causas egerit, h. e. postulauerit*, quippe qui necessario *iudiciis capitalibus* interesse cogebatur. Equidem IDEM *in epist. III. c. 3.* apud GRATIANVM *in c. 45. C. 23. qu. 4.* alienus ab hac sententia fuisse videtur, inquiens: *quæsitum est super his, qui post baptismum administrauerunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem sententiam protulerunt. De his nihil legimus a maioribus definitum. Meminerant enim, a Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei esse ministrum vindicem in huiusmodi datum. Quemadmodum igitur reprehenderent factum, quod auctore Deo viderent esse concessum?* Ex præcedentibus vero liquet, INNOCENTIVM vnice hos absoluisse a *pœnitentiæ ecclesiasticæ* censura, & quidem vel ideo, quod executioni iudicii sanguinis crimen nullum, *pœnitentia* expiandum, commisissent. Maior vero sanctimonia desiderabatur in clericis, quibus etiam ab his abstinendum, *quæ apud homines pro licitis habentur*, vt ait LACTANTIVS *lib. VI. c. 20. Ita*, pergit, *neque militare iusto licebit, cuius militia est in ipsa iustitia; neque vero accusare quenquam crimine capitali: quia nihil distat, vtrumne ferro an verbo potius? occisio ipsa prohibetur.* Multo magis ergo, qui iam ad sacerdotium promoti erant, abstinere debebant a iudiciis capitalibus, vt in concilio *Toletano XI. c. 6.* apud GRATIANVM in *c. 30. C. 23. qu. 8.* cautum, & repetitum ab INNOCENTIO III. in *c. 9. X. ne clerici vel monachi secul. negot.* Alioquin enim vel deponebantur vel monebantur, vt resignarent, quod propter contractam irregularitatem non amplius possent officium sacrum exercere, vt IDEM in *c. 10. X. de excess. prælat.* censuit. Inde fluxit sententia de *irregularitate* eorum, qui iudiciis capitalibus interfuerunt, vt etiam laici, hisce causis occupati, postea ad *clericatum* prorsus inhabiles censerentur. Ne vero prælati, *iurisdictionem temporalem* habentes, irregulares ex huius exercitio fiant, BONIFACIVS VIII. in *c. f. ne cler.*

Inde irregularitas ex iudicio sanguinis.

vel

vel monachi secul. negot. se immisc. hoc consilium eis suggerit: *Episcopus seu quicunque alius prælatus iurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio aut alio maleficio ab aliquibus in iurisdictione sua commisso, ballino suo aut alii cuicunque iniungat, vt super hoc veritatem inquirens iustitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet: quamuis ipse ballinus vel alias contra malefactores ad pænam sanguinis processerit iustitia mediante. Nam licet clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen, (cum iurisdictionem obtinent temporalem) debent & possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare.* Liquidum redditur ex hoc textu: 1) clericis, causas sanguinis *immediate* agitare, interdictum esse, & quidem 2) sub pœna *irregularitatis* seu inhabilitatis ad officia sacra, adeo vt 3) etiam si quis laicus has causas egerit, nullo vnquam tempore ad clericatum admitti queat, vt monstrat plenius IOSEPHVS GIBALINVS *de irregularitat. c. IV. qu. 3. consect. 7. difficult. 1. p. 258.*

Exceptis prælatis per alios iudicia capitalia exercentibus.

§. XIII. Vltimum denique 4) quod ex *cit. tx.* notandum, huc redit, prælatos *iurisdictionem temporalem* possidentes, (quales erant episcopi, prælati, & capitula in Germania) posse exercitium *iurisdictionis criminalis* committere officialibus suis sine metu *irregularitatis*, non vero per se *iudicia sanguinis* exercere. Edita est constitutio adducta circa finem seculi XIII, anno 1298. quo compilatum iam erat ius *prouinciale Saxonicum*, imo etiam *speculum Sueuicum*, eodem seculo conditum. In hoc *speculo* tamen adhuc admodum dubitatum fuit, vtrum prælati *criminalia* sine *irregularitatis nota* suis vicariis committere possent, & annon potius necesse esset, vt immediate a rege hæc illis demandarentur? E contrario passim disciplina antiqua ab episcopis quibusdam neglecta, quibus volupe fuit moribus contrariis viuere, vt paulo post videbimus. Prius quod attinet, cautum est in *speculo Sueuico c. 22.* iuxta editionem SCHANNATTI *p. 182.* & iuxta edit. BERGERI *p. 156.* hoc modo: Welch Pfaffenfürsten solich Gericht haben, die über Blut ausgiessern genat, die Gericht mag er wol leichen seinem Richter, alsso daß er dy Richter scholl senden mit seinen Briff zu den Chunig, daß er im den Pan leich, und tut er des nit, er und all sein Richter werdent an allem dem schuldig vor GOTT, darúber sy richtent, wie sy der Layent Plut vergiessent. Die Layen Herrn bedürffen des nit, daz ir Richter den Pan empfachen schulln von dem Chunig, daz ist da von, daz der Lay selb Urtail gibt über den Todslag, daz

Quatenus iurisdictione criminali præditi sunt.

Quod in speculo Sueuico adhuc in dubium vocatum.

tut

tut der Pfaffenfürst nit, wenn davon verlurt er sein Ampt, wann er Gewalt nit hat, davon mag er den Pann seinen Richtern nit leichen. Idem repetiit speculator *in iure feudali allem. c. 42.* ex edit. SCHILTERI: Was des Gerichtes ist, das über Tottslege und Blutgiessen gett, weme das der Bischoff lihet, den soll er senden mit sinen Brieffen an den Künig, daß er ihme den Ban liehe. Additur tamen hæc exceptio, quod, denegata banni inuestitura a rege, nihilominus iudex inferior ab episcopo ad regem antea missus per annum iurisdictionem criminalem exercere possit virtute inuestituræ episcopo factæ. Recensuit compilator *ius antiquum*, quod *seculo VIII.* ante BONIFACII VIII. edictum adhuc in imperio viguit, sed simul eo tempore viuere desiit, quod ex *articulis antiquis Argentoratensibus* illustrat SCHILTERVS *in comm. ad cit. c. 42. §. 15.* idque sine dubio inde factum, quod episcopi, secularibus principibus exæquati, pari cum iis iure vti cœperint, aduocatis iam fere sublatis, & fatis *interregni* hanc immutationem admodum adiuuantibus. Vnde speculator in *iure prouinc. Saxonico* huius *iuris antiqui* non amplius facit mentionem, quod eo tempore iam in vsu esse desierat, & tandem a BONIFACIO VIII. suffragio generali approbatum est, quod episcoporum autoritati ex hac noua praxi insignis fieret accessio.

Sed Bonifacii VIII. edicto decisum.

§. XIV. Hoc modo facile componi possunt, quæ de *iurisdictione ciuili* & *criminali* episcopis prælatisque olim concessa vulgo traduntur. Exemtas videlicet passim fuisse *ecclesias* atque *monasteria* ab *ordinariorum iudicum secularium* potestate, docet MARCVLPHVS *form. 3. & 4.* & fides antiquissima infinitorum diplomatum confirmat. Notabile occurrit apud SCHATENIVM in *annal. Paderborn. ad ann. 822. p. 71.* quod etiam laudat MEINDERS *de iudic. centen. p. 197.* ipse vero SCHATENIVS *cit. l. p. 72.* hanc inde format conclusionem: *Dignum posteritatis memoria diploma, ex quo primorum imperatorum liberalitatem & pietatem fiduciamque, quam ex bonorum operum merito profitentur, recognoscas; tum etiam ecclesiæ Paderbornensis immunitatem, cleri florem, & cumprimis episcoporum iurisdictionem in subiectos sibi homines & possessiones perspicue videas.* Enimuero hæc SCHATENII illatio nondum satis est perspicua & euidens. Etenim ipsa exemtio a iudicum ordinariorum potestate non præcise attribuit iurisdictionem *episcopis*, sed id tantum effecit, vt *extraordinarium* homines diœcesani acciperent *magistratum*, *aduocatum* scilicet, regia autoritate constituendum, iurisdictionem in diœcesi episcopi explicantem, quam a re-

Nata iurisdictio prælatorum ab exemtionibus a ducum & comitum potestate.

quibus tamen ipsis prælatis non statim tributa iurisdictio, sed aduocatis.

a regibus Germaniæ accipiebant, quique sub regibus Francorum frequentiſſimi erant. Pedetentim tamen epiſcoporum Paderbornenſium poteſtas aucta, et ad exercitium *iurisdictionis* extenſa. Id euidentius liquet ex diplomate *de anno 887.* apud EVNDEM *p. 199.* in quo CAROLVS *craſſus* exemtionem a LVDOVICO pio conceſſam repetit; ſed præterea nouiter addit: *Conſtituimus, vt etiam eorum nulla iudiciaria poteſtate examinentur, niſi coram epiſcopo vel aduocato, quem eiusdem loci epiſcopus elegerit.* Vnde duo colligo: 1) epiſcopos Paderbornenſes hoc æuo iam *iurisdictionem ſecularem* exercuiſſe, quod tamen duntaxat de cauſis ciuilibus ac leuioribus delictis, non *cauſis ſanguinis* intelligi poteſt, quarum exercendarum hi prorſus incapaces erant: 2) priuilegium hoc diplomate accepiſſe modo dictos epiſcopos, *aduocatos* eligendi, paucis eo tempore conceſſum, obſeruante HERTIO *de libert. iactit. ord. ciſterc. ſect. III. §. 8.* quod reges ipſimet hos cum *imperio* conſtituerent. Per hos ab epiſcopis electos explicata fuiſſe *iudicia ſanguinis* indubium eſt, ſed cuius auſpiciis? incertum. Probabile eſt, eo tempore hæc electis adhuc a *rege* fuiſſe collata, quod a ſanguinis cauſis abhorrerent epiſcopi, & ſic eas nec mandare poſſent. Neque enim ius *eligendi* aduocatum illis eam poteſtatem tribuere poterat, vt ea aduocato conferrent, quæ ipſimet illo tempore circa *irregularitatem* ſibi tribuere non poterant. Sub OTTONE M. hinc inde pluribus facultas data ſibi eligendi aduocatos, quod indicat diploma OTTONIS III., quo OTTONIS I. conceſſionem confirmat, epiſcopo Spirenſi datam, apud LEHMANNVM *in chron. Spir. lib. IV. c. 3.* vbi hanc notabilem formulam offendo: *Vt nullus dux ſiue comes vel nullus publicus iudex ex iudiciaria poteſtate, aut aliqua cuiuslibet poteſtatis ignota perſona, niſi ſolus epiſcopus & aduocatus ipſius ſupra dictæ Spirenſis eccleſiæ ex iuſſione & conceſſione noſtra deinceps poteſtatem habeat, pro quocunque negotio vel pro aliqua re parua, aut magna placitum retinere ſeu publicum iudicium facere &c.* Aduocatus eccleſiæ Spirenſis itaque *omnem* explicabat *iurisdictionem*, ſine dubio etiam *criminalem*, quem epiſcopus conſtituebat, ita tamen vt *bannum criminale* a rege immediate, non ab *epiſcopo* acciperet, quod iuris canonici ratio olim poſtulabat, prout de LVDOVICI pii conceſſione, eccleſiæ Paderbornenſi facta, §. *antec.* obſeruaui.

Pedetentim tamen epiſcopis data poteſtas iurisdictionem ſecularem exercendi.

Præſertim poſtquam ipſi aduocatos conſtituere cœperunt.

Qui tamen iurisdictionem criminalem a rege accipiebant.

§. XV. Denique, ni me omnia fallunt, ex hac occaſione natales videtur ſuos traxiſſe vulgata diſtinctio inter iurisdictionem *altam* et *baſſam*, paulatim magnopere extenſa. Poſtquam enim epi-

Inde orta diſtinctio inter iurisdictionem altam et baſſam.

ſcopi a regibus iurisdictionis exercitium impetrauerant, facile apparebat, eos ſub hac conceſſione *ſanguinis iudicia* nec exercere, nec aliis demandare potuiſſe. Ea tantum delicta ſuæ cognitionis eſſe arbitrabantur, quæ nec ad *pœnam corporis afflictiuam* nec ad *ſupplicium capitale* tendebant, et hoc ipſo ſenſim introducta ſeparatio *iurisdictionis altæ*, quam epiſcopi olim nec exercere, nec officialibus ſuis aut *aduocatis* mandare poterant; et *baſſam*, cuius exercitium cum officio epiſcopali compatibile credebatur. Denique ne epiſcopi, in ſua diœceſi a iudicum ordinariorum poteſtate exemti, *criminalium* intuitu nouos iudices acciperent, probabile eſt, eos mandaſſe vel potius autores fuiſſe ſuis aduocatis, vt *bannum criminale* immediate a rege peterent, & ita non *epiſcopi* ſed *regis* auſpiciis exercerent. Id quidem conclamatum eſt, ſub conceſſa a regibus *iurisdictione* primario *bannum criminis* latuiſſe, ſimul tamen etiam probabile eſt, huius exercitium impeditum fuiſſe in epiſcopis, vt olim ante BONIFACII VIII. edictum nec per ſe nec per alios illud expedire quiuerint. His principiis adhuc imbuit ALEXANDER III. Panormitanum Archiepiſcopum in *c. 4. X. de raptor. incend. et viol. eccleſ.* cui rex Siciliæ commiſerat, vt Saracenos, qui Chriſtianas mulieres et pueros rapuerant, puniret. Difficilis antepsque videbatur archiepiſcopo executio huius delegationis; inde ad pontificem deſuper referebat, a quo hoc modo inſtructus eſt: *conſ. tuæ r. quod tales in iurisdictione tua exiſtentes pecuniaria poteris pœna mulctare, et etiam flagellis adficere ea moderatione adhibita, quod flagella in vindictam ſanguinis tranſire minime videantur. Si vero ita grauis fuerit exceſſus, quod mortem et detruncationem membrorum debeant ſuſtinere, vindictam reſerues REGIAE POTESTATI.* Perſpicue *hac decretali* declarantur limites iurisdictionis epiſcopis conceſſæ, ne ad *vindictam ſanguinis*, altæ iurisdictioni propriam, extendatur, ſed hæc vel regi relinquatur, vel curetur, vt rex *immediate* hanc in diſtrictu epiſcopatus *officialibus* epiſcopi concedat, vt etiam *ius gladii* exercere poſſent.

Hæc cum officio epiſcopali compatibilis credita

Non illa, quam a regibus iudices epiſcopales petere debebant.

Quod illuſtratur ex c. 4. X. de raptor.

§. XVI Verum hoc illo ipſo æuo, quo OTTO I. cæſar gubernacula imperii geſſit, epiſcopi nonnulli ab his principiis & priſco viuendi vſu iam deſciuiſſe, ac alios mores aliamque vitam aſſumſiſſe videntur, poſtquam quibusdam caſtra, villæ, oppida, imo integra territoria cum *iurisdictione* et *regalibus* conceſſa ſunt, vt teſtimonio THEODERICI DE NIEM probatum dedit LEHMANNVS *cit. l.* & ex eo repetiit CONRINGIVS *de vrb. German. §. 109.* Quoniam enim hac

Sub Ottone I. epiſcopi iam liberius agere cœperunt in cauſis ſanguinis.

Acquiſitis territoriis cum

hac ratione, vt *duces* et *principes*, cum imperio, territoriis præfuerunt, eorum quoque iure vti, et *perſonam ſecularem* gerere non dubitarunt. Hac occaſione forſan factum, vt et quidam immediate, ſuis auſpiciis, more ceterorum principum ad cauſas ſanguinis iudices conſtituerint; quidam paulo audacius, ipſimet per ſe *capitalibus cauſis* decidendis interfuerint, cuius mentionem iam feci §. *XII.* Vtrumque ALEXANDRVM III. reprobaſſe, ex §. *anteced.* liquet, qui has cauſas *regiæ poteſtati* ſimpliciter reſeruandas cenſuit, adeoque nequidem admittere voluiſſe videtur, vt *eas officialibus ſuis* delegarent, id quod alioquin archiepiſcopus Panormitanus in caſu, §. *antec.* adlato, ſine vlla hæſitatione facere potuiſſet. His abuſibus obuiam eundum eſſe arbitratus eſt IDEM pontifex in *c. 5. ne cleric. vel mon. ſecul. neg.* in hæc verba Cantuarienſi archiepiſcopo reſcribens: *Clericis, qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt, ex Toletano concilio cauſas ſanguinis agitare non licet. Vnde probibemus (ne) aut PER SE truncationes membrorum faciant, aut iudicent inferendas: quod ſi quid tale fecerit, honore priuetur et loco.* Decretum GRATIANI, (quod in *c. 30. C. 23. q. 8.* hunc recitat canonem,) non ipſos fontes, conſuluiſſe videtur pontifex, quod eo tempore iam magnæ autoritatis, et plerisque in deliciis erat, a *curia Romana* vero quotidie manibus tritum, vt *decretales* aperte teſtantur. Eandem ſententiam repetiit INNOCENTIVS III. in *c. 9. X. eod. tit.* voluitque, vt nequidem, vbi vindicta ſanguinis exercetur, præſens eſſet, aut literas dictaret, vel ſcriberet, pro vindicta ſanguinis deſtinandas clericus; *vnde*, pergit, *in curiis principum hæc ſollicitudo non clericis ſed laicis committatur*, quo ipſo cenſuit, a curiis epiſcopalibus has cauſas plane relegandas, vel ad minimum laicis a rege demandandas eſſe. Hæc ipſa principia iuris canonici, licet hinc inde præſertim in *Anglia* et *Germania* neglecta, induxerunt compilatorem *iuris Sueuici*, vt iuxta §. *XII* adhuc crediderit, epiſcopos non poſſe iudicibus ſuis immediate delegare *iudicium ſanguinis*. Tandem BONIFACIVS VIII. iuxta §. *XI.* temperamento quodam adhibito, reuera aliquid laxauit ex *iure veteri*, conſtituendo, vt quidem ipſimet ab exercitio *iuris gladii* abſtinerent, illud vero citra *irregularitatem* laicis officialibus hanc *radicaliter* reſidere penes Epiſcopos, *vſum* vero eius et *executionem* laicis delegari.

plenaria iurisdictione,

Vt quidam per ſe criminalia exercerent.

Quod varia occaſione prohibitum.

A Bonifacio VIII. tandem certo modo admiſſum.

Inde nata superioritas territorialis episcoporum, & iudiciorum occultorum vsus,

per liberas sedes episcoporum.

§. XVII. Sub his nouis moribus nata quoque est *superioritas episcoporum territorialis*, quæ hodie latius patet; imo his iisdem moribus debetur exercitium *iudiciorum occultorum*, crudelitate sua quæuis iudicia superantium, quod ab imperatoribus episcopis in *Westphalia* passim collatum est, imprimis archiepiscopo Coloniensi Westphaliæ Duci, vnde etiam *Westphalica* κατ᾽ ἐξοχὴν dicta fuerunt. Magna horum iudiciorum vis, imo quædam tyrannis, quibuscunque inuisa; solis episcopis potissimum grata, quibus passim *liberas sedes* habendi ius datum. Anno 1361. episcopo Traiectensi hoc CAROLVS IV. concessit, in diplomate apud ANTONIVM MATTHÆI *de iure gladii c. 30. n. 3. In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis feliciter Amen.* KAROLVS *quartus, diuina fauente clementia Romanorum imperator - - - Hinc est, quod IOANNI Traiectensi episcopo, principi & deuoto nostro dilecto eiusque successoribus Traiectensibus in fide & obedientia imperii sacri manentibus plenam damus & concedimus ac liberam autoritate cæsarea tenore præsentium ex certa scientia potestatem in terra siue districtu Twenthiæ & Salland vltra Yselam versus Westphaliam; quæ ad ius & proprietatem ipsius ecclesiæ Traiectensis dicitur pertinere, in cuius etiam possessione pacifica iidem episcopus & ecclesia dicuntur, SEDEM LIBERAM, vulgariter FRYSTHVL nuncupatam, liberorum Scabinorum & comites liberos, FRYGREVEN dictos, creandi, habendi, constituendi & obtinendi, & huiusmodi IVDICIVM LIBERVM ibidem per eosdem iuxta morem & consuetudinem aliarum liberarum sedium libere exercendi, ad fouendam pacem & maleficos ac nociuos homines ex illis finibus extirpandum, nec non alia omnia & singula agendum, disponendum & ordinandum, quæ per comites & Scabinos liberos in similibus LIBERIS SEDIBVS per prædecessores nostros diuos imperatores & reges recolendæ memoriæ approbatis agi & fieri consueuerunt, auctoritate Cæsarea præsentibus ex certa scientia statuentes, vt præfatæ LIBERAE SEDIS ordinatio comitumque & Scabinorum liberorum constitutio PER IPSVM EPISCOPVM & præfatos eius successores, qui pro tempore fuerint, facienda perinde vim habeant, & ea, quæ rite fecerint, solida firmitate subsistant, ac si dictæ sedis ordinatio & comitum ac Scabinorum constitutio per nostram celsitudinem essent facta &c.* Hoc diplomate *constitutio comitis liberi & Scabini* imo & *ordinatio sedis liberæ* episcopo Traiectensi assignata, vt eius *auspiciis* & *auctoritate*

In quibus constituebant comites et Scabinos liberos.

quæ-

quamuis gesta et peracta credi deberent, cum quod quis per alium facit, per se fecisse credendum sit.

§. XVIII. Hac ratione quidem a prisca conciliorum doctrina paulo alienior praxis introducta, non tamen penitus consenuit doctrina, clericos iudicio sanguinis abstinere debere, id quod primario hic demonstrandum fuit. Hac de causa 1) in degradandis clericis, et brachio seculari tradendis, ea præcautione vtendum censuit INNOCENTIVS III. in *c. 27. X. de V. S.* vt pro degradato ecclesia *efficaciter* intercederet, vti citra mortis periculum circa eum sententia moderetur. 2) Pari præcautione opus, si clerici *in foro criminali* accusare *criminaliter* laicos intendunt, vt ad emendam tantum agant, *protestando expresse, quod ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendunt*, vt ait pontifex in *c. 2. h. t. in 6.*, vnde palam est, in homicidio etiam hoc modo procedendum esse, certo iudicio, ex iuris canonici sententia non absolute, et, omni *dispensatione* præclusa, pœna capitali plectendum homicidam. Inde porro 3) inferunt, clericum non posse *directo* in causa capitali de ipso crimine testimonium dicere, ex quo ad mortem trahi queat accusatus, vtut irregularis non fiat, si tantum indicia et argumenta suspicionis suppeditauit, ex accedente vero alio emergente periit, *c. 19. vers. ad vltimum X. h. t.* vt obseruat ESPEN. *P. II. iur. eccl. tit. 10. c. 4. §. 16. sq.* Quod enim *ex accidente* et *contra intentionem* querelam mouentis fit, id clericis non esse imputandum censuit pontifex in *c. 21. X. h. t.* Denique inde 4) collegerunt, episcopum, qui temporale dominium terrarum episcopatus sui *cum supremo imperio* gerit, posse iniustos aggressores aut deprædatores territorii sui vi bellica repellere, & ex eo sumtis armis eiicere, citra periculum incurrendæ *irregularitatis*, quamuis effusio sanguinis et cædes inde sequantur. Laudat hanc sententiam atque in rem suam trahit Varmiensis episcopus ANDREAS CHRYSOSTOMVS ZALVSKI *tom. II. epist. p. 181. ad ann. 1696.* probatque 1) exemplo *ecclesiasticorum electorum* et *episcoporum Germaniæ*, qui citra metum *irregularitatis* bella gesserunt pro defensione suorum territoriorum: 2) ex hoc fundamento duplici, quod *defensio* ecclesiæ *per arma* sit licita etiam episcopo: 3) quod clericus non fiat irregularis, si milites adhortetur in bello iusto ad strenue pugnandum, non tantum *ante* sed etiam *in actuali conflictu: neque enim*, ait, *directo prouocat ad cædes, sed ad fortiter pugnandum, quod est licitum & iustum, adeoque non nisi remote & per accidens concurrit ad homicidium, dummodo*

Id tamen retentum, vt pro traditis brachio seculari intercederent.

Vt accusantes laicos protestentur, se non agere ad vindictam sanguinis.

Vt in testimoniis ferendis caute agant.

Armis tamen terras suas defendere possint.

modo non excitet ad hunc vel illum in particulari occidendum, *aut re ipsa mactet hostes.* Hæ conclusiones ex nouo statu eminentiori episcoporum deductæ sunt, quas ignorauit prisca episcoporum humilitas, qui non *domini terrarum*, potestate seculari præditi, sed præcones verbi diuini et *ministri ecclesiæ* fuerunt. Alia vita ergo alios postulauit mores. Olim allegabant episcopi: *arma nostra sunt preces et lacrymæ*, teste TERTVLLIANO; hodie vero: *militia nostra de hoc mundo est.* vid. *dissert. prælim.* ad tract. filii secundo geniti CAROLI AVGVSTI BOEHMERI *de iure militum eccles.* in qua de *iure clericorum militari* actum est.

Imo hæreticos directo morti exponere.

Illud paucis his addendum arbitror, aliquando clericos non fieri irregulares, si vel maxime *directo* ad cædem concurrunt, HAERETICORVM scilicet *notoriorum*, vtpote *hostium ecclesiæ* seu *imperii papalis*, prout supra *tit. de haret.* §. 44. dictum. Neque enim scelera, que in *fauorem fidei*, vt loquuntur pestiferi interpretes, sunt scelera, sed *opera meritoria.* Atque in tales *hostes nefandos* omnis homo miles est ex iudicio ecclesiæ Romanæ, æque vt in *proditores patriæ* et *perduelles*, quorum cædem etiam in *foro conscientiæ* defendit LAVRENTIVS VIGILIVS de NICOLLIS *in praxi canon. tom. I. p. 682. sq.* Neque enim ab *infidelibus occisis*, de quibus in *c. 24. X. h. t.* agitur, ad *hæreticos* consequentia valet.

Quintum dogma de legibus pecuniariis in causa homicidii probatis.

§. XIX. Nouum quoque præsidium, quod *quintum momentum* iuxta *§. I.* in hac causa est, suppeditat hæc obseruatio, quod leges antiquæ pœnas pecuniarias homicidis imponentes legibus ecclesiasticis approbatæ non reprobatæ fuerint. Imo credendum est, his legibus illas promotas fuisse, christianismo a populis septentrionalibus recepto agnitoque, quod CHRISTI mitissimis regulis non adeo pœnæ capitales conformes crederentur, nequidem excepto homicidio.

Quorsum pertinent α) LL. Salicæ.

In *LL. Salic. tit. 43.* apud LINDENBROG *p. 333.* et apud ECCARTVM *tit. 44. p. 82.* tantum mulcta homicidis dictata. *Si quis ingenuus Francum, aut hominem barbarum occiderit, qui lege Salica viuit VIIIM. den. qui faciunt sol. CC, culpabilis iudicetur. Si vero eum in puteum aut sub aquam miserit, XXIIIM den., qui faciunt sol. DC., culp. iud.* &c. Pariter *tit. 56. p. 339.* apud ECCARTVM vero *tit. 57. p. 99. Si quis Grafionem occiderit, XXIIIIM. den., qui faciunt sol. DC., culpabilis iudicetur. Si quis Saybaronem aut Grauionem, qui puer regius fuerat, XIIM. den., qui*

β) Ripuariæ.

faciunt sol. CCC, culpabilis iudicetur &c. Cum his conspirant *leges Ripuariorum tit. 7. si quis ingenuus hominem ingenuum Ripuarium interfecerit, ducentis solidis culpabilis iudicetur.* Porro *tit. 9. si quis* ho-

hominem regium interfecerit, centum solidis culpabilis iudicetur. Item *tit. 10. si quis hominem ecclesiasticum interfecerit, centum solidis culpabilis iudicetur* &c. In capitulis additis a CAROLO M. ad *LL. Salicas* anno 803. apud BALVZ. *tom. I. Capitul. c. 1.* pœna pecuniaria etiam extensa ad *clericorum cædes: qui subdiaconum occiderit, trecentos solidos componat; qui diaconum, quadringentos; qui presbyterum, sexcentos; qui episcopum, nongentos. Qui monachum, quadringentis solidis culpabilis iudicetur.* Relatus etiam hic textus est in *lib. III. Capitular. c. 25.* vnde illum repetiit GRATIANVS in *c. 27. C. 17. qu. 4.* certo indicio, leges has pecuniarias etiam iudicio clericorum approbatas fuisse. Additæ etiam sunt *censuræ ecclesiasticæ*, vt refertur *lib. VI. cap. 99. p. 937.* apud BALVZ. *qui occiderit monachum aut clericum, arma relinquat, et DEO in monasterio seruiat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam ad seculum reuersurus et septem annos publicam pænitentiam gerat.* In *c. 98. eiusd. lib. VI.* pœnæ ciuiles et ecclesiasticæ coniunguntur: *si quis sacerdotem vel Leuitam aut monachum interfecerit vel debilitauerit, iuxta statuta priorum capitulorum, quæ legi Salicæ sunt addita, componat, et insuper bannum nostrum, i. e. LXX. solidos nobis persoluat, et arma relinquat, atque in monasterio diebus vitæ suæ sub ardua pænitentia DEO seruiat; nusquam postmodum seculo vel secularibus militaturus neque vxori copulaturus.* Pœna hæc pecuniaria seu *wergeldum* soluenda fuit proximioribus, quasi pro compositione homicidii, quod ex *LL. Alamannicis tit. 68.* liquet: *Si quis autem liber liberum occiderit, componat eum bis LXXX. solid. filiis suis. Si autem filios non reliquit, nec heredes habuit, soluat CC. solidos. Feminas autem earum in duplum componat. Medius autem Alamannus si occisus fuerit, sol. CC. soluat eum parentibus, qui eum occiderit.* In *concilio Triburiensi de anno 895. c. 4.* apud HARDVIN. *tom. VI. P. I. p. 440.* de presbytero vulnerato, vnde mors secuta, diuisio huius *weregeldi* seu *compositionis* ita instituitur: *Si articulo mortis præuentus obierit, pretium weregeldi tripartita partiatur diuisione i. e. altari, cui ordinatus fuerat, pars vna; episcopo, in cuius diœcesi erat, altera; tertia parentibus, de quibus ortus fuerat.* Ita vero patres ipsis in conciliis pœnas pecuniarias, homicidis impositas, approbarunt ac regustarunt, atque eo ipso agnouerunt, pœnas capitales non fuisse æterni iuris. Conspirat quodammodo cum hac sanctione ecclesiastica *c. 15. capitular. lib. V.* apud BALVZ. *tom. I. p. 777. Presbyteri interfecti episcopo, ad cuius parochiam pertinent, soluantur secundum capitulare gloriosi Karoli*

γ) Caroli M.

δ) Leges Alamannicæ,

ε) Conciliorum decreta.

roli genitoris nostri, ita videlicet, vt medietatem wergeldi eius episcopus vtilitatibus ecclesiae, cui praefuit, tribuat, & alteram medietatem in eleemosyna illius iuste dispertiat. Quia nullus nobis eius heres proximior videtur quam ille, qui ipsum domino sociauit. Referunt etiam hunc textum REGINO *lib. II. c. 42.* BVRCHARDVS *lib. VI. c. 11.* atque ex his GRATIANVS in *c. 26. C. 17. q. 4.* cum RAYMVNDO in *c. 2. X. de poen.* certo indicio, ius canonicum, quod abhorret a sanguinis poena, tali *compositioni* calculum suum adiecisse. Leges *Baiuuariorum* itidem compositionem pecuniariam tantum agnoscunt *tit. 3. l. 28. Si quis liberum hominem occiderit, soluat parentibus suis, si habet; si autem non habet, soluat duci vel cui commendatus fuit, dum vixit, bis LXXX. sol. hoc sunt CLX.* Omitto leges alias adferre, antiquo Germanorum mori respondentes, quem iam TACITVS *de mor. Germ. c. 21.* suo aeuo obseruauit: *Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est, nec implacabiles durant. Luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem vniuersa domus.* Quod ergo pedetentim *poena capitalis* homicidis imponi coeperit, ferocia homicidarum ingrauescente, quam domare, reducta *pace publica*, reipublicae magnopere intererat, id ex mera *ratione ciuili*, non ea intentione factum esse reor, vt *vniuersali legi diuinae* satisfieret, atque haec post tot secula, quibus in poena sanguinis decernenda latuit, in vsum reduceretur. Etenim qui rationes hoc modo subducunt, reuera primaeuos Christianos incusant, quod horum doctrina eam suppresserit, et applicationem eius prorsus impedierit, id quod nullo ferendum est modo.

ζ) Leges Baiuuariorum.

Cum moribus antiquis Germanorum conspirantes. Poena hodierna capitalis ex ratione ciuili fluxit.

§. XX. Denique his addo etiam hoc argumentum, quod *sextum* est, clericos homicidas a poenis capitalibus in hunc vsque diem fuisse exemtos, nec creditum, eos necessario degradandos, vt poena capitalis, *iure diuino* dictata, iis imponi posset. Hoc ab eo tempore constanter obseruatum, quo quaeuis crimina clericorum iurisdictioni ecclesiasticae subiecta fuerunt *priuatiue*. Olim, sub imperatoribus, ecclesiastica quidem delicta, circa *doctrinam*, *disciplinam* et *officium clericorum* commissa, episcoporum reseruata erant iudicio: crimina autem *communia* seu *secularia* clericorum vindicabantur a magistratibus maioribus secularibus, nec in his ratione fori inter *clericos* et *laicos* diuersitas obtinebat, iuxta *l. 23. C. Th. de episc. & cleric.*, quam vlterius in hoc argumento illustrat. IACOBVS GOTHOFREDVS *in comment.* Praxis haec in causa *caedis* sese potissimum exseruit in Afri-

Sextum dogma de clericis homicidis capitaliter non puniendis.

Olim tamen crimina clericorum ad iudicia secularia pertinebant.

Africa contra clericos Donatiſtas homicidii reatu pollutos, & in ius a magiſtratu ſeculari vocatos, pro quibus interceſſit AVGVSTINVS, vt §. *IV.* dictum, ne ſanguis eorum effunderetur. Epiſcopi potiſſimum in hoc crimen vocati erant, et quamuis ſchiſmatici, adhuc tamen *clerici* erant, nec a laicorum ſorte in cognitione *de criminibus* ſeparabantur. IVSTINIANVS in *nou. 83. praf* §. 2. non receſſit a tramite maiorum, ſed nouiter duntaxat addidit, ante executionem pœnæ criminalis eos degradandos eſſe. Hoc indigitat *autb. clericus quoque. in f. C. de epiſc. & cler. Sed in ciuili crimine ciuilis præſit iudex, vt lis vltra duorum non egrediatur menſes, nec tamen puniatur, etiamſi reus ſit inuentus, priusquam per epiſcopum ſacerdotio ſpolietur.* Innouauit quædam in *nou. 123. c. 21. §. 1.* Imperator, et quidem 1), vt etiam clericus *de crimine* apud epiſcopum accuſari poſſet, hic vero, veritate eius detecta, dignitate eccleſiaſtica eum ſpoliare, atque tunc iudex ſecularis eum comprehendere, et *ſecundum leges litem examinans cauſæ finem imponere* deberet. Si vero 2) accuſator iudicem ſecularem adiuerat, hic quidem de crimine cognoſcere et ſententiam ferre, ſed ſimul *geſta monumentorum* (*acta* vulgo vocamus) epiſcopo edere debebat, ex quibus ſi conſtabat, clericum nocentem eſſe, eum ſtatu clericali priuabat, iudex vero pœnam criminalem exſequebatur; ſi cauſa minus recte et iuſte excuſſa videbatur, relatio ad imperatorem fiebat. Ita vero clerici homicidæ laicique æquali pœna ex L. Cornelia affecti. Pedetentim vero crimina clericorum Epiſcoporum iudicio magis magisque ſubiecta. In *edicto* CLOTARII II. *de anno 615. c. 4.* apud BALVZ. *tom. I. capitul. p. 22. ſq.* crimina quidem clericorum cenſuræ iudicum ordinariorum adhuc permiſſa, ſub hac tamen limitatione: *quod ſi conuicti fuerint de crimine capitali, iuxta canones diſtringantur, et cum pontificibus examinentur.* Sicuti vero canones ab omni ſupplicio capitali abhorrebant, ita hac modificatione effectum, vt pœnis capitalibus vel raro vel nunquam locus fuerit relictus. In *capitularibus* rurſus de criminibus clericorum quæſtiones iudicibus permiſſæ, ſed non ſine *licentia proprii epiſcopi*, ceu docent textus a BALVZIO *cit. l. p. 948. 950. 1052. 1056. et 1280.* notati. Quis vero crederet, epiſcopos, a iudicio ſanguinis alieniſſimos, capitalia clericorum ſupplicia ſuffragio ſuo roboraſſe? Tandem *priuatiue* crimina clericorum ſuo reſeruarunt iudicio, ipſo imperatore FRIDERICO *in autb. ſtatuimus. C. de epiſc. et cleric.* ſuffragante, quo ipſo pœnis capitalibus in grauiſſimis etiam delictis exemta, niſi, quod tamen

Ordinariæ pœnæ ſubiecta.

cum nouo Iuſtiniani temperamento,

et innouatione.

Tandem crimina clericorum priuatiue epiſcoporum iudicio ſubiecta.

Quo ipſo a pœnis capitalibus liberati.

men rarius fieri solebat, facta exauctoratione, brachio seculari criminosos tradendos existimauerint episcopi. Vtplurimum enim etiam in *crimine homicidii* deponi, et in monasterii claustra detrudi solent, ad pœnitentiam, vt aiunt, perpetuam agendam, vel expressius, ad carcerem perpetuum subeundum. Nam etiam *homicidæ* crimen pœnitentiæ satisfactione (quam patres loco pœnarum criminalium, maxime *capitalium*, inter Christianos commendabant) diluere possunt, *c. 44. D. 50. c. 20. C. 24. q. 3.* nec aliter episcopi aut *clerici homicidæ* puniti sunt. *c. 8. c. 41. D. 50.* Iure Decretalium tamen claustro districto recludendi, *c. 6. vers. clericus X. h. t.* nec aliter brachio seculari tradendi, quam si *incorrigibiles* reperti fuerint, *c. 10. X. de iudic.* vt tamen pro eis ecclesia *efficaciter* intercedat, quo citra mortis periculum sententia criminalis circa eos moderetur. *c. 27. X. de V. S.* Denique sicuti *clerici homicidæ* a pœna mortis immunes facti, ita pontifices nonnunquam academiis hoc priuilegium dederunt, ne studiosi homicidæ vltimo plecterentur supplicio, quale academiæ Lipsiensi olim indultum fuisse refert B. THOMAS. *de iure aggrat. princ. Euangel. in causis homicid. c. III. §. 8.* ex hac forsan ratione, quod olim *clericis* adscripti *suo modo* fuerint studiosi.

Et homicidæ clerici depositi, monasterio intrusi.

§. XXI. In has similesue doctrinas patres ecclesiæ ab omni æuo transire non potuissent, si *pœna capitalis* in causa homicidii æternam et mutari nesciam agnouissent legem. Nec RAYMVNDO diuersa stetit sententia, ideo quod in *c. 1. X. h. t.* legem *Exodi XXI.* scriptam regustauerit: *si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias: ab altari meo euelles eum, vt moriatur;* hoc enim eo duntaxat pertinet, vt ostendatur, *optimo iure* hanc pœnam infligi homicidis dolosis, non quod remitti nequeat. Præterea vero passim in more fuit RAYMVNDO, ex veteri diuino iure leges suæ collectioni inserere, vt in *c. 1. X. de adult. c. 1. X. de furt. c. 1. X. de iniur. et damn. dat.*, nudæ illustrationis gratia, non vt inde *indispensabilis* ac *perpetuus* earum *vsus* colligi debeat, cuius contrarium ecclesiastica dogmata in causa cædis docent.

Hæc dogmata præsupponunt, pœnam capitalem in homicidio non esse iuris æterni.

§. XXII. Ceterum, vt in *criminalibus* generatim, ita quoque quoad effectum *pœnitentiæ ecclesiasticæ et censuræ* alius, quam vnice ius pontificium pro scopo habet, circumstantias cædis illatæ perpendendas esse, prudenter constituerunt pontifices in *c. 6. X. h. t.* variisque declararunt obseruationibus, quas nonnunquam rerum criminalium in rem suam verterunt interpretes. (I) Qui furem vel latronem interfe-

In cæde circumstantiæ perpendendæ.

1) de fure occiso.

fecit, distinguebatur, vtrum comprehendi absque occisione potuerit? quo casu furem occidendo grauiori pœnitentiæ subdebatur; an vero sine odii meditatione se suaque liberando eum interfecerit? qui merito ab omni pœnitentia fere immunis erat. *c. 2. X. h. t.* Etiam in *foro criminali* pœna extraordinaria leuiori afficitur, qui furem occidit zu Rettung seines oder eines andern Guts, vt dicitur in *art. 150. C. C. C.* (II) Pariter secundum ius *diuinum*, *ecclesiasticum*, et *seculare* impune occidi potest *fur nocturnus; diurnus* non aliter, quam si telo se defenderit, *c. 3. X. h. t. l. 9. ad L. Cornel. de sicar. l. 54. §. 2. de furt.* cum vim vi repellere liceat. *c. 3. X. de sent. excomm. c. 6. X. eod. in 6.* Hanc circumstantiam merito approbauit *ius Carolinum in art. 150*, so iemand einen bey nächtlicher Weil, gefährlicher Weiß in seinem Hause findet und erschläget 2c. eumque reddidit ab omni immunem pœna, quod vitæ propriæ amittendæ periculo subiectus fuerit. Ex hoc principio (III) de *fure diurno* licite non occidendo formauit pontifex decisionem in *c. 18. X. h. t.* Presbyter quidam furi, eucharistiam cum altarium ornamentis et libris ecclesiasticis deprædanti, graue inflixerat vulnus, quem, acclamatione facta, parochiani occiderant, quæsitum fuit, vtrum hac percussione *irregularis* factus esset nec ne? Distinxit pontifex, vtrum constet, vulnus a presbytero inflictum *lethale* non fuisse, vt ex eo haud periisset, si aliorum vulnera non fuissent secuta, quo casu a sacerdotali officio non remouetur; an vero vulnus *lethale* repertum fuit, tunc pro homicida et *irregulari* erit habendus, qua censura etiam notandus, si discerni non possit, ex cuius ictu percussus perierit.

2) imprimis nocturno.

3) de fure diurno.

§. XXIII. Ex hoc textu (IV) quædam delibasse videtur *ius Carolinum in art. 148.* in casu, quo quis occisus est in *concursu improuiso* plurium inter se rixantium et armis congredientium. Etenim 1) si de *autore cædis* certo constat, is vt homicida plectendus. Si 2) ignoratur, quis ex concurrentibus homicidium perpetrauerit, ex sedula peruestigatione circumstantiarum de eo iudicandum, et circa magis grauatos media eruendi veritatem adhibenda. Hunc casum etiam tangit pontifex, et diligentem inuestigationem etiam iniungit iudici quoad effectum *irregularitatis*. 3) Si omnes *lethalia vulnera* inflixerunt, omnes vltimo afficiendi supplicio, sicuti idem obseruatur in *irregularitate*. Quid ergo si quidam aliquem percussit, paulo post alii eum occiderunt, de quo casu agit itidem pontifex? Si quidem vulnus a primo inflictum non est *lethale*, pœna *irregularitatis*, et *ordi-*

4) De cæde in concursu hominum.

naria criminalis cessat. Ergo si vulnus a primo inflictum ita comparatum fuit, vt necessario perire debuerit, etiam hic *pœnæ ordinariæ* subiacet. Multum ergo hoc casu et *canonico* et *criminali iure* dependet ex *qualitate vulnerum*, vtrum *lethalia* fuerint nec ne? quam considerationem imprimis vrget pontifex in *cit. c. 18.* additque, ex *peritorum medicorum* iudicio de ea statuendum esse. Idem sequitur CAROLVS V. *in art. 149.* qui immediate articulum modo expositum sequitur, vt probabile sit, eum semitam *iuris canonici* secutum fuisse. Ius ciuile hac distinctione tantum vtitur in *lege Aquilia*, vt discerni queat, vtrum ob seruum peremtum ex *primo* an *tertio capite* agendum sit? ea vero abstinet in lege *Cornelia de sicariis. l. 15. §. 1. l. 51. pr. ad L. Aquil.*

et qualitate vulnerum.

5) De occiso in conspiratione.

§. XXIV. Denique (V) si plures *mediante conspiratione* aliquem trucidarunt, so etliche Personen mit fürgesetzten und vereinigten Willen und Muth iemand boßlich zu ermorden, einander Hülffe und Beystand thun, vt dicitur *in art. 148. C. C. C.* omnes capite plectendi. Etiam hunc casum tangit ALEXANDER III. *in c. 6. X. h. t.* quæsitus, quid sentiendum esset de nefanda cæde Cantuariensis archiepiscopi B. THOMAE, in ipsa ecclesia *per conspirationem* occisi. Pontifex enim cum homicidis in parem censum eos refert, qui *animo occidendi* archiepiscopum citra manuum iniectionem fassi erant se venisse; quod rationem habet, quia omnes conspirauerant in eius mortem, et animo occidendi aduenerant, licet non omnes vulnus inflixissent. Vnde nec *ius Carolinum* hic distinguit, vtrum de *autore cædis* constet, et omnes vulnus inflixerint, nec ne? sed omnes conspirantes eodem capitis supplicio afficiendos statuit, quod omnes *voluntatem directam* occidendi habuerint, quod et obseruat CARPZ. *in pr. crim. qu. 25. n. 11. sqq.* Ab his tamen distinguit pontifex eos, qui non, vt ferirent, sed vt percussoribus opem ferrent, si forte per aliorum violentiam vel resistentiam impedirentur, quos paulo mitiori pœna plectendos credit. De *pœnitentiæ* gradu loquitur pontifex, non *de criminali pœna*, quam hoc casu quoque ad capitis supplicium extendendam esse crederem, ex ratione, quam modo attuli, quia homicidas defendere contra resistentes voluerunt. Merito quoque cum conspiratoribus eadem plectuntur pœna, qui conspirantes ad homicidium perpetrandum suis suggestionibus prouocarunt, qui instar *mandantium* fere sunt, *cit. c. 6. §. qui vero*, vnde etiam pari censuræ subiecti sunt a pontifice. Cæterum qui *conspirationis* haud participes sunt, extraordinaria pœna ple-

Quod declaratur exemplo Cantuariensis episcopi hoc modo trucidati.

De his, qui ad talem cædem concurrerunt, vt opem ferrent percussoribus.

Et qui homicidas prouocarunt.

plectuntur, si eis, quos sicarios esse ex postfacto nouerant, in sarcinis custodiendis opem præbuerunt, quod ad cædem ipsam reuera nihil contribuerint. Tam varium pontifex discrimen constituit circa necem Cantuariensis Archiepiscopi, quod plurimi, præter quatuor primarios satellites, qui ipsum necauerant, hoc parricidio *proxime* vel *remote* infecti essent, excommunicationis mucrone omnes perculsi. GODWINVS referente ALFORDO *in annal. Britann. ad ann. 1174. n. 17.* testis est de hac excommunicatione generali: *Papæ quam primum hoc parricidium innotuit, non solùm percussores ipsos, sed qui VLLO MODO consensum aut consilium homicidio dedissent, excommunicauit omnes.* Non minimus excommunicatorum numerus erat, qui absolutionem, imposita pœnitentia, quærebant, Exoniensis misericordiam implorantes. Detulit hic causam ad ALEXANDRVM III., variasque quæstiones de *pænitentia* singulis secundum merita irroganda eidem proposuit. Laudat hoc consilium pontifex, sibique ex *principatu*, quem vbique terrarum se tenere censuit, nodosarum quæstionum enodationem competere asserit, ex quo principio per plurima secula curia Romana supremum in sacris imperium sibi corroborauit. Generatim præmittit, *eundem excessum magis in vno quam in alio PVNIENDVM*; (quod duo cum faciant idem, non sit idem, et *pænitentia* iam in proprie dictam degenerauerit *pænam*) in excessibus singulorum non solum *quantitatem* & *qualitatem*, sed etiam *ætatem*, *scientiam*, *sexum*, atque *conditionem* esse attendendam, atque secundum hæc, imo etiam secundum *locum* et *tempus* pœnitentiam indicendam, æque vt in *pænis criminalibus* ex his circumstantiis quantitas delictorum et pœnarum inflictiones æstimantur. *l. 16. D. de pæn.* Atque ex his causis varios distinxit pontifex casus, prout iam traditum est. De *clericis* speciatim *circa fin.* decernit, eosque, qui armati interfuerant tanto facinori, quique consilium dederant, *vt vir sanctus caperetur*, non solum ab altaris ministerio deponendos in perpetuum, sed in districto claustro monachorum vel canonicorum regularium esse recludendos, censet, *vt ad septennium vel quinquennium ab ecclesiarum introitu coerceri deberent.* Vnde duo colligo, α) eos *irregulares* in perpetuum iudicatos: β) vltimo pariter supplicio adficiendos fuisse, nisi obstitisset, quod absque *degradatione* criminalis pœna in eos statui haud potuerit, rarissime tamen quoad *clericos homicidas* et cum homicidis conspirantes ex caussis supra adductis exercita; quin potius detrusio in monasterium *ad per-*

Qui remote tantum concurrerunt.

Inde de varietate pœnarum indicandum.

Et de clericorum irregularitate.

perpetuam agendam *pœnitentiam* magis vſitata fuit, quam non inepte cum *incarceratione perpetua*, quæ ex illa natales ſumſit, comparaueris, vltimo ſupplicio ea de cauſa annumerata *in art. 10. & 101. C. C. Car.*

De ſuſpectis tantum de cæde.

§. XXV. Qui (VI) ſuſpectus eſt de cæde vel etiam furto commiſſo, non vero conuictus, condemnandus haud ſtatim eſt, ſed de *medio eruendi veritatem* cogitandum. Ponderanda ante omnia *indicia*, *interſignia* in *c. 19. X. h. t.* dicta, quorſum imprimis pertinet *art. 29. conſtit. crim. Car.* ſo einer in Ubung der That etwas verleuret, oder hinter ihm liegen und fallen läſſet, daß man hernachmals finden, und ermeſſen mag, daß es des Thäters geweſen, mit Erkundigung, wer ſolches am nächſten vor dem Verluſt gehabt hat. Huius indicii grauiſſimi ſit mentio in *cit. c. 19.* intuitu latronis & furis ſimul, cui culter ablatus, quique ſotulares, *quos abſtraxerat, ne pedum ſtrepitus audiretur*, in domo, in qua furtum attentauerat, vimque fecerat, poſt ſe reliquerat. Conſtabat, res has in loco delicti repertas latronis fuiſſe, confeſſio tamen eius deficiebat. Nihilominus iudex ſtatim eum condemnabat, virilia ipſi amputando oculosque eruendo. De crimine eum conuictum ex hoc indubitato argumento credebat iudex criminalis, præſertim cum prædictus latro *vulneratus* deprehenſus fuerat, quod vulnus ſine dubio acceperat a ſcholari, quem domi inuaſerat. Hoc non adeo abhorret a iuris ciuilis ſententia, ſecundum quam etiam quis condemnari poteſt ex grauiſſimis et indubitatis argumentis, prout ſupra *tit. de accuſ. §. 77. ſqq.* dictum. Sed abhorret a *ſanctione criminali Carolina*, ſecundum quam talis latro vel fur torturæ ſubiiciendus iuxta *cit. art. 29.*

Aſſaſſinii natales et antiqua ratio.

§. XXVI. Eſt autem homicidium vel *ſimplex* vel *qualificatum.* Hoc dicitur, quod circumſtantiis aggrauantibus eſt inſtructum, quorſum potiſſimum *latrocinium* et *aſſaſſinium* pertinent. Poſterius et hodie et olim in Italia frequentiſſimum ſcelus eſſe plusquam notum eſt, variis pontificum edictis notatum, ſed haud eradicatum atque abolitum. Huic omne ius *aſyli* in ſacris locis denegatum eſſe, *tom. III. tit. de immunit. eccleſ.* §. 32. dictum. Sed iuuat in rationem denominationis inquirere, et eos hic notare, de quibus pontifex in *c. 1. h. t. in 6.* Videlicet INNOCENTIVS IV. in *concilio generali Lugdunenſi* anno 1245. celebrato mucronem excommunicationis ſtrinxit in principes, prælatos aliasque eccleſiaſticas perſonas ſeculares, qui per *aſſaſſinos* pretio conductos quempiam chriſtianorum interfici fecerunt,

runt, vel etiam mandauerunt, (*quamquam mors ex hoc forsitan non secuta fuerit*) aut eos *receptarunt*, vel *defenderunt*, vel *occultarunt*, et in genere, qui tam inhumanum et pestiferum genus latronum aluerunt, quod in peruersum eo tempore abiisse videtur morem, in tantum, vt quibus periculum ab iis imminuit, *nonnunquam ab eorum assassinorum domino securitatem impetrare et ab eo vitam suam non absque christianae dignitatis opprobrio redimere coacti fuerint*, vt pontifex ait. Praeter *excommunicationem*, citra omnem sententiam, *ipso iure* iis, qui horum opera vtuntur, inflictam, grauiora addidit supplicia: 1) vt a dignitate, honore, ordine, officio et beneficio depositionis sententiam ipso facto incurrant: 2) beneficia illorum *ipso iure* vacent aliisque conferri queant: 3) *cum suis bonis mundanis omnibus tanquam christianae religionis aemulus* (inuidus hostis) *a toto christiano populo diffidatus habeatur*.

§. XXVII. Recensui pontificis sanctionem, vt inde liqueret, de *infidelibus* conductis, vt christianos occiderent, pontifici sermonem fuisse, adeoque in ipsos *assassinos* grauius nihil constituere potuisse. Erant videlicet *Assassini* tempore illo, quo cruce signati ad occupandam terram sanctam iter transmarinum suscipiebant, populi christianis infestissimi, montes Phoeniciae in terminis Damasci, Antiochiae et Acapiae incolentes, munitissimis instructi castris. IACOBVS DE VITRIACO *in histor. Hieros. c. XIV.* hos ita depingit: *In prouincia Phoenicis, circa fines ciuitatis Anteradensis, quae hodie vulgariter appellatur Tortosa, quidam populus scopulis et montibus vndique circumclusus inhabitat, habens castella decem fortissima et propter viarum angustias et rupes inaccessibiles inexpugnabilia. - - Horum hominum, qui ASSASINI nuncupantur, quadraginta millium numerum excedere dicitur multitudo. Praeficiunt autem sibi capitaneum non successione hereditaria, sed meritorum praerogatiua, quem ipsi veterem seu senem* (pontifex autem *in cit. tx. dominum*) *appellant*. Primarium eorum religionis caput erat, *omnem indifferenter obedientiam superiori suo exhibitam sibi esse vitae aeternae meritoriam. Vnde tanto subiectionis et obedientiae vinculo magistro suo, quem SENEM nominant, astringuntur, vt nil ita periculosum et aut difficile, quod ad mandatum domini sui hilari animo et ardenti voluntate amplecti et perficere vereantur*. Alebat hic pueros eosque bene ante instructos, *ad varias prouincias mittebat cum cultellis, et potentes homines tam ex christianis quam ex Saracenis, vel quia ex aliqua causa habebat odio, vel AD PRECES*

Olim Assassini tempore expeditionis sacrae erant populi Phoeniciae.

Ad quemuis occidendum mandato domini sui parati.

CES AMICORVM SVORVM seu etiam PROPTER IMMEMSAE PECVNIAE PRETIVM sibi datum mandabat occidi. Conf. MATTHAEVS PARIS. *in histor. Anglic. ad ann. 1151. p. 70.* Hoc genus hominum designat pontifex in *cit. c. 1.* quorum ministerio christiani monstrosi et nequissimi, *quibus* teste VITRIACO *cit. l. regio orientalis corrupta erat*, nonnunquam vtebantur ad perimendos christianos, quorum odio flagrabant. Vt ergo ab his pestiferis consiliis tuti & securi essent, quos ad iter hoc sacrum multis persuasionibus inducebat INNOCENTIVS IV. in hoc concilio *c. 17.*, extorres & anathemati ipso iure subiectos eos esse constituit, qui horum sicariorum, mercede conductorum, operam redimebant in aliorum christianorum perniciem. Promti enim in iussu domini sui exequendo fuerunt, nec periculo grauissimo a mandato facinore exequendo absterriti. Referunt annalium scriptores, teste RAYNALDO *ad ann. 1236. n. 46.* dominum horum Assassinorum nonnullos sicarios in Gallias misisse ad LVDOVICVM *sanctum* trucidandum, quorum aduentum in terram sanctam metuebat. Sed falsitate famae comperta mutauit consilium, oratoresque ad regem misit, qui ei insidias structas mature indicarent. Quaesiti sicarii mox deprehensi, ad regem quidem ducti, nullo tamen supplicio affecti, sed muneribus ad dominum suum dimissi. Idem tamen rex posthac cruce signatus, vbi *anno 1251.* Ptolemaide versabatur, a domino Assassinorum vitam & securitatem muneribus redemit, cuius moris eo tempore vsitati mentionem iniicit pontifex, nec adeo eum probat. Princeps enim dicti populi, referente ex testimonio IONVILLAEI RAYNALDO *ad cit. ann. n. 50.* ad LVDOVICVM oratores miserat, haec regi exponentes, ipsum Germaniae imperatoris, regis Vngariae, Sultani Babylonici aliorumque principum exemplo, quos non ignoraret, diutius hac vita, nisi quantum Assassinorum principi collibitum esset, perfrui non posse, nisi muneribus illius amicitiam sibi comparasset. Equidem paulo post Assassini a Tartaris exstirpati sunt; sed nouum huius pestis genus in Italia ex ipsis christianis erupit, cui itidem nomen *Assassinorum* inditum, qui inaudito facinore ad alios perimendos mercede conducuntur, de quorum audacia tamen hic textus non loquitur. Inde tamen collegerunt, proprie assassinum non esse, nisi conductus fuerit *ad occidendum christianum*, quod huius circumstantiae pontifex mentionem faciat in *cit. tx.* Et quia assassinis *ius asyli* denegatum est in ecclesiis, credidit MICHAEL ANGELVS DONATVS *de asylis ref. 157.* conducto ad occidendum *infidelem* non denegan-

Quorum ministerio pessimi christiani vtebantur contra christianos.

gandum refugium in ecclefiam. Hæc vero magis irrifione quam refutatione digna funt, cum pontifex morem antiquum tantum recenfeat, tempore expeditionis crucefignatorum vfitatum, non autem crimen hoc ad folam chriftianorum cædem reftringat, ne dicam, infideles eque *homines* effe ac *chriftianos*, adeoque *æquali fanctitate* contra nefarios hos ficarios muniendos.

De mandantibus homicidium,

Vel vulnerationem.

§. XXVIII. Proximum ab his locum occupant homicidium mandantes, fine interuentu pecuniæ, qui pari cum *mandatario*, fecuto facinore, afficiuntur fupplicio, tefte CARPZOVIO *in praxi crimin. qu. IV. n. 8. fqq.* Sed quid, fi quis mandauerit de *vulnerando*, an teneatur de occifo? Equidem pontifex in *c. f. h. t. in 6.* hanc in *mandantem* profert fententiam: *is, qui mandat aliquem verberari (licet expreffe inhibeat, ne occidatur vllatenus, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur, fi mandatarius fines excedens mutilet vel occidat: cum mandando in culpa fuerit, et hoc euenire poffe debuerit cogitare.* Hæc decifio vero tantum de *irregularitate* intelligenda, quæ etiam *culpofo* contrahitur *homicidio*, vnde ad pœnam ordinariam argumentum non ducendum. Quid? quod fecundum rationem pontificis mandans hoc cafu duntaxat *culpofum* videatur commififfe homicidium. Recte vero obferuant CARPZOVIVS *cit. l. n. 18. fqq.* et LAVRENTIVS VIGILIVS DE NICOLLIS *in praxi canon. tom. I. p. 684. fq.* ad *genus armorum*, quibus ad mandatum alterius lædi debeat, refpiciendum effe, quod etiam alibi monet pontifex. vid. *c. 18. in f. X. h.* Hoc fi ita comparatum fuit, vt ex eo mors *regulariter* et *verofimiliter* fequi non potuerit, vtpote fi paruo baculo aliquem percutere iuffit, homicidium inde fecutum magis *culpofum* dicendum. Aft fi ftricto enfe vulnerare tertium mandauit, ita tamen, ne occideretur, mandans merito tenetur de *occifo* feu ex propofito trucidato, tum quod in poteftate mandatarii non fuerit, fines cuftodire, idque mandans fciuerit; tum quod *indirecta voluntate* ad mortem alterius æque concurrat, ac fi ipfemet mandans eum *ftricto gladio*, animo tantum *vulnerandi*, non *occidendi*, inuafiffet. Hanc *voluntatem indirectam* quidem *culpam* vocat pontifex; conftat tamen, hac appellatione in *iure canonico* vtplurimum quodlibet *factum illicitum* defignari; dum enim cogitare debuerit, mortem ex eo mandato fequi poffe, videtur in quemuis finiftrum euentum confenfum dediffe fuum, et *periculo fuo* facinus alteri iniunxiffe.

Ex casuali nulla irregularitas sequitur.

§. XXIX. Ab hac *voluntaria* cæde differt *culposum* & *casuale homicidium*. Ex hoc nulla *irregularitas* sequitur, ceu declaratur exemplis in *c. 9. 13. 14. 23. 25. X. h. t.* Aliis hoc exemplis declarat CLEMENS V. in *clem. vn. h. t.* *Si furiosus aut infans seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit vel mutilat inuasorem.* Verum quia non raro dubium incidit, vtrum cædes *culpa* an *casu* facta? pontifex recte censet, has esse ponderandas circumstantias: (1) vtrum occidens operam dederit rei *licitæ* & permissæ, an *probibitæ* et *illicitæ*? ita vt hoc casu homicidium *culposum* censendum. Clericis multa sunt *illicita* et *probibita*, quæ *laicorum* intuitu in hanc classem non veniunt. Hoc demonstrat exemplum *ludi* cuiusdam *puerilis* a clerico contra *honestatem externam* cum laicis suscepti, quod depingitur in *c. 8. X. h. t.* item si *artem chirurgicam* exercuit: *c. 19. X. h. t.* si inequitauit equo *bucca duro*, hartmaulig, quem regere non potuit, vtut vitium sciuerit. *c. 16. h.* (2) vtrum in *loco non-interdicto* quid peregerit? *c. 15. X. h. t.* (3) *an licito* et *permisso* tempore? et denique (4) an *modo* etiam recte obseruato aliquid peregerit? qui excessit in *modo*, culpa non caret, licet, saluis reliquis requisitis, processerit, veluti si excessit in *disciplina. c. 7. X. h. t.* Si occidens debitam vigilantiam et diligentiam in *actu licito* adhibuit, ab omni immunis est culpa. *c. 25. et vlt. X. h t.* Pariter excusatur, qui moderamen inculpatæ tutelæ adhibuit. *clem. vn. h. t.* Si in *moderamine* excessit, culpa non caret, cum illa demum sit atque vocetur *inculpata* tutela, quam quis ad propulsandam iniuriam non ad vindictam sumendam adhibet. *c. 28. in f. h. t.* Eædem obseruationes quoque traduntur in *iure criminali Carolino art. 146. et 150.* a quorum explicatione vlteriori studio in hac doctrina abstineo.

A culposo distingui debet ex circumstantiis facti.

Quod exemplis demonstratur.

Loci, temporis, modi.

TIT. XIII.

TITVLVS XIII.

DE

TORNEAMENTIS.

§. I.

In classem delictorum *hoc iure* non tantum illa facta, quæ a legibus secularibus damnantur, referenda, sed etiam, quibus iura ecclesiastica ab antiquo dicam scripsere, vtut legibus ciuilibus permissis. *Spectacula gentilium* atro notabant carbone patres, vt nefas christiano crederetur, eis vel interesse, vel spectandi gratia adesse. Turpitudinem eorum grauiter exagitat TERTVLLIANVS *de spectaculis*, docetque c. *IV. vniuersam spectaculorum paraturam ex idololatria constare*, cui renunciatum sit in lauacro cum omnibus, *quæ diabolo et pompæ et angelis eius sunt mancipata*, quod ex originibus *spectaculorum* demonstrat. Idem inculcat principium MINVCIVS FELIX *in Octau. c. 37. p. 377.* et, *nos igitur*, ait, *qui moribus et pudore censemur, merito malis voluptatibus et pompis vestris et spectaculis abstinemus, quorum et de sacris originem nouimus et noxia blandimenta damnamus. Nam in ludis curulibus quis non horreat populi in se rixantis insaniam? in gladiatoriis, homicidii disciplinam? In scenicis etiam non minor furor; turpitudo prolixior. Nunc enim mimus vel exponit adulteria vel monstrat: nunc eneruis histrio amorem dum fingit, infligit. Idem Deos vestros, inducendo stupra, suspiria, odia, dedecorat. Idem simulatis doloribus lacrymas vestras vanis gestibus et nutibus prouocat. Sic homicidium in vero flagitatis, in mendacio fletis.* Hæc fuit constans patrum reliquorum doctrina, quibus vnice curæ cordique fuit sincera et incorrupta religionis Christianæ praxis, quæ talia gentilium spectacula abominatur. Imprimis vero *ludos gladiatorios* perstringebant vt impios, atroces, inhumanos. CYPRIANVS *libr. ad Donatum p. m. 5.* spectaculum hoc crudele his damnat verbis: *Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium hominum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et aruinæ toris membrorum moles robusta pinguescit, vt saginatus in pœnam carius pereat. Homo occiditur in* ho-

Spectacula iure ecclesiastico generatim reprobata.

Imprimis ludi gladiatorii.

hominis voluptatem, et vt quis possit occidere, peritia est, vsus est, ars est: scelus non tantum geritur, sed et docetur. Quid potest inhumanius, quid acerbius dici? disciplina est, vt perimere quis possit, et gloria est, quod perimit. Plura alia de *spectaculis*, eorumque vitio congessit, sed sine iusto ordine et iudicio, IACOB COHELLIVS *comment. in bullam Clementis VIII. de bono regimine c. XL.* Longius ei præferendi BRISSONIVS *de spectac.* et FRANCISCVS MODIVS *in pandect. triumphalibus tom. I. lib. III.*

Et torneamenta.

§. II. In parem censum fere veniunt antiquissima illa simulatarum pugnarum atque *equestrium ludorum* spectacula, quæ h. t. *torneamenta* dicta sunt, variis legibus antiquitus instructa, quamuis a RVXNERO euulgatæ et a MODIO *cit. l. tom. II. lib. I.* latinitate donatæ a veritate longe abludant. De natalibus horum certaminum etiam eruditi, sed inani conatu, pugnant. HENRICO aucupi auspicia attribuerunt plerique, quam sententiam etiam tuetur MODIVS *cit. l. tom. II. lib. I.* commentarios Ruxnerianos fere vnice secutus: antiquiora produxit SCHVBARTVS *de ludis equestribus c. II.*, HENRICVM non primum *inuentorem*, sed *cultorem* laudans. Alii distinguunt *torneamenta* ab antiquis *hastiludiis* et pugnis, quod in illis solennior apparatus, legibus peculiaribus definitus, requisitus fuerit, nec iis quilibet, sed demum ex immaculata nobilitate orti interesse potuerint, quos vocarunt Tornier=mäßige, id quod adhuc hodie obseruant Hispani in suis ludis, vt docet Autor (quem IO. BAPTISTAM, CHRYSTINVM alii nominant) *in iurisprudent. heroica p. 57. §. 50.* Horum ergo solennium ludorum originem adscribit CANGIVS *in glossar. voce torneamentum* Gallis circa seculi XI. æuum, quod plenius illustrat IDEM *ad Ioinville diss. VI. p. 165.* atque probat B. GVNDLINGIVS *de Henrico aucupe §. 21. p. 113. sqq.* Sed quid refert de inani gloria rei inanissimæ multis disputare verbis?

Quorum natales incerti.

Olim publica autoritate munita.

Eo magis interim olim probata et iusta hæc certamina censebantur, quod *autoritate publica* celebrarentur, atque ius *torneamenta indicendi* spectaret ad imperatoris, regum, principumque imperii prærogatiuas. Plures ab iis, etiam antiquis imaginibus illustres, exclusi, imprimis criminibus famosis, vt adulterio, periurio, hæresi notati etc. de quibus consulendi SCHVBARTVS *cit. l. c. 6.* SIMON MAIOLVS *tom. II. dier. canicul. coll. VI. p. 521. sq.* MODIVS *cit. l. p. 9. sqq.*

A pontificibus damnata.

§. III. Inuisa vero admodum atque prorsus damnata fuere torneamenta a pontificibus seculo XII, quo *expeditionibus crucesignatorum*

rum admodum vacabant, operamque dabant, ne quomodocunque iis impedimentum strueretur, quod ab his solennibus spectaculis metuendum erat. Credebant, militum equitumque ad pugnandum studia rectius ad occupandam terram sanctam adhiberi, quam his equestribus ludis vires vitamque consumi. Dissimulabant *vt plurimum* pontifices hanc rationem, circumstantiæ tamen temporum docent, promouendarum sacrarum expeditionum gratia potissimum pontifices hoc tempore interdixisse hos ludos. Per plura secula iam olim similes pugnæ simulatæ, æque periculosæ vt torneamenta, vsitatæ fuere, nec tamen a pontificibus censura quadam notatæ, quod demum factum hoc æuo, bello sacro destinato. Equidem ad *ann. 824.* capitula quædam ex *concilio Remensi* sub EVGENIO II., eodem anno electo, traduntur ab HARDVINO *tom. IV. concil. p. 1258.* quorum *c. 7.* reprobatæ sunt hæ nundinæ, ceu olim vocatæ, his verbis: *Temerariam multorum audaciam, qui ad detestabiles nundinas ex condicto venire solent, ad ostentationem virium suarum, omnino et sub anathemate fieri probibemus. Quod si quis ibidem mortuus fuerit, pænitentia et viaticum ei non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.* Hæc si genuina sunt, coniecturæ adductæ locus relinqui non potest, cum iam ante *expeditiones* istas interdictæ nundinæ fuerunt. Enim vero recte obseruat HARDVINVS, hæc decreta magna ex parte ad EVGENIVM III. spectare, sub quo *concilium Remense anno 1148.* habitum est, in quo verba adducta referuntur, vt statim indicabo. Deprauata tamen sunt a falsario, quibusdam additis, quibusdam omissis. Etenim verba *sub anathemate* aperte supposititia sunt, quod hæc certamina *sub anathemate* eo tempore prohiberi haud potuerint, Francorum potentia in rebus ecclesiasticis prævalente. Nequidem seculo XII. sub *anathemate* prohibita sunt, sed tantum his, qui in iis perierunt, honesta sepultura denegata, vnde falsitas manifesta est.

Inprimis tempore expeditionis crucesignatorum.

Ante hæc tempora tolerata.

§. IV. Primus fuit INNOCENTIVS II., qui anno 1139. *in concil. Lateran. gener. II. c. 14.* apud HARDVINVM *tom. VI. P. II. p. 1210.* hoc modo contra illa detonuit: *Detestabiles illas nundinas, vel ferias, in quibus milites ex condicto conuenire solent, et ad ostentationem virium suarum et audaciæ temerariæ congrediuntur, vnde mortes hominum et animarum pericula sæpe proueniunt, omnino fieri interdicimus. Quodsi quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamuis ei poscenti pænitentia et viaticum non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura.* Vitæ discrimini ambiguo exposita fuisse torneamenta, tum tristes euentus do-

Innocentius II. primus his dicam scripsit.

Et interemtis sepulturam ecclesiasticam denegauit.

docuere, tum illud imprimis argumentum, quod feria peccatorum confessione se ad has pugnas præparare debuerint, obseruante SCHVBARTO *cit. l. c. VII. §. 2.* Paulo post eandem prohibitionem repetiit atque regustauit EVGENIVS III. *anno 1148. in concilio Remensi c. 12.* relato ab HARDVINO *cit. l. p. 1303.* et ANGELO MANRIQVIO *in annal. Cisterciens. ad cit. ann. c. 4. p. 99.* quod decretum EVGENIO II. falso adscriptum fuisse, *§. praeced.* obseruaui. Similiter ALEXANDER III, vtriusque vestigia premens iisdemque principiis insistens, anno 1179. in *concil. Lateran. III. c. 20.* torneamentorum licentiam damnauit, vnde desumtum est *c. 1. X. h. t.* ex constitutionibus præcedentibus repetitum.

Omni dispensatione præclusa,

Nec *dispensationis* beneficio indulta est sepultura his, qui in huiusmodi pugnis perierunt, quod rursus ALEXANDER III. *epist. 23. ad archiepiscopum Remensem* apud MARTENIVM et DVRANDVM *tom. II. vet. script. et monum. collect. p. 674.* prodit his verbis: *Verum licet in omnibus, quantumcunque cum DEO possumus, tam tibi, quam ei* (Cantuariensi archiepiscopo pro defuncto itidem intercedenti) *velimus deferre et petitiones vestras libentius exaudire; quia tamen a regibus, principibus, et baronibus terræ propter eandem causam sæpius affectuose rogati nullum huiusmodi precibus assensum præbuimus, ne praua illa consuetudo ex hoc incrementum posset suscipere, non graue tibi sit vel molestum, quod preces tuas in hoc prætermisimus exauditas.*

Tempore indictionis sacræ expeditionis torneamenta ad tempus omnibus interdicta.

§. V. Hac pœna *per indirectum* quidem *generaliter* abolere studuerunt pontifices torneamenta, expeditionibus sacris noxia; sed quia finem optatum impetrare non potuerunt, tandem, vbi *indictiones* ad suscipiendum iter transmarinum renouabant, sæpe omnibus et singulis sub pœna *excommunicationis* ad *certum tempus* prorsus inhibebant. INNOCENTII III. consilio id factum *anno 1215. in concil. gener. Lateran. IV.* apud HARDVIN. *tom. VII. concil. p. 78.* *Licet autem torneamenta in diversis conciliis sub certa pœna GENERALITER interdicta: quia tamen HOC TEMPORE CRVCIS NEGOTIVM per ea plurimum impeditur, nos illa sub pœna excommunicationis firmiter prohibemus vsque AD TRIENNIVM exerceri.* Denuo anno 1245. tubam belli sacri inflauit INNOCENTIVS IV. *in concil. Lugdunensi I.* eadem prohibitione, iisdem verbis repetita, vsus apud EVNDEM *cit. l. p. 394. inf.* Vnde palam est, pontifices magis propter *crucis negotium* quam aliam, quam allegant, causam his ludis equestribus dicam scripsisse. Primus postea fuit CLEMENS V. qui *in concil. Viennensi* anno 1312. celebrato *generaliter* sub excommunicatione ea prohibuit. Contenta huius decreti Viennensis re-

A Clemente V. vero generaliter,

refert IOANNES XXII. *in extrau. c. vn. h. t.* narratque, CLEMENTEM V. attente considerasse, *generale passagium, pro terræ sanctæ subsidio salubriter ordinatum, per torneamenta et hastiludia non leuiter impediri: tum quia frequenter sic ipsum passagii negotium prosecutores exinaniunt, quod ad eius executionem efficiuntur impotentes; tum quia interdum quam plures a crucis assumtione retrahunt, dum ab illis abstinere (aliis ea exercentibus) erubescunt*, ideo in regnis Franciæ, Angliæ et Alamanniæ exerceri eadem specialiter interdixisse, *in facientium ea vel id eis præstantium opem, consilium vel consensum, et illorum etiam, in quorum locis vel districtibus fierent, non prohibentium hoc cum possent, ab illorum procedentes ad illa in domibus suis recipientium vel commercium quomodolibet exercentium cum eisdem personis excommunicationis et internas interdicti sententias promulgando, absolutione ab huiusmodi excommunicatione huiusmodi præterquam in mortis articulo sedi apostolicæ reseruata.* Noxium hoc generale interdictum magis, quam profuisse expeditionibus sacris, indicat IOANNES XXII. *cit. c. vn.* quod plures metu huius fulminis a cingulo militari abstinuerint, et magnates grauiter et sollicite apud pontificem institerint, vt decretum hoc reuocaret, et in excommunicationem lapsos absolueret, id quod in *cit. tx.* factum est. Vnde palam est, nequidem post hoc decretum intermissa torneamenta fuisse, adeo, vt *generali absolutione* opus haberent, qui in excommunicationem inciderant, *dispensatione* vero illi clerici, qui in locis *interdictis*, in quibus hæc torneamenta celebrata, a diuinis non abstinuerant officiis.

Quod decretum reuocauit Ioannes XXII.

§. VI. Ceterum illi demum honesta sepultura priuabantur, α) qui ad torneamenta venerant *animo ludendi*, non qui alium in finem in hunc aduenerant locum: *c. 2. X. h. t.* β) qui *periculosis torneamentis* se commiserunt, non quæ periculo caruerunt, veluti quæ celebrata cum lanceis sine cuspide, vt putat GONZALEZ ad *c. 1. X. h. t. n. 5.* et cum eo FRANCISCVS A MOSTAZO *de causis piis lib. VI. c. 10. n. 37.* Enim vero limitatio hæc contra sanctiones papales est, quæ de *torneamentis*, eo tempore consuetis, fiebant, quæ periculo semper obnoxia erant; nec asseri potest, quod tantum certo tempore *absolute* prohibita fuerint, veluti vbi indicta fuit expeditio; supra enim iam demonstratum, quod licet non *absolute* prohibita, generatim tamen his, qui in illis perierunt, honesta sepultura fuerit denegata. Neque vero in Hispania talia pericula in *taurorum agitationibus* imminent, adeo vt etiam *constitutione* PII V. itidem interdictæ fuerint anno

Quatenus interemtis honesta sepultura denegata.

Et applicatio extensa ad taurorum agitationes.

no 1567. relata in *tom. II. bullar. magni p. 243.* ecclesiastica sepulturæ priuatis, qui in hoc cum bestiis certamine peremti sunt. *Dæmonum* non *hominum spectacula* has agitationes taurorum appellat PIVS V., quo tamen non obstante GREGORIVS XIII. ad petitionem regis PHILIPPI II. bullam præcedentem quoad maximam partem reuocauit, prohibendo tantum, α) ne fierent in diebus festiuis: β) præcipiendo, vt clerici prorsus illis abstinerent. Confirmauit hanc SIXTVS V. denuoque prohibuit, ne clerici illis interessent, neue professores in scholis et academiis licentiam contrariam inculcarent tuerenturque, prout hactenus factum erat. Ipsam constitutionem recitat GVTIEREZIVS *lib. I. quæst. canon. c. 7. n. 36.*, cui etiam *n. 44.* nouam CLEMENTIS VIII. bullam adiungit, quæ tantum *monachos* religiososque, non item ceteros *clericos*, ab his spectaculis arcet, quibus GREGORIVS XIII. et SIXTVS V., ne illis interessent, interdixerat. Tanta cupiditate ad hæc spectacula feruntur Hispani, vt nequidem *clerici* ab his abduci potuerint; quid? quod etiam pœna *denegatæ ecclesiasticæ sepulturæ* per indirectum eo ipso sublata sit, quod CLEMENS VIII. pœnas ad *terminos iuris communis* reduxerit, quo hæc pœna duntaxat decedentibus in torneamentis decreta est, vt plenius declarat A MOSTAZO *cit. l. n. 43. sqq.*

TITVLVS XIV.

DE

CLERICIS PVGNANTIBVS IN DVELLO.

§. I.

Scriptores de duellis et duellicis iudiciis.

Iis, qui in *torneamentis* occubuerunt, proxime accedunt *pugnantes in duellis* tam *clerici* quam *laici*. De illis speciatim *h. t.* agitur, sed etiam horum duella sub grauissimis censuris ecclesiasticis tandem prohibita sunt. Varia ex scriptoribus ad duella pertinentia collegit THVRMANNVS *in duellicis*, sine iudicio tamen quævis

ris consarcinauit. Potissimum hic de antiquis *iudiciis duellicis*, etiam *lericis* vsitatis, sermo est, quorum formam et rationem distinctius tra-lunt explicantque MAVRITIVS *de duellis* et EPHRAIM GERHARD *le iudicio duellico.* Historiam *duellorum* cum obseruationibus lectu di-gnissimis edidit BASNAGE in tr. cuius titulus, *dissertation historique ur les duels*, quæ præmissa est *tom. I. de l' histoire des ordres militaires.* Laicorum duella iudiciaria hic vlterius non persequar, quæ ad *purgatio-em vulgarem* pertinent, de qua infra *tit. XXXV.* agendi locus erit. Hoc itulo tantum damnantur *duella clericorum*, et quia in abolenda hac pe-te, in qua ius sceleri datum, per gradus eundum erat, clericis primo oco hæc duella interdici debuerunt.

§. II. Sciendum itaque est, lites olim per *duella*, deficiente alia robatione, peremtas fuisse, atque hoc probandi medium, quod *iudi-ium DEI* vocabant, non tantum in caussis *laicorum* sed etiam *clerico-um* et *monasteriorum* vsitatum fuisse. Refert D' ACHERIVS *in spicil. om. III. p. 376. nov. edit.* (seu *tom. XIII. p. 268. prim. edit.*) notitiam, uod duello, per vicarios ex sententia comitis RAYMVNDI sub LOTHA-IO rege suscepto, probatum fuerit, ecclesiam S. Saturnini monasterio ellilocensi debere attribui, atque certamen ideo a comite electum uisse, *quo dominus manifestare dignaretur veritatem huius rei.* Alia otitia *de anno 1149.* de duello in iuramentum commutato in causa, quæ Corbeiensem ecclesiam concernebat, refertur a MARTENIO et DV-ANDO *in vet. script. et monum. collect. tom. II. p. 330.* Alio rursus exem-lo hoc declarat WREDIVS *in histor. comit. Flandr. P. 1. p. 253.* osten-itque, ecclesias et monasteria habuisse suos *pugiles* seu *campiones*, qui ausas eorum agerent, Francosque lites suas non gladio aut pugio-e, sed *fuste* tantum et *scuto* diremisse.

Olim lites per duella decidebantur.

Etiam clericorum et ecclesiarum.

§. III. Equidem IDEM *p. 252.* alio documento docet, duella uidem *secularium* non *ecclesiasticorum* morem vsitatum fuisse, quod i *calidi ferri* aut *aquæ* iudicio se purgare solerent; interim tamen vel lud ipsum documentum, quod WREDIVS adfert, aperte probat, ab-ates monachosque vt plurimum aduersariis sæpe electionem obtu-sse, vtrum iudicium ferri calidi *secundum legem monachorum*, an ero duelli per scutum et baculum *iuxta legem secularium* præopta-ent, atque si posterior modus aduersariis placuisset, pugilem, pro ionasterio decertantem, ab abbate vel ecclesia constitutum fuisse. Hoc modo decernebant *leges Longobardorum lib. II. tit. 55. l. 40. vt ec-lesiæ seu comites et viduæ lites suas de his, qui in supra scriptis continen-*

Si aduersario id placuisset.

per pugiles.

tur, per consimiles aduocatores per pugnam dirimant. Ceteri vero naturâ liberi secundum legem pristinam per semetipsos respondeant et determinent. Facit huius moris adhuc mentionem COELESTINVS III. in *c. 2. X. h. t.* aitque: *Henricus PRESBYTER nobis humiliter insinuauit, quod cum laicum quendam super furto in seculari placito conuenisset, quia testes sui deficerent, pugilem secundum prauam terræ consuetudinem introduxit, qui reum adeo ictibus vulnerauit, quod coactus est exspirare.* Constringebantur vero campiones, antequam in arenam descenderent, solenni *iuramento*, quod crederent, eos, pro quibus pugnam susciperent, iustam defensionem habere, teste CANGIO *glossar. voce campio.* Seruis monasteriorum aliquando ex priuilegio regum datum, vt contra quoscunque pro monasteriis pugnam suscipere possent, quamuis his alias ius pugnandi denegatum esset. Tale priuilegium, teste MABILLONIO *in act. Benedict. sec. IV. P. II. p. 394. in not. lit. a.* LVDOVICVS VI. Theobaldo abbati Fossalensi anno 1118. concessit: *vt serui eius monasterii aduersus omnes homines tam liberos quam seruos in omnibus negotiis liberam haberent testificandi et bellandi licentiam.* Ne quidem in hoc subsistebant clerici et monachi, vt per *campionem* pugnam susciperent: quandoque ipsimet duello decertabant, vt docet ALEXANDER III. *in c. 1. de corp. vitiat. ordin. vel non.* adferens exemplum presbyteri Campaniæ, *qui duellum sponte obtulerat et oblatum susceperat, ast in eo partem digiti amiserat.*

Quandoque per semetipsos.

Maxime in curia seculari litigantes.

§. IV. Pluribus hoc exemplis illustrat BASNAGE dans *l' histoire des duels c. XII. §. 6.* quæ eo frequentiora erant, quod in *curia seculari* litigantes clerici per duellum probare cogerentur. Inter grauamina, quæ in *concilio Remensi*, anno 1235. celebrato, recensentur, hoc quoque adfertur caput, *quod personæ ecclesiasticæ probare debeant per duellum in curia seculari, homines de corpore suos esse.* Hac de causa supplices preces dirigit ad LVDOVICVM regem, *ne compelleret personas ecclesiasticas probare per duellum in curia sua homines, quos dicerent suos esse de corpore*, seu mancipia. Quando enim clerici agebant in foro seculari contra laicum, a quo rem vindicabant, probare tenebantur: aliis deficientibus modis, secundum morem curiæ secularis, res pugnæ deferebatur *more Francorum*, quam olim actores, cuiuscunque essent conditionis, euitare non poterant. Vid. HARDVINI *collect. concil. tom. VII. p. 258. et 259.*

Difficultas in abolendis duellis,

§. V. Ex his adlatis momentis obstacula varia, quæ abrogationem horum *iudiciorum duellicorum* non facile permiserunt, obuia sunt,

et

et quorumcunque in oculos incurrunt. Primum et principale impedimentum positum in *communi persuasione*, quæ se omnium animis olim insinuauerat, quod in *occultis* confugiendum ad *iudicium diuinum*, et firma mente tenendum esset, DEVM per duellum veritatem manifestaturum esse, vt *tit. XXXV.* specialius declarabitur. Tam grauis vero religio duellis credebatur inesse, vt pugnam suscepturi variis deuotionis actibus, confessione peccatorum, et sumtione eucharistiæ se præparare ad eam deberent, vt docet BASNAGE *cit. l. c. XIV.* Alterum impedimentum erat, quod ipsimet episcopi, abbates, monachique hoc institutum, vt *diuinæ veritatis argumentum* certissimum, laudarent, suaderent, et in causis propriis ad illud prouocarent. *Tantum potuit religio suadere malorum.* Quia itaque doctores ecclesiæ et religiosi suo exemplo aliis præibant, quid mirum, si adeo obfirmatus fuerit animus vulgi in vulgato errore, vt ab eo diuelli non posset, præsertim quod monachi campiones, in causa monasterii trucidatos, *martyrum* loco colerent. Denique tertium impedimentum fuit, quod, licet pedetentim clerici ab hoc more per concilia et decreta pontificum abducerentur, vel inuiti tamen ad duellum suscipiendum per *campionem* vel *pugilem* cogerentur, quando actoris vices *in iudiciis secularibus* obtinebant, et probatione alia destituti iudicis decreto ad hanc necessitatem compellebantur.

1) ex religione duellorum putatiua.

2) ex commendatione ipsorum episcoporum.

3) ex vsu secularium iudiciorum.

§. VI. Quia vero plerique pontifices ab hoc iudicio abhorruerunt, rati, per *monomachiam* tentari diuinum numen iuxta *c. 22. C. 2. qu. 5.*, variis remediis duella clericorum eradicare studuerunt. Primo generaliter his duellicis iudiciis dicam scripserunt, vt ad *tit. XXXV.* docendum. Quia vero hac generali improbatione non obstante per plura secula *fora secularia* antiquo mori insistebant, necesse erat pontificibus et episcopis, vt clericis in *foris secularibus* litigantibus necessitas, committendi causam suam duellis, *beneficio regum* remitteretur, ipsique prorsus a pugnis subeundis præstarentur immunes. Hanc clericorum exemtionem legatus pontificis PETRVS LEO in Anglia obtinuit anno 1176. ab HENRICO II., teste MATTHAEO Paris. *ad cit. ann. p. 110.* Idem priuilegium a rege Galliæ sollicitabant patres *concilii Remensis* anno 1235., vt *§. III. in f.* ostensum est. Hoc impetrato, facilius clerici, ad duella adhuc admodum procliues, pœnis variis ab hoc pessimo more auocari poterant, ne vltro pugnæ causas suas committerent. *c. 1. X. de purgat. vulg. c. 9. in f. ne cleric. vel monach. secul.* Etenim non tantum *irregulares* hoc ipso fiebant, san-

Tandem a pontificibus clericis interdicta,

et exemtio clericorum in foris secularibus impetrata a regibus.

addita irregularitatis pœna.

ſanguinem ſitientes, ſed etiam deponebantur, ſiue victi ſiue victores extitiſſent, ſiue *immediate* ſiue *mediate* per *pugiles* pugnam ſuſcepiſſent, quamuis homicidio non ſecuto, cum eis diſpenſari potuerit. *c. 1. et 2. X. h. t.* Ad hanc diſpenſationem eo proniores illo tempore erant pontifices, quod non vbique regum principumque beneficio a duellis immunes eſſent, adeoque in foris ſecularibus agentes ſæpe illa euitare haud poſſent.

TITVLVS XV.

DE SAGITTARIIS.

§. I.

Bella quidem ad iura gentium ſpectant, ſed horum arbitrium etiam pontifex ſibi aſſeruit.

A *Duellis priuatorum* ad *bella gentium* inter ſe, maxime eccleſiæ Romanæ addictarum, progreditur RAYMVNDVS. Hæc quidem *iuris gentium* ſunt; verum etiam pontifici in *gentes* quantascunque arbitrium: quid ergo mirum, quod etiam *iura gentium* determinet, limitet, et ſuo ſubiiciat pedo? quid mirum, quod etiam bellis leges præſcribat, et controuerſias inter gentes ad ſuum reuocet tribunal? Hæc prærogatiua tribuitur *ſacerdotio*, cui gentes etiam ſubiectæ. *Dictum enim eſt*, ex philoſophia INNOCENTII III. in *c. 6. X. de maior. et obed. non a quolibet, ſed a Deo, non regi, ſed ſacerdoti: non de regia ſtirpe, ſed de ſacerdotali proſapia deſcendenti, de ſacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot: Ecce CONSTITVI TE SVPER GENTES ET REGNA, vt euellas et diſſipes, ædifices, et plantes.* Argumento eodem vſus PIVS V. ELISABETHAM reginam excommunicauit in bulla *tom. II. bullar. p. 303.* relata, in cuius proœmio magnopere extollit poteſtatem pontificis, aitque: *hunc vnum SVPER OMNES GENTES, ET OMNIA REGNA principem conſtituit, qui euellat, deſtruat, diſſipet, diſperdat, plantet et ædificet.* Cum ergo pontifex, vt *ſummus ſacerdos*, etiam conſtitutus ſit *ſuper gentes*, ad eum quoque pertinere cenſent curiæ Romanæ ſodales dictum ſacrum: *adorabunt eum omnes GENTES; omnes GENTES ſeruient ei*, vt illuſtra-

ſtratum in *diſſ. prælim. tom. IV. p. 9. in f.* Præterea illud etiam ex *apocal. II. 26.* ei attribuunt: *qui vicerit et cuſtodierit vsque in finem, dabo illi poteſtatem SVPER GENTES*, vt rurſus *cit. l. §. 68. p. 66.* monſtraui. Grauius adhuc pondus pontificali poteſtati *in gentes* accedere creditur ex *Pſ. II, 8.* vbi vates de papa: (ſi vera eſt fabula) *poſtula et dabo tibi GENTES hereditatem tuam, et poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Secundum hoc vaticinium, quod credula mente tenendum, *gentes* ſunt patrimonium pontificis, eis ius dicit: regna eorum diſtribuit et aſſignat bene meritis: reges conſtituit, excommunicat atque deponit, et ita *ius* prorſus *nouum gentium* in papatu introduxit, quod euictum *cit. l. p. 67. ſqq.* et *ad tit. de accuſat. p. 600. ſqq.* ac vlterius declaratum *in extrav. comm. vnam ſanctam. de maior. et obed.* Huic qui contradicit, hæreſin committit ex ſententia IACOBI COHELLII *in comm. in bullam Clementis VIII. de bono regimine c. 1. n. 7.*

inde nouum ius gentium format.

§. II. Virtute huius (I) controuerſiam inter PHILIPPVM regem Galliæ, et IOANNEM II. regem Angliæ ad ſuum reuocauit tribunal, poſtquam hic INNOCENTIO III. negotium denunciauerat. Nec admiſſa eſt exceptio *fori incompetentis: ius gentium papale* plura ei in *c. 13. X. de iudic.* argumenta ſuppeditauit, ex quibus ſuum iudicium in hac cauſa legitimare potuit. Fundamenta pleraque et adhuc noua adducta ſunt in *epiſtola Innocentiana*, quam integram exhibet MANRIQVE *tom. III. annal. Ciſterc. ad ann. 1204. c. 5. p. 427.* BALVZIVS autem a ſua collectione epiſtolarum eiecit. Cenſuram in hoc *ius gentium papale* dedi *tom. I. p. 874.*

controuerſias gentium decidit.

§. III. Pariter virtute eius (II) belligerantibus etiam treugas, induciaſque indixit, quod rurſus *cit. l. p. 875.* demonſtratum eſt. Nihil ergo a ſuo officio alienum ſe feciſſe credidit pontifex, quod etiam (III) *genera armorum* inter belligerantes determinauerit, et maxime *nociua* tollere ſtuduerit. Huc vergit *c. vn. h. t.*, deſumtum ex *concil. Lateran. II.* ſub INNOCENTIO II. *anno 1139.* celebrato *c. 29.* apud HARDVIN. *tom. VI. P. II. concil. p. 1214.* *Artem autem illam mortiferam et DEO odibilem balliſtariorum et ſagittariorum aduerſus Chriſtianos et catholicos exerceri de cetero ſub anathemate prohibemus.* Dicebantur *baliſtæ* ἀπὸ τοῦ βάλλειν *jacere*, quod his inſtrumentis graues lapides eminus mitterentur ad frangendos muros, ſtragemque inſignem hoſtium faciendam, quorum formas varias exhibuit eruditus Ieſuita DANIEL *dans l' hiſtoire de la milice Francoiſe p. 47.* In aprico ergo eſt, vſum *Baliſtarum* et *Sagittarum* ſeculo XII. iam ſatis notum et

belligerantibus inducias indixit.

genera armorum determinauit.

baliſtas proſcripſit.

et ſagittas.

frequentem fuiſſe, vt fidem non mereatur GVILIELMI BRITONIS *lib. II. philipp. verſ. 315.* ſententia, Gallis circa finem ſeculi XII. demum innotuiſſe vſum baliſtarum. Ita enim poeta:

Francigenis noſtris illis ignota diebus
Res erat omnino, quid baliſtarius arcus,
Quid baliſta foret; nec habebat in agmine toto
Rex quenquam, ſciret armis qui talibus vti.

Et tamen paulo poſt poeta *verſ. 575.* *baliſtas* inter inſtrumenta bellica regis Galliæ vſitata et nota enarrat locatque:

Nec tamen interea ceſſat baliſta vel arcus
Quadrellos hic multiplicat, pluit ille ſagittas,
Funda breuis fundit lapides, glandesque rotundas etc.

Sine effectu tamen.

Denique etiam hic locus docet, *ius* hoc *gentium papale*, quod belligerantibus leges præſcripſit, inane et ſine omni effectu fuiſſe, quamuis curiæ Romanæ ſatis fuiſſe videatur, poteſtatem exercuiſſe inter gentes legislatoriam, vtut conatu fruſtraneo, quod facile præuidere poterat. Neque enim explicatio GONZALEZII *ad h. tx. in f.* fundamentum habet, nec ex verbis textus euinci poteſt, pontificem primario prohibuiſſe, ne baliſtæ et ſagittæ ad inimicos fidei deferantur, cuius circumſtantiæ nullam facit mentionem, ſed generatim artem ipſam *baliſtariorum* et *ſagittariorum* contra catholicos exercere prohibet.

Ius belli contra hæreticos exercet.

§. IV. Exercet etiam (IV) vi huius *iuris gentium IVS BELLI* contra hoſtes reipublicæ eccleſiaſticæ, *hæreticos* ſcilicet et *ſchismaticos*, vt oſtenſum eſt *tit. de hæretic. §. 132. ſqq.* Etenim conuocat gentes ad debellandos infideles et hæreticos: conſcribit milites per emiſſarios monachos, crucem prædicantes: largiſſima præmia promittit arma capeſſentibus, indulgentias ſcilicet plenarias viuentibus; *c. 13. verſ. catholici X. de hæret.* in clade vero contra hoſtes decedentibus vitam æternam. *c. 9. C. 23. q. 8.* Neque enim *amplius* arma eccleſiæ ſunt *ſpiritualia*, vt apoſtolico æuo, quo eccleſia *plantanda* demum erat: diuerſa ratio eſſe dicitur eccleſiæ *plantatæ*, in formam reipublicæ compoſitæ, et ita efformatæ, vt militia externa carere nequeat.

Militantes inſtruit, quatenus pugnare teneantur in hoſtem educti.

§. V. Quin etiam (V) militantes hoc ius gentium inſtruit, quatenus contra hoſtes in prœlium educti pugnare debeant, ſiue *ſubditi* principis belligerantis fuerint, ſiue *extranei*, ab eo tamen conducti. Etenim ſi is, cuius auſpiciis bellum ſuſceptum, a ſacris Romanis alienus eſt, milites vero catholicos alit, non indiſtincte his licitum eſſe credunt ANSELMVS DANDINVS *de ſuſpectis de hæreſ. c. IV. ſect. II. n. 15.* et

et ANTONIVS RICCIVLLVS *de iur. perſon. extra grem. eccleſiæ exiſt. lib. I. c. XI.* ad iuſſum principis *hæretici* pugnare, ſed non ſubditos, numeris eius adſcriptos, ab omni prœlio abſtinere iubent, ne videantur defenſores eſſe hæreticorum excommunicationi ſubiecti; *c. 13. X. de hæret.* ſubditos vero tunc etiam, ſi bellum *religionis cauſa* ſuſceptum, ſeu contra *eccleſiam Romanam*, quod grande nefas cenſetur.

§. VI. Denique (VI) fœdera principum catholicorum etiam hoc *iur gentium papale* circumſcribit, ne ſine delectu ineantur cum hæreticis, illique in auxilium contra alios vocentur, vt docet *Carolus Anton.* THESAVRVS *de pœn. eccleſ. P. II. p. 89.* Noti ſunt fluctus, regi Hiſpaniæ anno 1629. ideo motis, quod cum ROHANAEO, ſacris reformatorum addicto, fœdus iniuerit contra regem Galliæ. In eius limine rex Hiſpaniæ ſe ab omni culpa purgare ſtuduit, allegando*: ſibi tradita a DEO regna, et feuda ampla, quæ conſeruare teneatur quoquo modo: chriſtianiſſimum regem Batauis, regi ſuo rebellibus, opem inſerre ſolitum: nec contra moueri, quod hæretici ſint et perduelles: par pari rependere ſe, cum ſectariis Galliæ opituletur, quod poſtquam conſilio conſcientiæ communicauerat, ita fieri poſſe et expedire, reſponſum eſſe, teſte* GRAMMONDO *in hiſtor. Gall. ad cit. ann. p. 794.* Conf. filii ſecundo-*geniti opuſc. de iure milit. eccleſ. c. 1. §. 12. lit. kk. in not.*

Fœdera denique circumſcribit, cum hæreticis non ineunda.

TITVLVS XVI.

DE ADVLTERIIS ET STVPRO.

§. I.

Delictis *carnis* primario annumerantur *adulteria* et *ſtupra*, quæ intuitu *pœnitentiæ* ſubeundæ ſub cenſuram eccleſiaſticam reuocantur. Habent ergo hæc delicta duplicem iudicem, *eccleſiaſticum* et *ſecularem*: habent etiam duplicem pœnam, *eccleſiaſticam* et *criminalem.* Illa in *pœnitentiis* quærenda: hæc in criminalibus plectendi modis: illam *correctionem canonicam*, hanc *pœnam iuſtitiæ* appellant. Aſt facies rerum hodie admodum inver-

In criminibus carnis pœnitentiæ in mulctas mutatæ.

Maxime in archidiaconorum iudiciis.

versa et scena mutata est. In nonnullis episcopatibus Archidiaconi hæc crimina ad suam correctionem, contra morem et rationem iuris canonici, quæ tantum leuiores excessus illis concessit, *c. 5. X. de archidiac.* traxerunt, et *pœnitentias*, adulteris et stupro se maculantibus indicendas, in *mulctas pœnasque pecuniarias* transmutarunt, quod licet in *c. 3. X. de pœn.* seuere prohibitum, adeo tamen radices egit, vt aboleri haud potuerit.

Inde duplici pœna plectuntur delinquentes.

Ita vero reuera duplici *pœna criminali* adfliguntur his criminibus inquinati, cum palam fit, pœnam pecuniariam seu mulctam non *spiritualem* correctionem, sed *pœnam secularem* esse. Exemplo Archidiaconi Osnabrugensis, hanc potestatem sibi arrogantis, hic abusus demonstrari potest, cui grauiter litem mouit episcopus, vt docent ea, quæ prolixius hoc de argumento attulit Dn. KRESSIVS von dem *archidiaconal*-Wesen des Hochstifts Oßnabrück *p. 271. sqq.* Sed de hoc *abusu pœnitentiarum* infra locus dicendi erit. Persequar hic tantum ea, quæ ex iure canonico in fora nostra intuitu horum criminum transiisse videntur.

Lex Mosaica contra stupratores ex vulgata.

§. II. Videlicet compilator in *c. 1. X. h. t.* repetit *legem Moisis* in stupratores *Exod. XXII, 16.* latam, et quidem iuxta *vulgatam*: *si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam et habebit eam vxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt.* Quidam sacrum textum vertunt, *dotando dotabit eam sibi in vxorem*: alii: *desponsando desponsabit eam sibi in vxorem*, vt SELDENVS *de vxore Hebr. lib. I. c. 16.* obseruat.

Ex veriori versione.

CLERICVS *in comm. ad pentat. cit. l.* hac versione vsus est: *eam sibi vxorem ducere properet*, seu: *festinando festinabit eam sibi in vxorem*, quod legislatoris intentio huc vnice redeat, vitiatam simpliciter ducendam esse a vitiatore, idque confirmet etiam IOSEPHVS *lib. IV. c. 8. §. 23.* legem prædictam hoc referens modo: *qui vitiauit virginem nondum desponsatam, ipse ducat.*

Quæ non dotem sed præcise matrimonium indicit stupratori.

De *dote* ergo in prima periodo non fuit actum, sed demum in *secunda.* Quamuis enim conclamatum sit, vxores ducturos *munera* et *quasi pretium emtionis* parentibus filiarum dedisse, obseruantibus B. GVNDELINGIO *de emt. vxor. c. 1. §. 3.* et CLERICO ad *Genes. XXIX, 18. XXXIV, 12.* hoc tamen intelligendum sine dubio de his sponsis, qui virginis non vitiatæ ambiebant nuptias; non vero æque *absolute* applicari poterat ad *vitiatas.* Etenim aut pater *vitiatæ* matrimonium recusabat, aut vrgebat, vt stuprator secundum legem MOISIS stupratam duceret, etiam inuitus. Illo casu per munera placandus erat pater, placandi etiam

etiam vitiatæ fratres ex regulis *prudentiæ*, et *decori* illius temporis, provt illuſtrat CLERICVS *ad cit. c. XXXIV, 12.* Hoc ipſum perſpicue probat exemplum SICHEMI, qui Dinam, IACOBI filiam, a ſe vitiatam, in matrimonium a patre et fratribus eius, nuptias has reſpuentibus, petebat, atque inter alia hæc iis proponebat: *Maximam a me petite dotem, et donum nuptiale, quemadmodum dixeritis, dabo, puellamque hanc mihi vxorem concedite. Geneſ. XXXIV, 12.* Si vero pater vitiatæ nihilominus in has nuptias conſentire nolebat, pecuniam *pro ſolita virginum dote* adpendere debebat ſtuprator, quæ determinata eſt *Deut. XXII, 29.* Altero vero caſu, ſi pater vitiatæ ſtupratorem ad ducendam vitiatam compellere ſatagebat, dos vel ideo haud danda erat, quod pater filiæ maritum quærere, et *vitiatorem inuitum* ad ducendum quouis modo inducere deberet. Dona nuptialia eo caſu deſiderabantur, ſi a proco ſollicite quærenda in matrimonium puella: ſi patris voluntas blandis expugnanda verbis, muneribus, donis: denique ſi iuuenis vxorem, non puella maritum quæreret. Quæ ſi perpendo, CLERICI verſionem et IOSEPHI ſententiam ad mentem legis Moſaicæ magis conuenire, vulgatam autem verſionem ab ea recedere, prorſus exiſtimo, præſertim cum textus originalis ſenſus vno, vulgatæ vero duobus conſtet membris, quorum prius huc redit: *dotabit eam;* poſterius vero: *et habebit eam vxorem.*

Si pater ſtupratæ hoc vrgebat.

Erronea verſio vulgata duo deſiderat, dotem et nuptias.

§. III. Sicuti vero vnus error contra mentem legis commiſſus facile alios plures procudit, ita *interpretes iuris canonici* nouam prorſus tum a *iure diuino*, tum a *mente pontificum* abeuntem doctrinam introduxerunt, autoritate gloſſæ decepti, eamque etiam ad *conſiſtoria proteſtantium* propagarunt. Demonſtratum videlicet eſt, ex *lege diuina* ſtupratam ducendam fuiſſe, niſi pater eam ſtupratori in matrimonium dare renuiſſet, quo caſu demum *dotanda* erat. Iam olim iuris iudaici conſulti in deuia prolapſi cenſuerunt, lege iſta *ſimplex praeceptum* de vxore ducenda non contineri, ſed duntaxat de mulcta nomine virginitatis ereptæ ſoluenda, *perinde ac ſi dictum fuiſſet, tantum nomine dotis pendat, quantum eam idoneam ei, dotis ſcilicet ratione, redderet vxorem, et ſi vterque velit, nuptiis iungantur: ita tamen, ſi aut is ipſe, aut puella, aut puellæ pater renueret, (nam horum cuique hac in ſpecie illud integrum fuiſſe volunt,) mulctam is, velut dotem virginalem, patri perſolueret*, quam interpretationem ex mente Hebræorum ſiſtit SELDENVS *de vxore Hebraica lib. I. c. 16.* Iam animaduertit CLERICVS, hanc interpretationem a mente legis diuinæ eſſe alienam, quæ

Hebræorum praua interpretatio.

arbitrium ſoli patri, cuius intererat, vitiatam matrimonio iungi cum ſtupratore, dedit. Hic ſi fauori pro ſe introducto renunciaret, ſi conditionem nubendi, forſan quod ſtuprator indignus eſſet, abiiceret, tunc demum ſtuprator *mulctam ereptæ virginitatis* ſoluebat, quod etiam GROTIVS *in comm.* animaduertit. Hanc ſententiam quoque CYPRAEVS *de iur. connub.* §. *11. p. 476.* legi Moſaicæ tribuit, vt ſtuprator eam ducere debuerit, *ſiue parentes ſtupratoris annuerint ſiue non: dummodo ſtupratæ parentes ipſam ei dare non renuant.* Huc etiam collineare videtur CALOVIVS *in comment. ad h. l.* quamuis in eo a SELDENO, CLERICO aliiſque recedat, quod credat, legem *Deut. XXII, 28.* recitatam eandem eſſe cum ea, quæ *Exod. XXII, 16. 17.* traditur, in quo tamen meo iudicio errat, quia vim virgini inferens tunc demum morte punitus videtur, ſi pater vitiatam in vxorem ei dare noluerit.

Interpretum iuris canonici erronea interpretatio.

§. IV. Interpretes iuris canonici ſimilem fere errorem errarunt. Retulit RAYMVNDVS *in c. 2. X. h. t.* ex GREGORII M. *lib. II. epiſt. 40. et 42.* caſum ſequentem: *peruenit ad nos, quod Felix quandam virginem* (Diaconi) *ſtupro decepit: quod ſi verum eſt, quamuis eſſet de lege* (Romana) *pæna plectendus, nos aliquatenus legis duritiem mollientes, hoc modo diſponimus, vt aut quam ſtuprauit vxorem habeat:* (iuxta legem Moſaicam) *aut ſi* (per extremam contumaciam) *renuendam putauerit,* (in ſubſidium ſubeat pœnam legis tum criminalis tum eccleſiaſticæ, et) *corporaliter caſtigatus excommunicatusque in monaſterio, in quo agat pænitentiam, detrudatur, de quo nulla ſit egrediendi ſine præceptione licentia.* Palam eſt atque manifeſtum, GREGORIVM non tam *alternatiue* hic diſpoſuiſſe, quam potius *ſubſidiarie* pœnam decreuiſſe, hoc ſenſu, vt ſtuprator quidem obligatus eſſe, atque adigi deberet, ad ſtupratam ducendam iuxta *legem diuinam*; aſt ſi per extremam contumaciam ad hoc adigi nequiret, (quod ad matrimonium contrahendum abſolute quis nequeat compelli) *in ſubſidium* eſſet pœna debita plectendus. Hæc eſt legum quarumuis pœnalium ratio, vt quidem *abſolute* obligent, ad ſatisfaciendum legi; *in ſubſidium* vero ad pœnam. Falſa omnino eſt ſententia nonnullorum interpretum, leges pœnales eſſe *alternatiuas*, et ad alterutrum, aut ad *legis obſeruantiam* aut ad *pœnam* ſubeundam obligare; ita enim electio foret penes delinquentem, quod contra mentem legislatoris eſt. Hic enim, quatenus in delictis diſponit de ſatisfactione læſo facienda, hanc *primario* intendit, pœnam tantum *ſecundario* et *in ſubſidium.* *Alternatiuæ*

Pontifex enim in. c. 2 X. h. t. non diſponit alternatiue.

Quod nec ſit in quauis lege pœnali.

tiuæ obligationis eſt diuerſa ratio, quæ optionem relinquit debitori, vtrum hoc vel illud præſtare malit: in *ſubſidiaria* diuerſum obtinet, in qua legislator *omnino* et *principaliter* intendit ſatisfactionem læſi, eam præcipit, inculcat, imperat: vbi ad eam per delinquentis contumaciam deueniri nequit, tandem *euentualiter* et *in ſubſidium* pœnam conſtituit, eamque executioni mandat, quam tanquam medium, ad legis obſeruantiam, vnice quæſitam et primario inculcatam, perueniendi, legi addidit, ægre tamen magis atque inuitus. GREGORII ſententia huc itidem vnice redit. Serio intendit et vult, vt ſtuprator vitiatam ducat: ſi obligationi huic pertinaciſſime ſatisfacere renuit, caſtigationi, excommunicationi, et detruſioni in monaſterium eum ſubiicit.

§. V. Ex hoc textu colligunt interpretes, (I) ſtupratori, vitiatam ducenti, pœnam ſtupri remitti, vel ad minimum mitiorem decerni. Id potiſſimum agit GREGORIVS M. vt ſtupratorem hoc modo eo facilius inducat, ad ducendam ſtupratam, et hac de cauſa legis duritiem molliendam eſſe exiſtimet. Idem quoque CARPZOV. *in pr. crim. qu. 69. n. 53.* et *in iurispr. conſiſtor. lib. III. def. 80.* probat atque tuetur, et quidem *in fauorem matrimonii*, adeo vt quandoque omnis pœna, etiam *deprecationis publicæ*, *ex iuſta cauſa* a conſiſtorio remitti queat, prout IDEM *cit. def. 80.* declarat, quod rationem habet. Pœna enim, quæ alias ſtupratoribus imminet, non amplius ex *legum Romanarum* diſpoſitione, (quæ non recepta) ſed magis ex vſu *fori eccleſiaſtici*, quod loco pœnitentiæ *mulctam* vtrique imponit, determinari ſolet, vt ad leuiorem mulctam vel carcerem vterque condemnetur, quæ matrimonio inito facilius remitti potuit, ſublato ſcandalo.

Stupratori vitiatam ducenti mitior pœna dictatur.

§. VI. Præterea (II) inde colligunt, ſtupratorem cum vitiata non præciſe ad matrimonium ineundum condemnari poſſe, ſed illum ut eam *ducere*, aut *dotare* teneri ex mente iuris canonici. Hoc modo videlicet interpretes vtrumque textum in *c. 1. et 2. X. h. t.* coadunandum eſſe cenſent, vt vel iuxta *c. 1.* eam ducat, vel ſi hoc nolit, iuxta *c. 2. h. t.* pœnam ſubeat, cuius loco tamen receptum eſſe aiunt, vt ſtupratam dotet ex ſententia GONZALEZII *in comm. ad c. 2. X. h. t. n. 7.* *f.* PIRHINGII *ad h. t. ſect. II. §. 2; §. 41.* FAGNANI *ad cit. c. 2. n. 2.* IESTNERI *ad h. t. art. 2. n. 21.* FONTANELLIAE *de pact. nuptial.* *V. gloſſ. 5. P. 1. n. 8.* *Cardinalis* DE LVCA *tom. XI. diſc. 142. de dote* *72.* BARDILI *de ſatisfactione ſtupratæ c. II. n 15.* STRYKII *ad ius* *leſ. Brunnem lib. II. c. 18. n. 26.* CARPZOVII *in iurispr. conſiſt. lib. 2.* *f. 228.* aliorumque, quod præciſe cogi nequeat ad ducendum

Vitiatorem alternatiue obligari, aut ad ducendum aut dotandum, per errorem crediderunt interpretes.

vitiatam, ſed *alternatiue*, vt aut ducat aut pœnam ſubeat; quæ vſu fori in *dotatione puellæ* conſtituta dicitur. Enimuero α) *legi Moſaicæ* hæc ſententia non conuenit, vti iam antea dictum, quæ demum *dotem* exigit a ſtupratore, ſi filiam ſtupratori dare in connubium renuit pater, adeoque aſſeri nequit, legem Moſaicam eo ipſo, quod in *c. 1. X. h. t.* recitata fuerit, in vſum eſſe reſuſcitatam vel reductam. β) Neque hæc doctrina congruit cum mente *c. 2. X. h. t.*, quæ itidem *præciſe* obligat ſtupratorem ad ducendum; *in ſubſidium* vero *contumacem* ad ſubeundam pœnam eamque grauiſſimam, *caſtigationis*, *excommunicationis* et *detruſionis in monaſterium* ad pœnitentiam perpetuam agendam. Sicuti autem nulla *lex pœnalis* proprie *alternatiue* obligat, ita quoque idem de ſententia *c. 2. h. t.* dicendum eſt. γ) Dotatio, quæ hodie puellæ ſtupratæ aſſignatur, non eſt pœna, ſed *ſatisfactio priuata* pro ſeductione ad concubitum et iactura pudicitiæ, qua de cauſa non obſtante dotatione nihilominus adhuc vtrique pœna imminet. Vnde nihil ſupererit, quam dogma fori hodiernum eſſe plane *ius nouum*, quod recedit tum a ſententia *legis diuinæ;* tum a mente *c. 2. X. h. t.* magisque ex interpretum gloſſis ortum, quam in *iure canonico* fundatum. Quamuis enim BROVWERVS *de iure connub. lib. 1. c. 26. n. 40.* audacter aſſerat, ius pontificium copulatiuam: *duc ET dotes*, reſoluiſſe in alternatiuam: *AVT duc AVT dotes;* non tamen demonſtrat, (quod tamen interpreti iuris incumbit) quonam in textu *ius pontificium* hanc immutationem fecerit, niſi eam metamorphoſin, quam interpretes iuris huius ſubſtituerunt, pro *dogmate iuris canonici* adſumere velit, id quod tamen ratio iuris non permittit, vt recte ſtatuit MEVIVS *ad ius Lubec. P. IV. tit. 5. art. 1. n. 2.* idemque tradit BARDILI *de ſatisfact. ſtuprat. c. 2. n. 12.* Nihilominus tamen alternatiuam *in praxi* obtinere tradit CARPZ. *in iurispr. conſiſt. lib. 2. def. 229. n. 8.* quod etiam teſtatur STRYK. *ad Brunneman. ius eccl. lib. II. c. 18. §. 26.* nec diffiteri poſſum, vbique locorum *fere* hoc *dogma interpretum iuris canonici* eſſe receptum *vſu communi*, et in conſiſtoriis noſtris approbatum. In cauſa ſine dubio eſt, quod plerique ICtorum magis *ex mente aliorum* quam ex propria meditatione et interpretatione rationes ſubducant, attendentes, non quod legibus cautum, ſed quod *ex praeiudicio autoritatis* communiori ſententia approbatum, et conſenſu quaſi vnanimi pro iure aſſumtum eſt. *Ordinatio Conſiſtor. Marchica tit. 62.* magis accedit ad ſententiam iuris canonici in *c. 2. X. h. t.* relati, quippe qua hoc modo cautum: ſoll der Thäter die geſchwächte Perſon zu nehmen ſchul-

Quod dogma ius plane nouum eſt.

In foris proteſtantium approbatum.

ſchuldig ſeyn, oder in Weigerung des, vermöge der Rechte geſtraffet werden. Vix credi poteſt, legislatorem ſub *pœna* intellexiſſe obligationem ad *dotandum*, vt pote quæ *ad pœnam* in iure canonico haud tracta eſt, cum tamen prouocet potius ad pœnam *iuris communis*, quæ hanc *dotationis* pœnam commentitiam ignorat. Nihilominus tamen STRYKIVS veram huius textus ſententiam, a ſocero ſuo BRVNNEMANNO *cit. l.* aſſumtam, deſerit, et aliter in Facultate Viadrina pronunciatum eſſe teſtatur. Denique ne quidem hoc aſſeri poteſt, *dotationem* ex iure Moſaico eſſe aſſumtam, quod eam demum adiudicat patri ſtupratoris, ſi filiam in matrimonium ſtupratori dare recuſat, ſtupratorem autem *abſolute* ad ducendum obligat. Dicendum itaque, 1) *vulgatam verſionem*, in *c. 1. h. t.* relatam, et 2) *erroneam* interpretum *explicationem* vſum communem iudiciorum eccleſiaſticorum fabricaſſe et efformaſſe.

De principio dotationis ſtupratæ. Ex ſtatu et dignitate eius deſumendo.

§. VII. *Dotanda* ergo eſt vitiata a ſtupratore. Sed quis quantitatem *dotis* determinabit, et quodnam principium in determinatione ſequendum? In *conſtit. elect. Saxon. p. 4. conſt. 27.* fundamentum petitur ex *ſtatu* et *dignitate puellæ* deceptæ: ſo ſoll er ſie ihres Standes und Herkommens nach dotiren, und da ſie von ihm Leibes-Frucht hat, dieſelbe auf gerichtliche Ermäßigung veralimentiren, und darüber mit zeitlicher Gefängniß geſtrafet werden. Pariter in *Statutis Hamburg. P. IV. art. 28.* idem aſſumtum principium: Wann aber ein unverehlichter einer Jungfrauen ihre jungfräuliche Ehre nimmt, oder eine unberüchtigte Witwe fleiſchlich erkant, ſo iſt er dieſelbe zu ehlichen, oder ihr nach ihrem Stande den Braut-Schatz zu entrichten, auch da ſie ein Kind von ihm gezeuget, demſelben die alimenta und Unterhalt zu ſchaffen, und deswegen der Verbrechung der Rechte nach Ermäßigung zu wetten ſchuldig. Idem fundamentum communiter aſſumunt interpretes iuris canonici, ſtatuentes, ſtupratam eſſe dotandam *pro conditione ſtupratæ puellæ, cuius dignitas et conditio inſpicienda*, vt ait IO. WAMESIVS *cit. l. n. 1.* BROVWERI *cit. l.* ſeu *quantum virgines eius qualitatis in dotem accipere ſolent*, vt cenſet PIRHING *cit. l. n. 4.* vel vt ait WAMESIVS *cit. l. n. 6.* ſpeciatim: *per iudicem conſtituenda erit quantitas, non quantum a parentibus acciperet ſtuprata, ſed vltra etiam in quantum ratione illius corruptionis eius conditio deterior facta.* Vnde rurſus duo fluunt, α) *dotis* huius debitum haud abſorbere *pœnam* ſtupratoris, quæ adhuc nihilominus ei dictatur: β) dotem ab interpretibus iuxta iuris Romani principia determinari, quod docet, pu-

Quo ipſo in conceptu dotis nimis ſtricte ſubſiſtitur.

puellam esse dotandam secundum dignitatem et facultates patris. Quid vero si puella quidem *honesta* sed inops est, vt omni careat dote? quid si pater eam dotare nequeat? quid si infimo loco nata, sed diues est? an nihilominus dos ex hoc determinanda *principio*? quo tempore vero debetur? an statim, an vbi maritum reperit? Quilibet facile animaduertit, in plures syrtes incidere eos, qui in hoc solo subsistunt principio, adeoque indagandum, annon certius *principium regulatiuum* constitui possit.

Debitum hoc 1) non est dos proprie dicta,

§. VIII. Præmitto itaque, debitum hoc, quod vitiatæ hodie præstandum est, non esse (I) *dotem*, neque eam, quæ *iure diuino* constituta; neque eam, quam *ius Romanum* agnouit. Hæc duntaxat debetur contractis nuptiis; *iuris diuini* præstatio *patri* puellæ debebatur in compensationem iniuriæ ei illatæ, si in nuptias consentire nolebat. Enim vero hæc præstatio, quæ sub nomine *dotis* vitiatæ hodie addicitur, longe est diuersæ indolis, quæ 1) statim debetur, vt tempus nuptiarum non sit expectandum: 2) nec restituitur, si vel maxime nunquam matrimonium ineat: 3) debetur, si vel maxime moriatur, antequam nubat, adeo vt ad infantem, heredesque alios eam transmittat, vt CARPZOV. *in pr. crim. qu. 68. n. 32. sqq.* recte obseruat. Neque vero (II) est *pretium deflorationis* vel *ereptæ virginitatis compensatio*, prout nonnulli constituunt, allegantes, der Beklagte müsse ihr den Braut-Krantz bezahlen, vt loquitur NICOLAI *de repud. et diuort. P. I. p. 37.* Nam etiam *viduæ* honeste viuenti dotem hanc assignant leges prouinciales, vt *ordin. Magd. Polit. c. 69. §. 1.* ibi: eine unberüchtigte Jungfrau oder Witwe, *Stat. Hamb. P. IV. art. 28. ordin. Consist. Marchica tit. 62. Constit. elect. Sax. 27. p. 4.* Qui cum FABRO *lib. 9. tit. 7. def. 5.* SANDIO *lib. II. tit. 2. def. 20.* STRVV. *ex. 49. th 25.* IVL. CLARO *§. stuprum n. 4.* aliisque impunitum tale stuprum esse censent, in eo vnice se fundant, quod vidua compensationem ereptæ virginitatis allegare nequeat, quod principium tamen erroneum est. Neque denique (III) dotatio *pœnam* constituit, ceu statuit FONTANELLA *cit. l. n. 13. et 16.* indeque varios nectit errores. Iure diuino quidem, si pater filiam stupratori in matrimonium locare nolebat, patri *pœnam* soluebat; id vero ad eam *dotem* applicari nequit, quam vitiata petit *in subsidium.*

quia statim debetur, etiam non secutis nuptiis & cum iure transmissionis.

2) non est pretium deflorationis,

neque 3) pœna est.

Sed magis præstatio eius quod interest.

§. IX. Dicendum itaque est, in hac *dote vmbratili* magis contineri *satisfactionem stupratæ*, seu præstationem eius *quod interest*, quod difficiliorem eius nubendi conditionem fecerit stuprator, nec illa

illa ob ſtuprum illatum facile maritum inuenire queat. Vulgatiſſimum enim eſt, id quod puellis & filiabus vel loco alimentorum vel alia de cauſa aſſignatur, *dotem* dici, quod in hac, ex conceptu *iuris Romani*, primarium mulierum patrimonium conſiſtat. Vnde tam generalis eſt ea appellatio, vt 1) etiam illud deſignet, quod puellis datur monaſterium ingredientibus, obſeruante IO. DEL CASTILLO SOTOMAYOR *lib. VIII. de aliment. c. 36. §. 8. n. 6.* quod hic ingreſſus in religionem *matrimonium ſpirituale* contineat; quæ ratio tamen *myſtica* magis quam *vera* et *iuridica*, adeoque id, quod hoc caſu *puellæ* vel potius *monaſterio* datur, magis in *compenſationem alimentorum perpetuorum* ſoluitur. Hoc ex principio dotem hanc putatiuam definit FRANCISCVS PELLIZZARIVS *de monialibus c. III. ſect. 2. n. 1.* quod ſit *certa pecuniæ ſumma taxata a legitimo ſuperiore, quæ dari ſolet monaſterio in ſuſtentationem monialis in eo profitentis.* Neque vero tantum ob receptionem monialis, ſed etiam *monachi* datur, teſte ESPENIO *in diſſ. de vitio Simon. circa ingreſſ. relig. c. II.* quod arguit, nihil minus quam rationem *dotis* proprie dictæ in hac quantitate, quæ *pro ingreſſu in religionem* datur, deprehendi. Præterea *dotis* appellatio 2) etiam tribuitur *alimentariæ prouiſioni*, quæ filiabus ex *feudo* datur, imo in quibusdam locis etiam ex *allodio antiquo*, a cuius ſucceſſione ex *iuris antiqui Germanici* diſpoſitione hæ adhuc quibusdam locis ſunt excluſæ. Atque hæc *prouiſio* patre mortuo iis ſtatim debetur, nec in ſe *conditionem nuptiarum* habet ſubintellectam, vt plenius monſtratum eſt a filio natu maiori I. S. F. BOEHMERO in peculiari programmate *de ſpuria filiarum illuſtrium dote.* In hoc ſenſu *æquiuoco* et *generali* etiam 3) illa *ſatisfactio*, quæ ſtupratæ debetur, communiter *dotis* nomine venit, vtut eius rationibus non gaudeat.

Quæ improprie dos vocatur.

vt aliæ quoque præſtationes: vt pro ingreſſu in monaſterium.

Alimentaria prouiſio.

§. X. Quæ cum ita ſint, palam eſt, ex hoc principio, *de præſtando eo quod intereſt*, ſeu *de reparatione læſionis*, quam vitiata paſſa eſt, vnice hauriendam eſſe deciſionem quæſtionum, quæ circa hanc doctrinam in dubium vocantur. Inde enim concludo, 1) ab hac ſatisfactione immunem eſſe ſtupratorem, ſi eam vxorem ducit, quia hoc caſu læſionem nullam amplius allegare poteſt. 2) Pariter immunis cenſendus, ſi *impregnata*, antequam agat, ab alio in matrimonium ducatur, et a marito, comperto vitio, nihilominus retineatur, quod rurſus *damnum* et *intereſſe* nullum allegare poſſit, quæ maritum, etiam *grauida*, inuenit. Si vero iam ſtupratorem in ius vocauit, litemque cum eo conteſtata eſt: ſi, dum ſuper *ſatisfactione* adhuc litigat, lite penden-

Ex principio de ſatisfactione deciſio ſumenda.

Hinc ceſſat, 1) ſi eam vxorem ducit.

2) Si ab alio ducta.

dente nihilominus maritum inuenit, diuersum constituunt, et dotem ei adiudicandam censent, quod iam quasi ex contractu obligatus sit stuprator ad *iudicatum* præstandum, quorsum collineare videtur RICHTER *decis. 88. n. 30.* eandem tantum a petitione *dotis* excludens, si *ante petitionem* nuptias cum alio contraxerit. Enim vero grauiter obstat, (a) quod tempore sententiæ ferendæ nullam amplius læsionem allegare possit, et iam omne *interesse* cesset: *arg. l. 41. D. de rei vindic. l. 1. §. fin. D. ne vis fiat ei, qui in poss.* (b) quod electionem facto suo proprio stupratori eripuerit præmaturis nuptiis cum alio initis, qui loco *dotis præstandæ* eam potuisset adhuc ducere. Dn. WERNHER. *vol. III. obs. 72.* Neque enim, quod FONTANELLA *cit. l. n. 13.* adserit, etiam ad dotandum obligatur, eam ducens, quamuis minor dos hoc casu ei debeatur; id enim repugnat *obligationi alternatiuæ*, ab ipso assumtæ, & ex illo vnice fluxit erroneo principio, dotationem *pœnam* esse, quod iam reiectum est. Ea de causa quoque 3) admitti nequit, quod IDEM *cit. l. n. 117.* tradit, nihilominus *indistincte* dotem stupratæ deberi, si vel maxime iam alii nupta fuerit; quod *pœna dotationis* etiam eo casu, quo pater eam stupratori dare nolit, locum habeat. Cogitandum enim est, legis Mosaicæ rationem in *satisfactione* hac, de qua hic agitur, penitus exulare. Facilius autem 4) MOLINAE admitti potest sententia a FONTANELLA relata, hanc dotem adhuc deberi, si ex *indicato* stupratæ iam debetur, vtut postea cum alio nuptias ineat, quia *ius quæsitum* ex eo iam habet.

3) si nolit ei stuprata nubere,

4) debetur tamen ex iudicato,

§. XI. Vlterius 5) nemo facile dixerit, toties stupratæ dotem deberi, quoties postea in idem incidit naufragium. Quæ *secunda* vel *tertia vice* stupro sese vitiandam præbuit, nullo nec fauore digna, nec læsionem aliquam, aut iacturam existimationis bonæ, quam post primum stuprum iam amiserat, incurrit, qua de causa ordinationes prouinciales desiderant eine unberüchtigte Jungfrau oder Wittwe, vt recte CARPZ. *cit. qu. 68. n. 76.* docet. Multo minus 6) meretricio more viuens vel certa mercede conducta, de qua cum stupratore ante stuprum pacta est, hanc petit, aut quæ iam ab aliis stuprum, licet citra *imprægnationem*, passa et dotata fuit, ab alio tandem imprægnata. RICHTER. *cit. l. n. 22.* Ceterum 7) quæ cum pluribus sese commiscuit eodem tempore, spatio diuturno non adeo interueniente, parum a prostibulo distat, et ne quidem, a quo imprægnata sit, allegare potest, adeoque merito ab agendo repellitur. Pariter 8) quæ se ipsam ingessit, quæ stupro occasionem dedit, et stupratorem sol-

5) a primo stupratore tantum dotanda,

6) non meretrix,

7) non quæ cum pluribus se eodem tempore commiscuit.

8) quæ se ipsam ingessit,

ſollicitauit ad concubitum, (quamuis hoc non præſumatur, obſeruantibus FONTANELLA *cit. l. n. 85.* et BARDILI *cit. l. c. III. m 2.*) damnum allegare nequit, quod ſua culpa paſſa eſt, vt recte cenſet BRVNNEMANN. *lib. II. c. 18. §. 26. in f.* et præiudicio illuſtrat STRYKIVS *in not. ad Brunnem. cit. l. Seductam* enim etiam *ius diuinum* deſiderat puellam in *c. 1. X. h. t.* relatum, ergo *ſeducentem* merito repellit. Ex eadem cauſa dotem denegatam fuiſſe ſtupratæ, memini, quæ, conſcia, Titiam certo loco et tempore ad congrediendum cum ſtupratore ex condicto comparituram eſſe, in tenebris eam præuenit, et a ſtupratore, Titiam præſentem eſſe exiſtimante, imprægnata. Dolo hæc vtitur, ex quo nullum ius agendi ei concedendum. Huc etiam refert GABRIEL ALVAREZ de VALASCO *de priuileg. paup. P. I. qu. 65. n. 91.* volentem nec importunis precibus coactam virginem, ex inani hac ratione, *quod ſuæ virginitatis domina* ſit, quæ tamen adhuc recte *ſeductis* annumeranda. E contrario 9) dotanda eſt puella, diues et inops, et quæ a patre nullam *dotem* ſperare poteſt, cum etiam huic ſatisfaciendum ſit. Qui in conceptu *proprie dictæ dotis* ſubſtunt, conſtituere ſolent, eam quantitatem ſtupratæ dandam, quam pater ei veriſimiliter *dotis nomine* dediſſet; quod tamen merito repudiandum, quoniam alioquin honeſta puella, quæ patrem omnibus deſtitutum facultatibus habet, dotem nullam petere poſſet a ſtupratore, quam nec pater eidem dare potuiſſet, vt recte obſeruat BRVNNEM. *cit. l. §. 28.* Dotanda autem 10) duntaxat a *ſtupratore*, a quo fracturam pudicitiæ ſuæ paſſa eſt, qui facto ſuo ad ſatisfactionem obligatur; non pater eius, ſi forſan ſtuprator disceſſit et inops ſit; neque enim patri onus damni reſarciendi, a filio per delictum dati, imponendum. Mere cerebrina eſt æquitas, qua in diuerſam traductus eſt ſententiam FABER *in C. lib. IV. tit. 9. def. 3.* et cum eo Cardinalis DE LVCA *cit. l. n. 78.* quod condemnatio ſcilicet patris *ad exonerandam conſcientiam crimenque purgandum* tendere videatur. Si recte percipio FABRVM, perſuaſum habet, hanc dotationem, quæ patri imponitur, prodeſſe filio intuitu *conſcientiæ*, et crimen eius diluere, quod legi ſatisfactum. Si tam dura neceſſitas patri imponenda; pro quolibet delicto filii pater ſatisfacere debet, quo *conſcientiæ* filii ſuccurratur, quod abſurdum. Denique 11) ſatisfactionem hanc quoque clerici vitiatis præſtare debent, licet vel maxime ſecundum *ius canonicum* eas ducere haud poſſint, quod etiam inter Catholicos agnoſcit FONTANELLA *cit. l. n. 119.* quamuis addat, caſum hunc vix eſſe dabilem,

9) dotanda puella inops dotem nullam a patre habens.

10) dotanda a ſtupratore, non patre eius.

11) etiam a ſtupratore clerico.

aut, vt loquitur, *contingibilem in praxi; nec est credendum*, pergit, *viros istos sacros tam solenne facinus commisisse, aut committere posse.* Hoc vero credat Iudaeus apella. Testimonia impudicitiae clericalis in statu *caelibatus coacti* adeo indubia sunt, vt ea in dubium vocare non possit, nisi risum mouere intendat aut ioco agat, quod forsan FONTANELLA intendit. Monachum forsan 12) ab hac *obligatione* exceperis *alternatiua*, vt pote quem a *dotatione* liberat *votum paupertatis*; a matrimonio vero cum vitiata contrahendo *votum castitatis*, praesertim si ordinis mendicantium sodalis fuit. Si ordini Benedictino nomen dedit, monasterio, ad satisfaciendum idoneo, hanc satisfactionem incumbere non iniquum foret, cum damnum ex eius persona sentire debeat, ex qua lucrum, *pro ingressu* in religionem solutum, cepit, quae ratio etiam dominum obligat ad damnum ab animali vel seruo datum resarciendum. Vtplurimum tamen cum PELLIZARIO *in manual. regul. tom. I. tr. 3. c. 6. sect. 1. n. 36. in f.* monasteria ab hoc onere absoluere solent, quod illa non teneantur ex *delicto monachi*, id quod de *poena* facile admitto, non item de *satisfactione ciuili.*

11) non facile a monacho,

§. XII. Quodsi 13. alias stuprator habilis est ad stupratam ducendam, inidoneus vero ex facultatum defectu ad eam dotandam, *absolute* ad ducendum cogi potest, vt *tom. III. tit. de sponsal. §. 55. p. 1120.* iam obseruaui. Etenim α) a matrimonio tantum liberatur, si dotare possit, quam stupro maculauit: β) inanis foret sententia condemnatoria, si eam ducere nollet, dotem autem praestare non posset: γ) *alternatiue* communiter stupratorem obligant, quod vinculum operatur, vt, vno deficiente, praecise ad alterum *alternatiuae obligationis* debitum obligetur debitor. Similiter 14) si maritus virgini stuprum infert, praecise ad dotandum obligatur, cum ducere nequeat vitiatam, aeque ac *clericus* in Romana ecclesia praecise ad *satisfactionem stupratae* compelli potest. Neque enim ostendi potest, *ius diuinum* aut *ius canonicum* duntaxat de *iuuene* intelligendum esse, cum illud *in genere* de quouis stupratore in *c. 1. X. h. t.* loquatur, et *iure Mosaico* marito stupratori integrum sit, eam ducere, polygamia inter iudaeos vigente; hoc vero in *c. 2. X. h. t.* de *iuuene* quidem loquatur, sed ad eum restringi non possit, quod papa tantum a poena absoluat stupratorem; si puellam duxerit vxorem, id quod vbi facere non potest, salua nihilominus est altera obligationis pars, quam implere potest, h. e. tum *poena* tum *satisfactio priuata.* Rationes CARPZOVII *in pr. crim. qu. 08. n. 71. seqq.* quibus sententiae negantium calculum adiecit, parum strin-

13) ad dotandum inhabilis praecise ducere debet stupratam,

14) Etiam maritus ad dotandum obligatur,

a [illegible] non obstantibus rationibus Carpzouianis.

ſtringunt. Nam α) *ius Saxonicum electorale* præſupponit quidem eine ledige Manns-Perſon, ſed *ius commune* non conſtituit, de quo vnice ſollicitus ſum. β) Non ſequitur, quia eam ducere nequit, ergo nec dotare tenetur, quia nihilominus fundamentum obligationis ad dotandum ſupereſt; alioquin *clericus* quoque ab hac ſatisfactione immunis foret inter Catholicos; imo ſtuprator quiuis abſoluendus, ſi ſtupro commiſſo cum alia matrimonium iniret, adeoque etiam hanc rationem reſpuit BARDILI *de ſatisfact. ſtupratæ c. 3. m. 3. n. 35.* a CARPZOVII ſententia parum alienus. Nec γ) tertia ratio admittenda, quod ſtuprata damnum hoc *ſua culpa*, maritum admittendo, ſentiat: quia etiam in *culpa* ſimili eſt, quæ admiſit *clericum catholicum*, quia itidem ſciuit, ſe huic nubere non poſſe. Neque diſtinctio BARDILI *cit. l. n. 35.* fundamentum habet, vtrum ſtuprata *qualitatem mariti* cognitam habuerit, an non? vt poſteriori caſu demum ſatisfactionem petere poſſit, non priori; quod eo caſu *adulterium* non *ſtuprum* committat; leges autem de *ſimplici ſtupro* tantum intelligendæ ſint. Enimuero (a) eadem eſt ratio in *marito* virginem vitiante, ac quidem in *iuuene*, quia *vitiatæ* ratio habenda, non eius, qui ſtuprum infert. (b) De iure diuino nulla diſtinctio facta inter *iuuenem* et *maritum*, cum vterque *ſtupro* ſe macularet, virginemque vitiaret, atque vtrique lex ducendi ſtupratam dicta eſſet. (c) Licet iure canonico mariti *concubitus cum virgine* conſtituat *adulterium*, grauius tamen delictum non liberat reum, cum magis hoc modo lædatur puella, quam ſimplici ſtupro. Ex eodem errore 15) *ſponſum* ſtuprum puellæ inferentem liberat a dotatione MEVIVS *ad ius Lubec. P. IV. tit. 5. art. 1. n. 9. in f.* ſecundum quid vero, et ſub diſtinctione eadem, quæ in *marito* adducta, BARDILI *cit. l. n. 41. ſqq.* cum tamen ne quidem eadem ratio ſit in *ſponſo* ac *marito*. Hic enim abſolute vitiatam ducere prohibetur, non æque *ſponſus*, cum a ſponſæ arbitrio dependeat, vtrum iniuriam in ſe commiſſam ſponſo remittere velit, nec ne? adeo vt poſteriori caſu, ſi ſponſa repudium ſponſo dat, (quod facere poteſt, *c. 23. X. de iurei.*) omnis ratio dubitandi ceſſet. Neque admitto diſtinctionem inter *ſponſalia de præſenti et de futuro* intuitu proteſtantium; qui eam differentiam, quæ *iure papali* obtinet, ignorant, nec, quod *tom. III. tit. de ſponſal.* obſeruatum eſt, hic confugere licet ad ſponſalia *pura* et *conditionata*. Neque 16) a *dotationis* petitione excludo conſanguineam, per *inceſtum* vitiatam, quod ob impedimentum conſanguinitatis duci nequeat, ceu BARDILI *cit. l. c. 3. m. 7. n. 17. ſq.* docet, quia hæc ra-

et Bardili,

15) etiam ſponſus ad dotandum obligatur,

imo etiam 16) inceſtuoſus,

ratio, vt sæpe iam monitum, omni caret fundamento, et licet stupro coniunctus sit *incestus*, non tamen grauius delictum concurrens stupratorem liberare potest ab hac *satisfactione*, qui alioquin melioris esset conditionis simplici stupratore. Etiam 17) qui puellæ vim infert, ab hoc debito non est immunis, vtut grauissime puniatur, etiam vltimo supplicio. Vid. BARDILI *cit. l. c. III. m.3. n.16.sqq.*

et 17) qui vim infert puellæ.

§. XIII. Determinatio huius satisfactionis vel facta est a *lege prouinciali*, vt *in ordin. polit. Magdeb. c.69. §. 1.* ibi: Doch daß solches bey Dienst-Mägden oder Bauer-Töchtern sich über 18. bis 20. Thaler nicht erstrecke: vel facienda a *magistratu* nach Gelegenheit ihres Standes und Herkommen, vt in *cit. ord.* intuitu *virginum honestioris conditionis* cautum, et §. *VII.* iam obseruatum, in quo magistratus arbitrio multum relictum. Fundamentum ex *quantitate dotis*, quam pater dedit aliis filiabus forsan, vel dare potest, non esse arcessendum, iam supra dixi, quia verum *dotis* debitum non est. Quid enim si *honesta vidua* stupro maculata, quæ nullam accepit dotem a patre, vtrum a petitione dotis excluditur? vel etiam virgo, quæ omni dote caret? Neutrum asserendum, sed vtrique faciendum satis pro arbitrio iudicis esse puto. Vnde nec in *vidua vitiata* præcise respiciendum ad dotem, quam a patre accepit, prout contendit BARDILI *cit. l. c. III. m. 4. n. 13.* quæ vel dignitati eius sæpe non respondet, vel sortem eius superat, vt pote si vidua rustici aliquot millia thalerorum loco *dotis* marito intulisset, quis assereret, ei satisfaciendum esse secundum quantitatem *dotis*, quam marito intulit? Primum doctrinæ contrariæ falsum in eo latitat, quod interpretes in conceptu *dotis* proprie dictæ hic subsistant, quod supra iam reieci. Quocirca cum *ancillæ* vel *feminæ rusticæ* communiter 20 thaleri adiudicari soleant, non puto, satisfactionem augendam esse, si vel maxime puella rustica a patre dotem sperare possit maiorem. Filiabus opificum ad 40 vel 50 florenos adiudicari, testatur CARPZ. *cit. qu. 68. n. 18.* puellæ vero nobili ad 800 florenos vel etiam mille, vt IDEM *in iurispr. consist. lib. 2. def. 233. in f.* memorat.

Determinatur satisfactio vel a lege, vel iudice.

sed abstinendum in determinatione hac a doctrina de dote.

§. XIV. Præterea adhuc stuprator partum ex se editum alere compellitur, vsque dum semetipsum exhibere possit, quod *in ord. polit. Magdeb.* extensum est bis ins 15 Jahr, und zwar bey adelichen jährlich mit 50, bey Bürgers-Leuten mit 25 bis 30, bey denen Bauren aber mit 8 bis 10 Thlr., vt inde liqueat, spurio tantum deberi alimenta *naturalia*, non *ciuilia*, quæ pro *dignitate* et *facultatibus* pa-

Stuprator præterea partum editum alere cogitur,

patris legitimis debentur. Latius vero de *iure canonico* vagatur hoc alimentorum debitum, ac quidem de *iure ciuili*, cum æque *adulterinis* ac *spuriis* præstandum sit, imo etiam *incestuosis*, vt *tom. III. lib. IV. tit. 7. §. vlt.* demonstratum est, et ab aliis quoque euictum. vid. DOMINICVS ANTVNEZ PORTVGAL. *de donat. regiis tom. II. lib. 3. c. 35. n. 32. sq.* Transit præterea hæc obligatio etiam ad heredes stupratoris, qualiscunque partus fuerit, siue simplex *spurius*, *adulterinus*, siue ex quocunque alio coitu natus, vt prolixe docet IO. DEL CASTILLO SOTOMAYOR *lib. VIII. de aliment. c. 66. n. 46.*, quia hæc obligatio, alendi partum ex se editum, *ex lege* est, maxime *canonica*, quæ etiam in heredes transit. Patre deficiente, forsan quod in fuga vel inops sit, *auum paternum* ad alimenta spurio præstanda obligari censent; imo etiam, *auum maternum* heredibus stupratoris præfert IDEM *cit. l. n. 49.* quod adhuc longe absurdius, nec ex *l. f. de agnosc. vel al. lib.* probari potest. Plerique *auo paterno*, in defectu stupratoris, onus alendi ex iis rationibus, quæ magis ad *legitimos* quadrant, attribuunt, quas longa serie examinat Dn. GOTTFRIDVS LVDOVICVS MENKEN, Professor Lipsiensis, *in diss. de auo paterno ad alimenta nepoti illegitimo præstanda non obligato*, eumque ab hoc onere cum Dn. BERNHERO *obs. 134.* absoluit, id quod rationem habet. Etenim, *ex iure ciuili* argumenta desumta a CARPZOVIO *in iurispr. consist. lib. II. def. 243.* hic aliena sunt, quippe quæ vnice de *liberis legitimis* accipienda, non applicanda spuriis *hoc iure*, quæ nec *patrem* nec *auum* habere creduntur. Quoad *liberos legitimos* in alimentis præstandis hic ordo *de iure ciuili* obseruatus, vt 1) haberetur respectus *patriæ potestatis*, et ita onus alendi ad *patrem*, vel ad *auum paternum*, in cuius potestate nepotes erant, pertineret ante matrem auumque maternum. 2) Potestate cessante, *charitatis sanguinis* ratio habenda, adeo vt ex filio emancipato nati, non *auo paterno*, in defectu *patris*, essent oneri, sed *matri* potius, quæ *charitate sanguinis* proximius liberos ex se natos attingit, quam ascendentes auiti, qui in *subsidium* demum ex æquo, meo iudicio, tenentur iuxta *l. 5. §. 1. 2. et l. f. D. de agnosc. et al. lib.*, quod etiam responso illustratum est *tom. II. P. 1. consult. et decis. N. 587.* Enimuero vtrumque fundamentum cessat in spuriis ex filio editis respectu *aui paterni*, qui nec in eius *familia* aut *potestate* sunt, nec vlla *charitate sanguinis digni* fouentur, dedecori potius habendi auo, quod filium tam degenerem tamque pessimis moribus imbutum educauerit. Neque *æquitatis* aliqua ratio occurrit, quæ

etiam adulterinum,

vt et stupratoris heres,

non auus paternus.

Rationes huius sententiæ.

non permittit, vt pater ex filii ſui delicto ſeu ſtupro tam graue onus et incommodum ſentiat, et eodem cum ſtupratore modo puniatur innocens. Stupratori onus alendi leges prouinciales vt plurimum iniungunt ex *iuris canonici* diſpoſitione, non *auo paterno*, quin potius æquum hoc caſu eſt, vt ſtuprata, in defectu ſtupratoris, de *alimentis* infantis ex ſe nati ſollicita ſit. Neque ſemper eadem in *auo*, quæ in *patre*, eſt ratio, intuitu *naturalium* de iure ciuili, *l. f. C. de natural. lib.* a quibus *ius canonicum* alias trahere ſolet argumentum ad *ſpurios*. Denique ſi, in defectu ſtupratoris, *auo* incumbit hoc onus, cur magis *auo paterno* quam *materno* et non potius *vtrique* illud imponitur? cum aut neutri incumbat, aut vtrique æquali iure iniungendum ſit. Neque ex *iure canonico* fundamentum erui poteſt ſtringens, vt *ante matrem*, ſtupro maculatam, auus *paternus* ad alimenta ſpurio obligetur, quæ ex ſuo delicto nullo fauore digna eſt. Aſt vbi hæc mortua: vbi prorſus eget, vt plane ad alendum partum inidonea ſit, vtrique auo hoc onus iniungendum reor, quod ius canonicum naturalem ſanguinis propinquitatem in ſpuriis ob oculos habuerit, vt etiam *adulterinis* alimenta non deneganda eſſe crediderit, ceu docet *c. 5. X. de eo, qui duxit*, atque euincit, liberos decem, quorum pontifex mentionem facit, *ex crimine* fuiſſe ſuſceptos. Hoc primario fere argumento ducuntur, qui auo ſiue *paterno* ſiue *materno* onus alendi ſpurium imponunt, vt non diffitetur Dn. MENCKEN. *cit. diſſ. c. 1. th. 16.* id tamen vel ideo admittere recuſat, quod in *c. 5. cit.* de *liberis legitimis* agatur, cuius contrarium tamen ad *cit. tit.* oſtenſum eſt.

Adulterium de iure diuino erat concubitus cum aliena vxore.

§. XV. Pergo ad *adulterium*, quod de *iure canonico* latiorem habet ambitum, ac de *iure diuino* et *ciuili*. Ius *diuinum* in adulterio præſupponit *illicitum concubitum cum alterius vxore*, id quod indigitat lex diuina *Leu. XX, 10. & Deut. XXII, 22. Si quis mœchatus fuerit cum alterius vxore, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi ſui, morte moriantur & mœchus & adultera.* Quamuis enim vaga libido maritorum quoque prohibita fuerit *iure diuino*, adulterium tamen is committere non poterat, qui inquinabat virginem aut cum meretrice conſueſcebat, quod *polygamiæ iure*, quo vir gaudebat, non violaret fidem coniugalem, vt recte CLERICVS *ad Exod. XX, 14.* et ill. HOFFMANN. *in diſſ. de diſſenſu iurium in puniendo adult. crimine c. II. §. 3.* cenſent. Pariter *iure Romano* adulterium tantum committebatur in *nuptam* iuxta *l. 6. §. 1. D. ad L. Iul. de adult.* adeoque *adulter* dicebatur, *qui corrumpebat alienam matrem familias. l. 225. d. V. S.*

De-

Desiderabant *matremfamilias*, cum qua legitimum erat matrimonium: corruptio ancillæ, licet seruo in *contubernium* iunctæ, priuato iudicio legis Aquiliæ, iniuriarum, vel de seruo corrupto plectebatur. *l. 9. §. 1. de seru. corr. l. 25. de iniur. l. 6. pr. ad L. Iul. de adult.* quod pluribus illustrat. ANTON. MATTHAEI *de crimin. lib. 48. tit. 3. c. 1. n. 4.* Neque diuersum ius sub imperatoribus Christianis constitutum, quamuis patres iam recte constituerint, inter Christianos ob *polygamiam prohibitam* a marito quoque adulterium in innuptam committi. Id tantum a legibus vxori permissum, vt a marito cum mulieribus impudicis degente diuertere potuerit, repetita dote et donatione propter nuptias exacta. *l. 8. C. de repud. Nou. 117. c. 9. §. 5.*

§. XVI. In nouo fœdere patres adulterii crimen latius extenderunt, quod summa matrimoniorum esset sanctimonia, et *monogamiæ* repugnaret, fidem vxori datum violare vago concubitu. *Adulteratur*, ait TERTVLLIANVS *de monogam. c. 9. qui alienam carnem sibi immiscet, super illam pristinam, quam DEVS aut coniunxit in duos, aut coniunctam deprehendit.* Euidentius differentiam *iuris ciuilis* et *diuini N. T.* LACTANTIVS *lib. VI. diu. instit. c. 23.* in conceptu adulterii exhibet, et, *non enim*, ait, *sicut iuris publici ratio est, sola mulier adultera est, quæ habet alium; maritus autem, etiam si plures habeat, a crimine adulterii solutus est. Sed diuina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus vnum, pari iure coniungit, vt adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diuersa distraxerit - - Seruanda igitur fides ab vtroque alteri est; imo exemplo continentiæ ducenda vxor, vt se caste gerat. Iniquum est enim, vt id exigas, quod præstare ipse non possis.* Sicut vero FESTVS *lib. I. de verb. signif.* iam olim notauit, *adulterum* et *adulteram* dici, *quia et ille ad alteram, et hæc ad alterum se conferunt;* ita inde AVGVSTINVS *serm. 51. p. 294. tom. V. oper. edit. Paris.* occasionem captauit, adhortandi hoc modo coniuges: *Non eat ille ad alteram & illa ad alterum: vnde appellatum est adulterium, quasi AD ALTERVM. Et si egrediuntur metas matrimonialis pacti, non egrediantur metas coniugalis thori.* Rationem autem, cur æque maritus ac vxor adulterio se maculare possint, in *libr. de bono coniug. c. 4. tom. VI. p. 321.* desumit ex PAVLI *1 Cor. VII, 4.* doctrina: *mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter autem et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.* Inde enim ita consecutionem facit: *Cuius fidei violatio vocatur adulterium, cum vel propriæ libidinis instinctu vel alienæ consensu cum altero vel altera contra pactum coniugale concumbi-*

Patres vero hoc crimen etiam marito innuptam vitianti tribuerunt.

Ex mente Tertulliani, Lactantii,

Augustini,

bitur: atque ita frangitur fides, qua in rebus etiam corporeis et obiectis magnum animi bonum est.

Distinguebant leges a præceptis Christi in ecclesia seruandis.

§. XVII. Videlicet optime fratres ecclesiæ rebantur, alias esse leges ciuiles in *orbe Romano:* alia CHRISTI præcepta in *ecclesia.* Aliam *castitatem ciuilem* et *iuridicam*, quoad effectus iuridicos: aliam *Christianam* secundum saluatoris doctrinam imbuendam. Alias leges matrimoniis datas in foro: alias inter eos, qui principia religionis Christianæ vnice normam vitæ suæ constituere debebant. In legibus reipublicæ Romanæ maior castitas desiderata a feminis, quam a masculis. Id docet in compendio PLAVTVS *in mercat. Act. IV. sc. 6.*

Ecastor lege dura viuunt mulieres,
Multoque iniquiore miseræ quam viri:
Nam si vir scortum duxit clam vxorem suam,
Id si resciuit vxor, impune est viro.
Vxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit causa, exigitur matrimonio.
Vtinam lex esset eadem, quæ vxori data est, viro.

Id pluribus aliis documentis probatum dederunt B. GVNDLINGIVS in *diss. de doctrina vulgari maiorem a feminis quam a viris castitatem requirente* et IO. GVILIELMVS HOFFMANN. *ad L. Iul. de adult. coerc. c. 1.*

Leges maiorem castitatem in feminis quam masculis desiderarunt.

Matronarum pudicitia Romanis singulariter curæ cordique fuit in legibus: non æque *virorum.* Laxa apud eos *masculorum* licentia: *feminarum* arctissima custodia, quod longe grauiorem iniuriam inferret marito vxor adultera, alienum partum familiæ inferens, quam maritus inuerecundus vxori. His viuebant moribus Romani, atque secundum hos leges suas in definiendo adulterio efformabant.

Hoc discrimen reiectum a Christianis,

Castioribus moribus præceptisque imbuti erant Christiani, & quamuis non ignorarent, se arbitrium *legum ciuilium* haud habere, ne quidem in matrimonialibus, (quod demum in papatu dominante ad se traxerunt pontifices et episcopi) non desierunt tamen patres in *ecclesia*, CHRISTI præceptis imbuenda, hoc discrimen reiicere atque inculcare, non omne, quod *iure externo* licet, permissum esse. Hoc

teste Ambrosio,

discrimen optime designat AMBROSIVS in *c. 4. C. 32. qu. 4. Nemo blandiatur sibi DE LEGIBVS hominum. Omne stuprum adulterium est: nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab vxore debetur castimonia. Quicquid in ea, quæ non sit legitima vxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur. Nulli licet scire mulierem præter vxorem: ideo coniugii tibi datum est ius, ne in laqueum incidas, et cum ali-*

aliena muliere delinquas. - - Tolerabilior est, si lateat culpa, quam si culpe vsurpetur autoritas. Nec hoc solum est adulterium, cum aliena peccare coniuge, sed omne, quod non habet potestatem coniugii. Hoc discrimen inter *leges forenses et doctrinam* CHRISTI etiam agnoscit HIERONYMVS *ad Oceanum in epitaph. Fabiolæ. Aliæ sunt LEGES CAESARVM, aliæ CHRISTI; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, et solo stupro atque adulterio condemnato passim per lupanaria et ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem seruitus pari conditione censetur.* Eandem ergo Christiani *castitatem* desiderabant in marito, quam leges in *vxore* primario requirebant, atque inde colligebant cum AVGVSTINO in *c. 16. C. 32. q. 6. puto Christianum neminem reluctari, illum adulterum esse, qui vel diu languente vel diu absente vel continenter viuere cupiente sua vxore, alteri commistus est feminæ.*

Hieronymo,

Augustino.

§. XVIII. Equidem VLPIANVS in *l. 13. §. 5. ad L. Iul. de adult.* discrimen hoc, quo maior in vxoribus quam viris castitas necessaria creditur, agnouisse non videtur, aiens: *IVDEX ADVLTERII ante oculos habere debet, et inquirere, an maritus pudice viuens mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit? periniquum enim videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non habet, quæ res potest et virum damnare, non rem ob compensationem mutui criminis inter vtrosque communicare.* Supra ad *tit. de donat. int. vir. et vxor. §. XV.* iam tetigi hanc obseruationem, ostendique, in iudicio *de moribus* compensationi locum fuisse, vt neuter ad *pœnam discidii*, facto diuortio, agere potuerit, illam vero cessasse in iudicio *de criminibus. l. 1. §. 5. ad L. Iul. de adult.* Sub hoc discrimine hoc dubium componit GVNDELING *cit. l. §. VI.* docetque, sermonem in *cit. l.* ICto fuisse de *iudicio priuato de moribus*, in quo inquirendum fuerit, vtrum maritus pessimo suo exemplo causam adulterio vxoris dederit, nec ne? ita vt casu priori agens *de moribus* repulsus sit. Equidem ICtus expresse asserit, IVDICEM ADVLTERII ante oculos adlatam circumstantiam habere debere; *iudex adulterii* vero is fuisse videtur, qui *merum* habebat *imperium*, non qui priuato *de moribus* iudicio præerat. Enim vero sciendum est, explicasse ICtum ANTONINI imperatoris *rescriptum*, vnde adducta verba, eo non nominato, desumsit, quod ex *codice Gregoriano* integrum exhibet AVGVSTINVS *lib. II. de coniug. adult. ad Pollent. c. 7. tom. VI. p. 408.* In ipso autem rescripto non

An Vlpianus discrimen hoc negauerit in foro criminali.

Explicatur rescriptum Antonini ex codice Gregoriano.

non ſit mentio *accuſationis publicæ*, ſed potius reſpondet imperator quærenti marito de vxore, cui, diuortio facto, adulterium obiiciebat, et dotem retinere intendebat. In hoc iudicio iudex datus poterat recte dici *iudex adulterii*, quia de adulterio *ciuiliter* cognoſcebat, in quo vxor marito *exceptionem impudicitiæ* opponere poterat. Hoc facto maritus poterat damnari, quod repelleretur a *retentione dotis* et damnaretur ad eam reſtituendam, non vero vxorem in iudicio criminali excuſabat a *pœna criminali*, vt verba vltima indigitant. Equidem AVGVSTINVS ex hoc reſcripto euincere voluit, maritum vxorem *de adulterii crimine* accuſare non potuiſſe, cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum; enimuero id verba vltima *citati reſcripti* non admittunt, aperte docentia, vxorem viro ex L. Iulia agenti non potuiſſe obiicere exceptionem *mutui adulterii* aut *compenſationis*. Et ita quoque VLPIANVS, hæc verba repetens, intelligendus, quamuis rectius feciſſet, ſi in hoc, de *criminali iudicio*, dogmate eadem non attuliſſet.

Carolus V. definitiones iuris canonici ſecutus eſt.

§. XIX. Ex hac noua iuris canonici definitione adulterii crimen æſtimandum quoque cenſuit CAROLVS V. *in art. 120. crim. conſtit.* indulſitque vxori contra *l. 1. C. ad L. Iul. de adult.* facultatem accuſandi maritum de adulterio, quod æque de *violato fœdere connubiali*, ac maritus contra vxorem, conqueri poſſit, in quo *iure hoc* formalis *adulterii* ratio collocanda. Qua de cauſa ſi maritus, viuente vxore ſua, adhuc aliam ſuperinducit, *adulterium* a marito committi recte cenſuit CAROLVS V. *in art. 121.* ibi: welche Uebelthat dann auch ein Ehebruch, und gröſſer dann daſſelbige Laſter iſt. Iure Romano maritus vxoratus, ſed abſens forſan, aliam ſuperinducens minime *adulterii* tenebatur, ſed *ſtupri* reus erat, vt ex *l. 18. C. ad L. Iul. de adult.* liquet, æque ac ſi cum *innupta* virgine vel vidua rem habuiſſet. Id vero recipi non potuit in *criminalem iuriſprudentiam*, quam CAROLVS V. iuxta *iuris canonici* principia compoſuit, adeoque conſtituit, maritum bigamum ad minimum *pœna adulterii* plectendum eſſe, daß die nicht weniger, denn die Ehebrüchigen peinlich geſtrafet werden ſollen. De *maritis adulteris* eorumque *pœna* loquitur CAROLVS V. quæ iure Romano erat capitis ſupplicium. *l. 30. in f. C. ad L. Iul. de adult.*

An bigamiæ crimen ad crimen adulterii de iure Rom. relatum?

Neque enim faciendum cum PETRO FABRO *lib. III. ſemeſtr. c. 21. p. 322.* legem hanc, de *ſacrilegiis nuptiarum* loquentem, *primario* de bigamis intelligendam, non male tamen et contra germanam verbi vim iuſta interpretatione *ad quoscunque adulteros* ab interpre-

pretibus productam esse existimanti; *adulterii* crimen enim sub appellatione *sacrilegii nuptiarum* contineri docet *l. 4. C. Th. quor. appell. non recip.*, vnde verba vltima *cit. l. 30.* desumta sunt. Neque vllo constat argumento, eo tempore, quo tum *benedictionis sacerdotalis* in nuptiis *de iure Romano* ratio haud habita, tum gentilium æque ac christianorum crimina notata, *in bigamia* maritorum aliud scelus quam *stuprum* quæsitum fuisse, cum nequidem tempore IVSTINIANI conceptus adulterii ad lasciuiam maritorum, innuptis sese illicito more iungentium, tractus fuerit. Recte proinde GOTHOFREDVS ad *cit. l. 4.* quoscunque *adulteros* appellatione *sacrilegorum nuptiarum*, quos etiam *alienarum nuptiarum temeratores* vocabant, perstringi censet, quod in hoc scelere violaretur illud fœdus, quod ab vxore sancte colendum erat.

§. XX. Iure antiquo ecclesiastico crimen *adulterii*, imo quælibet fornicatio, inter grauiora scelera, ob quæ communio inprimis deneganda, habita fuit. Id passim TERTVLLIANVS innuit, præsertim *de pudicit. c. 4. reliquas autem libidinum furias impias et in corpora et in sexus vltra iura naturæ non modo limine, verum omni ecclesiæ tecto submouemus, quia non sunt delicta sed monstra.* MARCION ab ipso patre ecclesia pulsus, quod virginem quandam adamasset, et fraudibus ad stuprum induxisset, teste EPIPHANIO *hæres. 42. n. 1. p. 302.* Inter crimina grauiora et maiora, ob quæ communio denegata, TERTVLLIANVS *de pudic. c. 19.* refert homicidium, idololatriam, fraudem, negationem, blasphemiam, imprimis vero *mœchiam* et *fornicationem*, adeo vt MONTANVS cum suis discipulis *mœchis* et *fornicatoribus*, omnem ad ecclesiam aditum post pœnitentiam præcluserit, quos tamen orthodoxi pœnitentia functos rursus recipiebant, vt TERTVLLIANVS, discipulus Montani, *cit. l.* innuit. Hac de causa sarcastice de episcopo Romano *lib. de pudic. c. 1.* loquitur, et prætoris instar eum edixisse refert: *Audio edictum esse propositum et quidem peremtorium, pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: ego mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*, cui edicto adscribi non posse: *bonum factum*, censet. In *concilio Eliberino* anno 305. habito *c. 7.* demum secunda vice in idem crimen lapsis communio etiam in morte denegata: *si quis forte fidelis post lapsum mœchiæ, post tempora constituta accepta pœnitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit nec in fine habere eum communionem.* Idem constituebant in *sacerdotes* et *diaconos*, qui innocentia vitæ aliis prælucere debebant, adeo vt

Iure antiquo ecclesiastico adulterium inter grauiora relatum.

Ob quæ communio denegata.

Aliquando in perpetuum.

Imprimis clerici,

semel lapsi nequidem restituerentur, vt *eiusd. concilii c. 19.* docet: *Episcopi, presbyteri et Diaconi, si in ministerio positi, detecti fuerint, quod sint mæchati, placuit, et propter scandalum et propter profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.* Ceterum nulla erat differentia inter *maritum* et *vxorem*: in vtrumque hoc iure idem cadebat crimen: vtrique æquali iure denegata communio et concessa facultas in foro ecclesiastico accusandi, quod INNOCENTIVS I. *epist. III. c. 4.* apud HARDVINVM *tom. I. concil. p. 1004.* et GRATIANVM *c. 23. C. 32. qu. 5.* ex vsu antiquæ ecclesiæ probat: *Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, et non habent latentia peccata vindictam: viri autem liberius vxores adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt: et ideo mulieribus, prodito eorum crimine, communio denegatur: virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur. Qui vtique submouebitur, si eius flagitium detegatur. Cum ergo par sit causa, interdum, probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.* Erat quidem hæc denegatio communionis *perpetua*; pœnitentibus tamen pax non denegabatur hoc æuo saltim in extremo vitæ exitu, vt IDEM *cit. l. c. 2.* innuit, licet sub persecutionibus durior quandoque obtinuerit ecclesiæ consuetudo.

Nulla erat differentia inter maritum et vxorem,

Sed hæc maritum quoque accusare poterat.

§. XXI. Sicuti vero in primitiua ecclesia delicta in classes certas distinguebant; ita certum est, ad primam grauissimorum criminum classem relatam fuisse *mæchiam*, luctuosissima pœnitentia expiandam, quod pluribus probat MORINVS *de pœnit. sacram. lib. V. c. 1. §. 2. sqq.* Speciatim de his edisserit AVGVSTINVS *lib. L. homil. homil. 27. illa vero pœnitentia luctuosa est, graue vulnus est; ADVLTERIVM forte commissum est, forte HOMICIDIVM, forte aliquod SACRILEGIVM. Grauis res, graue vulnus, lethale, mortiferum, sed omnipotens medicus.* PSEVDO-CLEMENS in *c. 16. C. 32. qu 7.* ex antiqua disciplina hausit sequentia: *quid in omnibus peccatis adulterio est grauius?* nec mirum, quia capitis supplicium legibus ciuilibus adulteris imminebat, qualia delicta in laicis publica pœnitentia, in clericis vero depositione plectere solebant, vt MORINVS *cit. l. c. 5.* monstrat. Verum zelus antiquus in plectendis grauioribus delictis, maxime *adulterio*, iam videtur deferbuisse circa finem seculi XII., quod expeditionibus in terram sanctam, *plenam indulgentiam* habentibus, merito tribuendum. His *pœnitentiarum luctuosarum* praxis adeo rarior facta, vt traderent doctores illius æui, pœnitentias factas esse arbitrarias, prout

Ad primam classem criminum grauissimorum mæchia relata.

Multum vero remissum seculo XII.

MORINVS *cit. l. circa fin. lib. X.* non diffitetur, adeo vt per *pœnas pecuniarias* redemtæ fuerint, ceu ex scriptis PETRI DAMIANI liquet. Quamuis ergo clerici adulterii rei adhuc ex ALEXANDRI III. sententia in *c. 5. X. h. t.* qui se debito modo purgare haud possent, ab officio suspenderentur; episcopis tamen dispensatio salua erat, vt, peracta pœnitentia, etiam officio non amplius priuarentur. Ait IDEM in *c. 4. X. de iudic. De adulteriis vero et aliis criminibus, quae sunt minora, potest episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare.* Equidem ZIEGLERVS *in prælect. publ. ad decret. ad cit. 4.* CVIACII castra sequitur, existimantis, lapsum hunc, quod adulterium *minoribus flagitiis* annumerauerit, excusari non posse; sed duo videtur cum CVIACIO miscuisse: 1) vtrum adulterium ad *minora delicta* retulerit? quod negat CIRONIVS *in comment. ad h. t.* cum potius in verbis adductis illud distinguat *a minoribus*, vt sensus sit, in adulteriis, et quæ sunt minora adulterio, locum relinquendum esse dispensationi, ex *noua ecclesiæ disciplina*, incontinentiæ clericali multum fauente: 2) vtrum idem ius adulterio, et quæ sunt minora adulterio, dederit intuitu *dispensationis?* quod omnino adfirmandum, et vix aliter excusari potest, quam ex declinata iam ecclesiæ disciplina; interim, vt recte obseruat ACOSTA *ad tit. de iudic. p. 325.* depositio in clericis non est abrogata, quamuis, indulgentiarum et dispensationum vsu præualente, rarior applicatio facta sit, quod *incontinentiæ clericali*, prout dictum, adscribendum, cui magis, quam matrimonio legitimo clericorum fauent. Quodsi enim omnes clerici adulteri et fornicatores essent iuxta antiquum rigorem deponendi, monasteria deficerent, quibus intrudendi essent, quamuis eorum mole hodie laboret ecclesia catholica. Ex crimine *adulterii* enim depositi detrudendi erant in monasterium *toto vitæ suæ tempore*, iuxta *c. 10. D. 81. c. 11. eod.*

Non tamen inter minora delicta relatum adulterium,

§. XXII. Peruulgatum vero est ex *Nou. 134. c. 10.* et desumta inde *auth. sed hodie.* mulieres etiam adulteras ex noua IVSTINIANI sanctione ad similem pœnam condemnatas fuisse. *Sed hodie*, verba sunt *cit. auth., adultera verberata in monasterium mittatur: quam intra biennium viro recipere licet. Biennio transacto, vel viro, priusquam reduceret ream, mortuo, adultera tonsa, monastico habitu suscepto, ibi, dum viuit, permaneat.* Ante *biennium* ergo non fiebat monialis; sed demum transacto biennio, quo detondebatur assumto habitu monastico, quod argumentum *monachismi* videbatur esse. Idem regustasse videtur pontifex in *c. 19. X. de conuers. coniug.* Mu-

Adulteræ etiam in monasterium detrusæ ex Iustiniani sanctione, et Pontificis.

Mulieres vero, quae relicto maritali toro lapsu carnis ceciderint; si mariti earum a te diligenter commoniti eas ad frugem melioris vitae conuersas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, vt perpetuam poenitentiam ibi agant. Poterat ergo 1) maritus detrusam in monasterium vxorem intra certum tempus recipere, et quidem etiam *inuitam*, modo id sub hac *cautela* faceret, quod *nullum ei, nihil duntaxat de cetero simile committenti, periculum esset illaturus* iuxta *c. 5. C. 31. q 1.* quo a mariti vindicta secura esset. Iure antiquo Romano sine metu *lenocinii* id marito non licuit, vt clare indicat *l 9. C. ad L. Iul. de adult. qui adulterii damnatam si quocunque modo poenam capitalem euaserit, sciens duxerit vxorem vel reduxerit, eadem lege ex causa lenocinii punietur*, id quod pariter in *l. 2. §. 2. D. ad L. Iul. de adult.* cautum est. Aliter patres ecclesiae constituerunt, qui etiam matrimonium, eiecta adultera, durare arbitrati sunt, quod marito, ea viuente, integrum non esset, aliud appetere connubium. Haec sententia hanc peperit tandem conclusionem, vt marito integrum esset, ex monasterio vxorem recipere. Si vero 2) recusabat vxorem recipere, claustro, vt perpetuo carceri vel ergastulo, inclusa, perpetuae subdebatur poenitentiae sub *habitu* et *regula monastica.* Tribus votis monasticis tamen eam, exemplo clericorum, ad monasteria detrusorum, non fuisse illigatam, nec *monialem* factam, GONZALEZ *ad c. 1. n. 10. X. de regular.* et PETRVS FABER *lib. III. semestr. c. 21. p. 330. sqq.* arbitrantur, quod *professio monastica* aliter, quam a *volente* fieri nequeat, nec *habitus* sed *vota* faciant monachum. Equidem certum est, quosdam quandoque *ad certum tempus* monasterio inclusos fuisse poenitentiae gratia, qui tamen non detondebantur, nec habitum monasticum accipiebant; *in perpetuum* autem in monasterium detrusi *ipso facto* fiebant monachi, cum etiam *tacite* ipso facto professio, habitu assumto monastico, siue coacte siue sponte id fuerit factum, fieri possit; *c. 13. X. de regul. c. 3. eod. in 6. clem. 2. eod* vt parum intersit, vtrum quis sponte et expresse professionem votorum ediderit, an vero in poenam coactus *habitum monasticum* suscipere, et hoc modo votis tribus sese subiicere debuerit, vt iam *tom. III tit. de regular. §. 76.* obseruaui. Atque haec ad mentem et sententiam vtriusque iuris spectant, quae eo facilius conspirant, quod *censura ecclesiastica* in hoc casu ad *forum criminale* a IVSTINIANO traducta fuerit. De vsu huius poenae inter protestantes grauissima mouet dubia perill. L. B. DE COCCEII *in iure controu. ad tit. ad L. Iul. de adult.*

Vt tamen maritus eam recipere posset.

Sine metu lenocinii, vt iure veteri.

Marito recusante monialis fieri cogebatur.

Etiam citra vota.

De vsu huius poenae inter protestantes.

adult. qu. 6. tum quod rectæ rationi repugnet hæc ſanctio, mitius puniens adulteram, grauius delinquentem; grauius vero adulterum, minus delinquentem; tum quod talis coacta pœnitentia ſit *pœna monaſtica*, omni veræ pœnitentiæ repugnans, ex erroneo tracta principio, quod *vita monaſtica* ad hominum *conuerſionem* manuducat, quæ magis tamen *hypocritica* quam *vera* eſt, maxime accedente *coactione*. Et vix eſt, vt ex *art. 120. C. C. Car.* approbatio huius pœnæ colligi queat, cum generatim CAROLVS V. ad *iura Cæſarea* et diſpoſitionem *maiorum ſuorum* prouocet, atque in *art. ſq.* bigamorum crimen *adulterio* annumeret, bigamosque, æque vt *adulteros*, vltimo ſupplicio adficiendos eſſe iubeat. Qua de cauſa huius criminis ſupplicium per ſingulas fere prouincias Germaniæ variat, ceu Dn. HOFFMANNVS, Profeſſor Viadrinus celeberrimus, *in cit. diſſ. de diſſenſu iur. in puniendo adult. crim. c. V.* plenius monſtratum iuit, quæ cum ad fori eccleſiaſtici vſum non ſpectent, iis perſequendis non immorabor.

§. XXIII. Denique fragmenta *L. Iuliæ de adult.*, quæ superſunt in *l. 16. 20. 21. 22. 23. D. ad L. Iul. de adult.* et *l. 2. ad L. Cornel. de ſicar.*, teſtantur, legem hanc armaſſe virum in adulteros viles et ignominioſos, non item in *vxorem*. Iure antiquo id æque maritis in vxores licuiſſe, teſtis eſt GELLIVS *in N. Att. lib. X. c. 22. in f.* ita vt vir adulteræ *pro iudice* eſſet, adhibitis cognatis, niſi deprehenſam calore maritali necaſſet. Lege Iulia hæc vindicta *marito* ademta, quamuis ſi *deprehenſam* interemiſſet, pœna *leuiori*, non *ordinaria*, plectendus fuerit. *l. 1. §. vlt. ad L. cornel. de ſicar.* Patri adhuc plus iuris relictum in filiam, in adulterio deprehenſam, cuius fundamenta *tit. X.* adlata ſunt. Quia vero ius canonicum abhorret a ſanguine, non mirandum eſt, vindictam hanc priuatam in marito improbatam fuiſſe. Cenſet NICOLAVS in *c. 6. C. 33. qu. 2. legibus mundanis* id licuiſſe maritis, quod tamen de iure Romano poſt rogationes Iulias aſſeri nequit, ſed de aliis legibus gentium accipiendum. Pariter STEPHANVS V. in *c. 8. ibid.* grauiter improbat vxoricidium in eo, qui non inuenerat eam cum alio viro rem nefariam facientem, quo ipſo *quodammodo* videtur excuſaſſe maritum, in adulterio deprehenſam occidentem. Id vero duntaxat eo pertinere videtur, vt in pœnitentiæ rigore hoc caſu modus adhibeatur; neque enim hanc priuatam vindictam ius canonicum *in foro conſcientiæ*, ſeu *pœnitentiali*, approbauit, obſeruante LAVRENTIO VIGELIO DE NICOLLIS *in pr. canon. tom. I. p. 15. et 682.* vt

Vindicta priuata erga adulterum et adulteram.

Iure canonico abrogata.

vt tamen pœnitentia mitigetur, æque ac in eo, qui clerico cum adultera vxore deprehenso manus iniecerit violentas. *c. 3. X. de sent. excommun.* Vnde nec hodie maritus deprehensos in adulterio occidens ab omni immunis est pœna, licet ex iusto dolore mitigetur. v. *art. 150.* *C. C. C.* CARPZ. *pr. crim. qu. 18. n. 5. sqq.*

TITVLVS XVII.
DE
RAPTORIBVS, INCENDIARIIS ET VIOLATORIBVS ECCLESIARVM.

§. I.

Vagus sacrilegii conceptus,

Duo crimina hoc titulo notantur, quæ *mixti fori* dicuntur, et hac de causa eo magis *ad ecclesiæ censuram*, vt loquuntur, spectant. Horum alterum est *sacrilegium*, quod a *raptoribus*, *incendiariis et violatoribus ecclesiarum* committitur, spoliando ecclesias, incendendo pia sodalitia, et violando id, quod vulgo *sacrum* et *ecclesiasticum* dicitur. Alterum est *raptus virginum*, qui ad *matrimonium* respectum habet, et hac consideratione *mixtis* criminibus accensetur. Et quidem *sacrilegium* statim *adulterio* subiungitur, quod hoc ipsum *sacrilegium pudicitiæ et nuptiarum* dici soleat, quod etiam de *raptu* eodem sensu metaphorico dici potest, vt infra specialius declarabo. Etenim cum *sacrilegii* crimine adeo vagantur scriptores antiqui, vt plura scelera nefanda maxime inter se diuersa ad illud trahere soleant. Latissimam hanc extensionem adauxit magnopere *rerum sacrarum* conceptus vagus, plus æquo propagatus, quo facto non potuere non infinitæ *sacrilegii* species enasci atque effingi, de quibus in compendio agit MARTA in *Digest. decis. tom. II. p. 124. voce sacrilegium.* Neque vero duntaxat priscis populis, qui ante et extra ecclesiam christianam vixere, crimen hoc vltra limites suos producere in more positum fuit: Christiani ipsi, atque ecclesiæ Doctores, ex quo tempore superstitio eam corrupit atque deprauauit, pe-

ex abusu appellationis sacrorum ortus.

deprauauit, pedetentim immenſum *ſacrilegiorum* numerum excogitarunt, vt, ſi in eo ſubſtiteris, nihil facilius ſit, quam hoc ipſo ſeſe maculare. Quoniam vero omnino intereſt, vera a falſis ſeparare, et ſpuria a genuinis diſcernere, ad duo momenta dirigenda erit meditatio, quorum primum circa diuerſas ſacrilegii ſpecies *ſecundum ius ciuile;* alterum vero circa *ſpurias* eius *ſpecies* in *eccleſia* natas et in *iure canonico* atque *conciliis* relatas occupatum erit.

(I.)

De ſacrilegio ex mente iuris ciuilis.

Prædicatur quandoque ſacrilegium de quauis impietate.

§. II. Ante omnia præmitto, non raro *ſacrilegium* prædicari de quauis *impietate nefandiſſima*, atque *ſcelere notabiliori*, non alia de cauſſa, quam quod ſacrilegium proprie dictum *inſignem impietatem* alat, inſimulque omnem Dei venerationem atque cultum excludat, id quod in omni ſcelere ad minimum *per indirectum* deprehenditur. Hoc ſenſu CICERO III. *in Verrem* bellum ſceleratum vocat *ſacrilegum et impium*. Scelerata et impia manus HORATIO *lib. II. carm. ode* 13. vocatur *ſacrilega*, pari vſu loquendi, quo vtitur CICERO *in Philipp. XII.* cædem Antonii metuens. Ait enim: *nunquam profecto a me ſacrilegas manus atque impias abſtinebit*. Pari ſenſu canit IVVENALIS *lib. 5. ſat. 13. verſ. 71.*

Intercepta decem quereris ſeſtertia fraude ſacrilega.

Nec minus TERENTIVS *Adelph. act. III. ſc. 2.* mores deperditos depingens, ait: *vis, egeſtas, iniuſtitia, ſolitudo, infamia. Hoccine ſeclum! o ſcelera! o genera ſacrilega! o hominem impium!* Ad gentilium vſum ſcriptores Chriſtiani nonnunquam ſeſe compoſuerunt, et *impietatem quamuis* inſignem hac deſignarunt voce. Diſerte ARNOBIVS *adu. gent. lib. IV. ſacrilegæ mentis* eſſe dicit, inſignibus maledictis cuiuspiam famam carpere. IDEM *cit. loc.* ſe proprio cruentare parricidio, *ſacrilegium* eſſe dicit. Porro IDEM *lib. II. p. m. 44* pronunciat, *in ſacrilegæ crimen impietatis* incurrere, quiſquis a Deo conceperit, hominem eſſe prognatum rem infelicem et miſeram. TERTVLLIANVS *in apol. c. 13* gentiles *impios atque ſacrilegos* erga Deos adpellat, nec minus MINVCIVS *in octau p. m. 150. ſacrilegii vel maximi* (impietatis) *inſtar eſſe* cenſet, *humi quærere, quod in ſublimi debes invenire.* Videlicet quemadmodum crimen *ſacrilegii* inſignis *impietatis* et *irreligioſæ mentis* notam præ ſe fert; ita non adeo inconcin-

num atque inusitatum visum fuit, *speciem* loco *generis* collocare, et quemuis impietatis singularis furorem sub hac adpellatione adumbrare. Id quoque recte obseruauit BARTHIVS *in aduers. lib. XVIII. c. 2. p. m. 896.* atque contendit, sacrilegium Christianis scriptoribus significare omne id, *quod est Christianae sanctitati contrarium*, adeo vt etiam CHRISTIANVS LVPVS *tom. IV. oper. p. 16.* non vereatur, sacerdotum coniugia vocare *sacrilega*, quod *putatiuae sanctitati clericali* repugnent. Denique metaphorico et allegorico sensu quandoque vsurpatur pro *fornicatione libidinosa.* Cum enim Apostolus dicat: *templum Dei estis vos, et qui violauerit templum Dei, hunc disperdet Deus;* inde HIERONYMVS *ad Heliodorum de laude vitae solit.* scribens, sic rationes subduxit: *neget auaritiam esse idololatriam, qui potest triginta argenteis Dominum venditum adpellare iustitiam; neget sacrilegium in libidine, sed is, qui membra Christi et hostiam viuam placentem Deo cum publicarum libidinum victimis collusione violauit.*

Strictiori significatu furtum sacrorum denotat.

§. III. Sed iam propius ad specialiorem *sacrilegii* acceptionem pergo, quod, vt vel vocis indoles ostendit, in *rebus sacris* committitur, et *earum spolium* seu *depraedationem* denotat. Ineptiunt sine dubio, qui *sacrilegium* dici censent, *quasi sacrae legis laesionem*, quod non adeo improbat PASSERINVS *de pollut. eccles. disp. 1. c. 13. n. 2.* sed vix lusum ingenii lepidum constituit. Magis ieiuna est deriuatio INNOCENTII IV. *ad c. cum pro caussa. X. de sent. excom. n. 1.* aientis, *sacrilegium dici quasi sacriledium*, quo vsus est figmento, vt *laesiones quascunque sacrorum vel quasi* hac adpellatione insignire posset, vel vt BALDI ineptias regustaret. Magis sobrie versatus est PROSPER FARINACIVS *in pr. crim. qu. 172. p. 1. n. 3.* constituendo, *sacrilegium* dici *quasi sacrae rei legium.* Etenim palam est, *furem* atque *sacrilegum* dici eum, qui *sacra legit*, seu aufert, et furatur, quam etymologiam etiam sistit VOETIVS *in polit. eccl. p. 1. lib. 4. tr. 2. p. 765.* cum *legere* etiam denotet *clam* vel *furto auferre*, quorsum collineat HORATIVS *lib. 1. sat. 3.*

cuius vocis vera deriuatio eruitur.

Et qui nocturnus diuum sacra legerit,

h. e. qui sacrilegium admiserit, interprete MINELLIO. Pari sensu etiam *sublegere* praedicatur de *furibus*, obseruante SERVIO *in ecl. 9. Virgil.* vbi Poeta ita canit:

Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,

h. e. quae suffuratus sum te nesciente, iuxta interpretationem SCRIVERII, aliorumque; quamuis interpres Gallus CATROVIVS alium sen-

ſenſum his verbis attribuat. Eadem quoque deriuatione vtuntur Græci, ſacrilegium nominantes ἱεροσύλημα, et ſacrilegum ἱερόσυλον, quia συλάω *ſpoliare et deprædari*, et σύλη vel σῦλον *prædam* vel *ſpolium* denotat. Cum Demetrii Epheſini inſania plebem contra Apoſtolos et fideles furiis impleuerat, purgabat eos ſcriba publicus a criminibus *ſacrilegii* et *blaſphemiæ*, quibus inſimulabantur, dicendo, eos eſſe οὔτε ἱεροσύλους, οὔτε βλασφημοῦντας et PAVLVS *Rom. II, 22.* peruerſos doctores increpat his verbis: ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς, *qui abominaris idola, ſacrilegium committis.* conf. SAMVEL PETITVS *comment. in LL. Attic. p. 562.* HARMENOPVLVS *in promt. iur. ciu. lib. VI. tit. 5.*

et appellatione græca illuſtratur.

§. IV. Ex hac *ſacrilegii* deriuatione fluit generalis huius criminis notio, quæ in *violatione rerum ſacrarum per impiam deprædationem* conſiſtit. Enimuero, quod et aliarum vocum vſus fert, obſeruo, ſacrilegii acceptionem eſſe duplicem, *ſtrictiorem* et *latiorem*: illa deſignat *rerum ſacrarum furtum*, quod ob qualitatem obiecti grauius *furto ſimplici* iudicatum fuit. Hæc vero latius patet, et quamcunque *violationem ſacrorum*, et quæ pro talibus habentur vulgo, comprehendit, quo in ſignificatu FARINACIVS *cit. qu. 172. n. 2.* illud dicit eſſe *violationem, vſurpationem vel læſionem rei ſacræ.* Hoc in ſenſu Alcibiadi *ſacrilegium* obiectum fuit, teſte NEPOTE in *vita eius c. IV.* adeoque abſens, *quod ſacra violaſſet*, capitis damnatus eſt; quæ *ſacrorum violatio c. 6. n. 4. ſacrilegium* vocatur. Videlicet vtraque acceptio reſpectum ad *religionem* habet, et ſic non mirandum, ſi quibuscunque religionibus plures vel pauciores ſpecies huius criminis propriæ ſunt; dependet enim ex principiis cuiusque religionis, quid *ſacrum* cenſendum, et quo ſenſu id conſiderandum. Vnde qui in definitionibus hic diſcrepant, eos vt plurimum in *religione* et conceptu *rerum ſacrarum* diſſentire deprehendo, cum quilibet ſecundum principia ſuæ religionis, cui addictus eſt, de hoc crimine ferat iudicium, adeo vt veterum ſententias adoptare vel intelligere aliter nequeamus, quam ſi eorum ſententias de *religione* antea indagauerimus ſollicite.

Sacrilegium ſumitur vel ſtrictius

vel latius pro qualibet ſacrorum violatione.

Hoc delictum reſpectum ad religionem habet

et ſic ex principiis ſingulis ſectis propriis de eo iudicandum.

§. V. Vt ergo de *ſtrictiori acceptione* hoc ipſum demonſtrem, atrocitatem huius criminis alii admodum augent, alii diminuunt. BARONIVS ſacrilegium immanius eſſe crimen cenſet, quam maieſtatis, *in annal. ad ann. 264. n. 6.* adeoque a DAMHOVDERO *in pr. crim. c. 113. n. 1.* vocatur *execrandiſſimum;* ab aliis crimen *læſæ maieſtatis diuinæ*, quod res ipſi Deo oblatas auferens, ipſum etiam Deum videatur

Inde alii de hoc crimine grauius iudicant

 con-

contemnere. Etiam seculo IV. ad classem primam *criminum maiorum* referebant patres *sacrilegium* et cum *homicidio* et *mœchia* in parem referebant censum, vt ex AVGVSTINO monstratum est *tit. praeced.* §. *XXI.* Hoc etiam agnoscunt plerique ICtorum, obseruantibus HARPRECHTO *resp. 45. n. 14.* DECIANO *tract. crim. lib. 6. c. 32. n. 1. sqq.* BONIFAC. *de furt. p. 234. sq.* Mitius iudicat DN. KRESSIVS, professor Helmstadiensis celeberrimus, *in comment. ad const. crim. Carol. art. 174. et seq. n. 34.* existimans, potuisse nos supersedere disputationi quoad differentiam inter *furtum* et *sacrilegium*, immo quoad eiusdem species, et alia singularia, quod hæc ortum trahant ex *consecratione*. Quamobrem BRVNNEMANNVS *in process. inquisit. c. 9. n. 87.* sacrilegis non aliam, quam *furti* pœnam infligendam esse censet, quem etiam alii sequuntur. Ita non male censent, ex *principiis Augustanæ confessionis*, quibus addicti fuere, cum *Catholici*, consecrationi diuinam attribuentes virtutem, non possint non in alia omnia ire, more gentium, quæ ante Christianismi natales floruere, quæ itidem omne momentum in *consecratione* et inde fluente *interna sanctitate* collocarunt. Pari ratione nec in definitionibus conspirant, qui diuersis religionum principiis imbuti sunt. Ex protestantium ordine qui sunt, vnice *sacrilegium* vt plurimum æstimandum censent *ex qualitate rei surreptæ*, ita vt indistincte, *re sacra ablata*, sacrilegium statuendum sit ex sententia TREVTLERI *Vol. 2. disp. 32.* ibique BACHOV. *lit. f.* BOCERI *clas. 4. disp. 16. n. 52.* Inde SCHROETERVS *diss. de sacrilegio* §. *3.* sacrilegium esse dicit *contrectationem fraudulosam rei sacræ, et Deo dicatæ animo lucrifaciendi facta.* Paulo aliter CLASEN *ad C. C. C. art. 171.* censet, aitque, illud esse *furtum rei sacræ seu quæ diuinis vsibus est consecrata in loco sacro commissum.* Vterque ergo sacrilegium proprie dictum non committi censet in re *profana* ex *loco sacro* surrepta. Diuersa vero sententia placuit Pontificibus, ex diuersis religionis principiis, quibus ducuntur, vt infra ostendam.

alii mitius.

Similiter nec omnes in definitionibus conueniunt ob religionis disparitatem.

§. VI. Quæ cum ita sint, limites huius sceleris vnice æstimandos esse ex *principiis religionis*, cuique genti propriis, omnino arbitror. Oleum et operam perdunt, qui aliorum populorum mores, et dogmata de hoc crimine tradita in suas partes sine iudicio trahunt, et vniuersalem regulam inde exstruere conantur. Ne quidem antiquorum Romanorum doctrinam in omnibus et singulis adoptare tuto licet, quorum *sacra* fuerunt infinita, sedulo inter plures explicata a IACOBO GVTHERIO *de veteri iure pontificio vrbis Romæ.* Horum ta-

Limites huius sceleris constituendi ex principiis religioni cuiuis propriis.

tamen *deliria idololatrica*, vnde plures in *ſacrilegio* fluxere concluſiones, nobis abominationi ſunt, vtut *ius Romanum* vulgo *in foro* receptum eſſe aſſeratur. Quin potius, qui inoffenſo pede in hac doctrina incedere et progredi optat, omnis in hoc eſſe debet, vt leges de *ſacrilegio* ſcriptas cum ipſa *religione*, cui legislator nomen dedit, et *ſacris* ei propriis conferat, et ſecundum hanc de illis ſolidum ferat iudicium. Generatim autem pleræque religiones in eo conſentire videntur, quod *violatio ſacrorum* piaculare flagitium cenſeri debeat, quæ primario quidem *ſpolio* atque *furto* eorum committitur, ſed etiam aliis modis fieri poteſt, vt proinde generalis conceptus *ſacrilegii* conſtituendus ſit in *violatione ſacrorum primario quidem per furtum et deprædationem, ſecundario vero etiam aliis modis, eadem dehoneſtantibus.*

Violatio ſacrorum iniuſta ſupponitur.

§. VII. Dum *violationem* in ſacrilegio vulgo concipiunt, (nam ex mente *gentium*, ad noui fœderis iura non pertinentium, iam quidem rationes ſubduco) factum *iniquum, crimen, flagitiumque publicum* ſupponendum eſt. Equidem rapina iniqua et *fraudulosa* ſubtractio rerum ſacrarum manifeſtum inducit delictum. Sed quia *violatio rerum ſacrarum* latius patet, vt pluribus aliis quoque modis committi poſſit; palam eſt, eam, quatenus *crimen* inuoluere debet, ex inſtitutis cuiusuis religionis æſtimandam eſſe. Romani cenſuere ex dogmatibus ſuæ religionis, *cum loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinere religioſa, vel ſacra eſſe, l. 36. de relig.* PAVLVS inde collegit *in l. 4. de ſepulcb. violat.* ſepulchra hoſtium Romanis non fuiſſe religioſa, adeoque lapides inde ſublatos in quemcunque vſum adplicari potuiſſe. De templis aliisque ſacris hoſtium fere idem iudicium tulere Romani, nec ea violare, deſtruere, aut direptionibus ſubiicere, *nefas ſacrilegum* duxere, vt infra plenius indicabo. Cæſar hoc argumento fretus iuſſit lucum Gallis religioſiſſime cultum exſcindere, teſte LVCANO *lib. III. pharſal.*

Datur iuſta, ſine crimine, ex mente legum Romanarum.

Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Maieſtate loci, ſi robora ſacra ferirent.
In ſua credebant redituros membra ſecures.
Implicitas magno Cæſar terrore cohortes
Vt vidit, primus raptam librare bipennem
Auſus, et aëriam ferro proſcindere quercum.
Effatur, merſo violata in robora ferro:
Iam ne quis veſtrum dubitet ſubuertere ſyluam,
Credite me feciſſe nefas? Tunc paruit omnis

Imperiis non sublato secura pauore
Turba, sed expensa superorum, et Caesaris ira.

item Mosaicarum.

Quis ignorat, reges iudaeorum lucos idolis consecratos deiecisse, idola destruxisse, et alia gentilium sacra deuastasse, diripuisse, funditusque perdidisse, sed sine *sacrilegii* nota? Erant haec gentibus sacra; non aeque regibus Hebraeorum, verum Deum colentibus, qui ex mandato diuino *sacra gentilium* igne comburere iussi erant. *Deut. VII, 7. 25. XII, 3.* Hoc iure vsus est IEHV comburendo statuas Baali dicatas, et destruendo aedes idololatricas, atque in perpetuum contemtus monumentum latrinas ex loco faciendo. *2 Reg. X, 26.* Simile quid ausus est IOIADA *2 Reg. XI, 18.* aliique. Nec Christianis Imperatoribus alius mos fuit, quoad fana gentilium, quae vtut his sacra essent, sine *sacrilegii* macula tamen dirui posse censebant, quod haec sacra potius in opprobrium et contemtum veri numinis ex doctrina noui foederis fierent, quo exemplo securi Christiani passim gentilium templa incenderunt, et depraedarunt, stragem hanc admodum dolente LIBANIO oratore Antiocheno gentili in *orat. pro templis* a IACOBO GOTHOFREDO primum edita. Pari vero iure gentiles iudaeosque vsos fuisse erga sacra Christianorum sub IVLIANO, antiqui testes memorant, hoc conniuente et Christianos irridente, quod supra *tit. 6. huius libri §. 8. sqq.* prolixius exposui atque illustraui.

et Christianorum.

Obiectum sacrilegii sunt res sacrae.

§. VIII. Versatur omne sacrilegium circa *sacram rem*, h. e. Deo peculiariter attributam et dicatam. Licet enim omnia generatim Dei sint, creatoris summi, peculiariter tamen homines quaedam in *omni religionis cultu* numini consecrare ab antiquo soliti sunt, quae *sacra* vocarunt. In hoc conspirarunt omnes gentes, qui cultus cuiusdam diuini venerationem agnouerunt: qui ab illa alieni fuerunt, et talia sacra repudiarunt, (vt quidam philosophi,) *sacrilegio* dicam scripserunt. His annumerandus videtur BION, *sophista callidus* ex mente LAERTII, religioni gentilitiae parum addictus. Hic enim, teste SENECA *lib. VII. de benef. c. 7.* modo omnes sacrilegos argumentis esse collegit, modo neminem. Prius vt demonstraret, hoc modo rationes subduxit: *quisquis id, quod Deorum est, sustulit et consumsit atque in vsum suum vertit, sacrilegus est. Omnia autem Deorum sunt. Quod quisque ergo tollit, Deorum tollit, quorum omnia sunt. Ergo quisquis aliquid tollit, sacrilegus est.* Posterius subtili sophismate ita illustrat: *cum effringuntur templa et expilatur capitolium, nullum sacrilegium est, quia quicquid sublatum est ex eo loco, qui Deorum erat, in eum trans-*

Bionis dogma examinatur.

transfertur locum, qui Deorum est. Ad vtrumque sophisma ita respondet SENECA: *Omnia quidem Deorum esse, sed non omnia DIIS DICATA. In his obseruari sacrilegium, quae religio numini adscripsit. Sic et totum mundum Deorum esse immortalium templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum: et tamen a sacris profana discerni, et non omnia licere in angulo, cui nomen sani impositum est, quae sub cælo et conspectu siderum licent. Iniuriam sacrilegus DEO quidem non potest facere, quem extra ictum sua diuinitas posuit: sed tamen punitur, quia TANQVAM DEO fecit. Opinio illum nostra ac sua obligat pœna. &c.* BIONEM atheum fuisse, non credo; quin tamen parum religiosus in Deos gentilium fuerit, non adeo dubito, cum hoc sophismate sacra gentilium publica, tot Diis, nihil diuinitatis habentibus, dicata magis explodere, quam Deum eiusque cultum negare voluisse videatur. Interim id palam est, posito *sacrilegio*, poni etiam necessario *sacra* h. e. res peculiariter numini cuidam ita dicatas atque appropriatas, vt ad eius *patrimonium* et *iura* referantur, *diuini iuris* censeantur, et respectu hominum prorsus *nullius* esse credantur.

§. IX. Illustranda est hæc meditatio ex variis gentilium, populorumque sacris. Aegyptios superstitioni vltra modum deditos fuisse, notissimum est. Adeo enim a vero desciuerant cultu, *vt turpissimas bestiarum ac pecudum figuras colerent*, teste LACTANTIO *lib. V. c. 20. Hac sacra sacrilegiis omnibus tetriora erant*, vt loquar cum MINVCIO FELICE *in octau. p. m. 98.* Horum nefandorum sacrorum etiam mentionem facit CICERO *lib. III. de nat. Deor.* dicens: *omne fere genus bestiarum Aegyptii consecrauerunt*; proinde earum violatio et occisio *nefas execrabile*, vel si dicere mauis, *sacrilegium* visum fuit. Testis est IDEM *lib. V. quaest. Tuscul. Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes prauitatis erroribus quamuis carnificinam prius subierint, quam ibin aut aspidem, aut felem, aut crocodillum violent: quorum etiam si imprudentes quippiam fecerint, pœnam nullam recusent.* Idem testatur IVVENALIS *l. V. sat. 15.* atque hæc præterea addit:

Porrum et cepe nefas violare et frangere morsu.

Pariter POMPONIVS MELA *L. 1. de sit. orb. c. 9. n. 45. p. 75. colunt effigies multorum animalium, atque ipsa magis animalia: sed alia alia: adeo vt quædam eorum etiam per imprudentiam interemisse capitale sit, et vbi morbo aut forte extincta sint, sepelire ac lugere solenne sit.* Denique etiam testimonio suo idem firmat MINVCIVS FELIX *in octau. p. 292.*

Illustratur hoc (I) ex sacris Ægyptiorum,

qui violationem sacrorum morte expiarunt.

p. 292. edit. Gronou. aiens; *Nonne Apim et bouem cum Ægyptiis adoratis et pascitis? nec eorum sacra damnatis instituta serpentibus, crocodillis, belluis ceteris et auibus et piscibus, quorum aliquem Deum si quis occiderit, etiam CAPITE PVNITVR.* Huius seuerissimæ pœnæ et legis non ignarus MOISES Pharaoni, iubenti, vt populus Israëliticus in *Ægypto* sacrificaret, contradicebat, *et non potest ita fieri*, aiebat, *abominationes enim Ægyptiorum immolabimus domino Deo nostro: quodsi mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptii, coram eis lapidibus nos obruent. Abominationes* Ægyptiorum erant illæ bestiæ, quarum occisio iis *abominationi* erat, atque *sacrilega.* conf. GROTIVS *in comment. ad h. t.* Non ergo adeo dubitandum est, quin deprædatio sacrorum pari ratione *pœna capitali* ab Ægyptiis coercita fuerit, id quod non poterat non quoque illis *abominabile* et *sacrilegum* censeri. Imo quo magis superstitio, et numerus rerum sacrarum crescebat, eo plures *sacrilegiorum* species, et *læsarum religionum* facinora emergebant.

(II) Ex sacris iudæorum.

§. X. Quanta in veneratione *sacra* apud Iudæos fuerint, adeo manifestum est, vt de eo dubitare nefas sit. Imprimis *templi* permagnus erat cultus, vt nihil ferrent indignius, quam si minus honorifice de eo sentirent, atque eius destructionem imminere prædicerent. Hoc crimine onerabant Stephanum delatores, *Act. VI, 13. 14.* et blasphemiæ *sacrilegiique attentati* eum reum arguebant. conf. ANTONIVS BYNAEVS *de morte Iesu Christi lib. II. c. 5. §. 11.* Cum Iudæi multas et graues criminationes contra PAVLVM, iudice FESTO, mouissent, contradixit iisdem dicendo, *neque in legem Iudæorum, neque* IN TEMPLVM, *neque in Cæsarem quippiam peccaui. Act. XXV, 8.* Capita criminationum habentur *Act. XXI, 28.* quæ ostendunt, Iudæos non tantum idem crimen, quo insimulauerant Stephanum, PAVLO obiecisse, sed præterea etiam *violati templi* eum reum fecisse, quod alienigenas intra septum templi secum duxisset, quod adeo illicitum et *sacrilegum* iudicabatur, vt si quis alienigena, etiam Romanus, id septum transgrederetur, occidi potuerit, teste IOSEPHO *lib. VI. belli Judaici.* Hac de causa PAVLVS negabat, se *in templum* deliquisse, nec id facinore sibi obiecto polluisse. Neque id ignorabant gentiles, qui ab ingressu eius sese temperabant, nisi *iure belli* id impune fieri posse censerent, secundum ea, quæ §. VII. dicta sunt. Expugnatum templum Hierosolymitanum sine *sacrilegii* formidine ingressus est POMPEIVS cum multis aliis comitibus, idque *iure victoriæ*, vt ait TACITVS *lib. 5. histor. c. 9.* eaque vidit, quæ excepto pontifice ma-

quibus profanatio templi sacrilega erat

cuius criminis Paulus reus factus

non Pompeius, qui iure victoriæ templum ingressus est.

maximo intueri, aliis nefas ac sacrilegum erat, FLORVS *lib. III. c. 5. n. 30.* more gentili ait, eum vidisse *illud grande impiæ gentis arcanum patens sub aureo vitem cœlo. conf.* IOSEPH. *lib. XIV. hist. c. 8.* Ea tamen modestia, diuina concurrente prouidentia, adhuc vsus, vt sacra nec tangeret, nec *iure belli* quicquam, quod citra *sacrilegium* ex LL. Romanis licuerat, inde auferret. Prudentiæ ac sapientiæ POMPEII hoc attribuit CICERO *orat. pro L. Flacco*, quod suo iure vsus haud fuerit. Ait: *At Cn. Pompeius, captis Hierosolymis victor ex illo fano nihil attigit. Imprimis hoc, vt multa alia, sapienter, quod in tam suspiciosa ac maledica ciuitate locum sermoni obtrectatorum non reliquit. Non enim credo religionem & Iudaeorum & hostium impedimento præstantissimo imperatori, sed pudorem fuisse.* Hanc cladem tamen, *sanctissimo* per temerarium illatam introitum, admodum ægre tulerunt Iudæi, vtpote quo grauiter læsa erat loci augustissimi sanctitas, teste IOSEPHO *lib. I. de bell. iudaic. c. 5.* licet *iure externo* impune. Vltimam hanc victoriam Pompeii fuisse, obseruat doctissimus Anglus HVMPHREY PRIDEAVX *in nexu veteris & noui testamenti P. II. c. 6.* adeo, vt iustissimo DEI, læsam maiestatem vindicantis, iudicio, post hæc tempora aduersa fortuna in plerisque vsus tandem *clade Pharsalica* decantatissima succubuerit.

non citra vltionem diuinam.

§. XI. DEum videlicet sacrorum suorum læsorum vindicem grauissimum fuisse, atque *sacrilegis* non vna vice pœnas inflixisse, interitumque attulisse, historia sacra docet, illustratque succincte LEIDEKKERVS *de republ. Iudæor. lib. XI. c. 8. §. 7.* Iam ante Deus *Num. IV, 16. 20.* lege seuerissima *sub comminatione interitus* prohibuerat, ne quis, etiamsi ex Leuitis esset, arcam fœderis, arcanum illud sanctissimum, tangeret inspiceretque, quippe quo *crimen læsæ religionis & violatorum sacrorum* incurrebat, quod *sacrilegii species* erat. VSA vel HVZZA, quem ex Leuitis fuisse credunt eruditi, præsentes Deo pœnas suæ temeritatis dedit, quod *arcam* tangeret, & ita venerationem ei debitam grauiter violaret, vtut *bona intentione*, ne boum subsultatione caderet, id fecisse videretur. *2 Reg. VI, 7.* Similiter VSIAS rex pœnam diuinitus sibi illatam sensit, contra legem Dei temerario ausu sacra sibi interdicta inuadere tentando. Eam enim templi partem, quæ *sanctuarium* dicebatur, ingressus est, vt suffitum offerret super ara thymiamatum. *2 Paralip. XXVI, 16. sqq. Forte,* (vt ait CLERICVS vir doctissimus *in comment. ad c. l.*) *imitari voluit gentes, apud quas reges sacerdotio etiam fungebantur, vt augeret sui reuerentiam,*

Deus enim sacrorum suorum violatorum inter Iudæos vindex fuit.

exemplo Vsæ,

Vsiæ,

quam coniecturam etiam repetit Dn. BVDDEVS *in histor. vet. testam. tom. II. p. 513.* Hoc facto mox lepra percussus est, quo morbo non tantum ingressu templi, sed consortio hominum excidit. Ita honor sacrorum cultusque Deo debitus contra violatores diuinitus vindicatus fuit, id quod vlterius exornat illustratque SPENCER *de LL. Hebr. ritual. lib. 1. c. 7. sect. 1.*

Achani, aliquid ex rebus deuotis auferentis,

§. XII. Exemplum *stricte dicti sacrilegii* triste simul & nefandum præbuit ACHANVS Iudæus in expeditione Ierichuntina, qui aliquid ex *rebus deuotis* interuerterat, atque surripuerat. Præceperat diuinum numen *Ios. VI, 18.* ne rem deuotam & anathemati subiectam interuerterent; voluit enim Deus, metalla huius vrbis sibi, quasi *primitias prædæ* de hostibus ad occasum Iordanis victis, consecrari, cetera autem comburi, vt verba CLERICI *ad huiic locum* mea faciam. Huius diuini præcepti immemor non tantum aurum argentumque Deo consecratum, sed & pallium Babylonicum, quod comburendum erat, clam subtraxit, conscia sine dubio ipsius familia, quæ simul factum celauit. Re tandem diuinitus detecta, populus Israeliticus eum lapidibus trucidauit, combussitque cadauer igne. Nec filiis filiasque parcendum erat, *qui conscii fuerant sacrilegii, vt cum eo pares pœnas darent*, vt ait CLERICVS *ad cit. text. v. 24.* Hoc modo seuerissime vindicauit Deus *sacrilegium* in populo Israelitico, vt hoc exemplo edocti manus intactas a sacris sibique deuotis temperarent, eoque magis præceptis diuinis obedirent. Ceterum *proprie dictum sacrilegium* ab Achano admissum fuisse, plenius demonstrat atque euincit VOETIVS *de polit. eccl. P. 1. lib. 4. tr. 2. c. 20. p. 764:* quod *furtum anathematis* nihil aliud sit denotetque, quam rei alicuius sacræ ac deuotæ ad destructionem ablatio. Etenim significatio τ8 *Cherem*, quæ *cit. l.* occurrit, in sacris denotat *sacrorum donariorum deuotionem*, *Exod. XXI, 20.* vel etiam rerum in vsus sacros confiscationem, seu destinationem rerum internecioni atque destructioni, vt plenius docet SELDENVS *de synedr. lib. 1. c. 7.* Vterque significatus in *cit. c. 6. Ios.* deprehenditur, vt rursus IDEM *cit. l.* notat, qui etiam Romanis vsitatus fuit, obseruante GVTHERIO *de vet. iur. pontif. vrbis Rom. lib. IV. c. 22.* nam ipsa vrbs cum omnibus personis & rebus (exceptis metallis) destructioni & internecioni erat destinata ex Dei iussu. Præterea vero ab internecione excepta erant *vers. 19.* omne argentum, & aurum, vasa ænea atque ferrea, Deo consecrata & ad vsus sacros adplicanda, vnde tamen simul Achanus quid abstulerat, & ita reuera *sacrile-*

& vltimo supplicio affecti.

quod proprie dictum sacrilegium commiserat.

legium commiſerat. Id quoque agnoſcit ANTON. MATTHAEI *de crimin. l. 47. tit. 1. c. 2. n. 6. p. 79.* aitque: *non commiſit Achan ſimplex furtum, ſed ſacrilegium.* Prouocat præterea ad definitionem ſacrorum Trebatii: *ſacrum eſt, quidquid eſt, quod Deorum habetur*, indeque infert: *ſacra igitur ſunt, non tantum quæ conſecrata ſunt, cultus diuini cauſa, ſed & omnia, quæ quis Deo vouit. Vota autem erat præda omnis oppidi Jerichuntis Deo: non potuit igitur non committere Achan ſacrilegium.* Quæ ab aliis contra hoc *ſacrilegium* mota ſunt dubia, prolixe examinat, atque reſoluit VOETIVS *cit. l.*

Non tamen quæuis ſacrilegia capitaliter apud Iudæos ſunt punita.

§. XIII. Inde tamen minime colligendum, omne ſacrilegium ſtricte acceptum *pœna capitali* punitum fuiſſe. Multum vtique referre videbatur, vtrum res quædam ex *iuſſu Dei præciſo* ſacra facta erat atque deuota, an vero ex *ſpontanea voluntate* ſanctificata, vel ad ſacrificium deſtinata, quamuis etiam hoc modo *ſacra* fieret. In ſcelere Achanis hæc peculiaris occurrebat circumſtantia, quod rem abſtulerat, quæ *ex peculiari Dei mandato* erat ſacra & deuota facta: hinc capitis ſupplicium ſubire cogebatur. Aſt, qui rem Deo *ſpontanea voluntate* conſecratam dicatamue auferebat, huic pœnæ haud ſubiectus erat. Diſtinguendum autem erat, vtrum *ſponte* ſacram rem reſtitueret, peccatumque agnoſceret, quo caſu procedebatur ſecundum legem, *Leuit. V, 15. 16.* allatam, vt in rebus conſecratis ſolummodo quintam ſuperadderet partem, easque cum hac quinta parte reſtitueret eis, quibus Deus res conſecratas cedere voluit: an vero non ſponte reſtitueret, qui pro ratione circumſtantiarum pœna dupli, quadrupli, vel quintupli tenebatur, vt plenius docet CONSTANTINVS L'EMPEREVR *de LL. Hebr. forenſ. c. 7. §. 2. p. 144. ſq.* additque, non conſentaneum fuiſſe, cum minori periculo & damno ſacra, quam priuata bona furto auferri.

(III) Exemplo Græcorum ſacrilegium morte plectentium.

§. XIV. Ad *Græcos* progredior, qui ſicut idolorum ſuorum atque ſacrorum inſignem curam habuerunt etiam vsque ad extremam ſuperſtitionem, ceu docent *Act. XVII, 16. 22. XIX, 27. ſqq.* & SAMVEL PETITVS *in comment. ad LL. attic. lib. 1. c. 1.* ita ſacrorum læſorum vindices erant acerrimi. Obſeruat ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib. III. c. 5. in med.* pœnam in ſacrilegos ſtatutam fuiſſe ſeueriſſimam, vt *præcipitati* vel *immerſi* vel *combuſti* pœnas darent. Demetrii aurifabri inſidiis atque machinationibus effectum erat, vt PAVLVS *ſacrilegii* & *blaſphemiæ*, contra Dianæ templum commiſſæ, inſimularetur. Plebs idololatrica hoc rumore in furorem coniecta ad

ſupplicium rapiebat Alexandrum deprehenſum, a quo eum tamen liberabat magiſtratus Epheſini æquitas, ceteroſque ab his criminibus purgabat allegans, eos neque *ſacrilegos* neque *blasphemos* eſſe, *Actor. XIX, 37.* idque ex rei veritate; neque enim templum Dianæ intrauerant, idque raptu ſacrorum vel alio auſu violauerant, imo nequidem Dianæ mentionem fecerant, vt GROTIVS recte indicat *in comment. ad cit. text.* Proprie eos ſacrilegos dixiſſe τὰς ἐξ ἱερῶν κλέπτοντας, liquet ex ſententia AGESILAI, aſſerentis, abſurdum eſſe, eos, qui e fanis aliquid furto auferrent, *ſacrilegos* adpellare; qui autem ſupplices ab aris auellant, ſi vel maxime hoſtes eſſent, pro religioſis habere, teſte XENOPHONTE *in orat. de reg. Ageſil. p. m. 672.* Lex Attica de ſacrilegis hæc lata erat teſte EODEM *lib. I. hiſt. græc. p. 450. vt, ſi quis vel vrbem proderet vel res ſacras furto ſubtraheret, cauſſa pro tribunali cognita damnaretur, in Attica non ſepeliretur, & fiſco bona ipſius addicerentur.* Eadem ergo pœna in *proditores patriæ* & *ſacrilegos* conſtituta eſt, quod vtrumque delictum æqualem turpitudinem continere credebatur, atque eo minus mirandum, quoniam ſacrorum ſuorum cultores erant ſuperſtitioſiſſimi. IDEM porro *lib. 1. memorabil. p. 721.* hoc confirmat, &, *ſecundum leges* ait, *ſi quis ſacrilegium committere deprehendatur, ſupplicio capitis adficitur.*

per legem atticam.

§. XV. Apud Romanos ſeueriſſima etiam *ſacrilegii* vindicta obtinuit. Lege Iulia ad crimen *peculatus* id relatum fuit. Ante SERVIVM TVLLIVM Romani precium rerum in pecudibus, quo veterum opes continebantur, teſte FESTO *voce peculatus*, conſtituiſſe, obſeruat GRAVINA *in orig. iur. ciu. tit. de legib. §. 95.* vt iis pro crimine multarentur. Nam, vt ait FESTVS, *ante æs aut argentum ſignatum ob delicta pœna grauiſſima erat duarum ouium & triginta boum.* Sic itaque *peculatus* erat furtum *pecuniæ publicæ*, & *peculator* dictus, qui *furtum pecuniæ publicæ* fecit, teſte ASCONIO *in II. orat. contra Verrem.* Furti huius inſignis licentia in ſtatu populari fuit, vt M. CATO autor eſt apud GELLIVM *lib. II. c. 18. fures priuatorum furtorum in neruo atque in compedibus ætatem agunt; fures publici in auro atque in purpura.* Ante IVLIVM CAESAREM criminis huius quæſtio certa & perpetua certo prætori iam fuit mandata, vt docet SIGONIVS *de iudic. lib. 2. c. 28.* forſan poſt SYLLAE tempora; vtrum vero iam pecuniæ *ſacræ* furtum ſub eo comprehenſum fuerit, non conſtat, quin potius credibile eſt, IVLIVM primum hanc ſpeciem huic crimini adieciſſe, & an-

(IV) Exemplo Romanorum, ad crimen peculatus ſacrilegium referentium

ex lege Iulia.

ante hanc legem non quidem hoc facinus inultum, ſed pœnam, prout vſus tulit, ſine *certa lege publica* ſtatutam fuiſſe.

vix ante hanc legem, quod ex ſacrilegiis Verris demonſtratur.

§. XVI. Grauiſſima fuit accuſatio CICERONIS *in Verrem* de *ſacrilegiis*, ab eo in prætura Sicula commiſſis *lib. IV. in Verrem*, vbi generaliter præmittit, *nihil eum neque priuati, neque publici, neque profani, neque SACRI tota in Sicilia reliquiſſe.* IDEM *lib. 3. in Verr.* ab initio repetit, & nemini dubium eſſe, ait, *quin apertiſſime C. Verres in Sicilia ſacra profanaque omnia & priuatim & publice ſpoliarit, verſatusque ſit ſine vlla non modo religione, verum etiam diſſimulatione in omni genere furandi atque prædandi.* Multis verborum lenociniis ipſius nefanda ſcelera, rapinas, & deprædationes exaggerat, non tamen ad *certam* quandam *legem* prouocat, niſi quod vbi de furto pecuniæ publicæ agit, *peculatus* criminis eum reum facit. Ait quidem *lib. I. in Verr. eum delubra ſanctiſſimis religionibus conſecrata depeculatum eſſe;* enim vero plus quam notum eſt, CICERONEM hoc vocabulo ſæpius in genere vti, pro *quauis deprædatione turpiſſima*, adeo, vt *ſacrilegii* adpellationem mitiorem eſſe cenſeat, ſi eius ſceleribus in ſacra commiſſis adplicetur. Ait enim *lib. I. in Verr.* eum *non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumque* fuiſſe, quod ad augendam malitiam in ſpoliandis fanis commiſſam ſtylo oratoribus communi attuliſſe videtur. Variis enim modis impietatem Verris extollit, contenditque, ipſum *religiones ceremoniasque omnium ſacrorum fanorumque violaſſe: (lib. I. in Verr.) templis tam antiquis, tam ſanctis, tam religioſis manus impias ac ſacrilegas attuliſſe: (ibid.) Diis immortalibus bellum indixiſſe, ſacrorum omnium hoſtem, religionum prædonem fuiſſe: religiones maximas violaſſe: expugnauiſſe Deos patrios; (lib. IV. in Verr.)* denique *eum Deorum templis & religionibus, nefario quodam furore & audacia inſtinctum, bellum ſacrilegum ſemper impiumque habuiſſe indictum.* Hoc modo extollit atque amplificat ſceleris huius atrocitatem, ſed *legem publicam* & *comitialem* ſpeciatim non determinat, qua hoc crimen vindicandum eſſet; quid? quod *lib. IV. in Verr.* ſcelus, quo religiones maximas violauerat, a *peculatu* adhuc diſtinguit, certo indicio, ante *legem Iuliam ſacrilegium* ſub peculatu comprehenſum non fuiſſe.

Quæ Cicero grauiſſime coercenda eſſe iudicat.

§. XVII. Interim non videtur negare, grauiſſimo ſupplicio in eum animaduertendum eſſe, quod tot templa ſpoliauerit, & diis ipſis bellum indixerit. Ait enim *lib. IV. in Verr. Audite ſingularem eius cupiditatem, audaciam, amentiam in his præſertim ſacris polluendis, quæ non modo manibus attingi, ſed ne cogitatione quidem violari fas*

 eſt.

est. Et paulo post: *eo tu seruos ad spoliandum fanum immittere ausus es, quo liberos adire ne orandi quidem causa fas erat? hisne rebus manus afferre non dubitasti, a quibus etiam oculos cohibere religionum iura cogebant?* Loquitur de *fano Cereris*, cuius religio etiam Romæ maxima erat, ad quod viris non erat aditus, sed eius sacra per *mulieres* ac *virgines* confici solebant. *Hoc Cereris numen, sacrorum vetustatem, fani religionem istius sceleratissimi atque audacissimi supplicio expiandam* sacerdotes eius volebant, quorum iudicium CICERO probat. Plura præterea speciatim recenset *sacrilegia* ab eo commissa, ostendentia *in Deos immortales quam impius, quam sceleratus, quam nefarius fuerit*, vt loquitur *lib. 1. in Verr.* Nam enarrat, Verrem (1) Apollinem Delium spoliasse, eiusque templo manus impias atque sacrilegas attulisse: (2) Tenem, qui apud Tenedios sanctissimus Deus habebatur, magno cum gemitu ciuitatis eum abstulisse: (*lib. I. in Verr.*) (3) candelabrum Ioui Capitolino destinatum, Antiocho regi interuertisse, & per nefarium scelus de manibus regiis extorsisse: (4) Simulacrum Dianæ, Segestanis sacrum, sustulisse: (5) Mercurii simulacrum, quod apud Tyndaritanos anniuersariis sacris & summa religione colebatur, adhibita vi illis extorsisse: (6) signum Apollinis Agrigento rapuisse: (7) simile quid in templum Herculis ausum fuisse: (8) signum Cereris ex sacrario apud Latinenses sustulisse: (9) fanum Iunonis in insula Melita, itemque (10) ædes Mineruæ spoliasse: (11) signum Pæonis ex æde *Æsculapia* sacrum & religiosum, & (12) ex æde *Liberi* simulacrum Aristei, præterea (13) ex æde *Iouis* religiosissimum simulacrum Iouis aliaque sacra abstulisse: quæ facinora eo grauiora erant, quo magis constabat, magna cum veneratione a gentilibus hæc simulacra culta fuisse, vt violationem eorum non possent non *capitali supplicio* vindicare.

quæ speciatim referuntur.

Rationes, cur sacrilegium ad crimen peculatus relatum fuerit, referuntur.

§. XVIII. Huiusmodi auarissimorum magistratuum, in prouincias missorum, nimia cupiditas, pecunias *publicas* ac *sacras* intercipiendi, in suamque rem vertendi, forsan fecit, vt eadem *lege Iulia* de vtroque crimine ageretur, quod non raro in huiusmodi prædonibus impurissimi VERRIS more coniuncta esse solerent, quamuis adhuc alia ratio huius coniunctionis tradi possit, de qua §. XX. agam.

Sententia legis Iuliæ.

Hac de caussa *lege Iulia peculatus* cautum esse dicitur, *ne quis ex pecunia sacra, religiosa, publicaue auferat, neue in rem suam vertat, neue faciat, quo quis auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat*, VLPIANO teste *in l. 4. D. ad L. Iul. pecul.* Idem confirmat MARCIANVS *in l. 4. pr. eod. lege Iulia peculatus tenetur, qui pecuniam sacram, religiosam abs-*

abstulerit, interceperit. Porro *in l. 9. §. 1. eod.* definiuntur hoc modo sacrilegi; *sunt autem sacrilegi, qui publica sacra compilauerunt*, h. e. *publica autoritate* consecrata & religione æque publica venerata, vtpote *qui manu facta templum effregerunt, & dona Dei noctu tulerunt*, vt ait VLPIANVS *in l. 6. pr. eod.* Tale quid ausus erat apud Agrigentinos VERRES per seruos, referente CICERONE *lib. IV. in Verr.* his verbis: *ad templum Herculis cum esset Verres Agrigenti, duce Timarchide*, (homine ad istius libidines flagitiosas singularemque nequitiam nato atque apto, vt *lib. II. in Verrem* ait) *repente nocte intempestiua seruorum armatorum fit concursus, atque impetus, clamor a vigilibus fanique custodibus tollitur. Qui primo, cum obsistere ac defendere conarentur, male multati clauis ac fustibus repelluntur. Postea conuulsis repagulis effractisque valuis demoliri signum ac vectibus labefactare conantur.* Paulo subtilius fuit sacrilegium clarissimi cuiusdam iuuenis, cuius fit mentio in *l. 10. §. 1. eod.* cum inuentus esset arculam in templum ponere, ibique hominem includere, qui post clausum templum de arca exiret, & de templo multa subtraheret, & se in arculam referret.

In sacrilegio desideratur 1) pecuniæ sacræ deprædatio fraudulosa, quorsum etiam dona Deo dicata pertinebant.

§. XIX. Ante omnia ergo desideratur *pecuniæ sacræ deprædatio fraudulosa.* Appellatio *pecuniæ*, more legum Romanarum, est paulo latius accipienda, vt *omnia corpora sacra* seu *res corporales* complectatur iuxta *l. 178. de V. S. l. 222. eod.* Ergo huc non tantum pertinebant *simulacra* & *signa*, quæ *publica religione* colebantur, quorum prædo VERRES fuit, quæ explicat GVTHERIVS *cit. l. lib. III. c. 8.* sed etiam *dona* alia, Diis dicata. *l. 6. pr. ad leg. Iul. pecul.* Ait: MARCIANVS in *l. 4. §. 1. eod. sed etsi donatum Deo immortali abstulerit, peculatus pœna tenetur.* Moris fuisse gentilibus, Diis varia pretiosissima dona offerre, & in fanis eorum suspendere, noto notius est. Memorat CICERO *lib. IV. in Verr.* Regis Antiochi filios candelabrum e gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum, Romam attulisse, vt in Capitolio in sella Iouis ponerent; sed, quod nondum templum perfectum offenderant, neque ponere, neque vulgo ostendere ac proferre voluerunt. *Statuerant ergo id secum Syriam reportare, vt cum audissent simulacrum Iouis O. M. dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium atque pulcherrimum in Capitolium afferrent.* Cum vero alter eorum per Siciliam iter faceret, &, VERRE prætore, Syracusas veniret, illudque donum, Ioui destinatum, VERRI ostenderet, primum hic astu egit, vt eius candelabri compos fieret, deinde repetentem Antiochum minis, tandem vi deterruit, atque præ-

præcipitem e prouincia exturbauit. Admodum hoc facinus exaggerat CICERO, & *lib. V. in Verr. in f.* Iouem ita inuocat: *Nunc te, iupiter O. M. cuius iste donum regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio atque ista arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab regibus, tibi dicatum, atque promissum, per nefarium scelus de regiis manibus extorsit - - imploro atque obtestor.* &c. In *§. 8. I. de R. D.* hæc *dona* vocantur *donaria, quæ rite ad ministeria Dei dedicata sunt,* vel ex voti religione vel ex liberalitate oblata, de quibus THOMASSINVS *de donar. c. 1.* Materia horum donorum variauit, prout templi leges vel mores postulabant, ceu colligo ex *l. 38. §. 1. de legat. 1.* ibi: *cum in eo templo non nisi aurea* (ita sine dubio pro *aerea* legendum, vti contextus docet) *aut argentea tantum sunt dona.* Priuilegiata horum legata olim fuisse, censuit IVLIVS PAVLVS *lib. IV. sent. lib. 4. §. 4.* vt Falcidia demum locum haberet, *deductis Deorum donis*, quæ verba ANIANI, vtpote Christiani, esse non possunt, vt quidam ex eruditis censuere; quamuis enim PAVLVS *in l. 1. §. 5. ad l. Falcid.* etiam de legatis Deo relictis quartam ex lege Falcidia detrahi posse censeat; id tamen commode accipi potest de illis legatis, quæ non ad *certum ministerium diuinum* erant destinata, sed vt ornatui templi tantum inseruirent vel ærario eius inferrentur.

Sacra publica sunt tantum sacrilegii obiectum. Vnde pecunia sacra poterat dici publica.

§. XX. Non quælibet *sacra* vero obiectum *sacrilegii* sunt, sed tantum *PVBLICA*, vt indicat *l. 9. §. 1. de sacril.* qua de caussa *furtum pecuniæ publicæ & sacræ* sub eodem crimine *peculatus* comprehensum est. Nam etiam *pecunia sacra* poterat dici *publica*, sicut VLPIANVS *in l. 1. §. 2. de I. & I. ius publicum* quoque ad *sacra* trahit, aitque: *ius publicum in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit.* Quid enim proprie Romanis erant sacra? *illa*, ait MARCIANVS *in l. 6 §. 3. de R. D. quæ publice consecrata sunt.* Fiebat consecratio vel in *honorem Deorum* seu *cultum*: vel in *hominum pœnam*: hæc *a tribuno plebis* iussu plebis, teste CICERONE *in orat. pro dom. sua*, aiente: *video esse legem veterem tribunitiam, quæ vetat, iniussu plebis ædes, terram, aram consecrare.* Hac de caussa quoque cura ædium sacrarum *magistratibus maioribus* erat commissa, quod prodit VLPIANVS *in l. 7. de offic. pro cons. ædes sacras & opera publica circumire inspiciendi gratia, an sarta tectaque sint, vel an aliqua refectione indigeant, & si qua cœpta sunt, vt consummentur, prout vires eius reipublicæ permittunt, curare debet proconsul.* In vrbe cura templorum pars erat officii censorum, quod CICERO *lib. III. de LL. c. 3.* declarat his verbis: *legem censoriam* re-

referens: *Vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor.* Immo ante eos ædiles huic officio incumbebant, docente DIONYSIO HALICARNASSEO *lib. VI. c. 90.* ac ostendente, ædiles fuiſſe *ſacrarum ædium curatores.* Hoc intuitu templa *operibus publicis* annumerata fuiſſe, euidentibus argumentis probaui *tom. III. tit. de eccleſ. ædif. vel repar. §. 26.* Nec diuerſum ſtatuendum eſt *in templis & ſacris aliarum ciuitatum,* quæ æque *publica* cenſebantur, & ita crimen *peculatus* in hæc quoque committebatur. *l. 4. inſ. ad L. Iul. pecul.* PAPINIANVM quidem hoc in dubium vocaſſe & cenſuiſſe, ob pecuniam ciuitati ſubtractam actione *furti* non crimine *peculatus* agendum eſſe, conſtat ex *l. 81. de furt.* Verum ab aliis reprobata, & reſcriptis TRAIANI & HADRIANI contraria ſententia confirmata eſt, teſte MARCIANO in *l. 4. in f. ad L. Iul. pecul.* ad quæ prouocabant ICti, quoties in diuerſas ibant ſententias: qua de cauſſa etiam IDEM addit: *& hoc iure vtimur,* vt oſtendat, hanc ſententiam in praxi eo tempore præualuiſſe, vtut alii ex quadam ſubtili ratione diſſentirent. Proinde oleum & operam perdunt, qui PAPINIANI ſententiam cum MARCIANI doctrina conciliare conantur, quum potius aperte liqueat, hanc in praxi prælatam fuiſſe.

§. XXI. Erant etiam Romanis *ſacra priuata,* quæ patres familias, pro arbitratu ſuo, *priuata religione* ſibi conſtituebant, quæque ad heredes transferebantur. Ait CICERO *lib. II. de LL. Hæc iura pontificum autoritatem conſecuta ſunt, vt ne morte patris familias ſacrorum memoria occideret, & iis eſſent ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia peruenerat.* Vnde multæ quæſtiones naſcebantur, quis inter plures ſacris adſtringeretur, aut alligaretur, de quibus TVLLIVS ſtrictim agit. Horum *ſacrorum* liberi, adhuc in poteſtate & familia patris exiſtentes, participes erant, & ita *a ſacris paternis abſolui* dicebantur, qui a patria poteſtate liberabantur; ſicut *in ſacris paternis conſtitui & manere* idem erat, ac in patria poteſtate eſſe. *l. 31. C. de fideicom. l. 12. C. de collat. l. 3. 1 6. C. de bon matern.* Horum ſacrorum diuerſa erat conditio a *publicis;* quod enim priuatim ſibi ſacrum quis conſtituebat, id *ſacrum* non erat, ſed *profanum. l. 6. §. 3. de R. D.* Inde infert VLPIANVS *in l. 9. §. 1. ad L. Iul. pecul. qui priuata ſacra vel ædiculas incuſtoditas tentauerunt, amplius quam fures, mitius quam ſacrilegi merentur.* Raptores ergo ſacrorum priuatorum non erant ſacrilegi, quamuis *furtum grauius* committerent, pœna grauiori adficiendi. Tale facinus CICERO obiicit *Verri l. IV. in Verr.* inquiens:

Sacrorum priuatorum furtum proprie non erat ſacrilegium.

Erat apud Heium sacrarium (locus, in quo *sacra* reponebantur *l. 9. §. 2. de R. D.*) *magna cum dignitate in aedibus a maioribus traditum per antiquum, in quo signa pulcherrima quatuor - - haec omnia signa ab Heio de sacrario Verres abstulit.* Qua religione priuata autem haec sacra Heius coluerit, paulo post his exponit verbis: *Ecquis pudor est? ecqua religio, Verres? Ecquis metus? Habitasti apud Heium Messanae: res illum diuinas apud eos Deos in suo sacrario prope quotidie facere vidisti.* Hisce tamen non obstantibus, factum Verris ad *sacrilegium* referri non poterat, quod sacra *publica* haud compilauerat, sed tantum *priuata*.

Quatenus sacrilegium commissum in pecunia religiosa?

§. XXII. Ceterum etiam sacrilegium committi potuit in *pecunia religiosa*, ceu traditur in *§. 9. I. de publ. iudic. l. 1. & 4. pr. §. 6. ad L. Iul. pecul.* quamuis locus *religiosus priuatam* tantum, non *publicam* religionem habuerit. Dicitur enim locus religiosus, *quem vnusquisque SVA VOLVNTATE facit, dum mortuum infert in locum suum. l. 6. §. 4. de R. D.* Ideo autem religio quaedam & sanctitas loco adesse dicebatur, quod manibus defuncti dicatus esset, vel *quod vulgus existimaret, mortuorum animas circa tumulos & corporum suorum reliquias oberrare*, vt ait LACTANTIVS *lib. II. c. 2. n. 6.* vel sepulchra esse *manium aedificia*, vt vocantur in *l. 4. C. Theod. de sep. viol.* Animae autem a corporibus separatae in Deorum censum referebantur, teste CICERONE *lib. II. de LL.* aiente, *maiores eos, qui ex hac vita migrarunt, in Deorum numero esse voluisse.* Haec sine dubio est ratio, quod tanta religio sepulchris fere fuerit adscripta, ac quidem *locis sacris*, adeo, vt etiam *pecuniae religiosae* sacrilegium fieret. Quid vero proprie *pecunia religiosa* fuerit, ante omnia excutiendum.

Pecunia religiosa omne dictum, quod in tutelam monumenti cedebat.

Admodum probabilis est sententia GVTHERII *de iure man. lib. II. c. 32. eam esse religiosam, quae ex agris aedificiisque, quae in tutelam monumenti cedunt, cogitur, atque in locis cum sepulchro consecratis, quae religiosa sunt, asseruantur in eos vsus, quibus est destinata.* Docet IDEM *lib. II. c. 31.* plura tutelae monumentorum fuisse, vt tabernas, diaetas, coenacula, aedificia, hortos, areasque. In *tutelam monumentorum* autem *cedere* dicebantur, quae ad *securitatem & impensas*, quibus sarta tecta integraque monumenta praestabantur, faciebant, & ex quibus secundum voluntatem testatoris *erogationes* in conseruationem eorum fiebant. Imprimis vero ex hortis & praediis, quae in tutelam monumenti ex dispositione testatoris cedebant, sumtus sumebantur, ex quibus *erogationes* legatae fierent, adeo, vt agros ipsos cum monumento consecrarent, vt GVTHE-

THERIVS *cit. l.* plenius docet. Illuſtrat hoc ipſum ſepulchralis lapis apud THOMAM REINESIVM *in ſynt. inſcript. antiq. claſſ. VI. n.* 112.

MEMORIAE.
AETERNAE.
RVFIVS. CATVLVS.
CVRATOR NRVII. VIVVS.
SIBI. ET. RVFFIANO. E. RVF. PVPAE.
ET. RVFIAE. SAGIRIATAE FIL DEFVNCTAE. ANNO. XXII.
AEDICIAM. CVM. VINEA. ET. MVRIS. AD. OPVS.
CONSVMMANDVM. ET. AD. TVTELAM. EIVS. ET. AD.
CENAM.
OMNIBVS. RICONTIS. PONEDNAM. XI. FIN. PERPET.
SICVTI. ET. RVDECAM. I. O. CONSVMMATVM. HOC.
OPVS.
SVB. ASCIA. EST.
HAEC. O. S. E. H. N. S.

Pro illuſtratione huius lapidis hæc ſubiicit REINESIVS *p.* 541. *ſolebant teſtatores aliquando diem quoque ſtatum, nimirum vel natalem ſuum, vel alium cuiuscunque menſis, quo epulari heredes, & anniuerſaria ſibi erogationesque fieri vellent, & miſſilium ſparſiones, ac ſpectacula exhiberi, exprimere. Aliquando in rem eandem prædia, agri, areæ, horti voluntate teſtatorum cedebant in tutelam culturamque ſepulcrorum, aliquando certa ſeſtertiorum ſumma, e quorum vſuris tutela præſtari monumento poſſet, legabatur.* Hæc igitur *pecunia*, quæ in *vſum* & *conſeruationem locorum religioſorum* deſtinata & eroganda erat, *religioſa* recte dici poterat, quod vſum haberet religioſum.

Non ornamenta cum cadauere ſepulta.

§. XXIII. Alium *pecuniæ religioſæ* ſignificatum ſuppeditat IO. KIRCHMAN. *de funer. Rom. lib. III. c.* 14. atque ſub ea intelligi debere cenſet pecuniam, aurum, atque ornamenta, cum quibus condi ſolebant cadauera, quem morem ibidem prolixius illuſtrat, & GVTHERIVS *de iure man. lib. II. c.* 32. variis exornat teſtimoniis. Mandatis principum tamen poſtea cautm eſt, pecuniam haud eſſe ſepeliendam, teſte MARCIANO in *l.* 4. *§.* 6. *ad L. Iul. pecul.* adeoque factum hoc improbatur in *l.* 14. *§.* 5. *de relig.* & legatum ea de re factum pro non ſcripto habetur in *l. fin. de aur. & argent. legat.* Quia vero

Quod prohibitum erat.

 hic

hic mos olim admodum vsitatus, et tandem propter ingentem abusum abolitus est, plures inde orti natique sunt thesauri, qui casu fortuito inventi inuentori cedebant. *§. 39. I. de R. D.* *Nam etsi thesaurus in monumento inuentus fuerit, non quasi religiosus tollebatur, quod enim sepelire quis prohibetur, id religiosum facere non potest.* Ita vero nec ornamenta, nec aurum, & argentum simul cum cadaueribus condita, *religiosa* fiebant, adeoque nomine *pecuniæ religiosæ* nec veniebant, nec *sacrilegium stricte dictum* in ea cadebat. Nihilominus in eos, qui *cadauera* spoliabant, seuerissime animaduertebant præsides iuxta *l. 3. §. 7. de sepulch. violat.*, quia licet stricte sic dictum *sacrilegium* haud admitterent, *religionem* tamen admodum *violare* dicebantur, quale factum etiam latiori in sensu *sacrilegii* nomine venire poterat. Ita enim PHAEDRVS *fab. XXVII.*

Nec hæc ornamenta simul condita religiosa fiebant, quamvis spolium eorum grauissime coerceretur.

Humana effodiens ossa thesaurum canis
Inuenit, & violauit quia manes Deos,
Iniecta est illi diuitiarum cupiditas,
Pœnas vt sanctæ religioni penderet.

Immo IVLIANVS imperator *in l. 5. C. de sepulch. viol.* refert, *violationem sepulchrorum maiores proximam sacrilegio semper habuisse*, quam proinde sub *pœna sacrilegii* prohibet, ideo, quod *læsæ religionis crimen* continere dicatur, teste GORDIANO in *l. 1. C. eod.* Idem firmat vetus poeta apud KIRCHMAN. *c.l. in f.*

Res ea sacra miser noli mea tangere fata
Sacrilegæ bustis abstinuere manus.

Res profana ex loco sacro ablata non faciebat sacrilegium.

§. XXIV. Non sufficiebat vero aliquid ablatum esse ex *loco sacro*, nisi etiam id, quod compilaretur, *sacrum* esset. Neque enim omne, quod in *templis* reconditum, *sacrum* erat, cum Romani res pretiosas tutelæ templorum committere, & ipsas testamenti tabulas in eis deponere solerent. *Templum pacis* Romæ in magno habitum fuit pretio, ad quod vniuersi ferme suas diuitias quasi in thesaurum congerebant, vt ait HERODIANVS *lib. 1. c. 14. n. 4.* Templo Saturni itidem pretiosa concredita fuisse, docet AVRELIVS VICTOR *de orig. gent. Rom. c. 3. §. 6. ædes quoque sub cliuo capitolino, in qua pecuniam conditam habebat, ærarium Saturni hodieque dicitur.* Aerarium in Saturni Opisque templo fuisse, atque ex eo ingentem summam, quam Cæsar ante ibidem deposuerat, ab ANTONIO fuisse ablatam, docet PAVLVS MANVTIVS *de l.L. p. m. 159.* & plenius illustrat PITISCVS *in lex. antiq. Rom. voc. ærarium.* Credebant enim gentiles, thesauros suos a Deis

Talis tutelæ templorum committi solebat.

me-

melius custodiri: templa esse loca sancta, violationi non facile subiecta, munita praeterea, & custodibus cincta; vt non facile inde aliquid auferri posset, si *vis maior* abesset, quorsum collineat IVVENALIS *lib. 5. Sat. 14. n. 260.*

- - *Et ad vigilem ponendi Castora nummi.*

h. e. ad templum Castoris, vbi excubiae per vigiles erant pro custodiendis nummis ibidem repositis. Tales depositiones multis factas fuisse in fanis, memorat CICERO *lib. II. de LL.* additque duo exempla: *Alexander in Cilicia deposuisse apud Solem in delubro pecuniam dicitur, & Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiae, ciuis egregius cum timeret rebus suis, filiarum dotes credidit.* Talia quidem non *sacra*, bene tamen *sacro commendata* dicebantur, adeoque dubitabatur, vtrum etiam horum compilatio *sacrilegium* esset? CICERO sine vlla haesitatione id affirmat, aiens *c. l. sacrilego poena est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum.* CICERONEM secutus est QVINTILIANVS *declam. 252.* inquiens: *eadem pecunia sublata ex priuato furtum erit: ex sacrario, temploque, sacrilegium.* Plures magnae autoritatis ICtos idem censuisse, docet CVIACIVS *lib. XIII. obs. 19.* quod hoc facinore iniuria & priuatis, & Diis custodibus pecuniae fieret: quod ita ipsa religio loci violaretur: quod denique fur ingrediens templum, sacrilegium facere, h. e. pecuniam quamcunque sine delectu, vtrum *sacra* an *profana* esset, auferre intenderet. Ni me omnia fallunt, sententiae huic adhaesisse videtur CLAVDIVS SATVRNINVS in *l. 16. §. 4. de poen.* dicens: *Locus facit, vt idem vel furtum, vel sacrilegium sit, & capite luendum, vel minori supplicio.* Si ergo locus facit *sacrilegium*: non adeo ad *qualitatem rerum ablatarum* respiciendum. Plures tamen ab hac sententia discessum fecisse, docent definitiones ICtorum, qui in sacrilegio *pecuniam sacram* desiderarunt, vt textus supra allegati docent, pro quo dissidio tollendo *decisio imperialis* tandem necessaria fuit, quam adducit MARCIANVS *in l. 5. ad L. Iul. pecul. Diui Seuerus & Antoninus Cassio Festo rescripserunt, res priuatorum, si in aedem sacram depositae, subreptae fuerint, FVRTI actionem, non sacrilegii esse.* conf. ANTON. MATTHAEI *de crimin. lib. 48. tit. 13. c. 3. n. 1.*

quamuis quidam etiam in hanc sacrilegium committi censerent.

quae controuersia tandem composita.

§. XXV. Superest, vt de *rebus sanctis* disquiram, quatenus earum violatio in hoc crimen cadere queat? Palam est, eas res *sanctas* fuisse dictas, quae *sanctione singulari* aduersus omnem violationem sunt immunes. *l. 8. pr. de R. D.* Caussa huius *immunitatis singularis* non est eadem,

Quatenus res sanctae ad hoc crimen pertineant?

eadem, sed partim ex *speciali Deorum tutela*, cui res tales subesse credebantur, olim desumta: partim aliunde petita. Quæ ob *specialem Deorum tutelam* sanctæ res erant, præterea *iuris diuini* censebantur, nec *religione* carebant, quamuis non essent Deo consecratæ. *l. 9. §. 3. D. de R. D.* Quod *sacrum* erat, etiam *sanctum* dici poterat, vt *violari id sine pœna non potuerit*. Similiter quæ *sancta* speciatim dicebantur, etiam suo modo *sacra* dici poterant, *quoniam esset aliquid, quod ibi homini facere non liceret, quodsi faceret, aduersus Deorum voluntatem facere videretur*, vt philosophatur FESTVS voce *sacrum*. Speciatim muri *rebus sanctis* annumerabantur; *constat enim*, ait MACROBIVS *lib. III. c. 9. omnes vrbes in alicuius Dei esse tutela, moremque Romanorum arcanum & multis ignotum fuisse, vt cum obsiderent vrbem hostium, eamque iam capi posse confiderent, certo carmine euocarent Deos tutelares, quod aut aliter vrbem capi posse non crederent, aut si posset, nefas æstimarent, Deos habere captiuos.* Ipsa *euocatio sacrorum*, cuius fit mentio in *l. 9. §. 2. de rer. diuis.* solenni carmine, quod MACROBIVS *c. l.* refert, fiebat, credebaturque, Deos tutelares a muris atque oppidis discessuros, remque antea *sacram* vel *sanctam* fieri *profanam*, vt tuto violari posset religione iam liberata. *cit. l. 9.* Hac opinione imbutus VIRGILIVS, ita cecinit:

Vt muri tutelæ certi Dei dicati

a quibus tempore belli sacra euocabantur,

> *Excessere omnes adytis arisque relictis*
> *Dii, quibus imperium hoc steterat.*

alias violatio eorum sacrilegium erat.

conf. PETRVS FABER *lib. II. semestr. c. 4.* B. de COCCEII *diss. de euocat. sacror. c. 1.* Nondum ergo euocatis sacris, *violatæ religionis* reus erat, qui aliquid in muros deliquerat, adeo, vt capitis pœnam subire cogeretur, *§. 10. I. de R. D.* quod ex ratione adducta, quæ generalis est, non tantum ad muros vrbis Romæ pertinebat, sed etiam ad alia quæcunque oppida referendum, *l. 8. in f. l. 9. §. 4. de R. diuis.* adeoque *sacrilegii generaliter sumti* crimen committebat, qui muros transcendebat, capitaliter puniendus. *l. f. de R. D.* Lapides terminales adhuc maiorem sanctitatem habere credebantur, vt *rebus sacris* fere accensendi essent. *Terminus* enim Deus fuit antiquissimus, cui *sacrificabant, quod in eius tutela fines agrorum esse putabant, vt* FESTVS voce *terminus* ait, adeo vt qui terminum exarasset, & ipsum & boues sacros esse NVMA statueret. Inde OVIDIVS *lib. II. fast. v. 641.*

Idem quoque de terminorum violatione dicendum.

> *Termine, siue lapis, siue es defossus in agro*
> *Stipes, ab antiquis sic quoque numen habes.*

conf.

conf. celeberr. Dn. OTTO *de diis vial. c. II. p. 22. seq.* Erat itaque *sacrilegium* lapides hosce auellere, vel furari, adeo, vt qui per *ignorantiam*, aut *fortuito* lapides abstulissent furto, verberibus coercerentur, *l. 2 in f de term. mot.* quod ex more gentili facile coniicere potuerint, hos esse sacros, adeoque *in dubio* intactos relinquendos.

§. XXVI. Inde vero simul liquet, cur expugnatis vrbibus, hostes *iure victoriæ* se sacra licite, & sine macula *sacrilegii* compilare posse crederent, quod sacra scilicet ante expugnationem inde essent euocata. Hac ratione vsus Annibal, quum Selinuntem in Sicilia expugnasset, & Syracusani missis legatis eum monerent, vt fanis Deorum parceret, respondit: *Deos incolis infensos Selinunte iam excessisse.* DIODORVS SICVLVS *lib. XIII. c. 59.* Hoc quoque sensu accipiendus POMPONIVS in *l. 36. de relig.* aiens: *cum loca capta sunt ab hostibus* (quod euocatis sacris fiebat) *omnia desinunt sacra, vel religiosa esse*, & ita ex hoc principio victores sine *sacrilegio* se sacra quæuis rapere posse, credebant, vt tamen *honestius* & *religiosius* ab his abstinendum esse crederent. Laudat M. Marcellum CICERO *lib. IV. in Verr. p. m.* 251. quód cum *omnia Syracusana victoria sua profana fecisset: tamen religione impeditus non attigerit*, quæ *iure victoriæ* attingere, & auferre potuisset. Nam IDEM *lib. III. in Verr.* illud *belli legem* vocans, ait: *signa & ornamenta ex vrbe hostium vi & virtute capta belli lege atque imperatorio iure sustulit P. Seruilius.* Pompeium iure victoriæ templum Iudæorum intrasse, supra obseruaui. conf. GROTIVS *de iure B. & P. lib. III. c. 5. §. 2.* B. de BOCCERII *de euocat. sacror. c. III. §. 5. seq.* Solebant tamen nonnunquam sacra expilata in patriam suam transferre victores, eaque solenni cultui exponere. Pœni quum Segestam in Sicilia expugnassent, simulacrum Dianæ Carthaginem transtulerunt, vt locum tantum hominesque mutarent, religionem tamen pristinam conseruarent. CICERO *lib. V. in Verrem.*

Post euocationem sacrorum iure victoriæ sacra expilari poterant sine crimine sacrilegi

vtut honestius facerent, si ab his abstinerent,

vel in patriam translata colerent.

§. XXVII. Facilius vero abstinere solebant a violatione & ereptione sacrorum, tum si eosdem Deos victores cum victis colerent, tum si venerationem sacrorum *iuri victoriæ* anteferrent. POMPEIVM apud Hierolosymis ex illius fano nihil attigisse, ait CICERO *pro L. Flacco*, quod *venerationi sacrorum* attribuit IOSEPHVS, CICERO autem *regulis prudentiæ*, quamuis constaret, POMPEIVM a sacris Iudæorum alienissimum fuisse. Vnde sine dubio factum, vt victores, *iure victoriæ* nimis rigorose vtentes, & sacra violentes, *sacrilegio* sese, vtut impune, obstrinxisse legantur. Id Romanis, *iure victoriæ* sæpe

Quandoque tamen victores sacrilegium, vtut impune commisisse dicebantur, qui a sacris non abstinebant

iusto

quod Minucius obiicit Romanis.

iusto acerbius vsis, obiicit MINVCIVS FELIX *in octau. p. m.* 252. *Ita quicquid Romani tenent, colunt, possident, audaciæ præda est: templa omnia de manubiis i. e. de ruinis vrbium, de spoliis Deorum, de cædibus sacerdotum. Hoc insultare & illudere est, victis religionibus seruire, captiuas eas post victorias adorare. Nam adorare, quæ manu ceperis, sacrilegium est consecrare, non numina. Toties ergo a Romanis impiatum est, quoties triumphatum. Tot de Diis spolia, quot de gentibus & tropæa. Igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi.* Hæc quoque TERTVLLIANO *in apol. c.* 25. stetit sententia: *tot igitur sacrilegia Romanorum, quot tropæa: tot de Diis, quot de gentibus triumphi: tot manubiæ, quot manent adhuc simulacra captiuorum Deorum.* Neque enim tantum *Christiani* ita rationes subduxerunt: ipsimet *gentiles* idem agnouerunt. SENECA *epist.* 87. aperte fatetur, *magna sacrilegia in triumphis ferri.* Imprimis vero ita censebant, quoties de extraneorum atque hostium deprædatione templorum iudicium interponebant. DIONYSIVS Tyrannus Siciliæ post victoriam Græcia potitus, Deos contemsit, spoliauitque. Ita enim CICERO *de nat. Deor. lib. III. circa fin. Dionysius cum fanum Proserpinæ Locris expilauisset, nauigabat Syracusas: isque quum secundissime cursum teneret, videtisne, inquit, amici, quam bona a Diis immortalibus nauigatio sacrilegis detur? Atque homo acutus, quum bene planeque percepisset, in eadem sententia perseuerabat. Qui cum ad Peloponnesum classem appulisset, & in fanum venisset Iouis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubiis Carthaginensium tyrannus Gelo, atque in eo etiam cauillatus est, æstate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum: eique laneum pallium iniecit, quum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. Idemque Æsculapii Epidauri barbam auream demi iussit. Neque enim conuenire, barbatum esse filium, quum in omnibus fanis pater imberbis esset. Iam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset,* BONORVM DEORVM, *vti se eorum bonitate velle dicebat. Idem victoriolas aureas, & pateras, coronasque, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat; eaque se accipere, non auferre dicebat. Esse enim stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus & dantibus nolle sumere. Eundemque ferunt hæc, quæ dixi, sublata de fanis in forum protulisse, & per præconem vendidisse: exactaque pecunia edixisse, vt, quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in suum quidque fanum referret, ita*

Vt Cicero Dionysio regi Siciliæ,

ad

ad impietatem in Deos in homines adiunxit iniuriam. Idem repetit LACTANTIVS *lib. II. c. 4.* additque: *Hæc ille fecit impune; quia rex & victor fuit.* Quid? quod cum etiam gentiles censerent, eum a *sacrilegio* non immunem fuisse, vtut ab hominibus vindicari non posset, sed Deorum vltioni relinqui deberet, κατ' ἄνθρωπον contra eos argumentatur LACTANTIVS, aitque: *Nunc interim quæro, cur illi* (Dei) *tot & tanta sacrilegia in Dionysio non vindicauerunt, qui non furtim, sed palam Deos ludibrio habuit? cur hunc tam potentem sacrilegum a templis, a ceremoniis, ab imaginibus suis non arcuerunt?* Simili argumento iam ante eum vsus fuerat contra gentiles ARNOBIVS *lib. VI. aduers. gent. p. m. 243. quæ cum omnia fierent, & cum sacrilegis prædo irrisionibus iocaretur, si suberat numen in statua, nomini eius maiestatique sacrata: cur aris contumeliam leuigati & dehonestati vultus non iusta & merita persecutus est vltione, demonstrauitque, hoc facto & se esse præsentem, & custodia pertinaci suas sedes simulacraque tutari?* Pari ratione sacrilegium imputat Cambysi IVSTINVS *lib. I. c. 9.* qui imperio patris Ægyptum adiecit, *sed offensus superstitionibus Ægyptiorum, Apis ceterorumque Deorum ædes dirui iubet. - - Post hæc per quietem vidit fratrem suum Mergidem regnaturum, quo somnio exterritus, non dubitauit post SACRILEGIA etiam parricidium facere. Erat enim difficile, vt parceret suis, qui cum contemtu religionis etiam contra Deos grassatus fuerat;* addit tamen paulo post, eum gladio sua sponte euaginato in femore grauiter vulneratum occubuisse, pœnasque luisse *seu imperati parricidii seu sacrilegii perpetrati.*

& Iustinus Cambysi.

§. XXVIII. Quod si ergo talia sacrilegia *iure belli*, & *victoriæ* impune fieri possunt; iustam aliis gentibus præbere haud possunt caussam, bellum fanorum spoliatoribus ob *sacrilegium*, & impietatem in sacra commissam inferendi. Prætextu *pietatis* hoc qui vsi sunt reges, fallere incautos, & stratagemate vti voluere, vt suis animum adderent, hostique terrorem iniicerent, quod illi Deos vlciscerentur, hi vero iram numinum læsorum extimescerent. Hoc hypocritico colore Macedonum rex PHILIPPVS & suos animauit, & Phocenses hostes terrore perculsos, facili negotio fudit. Seriem rei gestæ memorat IVSTINVS *lib. VIII. c. 1. sqq.* Thebanorum fraude Phocenses ad desperationem adacti, arma capessiuerant, sed manibus sacrilegio antea maculatis. Ita enim IVSTINVS: *Igitur Phocenses, cum agris, liberis, coniugibusque priuarentur, desperatis rebus, Philomelo quodam duce, velut Deo irascentes, templum ipsum Apollinis Delphis occupauere. Inde*

Ob hæc sacrilegia iure victoriæ commissa bellum inferri non poterat.

auro & pecunia diuites, conducto mercenario milite bellum Thebanis intulerunt. Factum Phocensium, tametsi omnes execrarentur, propter SACRILEGIVM, *plus tamen inuidiæ Thebanis, a quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, quam ipsis intulit: itaque auxilia his, & ab Atheniensibus, & Lacedæmoniis missa.* Thebani Thessalique in his angustiis PHILIPPVM Macedoniæ regem ducem elegerunt, quem *pia fraude* vsum fuisse, refert his verbis IVSTINVS *cit. l. c. 2.: Igitur Philippus quasi sacrilegii, non Thebanorum vltor esset, omnes milites coronas laureas sumere iubet, atque ita, veluti Deo duce, in prælium pergit. Phocenses, insignibus Dei conspectis, conscientia delictorum territi, abiectis armis, fugam capessunt, pœnasque* VIOLATAE RELIGIONIS *sanguine, & cædibus suis pendunt. Incredibile, quantum ea res apud omnes nationes Philippo gloriam dedit. Illum vindicem sacrilegii, illum vltorem religionum: quod orbis viribus expiari debuit, solum, qui piacula exigeret, extitisse dignum. Itaque diis proximus habetur, per quem Deorum maiestas vindicata sit.* Patuit mox huius simulationis, qua obnubilati erant Phocenses, vanitas irreligiosa, quod PHILIPPVS eodem *belli more* vteretur, nec tam *sacrilegii vltor*, quam *sacrorum euersor* esset. Audiamus IVSTINVM *c. III.* ita edisserentem: *Sed nec Philippus melioris fidei aduersus socios fuit: quippe veluti timens, ne ab hostibus sacrilegii scelere vinceretur, ciuitates, quarum paulo ante dux fuerat, quæ sub auspiciis eius militauerant, quæ gratulatæ illi, sibique victoriam fuerant, hostiliter occupatas diripuit. Coniuges, liberosque omnium sub corona vendidit, non Deorum immortalium templis, non ædibus sacris, non diis penatibus publicis, priuatisque, ad quos paulo ante ingressus hospitaliter fuerat, pepercit; prorsus, vt non tam sacrilegii vltor extitisse, quam sacrilegiorum licentiam quæsisse videretur.*

non tamen Iustinus a sacrilegio abstinuit.

Quid si res sacræ loco profano auferantur?

§. XXIX. Ad alterum progredior requisitum, id quod in eo quidam collocant, vt res sacra *e loco sacro* auferatur. Quid ergo si res sacra e *loco profano?* Illud *sacrilegium* vix audent dicere ex mente *iuris ciuilis*, cum locus, cuius religio violatur, turpitudinem huius facinoris admodum augeat. Idque SATVRNINVM olim sensisse, supra iam obseruaui ex *l. 16. §. 4. de pœn.* Ast post SEVERI & ANTONINI rescriptum, cuius fit mentio in *l. 6. ad L. Iul. pecul.* scrupulus insignis nascitur, vtrum huius requisiti amplius habenda sit ratio? Distinguit ANTON. MATTHAEI *lib. 40. de crimin tit. 10. n. 3.* vtrum *sciens* abstulerit *rem sacram*, an *ignorans?* illo casu sacrilegium committi censet, vtpote si æditu o, cui *res sacra* tradita est, ea scienter au-

auferatur ex *priuatis ædibus*, quamuis forsan rarius contigerit, vt intra priuatos parietes eam habuerit; hoc casu *simplex furtum* committitur, quod dubium non habet. Merito probanda est hæc distinctio, cum res non desinat *sacra* esse, vbicunque demum reperiatur, & sic eius spolium in *sacrilegium* incidat. Nonnunquam signa de gente in gentem sunt translata, maxime si ab hoste recuperata fuerunt cum antiqua religione. SCIPIO Africanus, capta Karthagine, simulacrum Dianæ, olim Segestanis ablatum, Segestam maxima cum cura reportari, & in suis antiquis sedibus reponi, summa cum gratulatione ciuium, curauit, teste CICERONE *lib. IV. in Verrem*. Quid ergo, si in itinere furto esset *scienter* ablatum, annon *sacrilegium* commissum credidissent Romani? *Locum* enim tantum mutabat, vt TVLLIVS ait, non *religionem* simulacrum. De aliis casibus idem esto iudicium.

Non erat sacrilegium, si is, cuius periculo erat, rem sacram intercipiebat.

§. XXX. Nouum suppeditat LABEO in *l. 9. §. 2. ad L. Iul. pecul.* requisitum, *vt pecuniæ sacræ furtum non sit ab eo factum, cuius periculo fuit.* Ii ergo, quorum periculo hæc ipsa est, crimen hoc non committebant, quales erant æditui, h. e. *sacræ rei tutores*, seu *curam gentes*, vt ait FESTVS *hac voce.* *Peculatus* crimen vero tantum ICtus ab hoc facinore excludit; an vero *sacrilegii* quoque? Id in *sensu iuridico* dicendum prorsus arbitror, cum hoc ad *peculatus* crimen relatum, eique quasi incorporatum sit, vtut alias in *sensu latiori* æditυus, rerum sacrarum fur, *sacrilegus* quoque dici possit. Ceterum in *sensu iuridico* hic magis committebat *crimen de residuis*, cum pecunia sacra quoque publica, & ita ex lege Iulia *de residuis* plectendus erat reus. Ceterum quia hodie sacrilegium magis æstimatur ex *sanctione Carolina*, quæ *iuris canonici* principia adoptauit, vix est, vt huic requisito amplius in praxi insistatur, vt infra indicabitur.

Pœnam huius criminis collocarunt gentiles (1) in vindicta diuina.

§. XXXI. Antequam ad alias *sacrilegii* species progrediar, paucis de *pœni* sacrilegii *stricte dicti* agam. De pœnis apud Hebræos Græcosque vsitatis strictim supra iam quædam attuli. Modo pœnas *Romani iuris*, & sententiam gentilium de *vindicta diuina* examinemus. Huius criminis enim tantam esse atrocitatem, crediderunt gentiles, vt sacrorum suorum hostes, religionumque prædones ipsimet Dei punire crederentur, maxime in quos pœnis humanis haud sæuiri poterat. M. TOBIAS ECKHARDVS Quedlinburgi anno 1710. libellum de hoc argumento edidit, præmisso titulo: *Deus sacrilegii vindex ex historia sacra & profana demonstratus*, in quo, postquam *c. II.* de pœnis variis gentibus vsitatis egit, capite sequenti, vt & VIII.

quod scripto Eckhardi illustratur.

 osten-

ostendit, *sacrilegia ab hominibus non punita vindicari a Deo*, & *capite vltimo* disquirit, quid de exemplis diuinitus puniti sacrilegii habendum sit. Plura omnino recensent exempla sacrilegiorum diuinitus punitorum gentiles scriptores, quos magna cura collegit prælaudatus ECKHARDVS, iisque fidem non detrahit. Ego vero animaduerto, sacerdotes gentiles infinita somnia prodigiorum, & pœnarum diuinarum credulis proposuisse, vt superstitione deceptos fallerent, & autoritatem suorum sacrorum tuerentur. Tectosagi cum in antiquam patriam Tholosam venissent, comprehensique pestifera lue essent, non prius sanitatem recuperasse dicuntur, teste IVSTINO *lib. XXXII. c.3.* quam *aruspicum responsis moniti* (en *gentilium antistitum* astutiam!) *aurum, argentumque bello sacrilegiisque quæsitum in Tholosensem lacum mergerent.* Quis vero dubitaret, quoscunque alios sinistros euentus sacrorum idololatricorum raptui attributos fuisse? Fuluium Flaccum fœda morte periisse, refert LIVIVS *lib. 42. c. 28. nam mane ingressi cubiculum serui, laqueo dependentem inuenere. Erat opinio*, addit LIVIVS (ex *sacerdotum somniis* sine dubio orta) *post censuram minus compotem fuisse sui: vulgo Iunonis Laciniæ iam ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant.* Facit etiam huius rumoris mentionem LACTANTIVS *lib. II. c. 7. n. 14. seq.* aliaque ex sententia gentilium exempla diuinitus punitorum sacrilegorum adfert. *Sacrilegi quoque*, ait, *numerari possunt, quorum præsentibus pœna iniuriam suam Dii vindicasse CREDVNTVR. Appius Claudius censor, cum aduersus responsum ad seruos publicos sacra Herculis transtulisset, luminibus orbatus est: & Potitiorum gens, quæ prodidit, intra vnius anni tempus extincta est. Item censor Fuluius, cum ex Iunonis Laciniæ templo marmoreas tegulas abstulisset, quibus ædem fortunæ equestris, quam Romæ fecerat, tegeret; & mente captus est, & amissis duobus filiis, in Illyrico militantibus, summo animi mœrore consumtus est. Præfectus etiam M. Antonii Turullius, cum apud Coos, euerso Æsculapii luco, classem fecisset, eodem postea loco a militibus Cæsaris interfectus est. His exemplis adiungitur Pyrrhus; qui sublata ex thesauro Proserpinæ Locrensis pecunia, naufragium fecit, a vicinis Deæ littoribus illisus est, vt nihil, præter eam pecuniam incolume reperiretur. Ceres quoque Milesia multum sibi apud homines venerationis adiecit. Nam quum ab Alexandro capta ciuitas esset, ac milites ad eam spoliandam irrupissent; omnium oculos repente obiectus fulgor ignis exstinxit.* Omisit LACTANTIVS PLEMINII legati crudelitatem in Locrenses, cum tamen Pyrrhi deprædationem fani Pro-

Non tamen semper exemplis a gentilibus allatis fides habenda.

ſerpinæ attulerit. Vtriusque ſacrilegia diuinitus punita coniungit LIVIVS, *lib. XXIX. c. 8.* his verbis: *Iam auaritia ſacrorum quidem ſpoliationem abſtinuit: nec alio modo templa violata, ſed Proſerpinæ etiam intacti omni ætate theſauri, præterquam quod a Pyrrho, qui cum magno piaculo ſacrilegii ſui manubias retulit, ſpoliati dicebantur. Ergo ſicut ante regiæ naues laceratæ naufragiis nihil in terram integri, præter ſacram pecuniam Deæ, quam aſportauerant, extulerunt: tum quoque alio genere cladis eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem obiecit, atque inter ſe ducem in ducem, militem in militem rabie hoſtili vertit.* Diuinam vindictam mox ſecutam recenſent Locrenſes apud LIVIVM *c. l. c. 18.*

Christiani obiecerunt gentilibus contraria exempla, quibus probarunt, ſacrilegia non fuiſſe punita diuinitus. Vt Dionyſii

§. XXXII. Hæc ſomnia a gentilibus myſtis ſine dubio excogitata ſunt, vt Diis ſuis ſpuriis & falſis diuinitatem eo certius aſſererent. Chriſtiani hoc argumentum, quo vtplurimum gentiles vtebantur, in eos detorſerunt, & docuerunt, longe plura extare exempla ſacrilegiorum a Diis haud punitorum. Ad exempla adducta paucis reſpondet LACTANTIVS *L. 2. c. 4. n. 24. poteſt id vel caſu accidiſſe, quod aliquando, non ſemper.* In contrarium prouocat ad DIONYSII Siciliæ Tyranni facinus, quod ſupra retuli, aitque, eum poſt tot ſacrilegia ſecutum eſſe ſolitam felicitatem; *vixiſſe enim vsque ad ſenectutem, regnumque per manus filio tradidiſſe. In eo igitur,* pergit *n. 20., quia homines ſacrilegia vindicare non poterant, oportuit Deos ipſos ſui vindices eſſe.* Hic vero nihil tale metuens, ſacris rebus ablatis, proſpere nauigauit, ioco hoc uſus: *videtisne, quam proſpera ſacrilegis nauigatio ab ipſis Diis immortalibus tribuatur.* In medium quoque adfert VERRIS ſacrilegia, nulla diuina vindicta notata. Ad obiectionem, quod tamen damnatus ſit ob hæc facinora, *n. 34.* ita reſpondet: *Non ergo Dii vindicauerunt, ſed Ciceronis induſtria, qua vel defenſores eius oppreſſit, vel gratiæ reſtitit.* Eodem argumento ARNOBIVS *aduerſ. gent. lib. VI. p. m. 242. ſeq.* errorem gentilium, quem de *numinis præſentia* in ſimulacris præ ſe ferebant, conculcare ſtuduit. *Si apertum vobis,* ait, *& liquidum eſt, in ſignorum viſceribus Deos viuere, atque habitare cœlites, cur eos ſub validiſſimis clauibus, ingentibusque ſub clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, aliisque huiusmodi rebus cuſtoditis, conſeruatis, atque habetis incluſos, ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro, ædituis mille protegitis, atque excubitoribus mille? cur canes in capitoliis paſcitis? cur anſeribus victum alimoniamque præbetis? Quinimo, ſi fiditis Deos iſtic eſſe, nec ab ſignis quispiam, ſimulachrisque diſcedere: permittite illis curam ſui, reſerata ſint*

& Verris.

 ſem-

ſemper, atque aperta delubra: ac ſi quid a quopiam temerarie fuerit fraude ſurreptum, vim numinis monſtrent, & ſub ipſo furti atque operis nomine ſacrilegos pœnis conuenientibus figant. Indigna enim res eſt, & potentiam deſtruens, autoritatemque ſummorum; cuſtodiam numinum canum ſollicitudinibus credere: & quum aliquam quæras probibendis formidinem furibus, non ab ipſis petere, ſed in anſerum ponere, & collocare gingritibus. His præmiſſis, ad exempla progreditur, prouocatque ad ANTIOCHI Cyziceni, vt & DIONYSII ſacrilegia, aliasque iniurias ſimulacris Veneris illatas, cum incendiis, & deprædationibus templis adplicatis, recenſet ſine vlla Deorum vltione. Hiſce armis contra gentiles vſi ſunt Chriſtiani ſcriptores, vt eosdem proprio iugularent gladio, quia diuinitatem ſuorum idolorum ab exemplis *vltionis diuinæ miraculoſæ*, erga prædones rerum ſacrarum exercitæ, petere ſolebant. Detegendæ ergo hæ fabulæ, & in contrarium oſtendendum erat, genuina *diuinæ vltionis* deficere argumenta, totque ſacrilegia impunita, & inulta relicta fuiſſe, quod hiſce *numinibus fictis* nulla vis diuina, nulla vleiſcendi potentia ineſſet.

Interim Deus vera ſacra ſibi dicata & violata vltus eſt.

§. XXXIII. Interim negari nequit, *Deum ſummum & verum* in *fœdere veteri*, ſacrorum verorum ſibi dicatorum a gentilibusque violatorum ſcelus diuina vltione perſecutum fuiſſe. Philiſtæi, quod *arcam fœderis* abſtuliſſent, variis malis affecti ſunt. *1 Sam. V. VI.* Vindictam diuinam regibus Babyloniæ, ſacrilega manu templum Hieroſolymitanum deprædantibus, IEREMIAS annunciat, *c. L, 28. 29. LI, 11.* euentu comprobatam. *Dan. V, 2. 5. 23. 30.* Quis vero hæc & ſimilia iudicia diuina ad *idololatrica ſacra* per *ſacrilegium imaginarium* dehoneſtata adplicaret, quæ Deus abolenda eſſe iuſſit? *Deut. VII, 5. XII, 2. 3.*

An etiam idololatrica?

Equidem facile noſtrates admittunt, ſine ſacrilegii reatu a fidelibus talia nefanda ſacra funditus extirpari potuiſſe, quemadmodum reges Iſraelitarum pii ſuo docent exemplo. Enimuero aliter iudicandum eſſe cenſent de ſacrilegiis, a gentilibus inter ſe commiſſis, qui ſacrorum horum cultores erant, & licet in numine, quod adorabant, errarent, illud tamen, vt *numen*, venerabantur, & ita *ſacrilegium* committebant, quod *intentionem nefandam* haberent, ſacra exſpoliandi, quæ *vere ſacra* eſſe credebant. Hac de cauſſa Deum mala plurima hiſce ſacrorum falſorum prædonibus ex merito immiſiſſe, iudicant, & variis illuſtrant exemplis: id quod admitti poteſt, quatenus aliorum quorumcunque ſcelerum quoque vltor eſſe ſolet. Enimuero quando prodi-

gia

ia, v. c. terræ motus, aliaque vltionis diuinæ indicia in ipſo perpetrato
acrilegio eueniſſe dicuntur, magis fabulam, & ſomnia, quam veram rei
eriem narrare videntur ſcriptores. Admodum hic credulus fuit LA-
TANTIVS *lib. II. c. 16. n. 10.* hæc prodigia ſpirituum malorum operatio-
i attribuens. *Inde eſt*, ait, *quod in ſacrilego & Iuno nudata, & Lo-
cenſis Proſerpina, & Ceres Mileſia vindicauit* &c. Parum receſſit a
ACTANTIO ECKHARDVS *cit. l. c. vlt.* acriter contra ANTONIVM van
ALE *de orig. idololatr.* talia ſomnia repudiantem, nec impuris ſpiriti-
us eam vim tribuentem diſputando, quam litem iam meam non facio,
d paucis obſeruo, etiam inter Chriſtianos quoscunque ſiniſtros euen-
is non raro vindictæ diuinæ, ob ſacrilegia circa *ſacra ſuperſtitioſa* com-
iſſa, adſcriptos fuiſſe, ut terrorem credulis incuterent ſuperſtitioſi, &
a fraude cultum ſanctorum vel religione munirent, vel miraculis ce-
brarent. Autore TRITHEMIO *in chron. Hirſaug. tom. II. p. 89.*
cœnobii S. Ruperti eccleſia dicitur imago B. Mariæ virginis decen-
r depicta fuiſſe, *coronam habens in capite, in qua lapides quatuor
iſtallini per gyrum intexti atque infixi; quintus vero ceteris maior in
ctore ſacræ imaginis fuit collocatus.* Fur quidam ſacrilegus de corona
pides euulſit, quintumque de ſacro virginis pectore effodere cœpit.
lira res contigit, pergit TRITHEMIVS, *mox enim vt ſacrum pectus pu-
one contingere ac violare præſumſit, ſudare per totum imago cœpit.
uo viſo miraculo, ſacrilegus aliquantulum horruit. Sed obcæcatus
imo a cœpto crimine non ceſſauit. Euulſit ergo de ſacro imaginis pe-
ore lapidem* - - quo facto, *mox ſanguis lacte mixtus de vulnere ima-
nis in magna quantitate erupit*, quod cum collecto puluere obſtruere
ntaret, *plus liquor ſanguinis & lactis de ſacro pectore emanauit*, quod
dens ſacrilegus ſe in vicinum flumen præcipitans ſubmerſus eſt. Su-
rueniens autem quidam ſacerdos, viſo hoc miraculo, ſanguinem cum
cte profluentem in corporali, quod ſuppoſuerat, collegit, & ſic
m reliquias SS., tum theſauros monaſterii auxit egregie. EO-
M teſte *cit. l. p. 169.* ciues Moguntinenſes ſeculo XIV. eccleſias
osdam deſtruxerunt. *Ab illo tempore*, pergit, *vsque ad excidi-
ı vrbis Moguntinæ, ſuas diuina iuſtitia vindicante iniurias, bona
nper fortuna Moguntinis ciuibus extitit contraria, qui quotidie in
terius proficientes, tandem vsque adeo æris alieni grauaminibus
nt oppreſſi, & in nihilum redacti, quod omnium in circuitu ci-
atum & ſubſidium & amicitiam perdiderunt, & ſeditione ſuborta
tremo ciuitatem, dominium & magiſtratum amittentes aut mori aut
exu-*

An ſuperſti-
tioſa ſacra in-
ter Chriſtia-
nos?

exulare coacti sunt. Similem vindictam diuinam expertos Erfordienses IDEM *cit. l.* memorat, quod, consentiente licet pontifice, monasterium monialium S. Cyriaci in monte positum in suburbium transtulerant, & locum semel Deo dicatum *in vsum humanum* conuerterant, quod Deo displicuisse credit. Brabantinorum exemplo, qui horrenda mala in ecclesiis Leodii perpetrauerant seculo XIII, hoc pariter illustrat FRANCISCVS HARAEVS in *annal. Brabant. tom. I. p. 243.* IDEM *cit. l. p. 155.* & *p. 156.* nouis exemplis hoc declarat, addens: *inuasores autem possessionum illius & descendentes heredes diuina vindicta iugiter est prosecuta, vt omnes miserando vitae finirent interitu.* Similem vindictam Deum exercuisse in CHRISTIANVM ducem Brunsuicensem anno 1662, credit PAVLVS PIASECIVS *in chron. p. 358.* quod ex templo Paderbornensi patronum eius S. Liberium ex auro 80. pondo conflatum abstulerat, & ex argento monasterii Susati aliisque aedibus sacris rapto monetam signari iusserat cum lemmate: GOttes Freund, der Pfaffen Feind. Huiusmodi iudicia scriptorum, maxime *clericorum* & *monachorum*, vbique obuia sunt, imprimis *in actis SS.*, quae excerpere & repetere magis taediosum quam vtile foret.

Poenae ante legem Iuliam peculatus arbitrariae.

§. XXXIV. Progredior ad poenas *criminales*, quae ante *legem Iuliam* peculatus *arbitrariae* fuisse videntur, vt tamen pecuniae sacrae ablatae ratio habita fuerit. Verres, *repetundarum* reus imprimis postulatus est, quin etiam crimina *peculatus* & *sacrilegiorum* ei obiecta, vnde a IVVENALI *Satyr. VIII. lib. 3. v. 106.* vocatur *sacrilegus.*

De Verris poena.

Conuictum ante sententiam sua sponte in exilium discessisse, memorat ASCONIVS lite aestimata tricies HS. teste PLVTARCHO *in Ciceron. p. 864.* quo ipso atrociorem sine dubio poenam, quae ipsum manebat, euitauit. Erat videlicet *voluntarii exilii* hic effectus, vt grauiora a se declinaret supplicia reus, quod CICERO *pro Caecin. c. 34.* prodit his verbis: *Exilium non supplicium est, sed perfugium portusque supplicii; nam qui volunt poenam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt h. e. sedem ac locum mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, vt apud ceteras ciuitates, maleficium vllum exilio fuisse multatum; sed cum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quae sunt legibus constituta, confugiunt quasi ad aram, in exsilium.* conf. PAVLVS MANVTIVS *de LL. c. 19.* Fructum huius *voluntarii exilii* a Verre suscepti optime exponit LACTANTIVS *lib. II. c. 4. n. 35.* his verbis: *Quid? quod apud ipsum Verrem non fuit illa damnatio, sed*

vacatio, vt quemadmodum Dionysio, Deorum spolia gestanti, Dii immortales bonam dederant nauigationem: sic etiam Verri bonam quietem tribuisse videantur; in qua sacrilegiis suis tranquille frui posset. Nam frementibus postea ciuilibus bellis, sub obtentu damnationis ab omni periculo & metu remotus, aliorum graues casus, & miserabiles exitus audiebat: & qui cecidisse solus omnibus stantibus videbatur; is vero vniuersis cadentibus solus stetit; donec illum & opibus sacrilegio partis, & vita satiatum, ac senectute confectum proscriptio triumuiralis auferret, eadem scilicet, qua Tullium, violatæ Deorum maiestatis vltorem. Quin etiam felix in eo ipso fuit, quod ante suam mortem crudelissimum exitum sui accusatoris audiuit, deis videlicet prouidentibus, vt sacrilegus ac prædo ille regionum suarum non ante moreretur, quam solatium de vltione cepisset. Sicuti vero hoc *voluntario exsilio* condemnatio non sistebatur, sed sententia nihilominus legibus conformis ferebatur; ita Verrem quoque condemnatum esse PEDIANVS significat, grauiora sine dubio ob tot criminum cumulum expertum, nisi ad aram hanc *voluntarii exilii* confugisset.

§. XXXV. Ceterum licet peculatus pœna *aquæ & ignis interdictionem* continebat; *L. 3. ad L. Iul. pecul.* peculiariter tamen mandatis principum *de sacrilegiis* cautum fuit, vt, prout quisque deliquerit, in reos huius criminis animaduerterent Præsides. *Et sic*, addit ICtus, *constitutionibus cauetur, vt sacrilegia EXTRA ORDINEM digna pœna puniantur.* Circumstantiæ enim mirum in modum variare poterant, vt non idem pœnæ genus in omni obtineret casu. Licet enim regulariter sacrilegi *capite* punirentur, iuxta PAVLVM in *l. 9. pr. ad L. Iul. pecul.* ad exemplum aliarum gentium; monet tamen VLPIANVS in *l. 6. pr. eod.* sacrilegii pœnam debere proconsulem pro *qualitate personæ* proque *rei conditione* & *temporis*, & *ætatis*, & *sexus*, vel seuerius vel clementius statuere. *Et scio*, ait, *multos & ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos etiam viuos exussisse, alios vero in furca suspendisse.* SALVIANVS *de prouid. lib. VII.* vsum pœnæ *ignis* quoque refert. *Latro aut sacrilegus cum flammis exuritur, suis criminibus concrematur.* Multum præterea referebat, vtrum *noctu* vi armata, an *interdiu* sacrilegium esset factum? Denique etiam *quantitatis* habita fuit ratio, vt, si quis interdiu modicum aliquid de templo tulit, pœna metalli coercendus esset, aut honestiore loco natus deportandus in insulam *l. 6. pr. l. 10. eod.* Etiam LACTANTIVS *lib. II. c. 4.* varia pœnarum genera, quibus sacrilegi adficiuntur, memorat, aiens: *si humilis quispiam tale*

Pœnæ sacrilegii ex lege Iulia.

quid commiserit, huic præsto sunt flagella, ignes, eculei, cruces, & quidquid excogitare iratis & furentibus licet. Parum apte autem addit: *sed cum puniunt deprehensos in sacrilegio: ipsi de Deorum suorum potestate diffidunt. Cur enim illis potissimum non relinquunt vlciscendi sui locum, si eos posse aliquid arbitrantur? Quin etiam putant, eorum numine accidisse, vt prædones rerum sacrarum deprehensi tenerentur: & sæuiunt non tam ira, quam metu, ne, si deorum iniuriam non vindicauerint, ipsos expetant pœnæ, incredibili scilicet vanitate, qui nociturus sibi Deos putent ob aliena scelera, qui ipsis, a quibus violati spoliatique sunt, per se ipsos nihil nocere potuerunt.* Parum apte LACTANTIVM, imo sine iudicio hæc addidisse dixi, quia, si hoc modo rationes subducendæ forent, idem gentiles Iudæis, stante templo Hierosolymitano, obiicere potuissent; idem quoque hodie ad sacrilegos, blasphemantes, & periuros adplicari posset, & ita hæc delicta ad *reseruata diuinæ Maiestatis* referenda, atque in foro humano relinquenda essent impunita. Neque adeo insolitum & a ratione alienum est, Deum rempublicam aut gentem puniuisse, quæ crimina inulta reliquit, quin potius Deus minatus in verbo suo est, se, vbi crimina manerent impunita, vindictam a tota republica sumturum esse.

Recte punitur sacrilegium.

§ XXXVI. Quia vero in sacrilegio *violatio Deorum maiestatis*, vt LACTANTIVS *cit. l. n. 36. in f.* loquitur, vel vt CICERO *lib. V. in Verrem* ait, *bellum religionibus & ipsis diis indictum, & iniuria iis facta*, contineri credebatur, inde pedetentim hoc crimen etiam ad alias *violationes sacrorum & religionum* tractum, imprimis postquam *sacrorum* adpellatio extendi cœpit. Huc imprimis pertinet (I) *sacrilegium religionis*, quod gentiles Christianis, hi gentilibus *iure retorsionis*, imputabant. Dominatum tempore nascentis christianæ religionis in orbe Romano gentilium sacra idololatrica habebant: alia sacra iis inuisa, odiosa nec ferenda videbantur. POSTVMIVS apud LIVIVM *lib. 29. c. 16.* hoc in memoriam populo Romano pro rostris reuocat, aiens: *Quoties hoc patrum auorumque ætate negotium est magistratibus datum, vt sacra externa fieri vetarent? - - omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent? Iudicabant enim prudentissimi viri omnis diuini humanique iuris, nihil æque dissoluendæ religionis esse, quam vbi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur.* Inde primo natum odium *sacrorum Christianorum:* ex hoc criminationes nefandissimæ, collectæ a KORTHOLTO *in pagan. obtrectat.* & denique ex his *sacrilegii* noua species, quæ in compendio omne *impietatis* genus con-

Extensum hoc crimen ad alias sacrorum violationes.

Inde natum (I) sacrilegium religionis agnitum ab ethnicis.

Christianis ab iis imputatum.

contineret. Postquam CAECILIVS apud MINVCIVM FELICEM *in Octau. p. m. p. 98.* obtrectationes gentilium retulit, mox addit: *haec sacra sacrilegiis omnibus tetriora sunt.* Vulgaris imputatio haec: *Deos non colitis, & pro imperatoribus sacrificia non penditis.* Inde TERTVLLIANVS *in apolog. c. 9. in f.* gentilium illationem refert: *itaque sacrilegii & maiestatis rei conuenimur.* Idem *c. 35. cit. l.* eos in *secundum sacrilegium* conueniri, ait, non celebrando cum gentilibus solennia caesarum. IDEM *ad Scapul. c. 3.* haec ad gentiles: *nos, quos sacrilegos existimatis, nec in furto vnquam deprehendistis, nec in sacrilegio.* Pariter ARNOBIVS *lib. I. adu. gent. p. 23. in f.* religioni Christianorum obiectum a gentilibus fuisse contendit, quod *execrabilis & infausta, impietatis & sacrilegii plena fuerit.* Etenim EODEM teste *lib. 5. p. 211. atheum, irreligiosum, & sacrilegum dicebant, qui Deos esse omnino aut negabant, aut dubitabant, aut qui eos homines fuisse contendebant, & potestatis alicuius, & meriti caussa Deorum in numerum relatos.* Inde non mirandum, gentiles ex hoc principio quoque *sacrilegii* poenis eos subiecisse, id quod CAECILIVS gentilis apud MINVCIVM FELICEM *p. m. 119.* non obscure his innuit verbis: *ecce vobis* (Christianis) *minae, supplicia, tormenta, & iam non adorandae, sed subeundae cruces: ignes etiam, quos & praedicitis, & timetis.* Ignis supplicium illis credo dictatum fuisse ob imputatum *sacrilegii* facinus, seu quod fuerint *genus hominum superstitionis nouae, & maleficae,* vt SVETON. *in Neron. c. 16. n. 3.* ore maledico scribit. Paria enarrat ARNOBIVS *lib. I. adu. gent. p. m. 24.* &, vbi praemiserat, Christianorum religionem gentilibus *sacrilegii plenam* videri, haec subiicit: *propter quod vos ipsi, cum libido incesserit saeua, exuitis nos bonis, exterminatis patriis sedibus, irrogatis supplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exuritis, & ad extremum nos feritis, & belluarum laniatibus obiectatis.* Hanc nouam *sacrilegii* speciem vel ideo excogitarunt gentiles, quod animaduerterent, Deos, quos colebant, contemnere Christianos, floccique habere: templorum nullam habere rationem, quae diuinitatis plena censebantur: denique sacrificiis nullis placare numen, in quibus tamen *religionis substantiam* quaerebant, adeoque Christianos *sacrilegae mentis homines* vocabant, vt *acta pass. Cypriani* docent.

Poena quoque sacrilegii iis applicata.

§. XXXVII. Enim vero Christiani, se gentilium criminationibus non rectius occurrere posse censebant, quam ostendendo, religionem gentilium esse *sacrilegiorum* plenam: & tum eius *principium,* tum *praxin* esse nihil aliud, quam infinitorum *sacrilegiorum* cumulum.

Iure retorsionis Christiani hoc religionis sacrilegium gentilibus obiiciebant.

mulum. TERTVLLIANVS *in apol. c. 12.* generaliter vanitatem simulacrorum exponit, & mox inclamat: *o impiæ voces! o sacrilega conuicia!* Paulo post *cap. sq.* hæc addit: *Et quomodo vos e contrario impii & SACRILEGI & irreligiosi erga Deos vestros deprehendimini? qui quos præsumitis esse, negligitis, quos timetis, destruitis, quos etiam vindicatis, illuditis.* Hoc imprimis in sequentibus ad *domesticos* adplicat *Deos*, & rursus *lib. 1. ad nation. c. 10.* id repetit, aiens: *sacrilegium est lares, & penates domestica licentia inculcare, venditare, pignerare.* IDEM *ad Scap. c. 2.* eadem de caussa de *cultu Deorum* ita loquitur, *per Deos iurare, & eos colere, sacrilegium est.* Et *de corona: sacrilegium in Deum facit, qui id agit, quod contra naturam est.* Pari philosophandi libertate vsus est MINVCIVS FELIX *in octau. p. 253. adorare, quæ manu ceperis, sacrilegium est consecrare, non numina.* Quibus verbis morem gentilium increpat, quod Deos captiuos in triumphum ducant, simulque adorent. Pariter FIRMICVS *de error. profan. relig. p. 430. edit. Gronou.* imperium Tyrannorum vocat *sacrilegium*, quo sanctos, & deuota mente Deum colentes ad falsorum Deorum cultum trahere conati sunt: & *p. 450.* religionem gentilium appellat *sacrilegam persuasionem*; immo *p. 454. sacrilegia errantibus tradidisse* dicuntur, qui profanos errores gentilium tradiderunt. Denique *p. 466.* eos, qui alienis Diis seruiunt, *ad sacrilegium pronos* adpellat. LACTANTIVS hoc *religionis sacrilegium lib. I. c. 21. n. 4.* obiicit Romanis, eorumque sacra vocat *sacrilega*, & *n. 31.* de Herculis factis ait: *hæc iam non sacra sunt, sed sacrilegia*, atque denique *lib. 1. c. 11. n. 18.* constitutiones contra Christianos factas adpellat *sacrilegas.* Pergo ad ARNOBIVM, qui passim hoc crimen retorquet in gentiles, & inprimis *lib. V. adu. gent. p. m. 211.* gentiles magis quam Christianos appellationibus *sacrilegorum & atheorum* nuncupari, par esse contendit, vtpote *qui sub specie cultionis plus in Deos ingerant maledictionum, & criminum, quam si aperte hoc facere confessis maledictionibus combibissent.* Nec CYPRIANVS aliter sensit, sed *epist. 65. edit. Brem.* ait: *Idolis sacrificans sacrilegium committit*, & *epist. 73. negans Deum creatorem sacrilegus est.* Sicuti vero gentiles ob *religionis sacrilegium fictum* admodum sæuierunt in Christianos; ita hi, pace ecclesiæ reddita, *sacrilega ethnicorum sacra* destruere, & prorsus eliminare studuerunt, pro quibus conseruandis LIBANIVS orator admodum sollicitus fuit.

§ XXXVIII.

§. XXXVIII. Quoniam vero ex *consecrationis* principio *in-ernam* quandam *sanctitatem* templis, aliisque locis attribuerunt gentiles; inde quoque (II) *sacrilegium* in genere adplicatum est ad *pro-anationem violationemque* quamcunque huius *sanctitatis*, prout iam assim indicaui. Hæc sacrilegii species supra obseruata est in *sepulbrorum, murorum & terminorum violatione.* Hoc sacrilegium inprinis Christianis imputatum, quod *templa vt busta despicerent, Deos de-puerent, & sacra riderent*, prout CAECILIVS apud MINVCIVM ELICEM *p. 83.* conqueritur. Solebant enim Christiani despuere, & xsufflare ad visa idola, quo *contemtu externo* non poterat non ex mente gentilium grande sacrilegium committi, & gentiles in extremam abiem incitari. Similiter *iura asylorum* apud Romanos sanctissima, ıque, ac apud Græcos fuere, vt inter *sacrilegos* relatus fuerit, qui b aris supplices, & ad tutelam Dei confugientes dimoueret. Illutrat hoc exemplo Atheniensium PETRVS AERODIVS *lib. I. rer. indic. it. 9. c. 1.* qui, cum arcem a Cylone occupatam post diuturnam obsilionem recuperassent, inuenere conscios, qui ad aram postrati, supplices veniam implorabant. *Verum is militum furor, ea indignatio fuit, t quosdam quasi ipso Deorum conspectu: alios ab aris vi extractos intersecerint. Nonnullos certe adduxere in iudicium. Sed populus vtrumque niquissimo animo tulit: fuisse Athenis, qui de tyrannide cogitarent, & roc amplius, quibus patria ipsa religione carior, & antiquior esset. Vioatos supplices in ea ciuitate esse, in qua ara misericordiæ primum erecta t inter homines, itemque apud eos, qui primi de supplicibus leges inue-ere? Quomodo non absurdum esset, qui quicquam auferunt e templis, sa-rilegos: qui supplices ab aris, hos non execrabiles, non abominandos, & sse, & ab omnibus adpellari? Quam ob rem milites istos inter sacrilegos abuit, & Epimenides vrbem expiauit. Quid igitur? abiere impune, ui exemti in iudicium adducti sunt. Immo quia semel violata religio, atis superque militibus de sacrilegio iudicandis expiata videretur, capite lamnati sunt.* Adhuc HONORIVS & THEODOSIVS in *l. 5. C. de SS. ccles.* censuerunt, eos, qui *immunitatem ecclesiasticam* violant, vltioii eidem subiiciendos, *qua erga sacrilegos iure promenda est.* Multo nagis ergo eandem subire debuere pœnam, qui sanctitatem earum iolarunt, vt supra exemplo AGESILAI ex XENOPHONTE illustraum. NEPOS quoque in *Ages. c. IV.* id repetit, aitque, cum pleriıue *se ex fuga in templum Mineruæ coniecissent, eum iræ antetulisse religionem. Neque vero hoc solum in Græcia fecit, vt templa Deorum san-*

(II) Sacrilegium violatæ sanctitatis rerum sacrarum.

 cta

cta haberet: sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulachra, arasque conseruauit. Itaque prædicabat, mirari se, non sacrilegorum numero haberi, qui supplicibus eorum nocuissent, aut non grauioribus pœnis adfici, qui religionem minuerent, quam qui fana spoliarent.

(III) Sacrilegium pudicitiæ & nuptiarum.

§. XXXIX. TERTVLLIANVS *de pudic. c. 20.* etiam (III) in scenam producit *sacrilegium pudicitiæ*, vbique de ecclesia eradicandum, quodque nihil aliud *primario* est, quam *adulterium.* Vnde adulteri in Codice vtroque vocantur *sacrilegi nuptiarum*, vt *in l. 4. C. Theod. quor. appel. non recip.* & *l. 30. C. ad L. Iul. de adult.* de qua locutione edisserunt NICOLAVS HENELIVS *in otio Wratislaw. c. 17.* & HENRICVS GVNTHERVS THVLEMARIVS *diss. de nuptiarum sacrilegio.* Habetur etiam fœdus nuptiarum *sanctissimum*, cuius violatio æque, vt alterius generis sanctitatis violatio, *sacrilegium* dici potest. Apud TERENT. *in adelph. act. 5. sc. 7.* notanter dicitur:

Occidunt me equidem, dum nimis sanctas nuptias
student facere,

h. e. cum auspiciis consuetis, & ceremoniis, quæ efficiebant, vt fœdus coniugale esset *sacrosanctum*, præsertim a parte vxoris. Hinc apud PHAEDR. *III. fab. 10.* vxor dicitur *sancta*, quemadmodum VIRGILIVS *lib. XI. Æneid. vers. 158.*

tuque o sanctissima coniux,

h. e. quæ est incorruptæ, & inuiolatæ castitatis. His de causis factum esse reor, vt *adulterium* appellatum sit *nuptiarum sacrilegium.* Nimis remotæ sunt rationes, quæ ab HENELIO & THVLEMARIO inde arcessuntur, quod illiciti amores vocentur *furta clandestina*, quod præter necessitatem multis veterum exornant locis. Etenim ita etiam *stupra* quæuis *sacrilegia* dici possunt, nec omne furtum est & dici potest *sacrilegium*, quod potius *violationem sanctitatis cuiusdam* in *sensu secundario* denotat, & hoc sensu ad fœdus nuptiale tractum est. Inprimis vero hæc locutio nata inter Christianos, vt TERTVLLIANVS & CAESARES in *cit. text.* docent, quibus *fides coniugalis* longe sanctior erat, ac quidem inter gentiles, præsertim cum *violatam pudicitiam* generatim Christiani exhorrescerent, & in ea *violationem templi Dei* iuxta PAVLI doctrinam quærerent, ceu docet TERTVLLIANVS *de pudic.* & supra *§. 2.* ex HIERONYMO illustratum est. conf. PETRVS FABER *lib. III. semestr. c. 21.* Ceterum vt de *adulterio* eiusque pœnis hic

hic speciatim agam, haud est necesse, postquam de hoc argumento *tit. praec.* edisserui.

§. XL. Denique (IV) datur etiam *sacrilegium politicum*, de quo edisserunt KESTNER *de sacrileg. polit.* SELDENVS *de iur. nat. & gent. iuxta disc. Hebr. lib. II. c. 8.* aliique. Illud consistit in *violatione maiestatis*, & *sanctitatis summo Imperanti debitae.* Notum enim est, quod gentiles ex nimia vel veneratione, vel adulatione *diuinitatem* quandam immo *numen* attribuerint imperatoribus, a quibus appellationibus postea nec Christiani imperatores abstinuere. *Numen* sibi disertis verbis attribuunt imperatores in *l. 11. C. de SS. eccles.* immo & adpellationem *diuini numinis* in *l. 2. C. de offic. magistr. off. l. 34. C. de appellat. l. 2. C. de tempor. reparat. appellat. l. fin. pr. C. de bon. quae lib.* Rescriptum principis eo sensu adpellabatur *diuinum verbum*, *l. 2. C. de mand. princip. diuinum oraculum*, *l. fin. C. de iur. dom.*, *diuini apices*, *l. 43. pr. C. de episc. & cleric. diuina adnotatio*, *l. 2. C. de quib. mun. & praestat.* &c. SACRI quoque praedicatum passim rebus ad imperatores pertinentibus in iure eodem sensu tributum legimus, vt variis exemplis docet BRISSONIVS *de verb. signif.* voce *sacer.*

(IV) Sacrilegium politicum,

quod Caesares sibi diuinitatem adscripserint,

§. XLI. Hae adulatoriae locutiones nouam *sacrilegii* speciem produxerunt, eoque deteriorem, quod ex diuinis honoribus, quos gentiles imperatoribus tribuebant, originem prorsus trahat. Quis enim est, qui nesciat, imperatores gentiles semet ipsos, vel alios per statuas consecrasse, & templorum sibi aedificatorum honorem admisisse? Caligulae stultitiam refert DIO *lib. 59.* qui se *Deum* fingebat, templumque Romae exstruebat adeo, vt ei supplicationes, & vota, & sacrificia passim fierent. De aliorum veneratione, atque cultu plusquam absurdo plenius agit ANTONIVS van DALE *tr. de consecrat. ethnic.* Hoc supposito principio, variis poterat modis *sacrilegii* crimen committi, prout imperatores *venerationis diuinioris* erant cupidi, nec ne? M. AVRELII ambitio prorsus insatiabilis erat, vt ne quidem diuini honores ei sufficerent. Audiamus CAPITOLINVM de M. AVRELIO sic loquentem: *Et parum sane fuit, quod illi honores divinos omnis aetas, omnis sexus, omnis conditio & dignitas dedit, nisi quod & sacrilegus iudicatus est, qui eius imaginem in domo sua non habuit, qui per fortunam vel potuit habere, vel debuit.* Haec species *in omittendo* consistebat, & ne quidem *vmbram sacrilegii* habuisset, nisi ineptia AVRELII praeualuisset. Ceterum qui aliis modis honori & venerationi principi debitae cladem inferebant, *maiestatis laesae* quidem crimen

& statuas suas consecrauerint

cum templi honore,

quod illustratur Aurelii exemplo.

crimen committebant, sed præterea etiam *sacrilegii* rei erant. Id quod non obscure innuit TACITVS *lib. III. annal. c. 24. vt valida Diuo Augusto in rem publicam fortuna; ita domi improspera fuit ob impudicitiam filiæ ac neptis, quas vrbe depulit, adulterosque eorum morte ac fuga puniuit. Nam culpam inter viros ac fœminas vulgatam graui nomine LAESARVM RELIGIONVM, ac violatæ maiestatis adpellando clementiam maiorum, suasque ipse leges egrediebatur. Crimen violatarum religionum* nihil aliud erat, quam *sacrilegium*, vt optime AMELOTTVS textum adductum in linguam gallicam transtulerit: *Car il appelloit du nom de sacrilege* &c. Statuarum & imaginum *consecratio*, Romanis frequentissima, variis occasionibus hoc quoque crimen peperit, quamuis magis *maiestatis læsæ* adpellationem prætulisse videantur *l. 5. & 6. ad L. Iul. maiest.* quod hoc crimen *omnium accusationum complementum* esset, vt rursus TACITVS *lib. III. cit. l.* ait.

Declaratur hoc ex legibus Codicis.

§. XLII. Vestigia quædam huius sacrilegii remansisse in Codice nostro palam est. Etenim (1) in *l. 1. C. vt dignit. ord. seruet. XII. plane sacrilegii reus* iudicatur, qui *diuina præcepta neglexerit*: (2) in *l. 13. C. de erog. milit. annon. XII.* pœna sacrilegii diualium scitorum violatores palam insequi dicitur, vt quarumcunque legum transgressio in *sacrilegium* incidat, adeoque (3) existimo, in *l. 1. C. de petit. bon. sublat.* sacrilegium denotari, dum *violatæ legis reus* haberi is dicitur, qui contra legem aliquid sperare audet. Simili ratione (4) in *l. 3. C. de crim. sacrileg.* dicitur: *disputare de principali iudicio non oportet; sacrilegii enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem imperator elegerit.* En quam facile *sacrilegium* metuendum iis est, qui tantum principum voluntatem, quæ *diuina* censetur, in dubium vocant. Id (5) vlterius illustrat *l. 5. C. de diuers. rescript. sacrilegii instar est, super quibuscunque administrationibus vel dignitatibus promulgandi diuinis obuiare beneficiis.* Denique (6) huc etiam referri debet *l. 4. C. de crim. sacril.* vbi prohibitum, ne quis in ea prouincia, in qua prouincialis & ciuis habetur, desideret officium aliquod, alioquin *crimen sacrilegii* se commisisse arbitretur, quod contra *legem*, seu *iussum diuinum* agere intenderit. Qui enim contra *legis diuinæ sanctionem* agunt, committunt *sacrilegium. l. 1. C. de crim. sacril.* Quidni ergo etiam, qui legem principum sanctissimam violant, atque conculcant?

(II) De

(II.)
De sacrilegii speciebus genuinis & spuriis ex mente iuris canonici.

§. XLIII. *Iuris ciuilis* sententiam, a vero *sacrilegii* conceptu sub Imperatoribus iam aberrantem & declinantem, in scenam produxi, vnde liquet, aliam definitionem *sacrilegio* iam tributam fuisse, etiam a Christianis assumtam agnitamque. Inde a patribus ecclesiæ, qui *ius ecclesiasticum* efformarunt, hic nouus *sacrilegii* conceptus, cui iam a multis temporibus assueti erant, adeo propagatus, vt in *conciliis*, in *legibus ecclesiasticis* imperatorum, denique in *scriptis Doctorum ecclesiæ*, omnis & quæuis *sacrorum violatio*, quomodocunque facta fuerit, & quæuis *irreligiositas* denominationem *sacrilegii* acceperit. Enim vero etiam *irreligiosi animi* conceptus eo latius terminos suos propagauit, quo maiora *superstitio* cepit incrementa, *veræ religionis* faciem assumens, nouosque quotidie cultus, ritus, aliosque sacrorum apparentium adparatus progenuit, quorum despectus ex hac noua doctrina non poterat non *sacrilegium* esse. Denique *spiritualis* qualitas, neglecto *vero* scripturæ sacræ *sensu*, adeo in publica ecclesiæ doctrina adulterata est, vt infinitorum sacrilegiorum seriem produxerit, quam *in sequentibus* enarrabo, vt liquidum manifestumque fiat, quantopere sub huius criminis, quod *nefandissimum* esse constituerunt, metu auctoritas & eminentia cleri creuerit, & laici potentiores deterriti fuerint, ne dominatui eius sese opponerent. Qui enim *iure imperii legitimo* in pontificis & episcoporum iniquissimos ausus vsi fuerunt, ii mox *sacrilegi*, impii, hostesque sacrorum declarati, excommunicati, atque depositi sunt.

Sacrilegii criminis in iure ecclesiastico ambitus valde extensus.

§. XLIV. Sciendum vero est, sacrilegium inter *maiora* delicta, quæ *maiores iudices* postulant, in *iure ecclesiastico* relatum fuisse, vt constitutiones RICARDI POORE, Sarum episcopi *tit. 28.* apud HARDVIN. *tom. VII. concil. p. 97.* statuunt, & supra iam *§. V.* obiter monitum. Etenim hoc crimen ipsi religioni oppositum creditur, cui bellum indicit, iudice PASSERINO *de pollut. eccles. diss. 1. c. 13. n. 3.* vnde etiam *crimen læsæ maiestatis diuinæ* audit FARINACIO *in pr. crim. qu. 172. n. 1.* VALASCO *de priuil. miserabil. person. qu. 9. n. 12. 48.* quod cetera quidem crimina *læsionem hominum* contineant, hoc vero sit cumulus omnium criminum, quæ *in Deum* ipsum committuntur. Ex hoc principio ita rationes subducit PIVS in *c. 12. C. 17. q. 4.* *Non ergo*

Refertur ad crimina maiora.

Immanius crimine læsæ maiestatis.

grauius peccatum est fornicatio, quam sacrilegium. Et sicut maius est peccatum, quod in Deum committitur, quam quod in hominem; sic grauius est, sacrilegium agere, quam fornicari. In *concilio Toletano IV. de anno 633. c. 75.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 593.* patres edicunt: *sacrilegium est, si violetur a gentibus regum suorum promissa fides, quia non solum in eos fit pacti transgressio, SED ET IN DEVM quidem, in cuius nomine pollicetur ipsa promissio.* En latissimum huius criminis ambitum, vt, quicquid *per indirectum* etiam *IN DEVM* committi videtur, *sacrilegium* fit. GREGORII III. *iudicia* ab HARDVINO *cit. l. p. 1871.* relata *c. 2.* sacrilegium ita definiunt: *sacrilegus dicitur, qui sacra violat, vel qui sacra furatur.* Prius latius, posterius membrum angustius est, vt ostendatur, præter *furtum* plures species eo referendas esse. Pariter ISAAC episcopus Lingonensis *tit. 7. c. 1.* apud HARDVIN. *tom. V. conc. p. 439.* eiusdem sententiæ est. Ait quidem: *sacrilegi sunt ecclesiæ prædones;* sed mox subiicit: *omnes enim contra legem facientes, resque ecclesiæ diripientes vel ecclesias sacerdotesque contra diuinas sanctiones vexantes, sacrilegi vocantur, atque indubitanter infames, sacrilegique habendi sunt.* In sequentibus hoc declaratur, & *c. 2. sacrilegi* dicuntur, *qui ea, quæ Domino offeruntur,* & *consecrantur, auferunt, vel in aliud transferunt.* In *c. 3.* vero sacrilegi dicuntur, *qui præsumserint, quam non meruerunt a principe vel seniori iusto dignitatem.* Porro *c. 4.* illis accensentur, *qui res ecclesiæ diripiunt, vastant, inuadunt vexantque, aut a iure ecclesiarum, quibus traditæ fuerant, iniuste alienant.* Additur ratio: *Christum & ecclesiam vnam personam esse, non nescimus. Et ideo quæ ecclesiæ sunt, Christi sunt; & quæ ecclesiæ offeruntur, Christo offeruntur; & quæ ab ecclesia tolluntur, procul dubio Christo tolluntur.* Vlterius *c. 6.* sacrilegus est, *qui in ecclesias earumque res irruens sacerdotibus & ministris vel ipsi cultui aut loco aliquid importat iniuriæ, vel infert ad diuini cultus iniuriam.* In *c. 9. maximum sacrilegium* esse dicitur, *oblationes fidelium, quæ sunt res ecclesiarum, auferre, vastare, inuadere, vel surripere.* In morem ea tempestate abierat, vt ecclesiæ a laicis iure feudi detinerentur, cuius primaria vtilitas in perceptione oblationis quærebatur. His possessoribus terror incutiendus erat, & *sacrilegii* reatus obiiciendus. Ne vero obiicerent, oblationes has non esse res consecratas, in *c. 7.* hæc sententia tradita est: *Omnia, quæ Deo offeruntur, procul dubio & consecrantur.* Post pauca additur: *Et quia Christum & ecclesiam vnam personam veraciter agnoscimus, quæcunque ecclesiæ sunt, Christi sunt, & quæ ecclesiæ, vel in supradictis, vel in quibus-*

Inde eiusdem conceptus latissimus

ob cumulum rerum & personarum sacrarum.

buscunque speciebus, siue pollicitationibus, siue pignoribus, siue scriptis, siue corporalibus rebus offeruntur, Christo offeruntur. Et quae ab ecclesia eius quocunque commento alienantur, vel tolluntur, siue alienando, siue vastando, siue inuadendo, siue minorando, siue diripiendo, Christo tolluntur. Et si ab amico quidquam rapere furtum est, praecipue Christo Domino nostro, qui est rex regum & dominus dominantium, aliquid auferre vel alienare, surripere vel vastare, sacrilegium est.

§. XLV. Superstitiosa hæc rerum ecclesiasticarum denominatio plura opinionum monstra produxit; vix vero liberabit clericos a *sacrilegio*, qui hæc bona sibi addixerunt, quæ in vsus *pauperum*, quibus subducta sunt, cedere debebant ex primæua destinatione, vt LAVNOIVS aliique ostenderunt. De responsione idonea ipsimet cogitent, qui his bonis se pascunt, quibus vera membra CHRISTI pascenda erant. In *concilio Trosleiano de anno 909. c. 4.* apud HARDVIN. *tom. VI. p. 1. concil. p. 512. seq.* sacrilegium dicitur *sacræ legis violatio, quod per multa specierum diuiditur crimina.* Id ostenditur recensendo nonnullas species: etenim 1) adfertur sacrilegium *schismatis*, 2) *blasphemi sermonis;* 3) præcipue vero *sacrilegium*, *quod a prædonibus de rebus ecclesiæ agitur*, quod latissime explicatur, & generali hac regula includitur: *& vt in breui denotentur isti, omnes contra legem facientes, resque ecclesiæ quascunque diripientes, vel ecclesias sacerdotesque contra diuinas sanctiones vexantes; sacrilegi atque indubie infames sacrilegi vocantur.* Est ergo sacrilegium vel *rerum* vel *personarum*, quando vexantur vel *res ecclesiasticæ* vel *sacerdotes* contra legem. *Vexare* autem dicuntur, etiam qui litem mouent, qui ius suum contra ecclesiam persequuntur, qui clericis legitime obloquuntur, eis resistunt, & auribus eorum bellum indicunt; nec clausula *contra legem* quempiam deterreat, quia legem hanc ipsimet constituerunt, hierarchiæ vnice inseruientem, & laicorum iuribus detrahentem. Ne dicas, iudicium hoc temerarium & forsan *sacrilegum* esse; etenim omnium seculorum res gestæ euincunt, sub prætextu *sacrilegii* legitimis imperantibus a clero dominante bella fuisse indicta, iura eorum deminuta, ecclesiæ vero aucta, & hoc quidem contra *leges diuinas.* Iam rationes rite subducamus, & constituamus, vtrum magistratus, iura sua sibi *iure diuino* debita tuentes, an vero clerici, aliena per iniuriam inuadentes & occupantes, *sacrilegi* dicendi sint?

quo ipso clerici se proprio iugulant gladio.

Est ergo vel rerum vel personarum.

Consistit in rei sacræ violatione.

§. XLVI. Sic itaque *omnis inuasio, violatio, vexatio atque detentio rerum, personarum iuriumque sacrorum ecclesiasticorum, & spiritualium contra legem ecclesiasticam seu cleri maioris* constituit *sacrilegium* ex mente *iuris canonici:* quem conceptum vt plurimum criminalis & canonici iuris interpretes sequuntur, vt FARINACIVS *in pr. crim. qu.172. p.1. n.2.* DECIANVS *in tr. crim. lib. 6. c.14. rubr. de sacril. n.1. sqq.* PASSERINVS *de pollut. eccles. diss.1. c.13. n.2.* GIBALLINVS *de irregularitate c.5. dub.4. qu.3. p.369.* IO. BERNHARD DIAZ *in pr. criminal. canon. c.87. n.1.* vbi hanc meliorem definitionem esse ait, quod sit *sacræ rei violatio, vel eiusdem vsurpatio.* Inde necesse fuit, varias eius constituere species, in quibus tamen non conueniunt, dum alii plures, alii pauciores effingunt, in quibus sententiis colligendis non ero sollicitus, paulo post species eius sigillatim expositurus. Admodum scite autem de his exorbitantibus speciebus iudicat B. THOMAS. *in not. ad Lancell. lib. 4. tit. 5. p. 2014.* aiens: *operam dederunt canonistæ, vt secundum morem consuetum, vocibus vsitatis nouas plane significationes imponendi, sacrilegii crimen ad significatus inusitatos extenderent; partim, vt deterrerentur Laici, ne personas & res ecclesiasticas vllo modo læderent, aut eas inuaderent: partim vt persuaderetur magistratus politicus, extendere pœnas illas atrociores in sacrilegos proprie dictos, ad casus alios insolitos, & qui alias citra hanc extensionem mitius puniri debuissent: partim etiam, vt sacrilegium, quod est delictum politicum, possent referre inter crimina ecclesiastica.*

De qua iudicium Thomasii.

Eius tot species ex latissima rerum sacrarum & spiritualium adpellatione ortæ.

§. XLVII. Tantus vero harum specierum cumulus non aliunde enatus est, quam quod rerum *sacrarum* & *spiritualium* luxurians & latissima adpellatio quibuscunque personis, rebus & iuribus ecclesiasticis attributa fuerit. Ecclesia passim in sacris dicitur *spiritualis*, & sodales eius veri *sancti* & *spirituales.* Quis vero ignorat, per *ecclesiam* hoc sensu denotari *fideles* per fidem cum Christo vnitos, vbicunque reperti fuerint, etiamsi ne quidem externo vniantur cœtu? *Eph. V, 27.* Hi recte dicuntur *spirituales*, quod spiritus Dei in eis tanquam in templo suo habitet, quodque eo agitentur, vt ex sacris constat. Enim vero non diu stetit salua & incolumis res ecclesiastica, non tantum *re ipsa*, sed *adpellationibus* ipsis transmutata & deprauata. Docent publica ecclesiæ monumenta, *ecclesiæ* prædicatum non tantum *templis*, sed primario *clero* tributum fuisse, quod hic *personam ecclesiæ eminenter* tueatur, eamque repræsentet, vt princeps dicitur sustinere personam reipublicæ. Hac metamorphosi introducta, soli clerici dicti

dicti sunt *spirituales*, & templa *spiritualia* cum omnibus iuribus & accessionibus. Creditum enim fuit, *accessorium* eiusdem qualitatis esse debere, qua gaudet principale. Vnde *iura ecclesiastica* dicta sunt *spiritualia* h. e. illa ipsa iura, quae progressu temporis per *patientiam* & *conniuentiam laicorum* clerici sibi acquisiuerunt, quorum iam incapaces dicuntur laici, quod *spiritualia* tantum *clericis* concredita credantur, laicis prorsus negata, adeo vt horum vsurpatores dicantur *iurium diuinorum seu spiritualium pradones*. Nec diuersam *rerum ecclesiasticarum* esse rationem, ex ISAACI Episcopi Lingonensis capitulis obseruaui *§. XLIV.* qui diserte *c. VII.* inter res Deo consecratas refert *mancipia, agros, vineas, syluas, prata, aquas, aquarumque decursus &c. quae Domino & ecclesiae a fidelibus oblata sunt;* & sic per consequentiam qualitatem *spiritualem* habent: quae omnia pluribus illustrat B. THOMASIVS *ad Lancellot. lib. II. tit. 1. §. 1.* simulque solida excussione examinat. Praeterea plures res vel *consecratione* vel *benedictione* vsibus sacris vel piis destinantur, & adplicantur, quae canonistis dicuntur *sacrae, sancta & religiosae.* vid. PASSERIN. *de pollut. eccles. diss. 1. c. 5. n. 5.* Catalogum harum rerum refert FARINACIVS *in pr. crim. qu. 172. P. 2.* & quidem ideo, vt ostendat, in quas res *sacrilegium* cadat, quamvis, quod ex infra dicendis adparebit, ambitum obiecti criminis huius non exhauriat.

§. XLVIII. Agnouit tamen PASSERINVS *de pollut. eccles. disp. 1. c. 13. n. 7.* sacrilegium esse vel *proprium* vel *improprium* seu *quasi sacrilegium*, quemadmodum multae res *large* dicuntur *sacrae.* Scilicet *res sacras* stricte dici, quae sunt cultui diuino destinatae, earumque violationem proprie dictum inuoluere sacrilegium censet; ceterarum rerum, quae latiori in sensu *sacra* dicuntur, violationem *quasi sacrilegium.* Sic *ipsum Deum* hoc significatu comprehendi asserit, indeque factum, vt irreuerentia immediate & directe Deo facta *sacrilegium* fuerit adpellata, quamuis alias DEVS a rebus cultui diuino dicatis distingui debeat. Enim vero ita per indirectum agnoscit, *sacrilegii* adpellationem a patribus in abusum fuisse tractam, & quidem non eadem praecautione, qua postea quidam interpretes vsi sunt. Latuit anguis in herba, & hac distinctione opus fuit, vt grauissimus patrum, conciliorumque abusus, inuolucro quodam palliaretur. Tandem enim a subtilioribus rerum scrutatoribus insignis huius appellationis deprauatio detecta est, quam superstitio produxit, barbaries propagauit, & hierarchia eo facilius suscepit, quod rebus suis percommoda

Est vel proprium, vel improprium.

Haec distinctio vnde nata?

 visa

visa fuerit. Ipsa loca, mox danda, optimum præbebunt indicium, quid patres, quid concilia, ad sacrilegium prouocantia, senserint, vtrum *proprie* an *improprie* sese locutos fuisse crediderint? Si in *proprio* subsistendum esset significatu, *furtum rerum sacrarum* tantum hoc crimine contineretur, non quæuis violatio, quum tamen *pollutionem ecclesiarum* inter proprie dicta sacrilegia referat PASSERINVS. In rem præsentem modo veniamus, & *sacrilegos* non ex mente PASSERINI, & sequacium, sed *patrum* & *canonum* æstimemus.

Sumitur aliter in sensu iuridico,

§. XLIX. Id vero magis notari & obseruari sedulo debuisset, sacrilegium aliter in *sensu iuridico*, aliter vero in *sensu theologico* accipiendum esse. Priori in sensu inuoluit *delictum* & *crimen publicum*, quod absque *dolo* & *voluntate* nocendi, & contra leges agendi, committi nequit, adeoque *actus voluntarius* recte dicitur, vtpote si quis *dolo malo* templa spoliat, iis vim infert, & *sanctitatem* eorum *ciuilem* lædit sciens volensque. Hoc sensu ad *forum iuridicum & iuridicam considerationem* spectat. Posteriori in solo *mentis errore*, voluntate nocendi & *dolo malo* exclusis, subsistit, atque *peccatum in Deum* quidem inuoluere potest, non tamen semper delictum in *foro criminali*, quod per *errorem* in intellectu haud committitur. In variis aliis causis hi duo respectus separandi sunt, vt omnis confusio euitetur. *Blasphemia* sine dubio est *crimen publicum;* sed non aliter, quam si quis *sciens volensque* & *dolo malo*, & sic non ex *errore* solo mentis, Deo vel Christo speciatim maledicit, vel honorem eius conculcat. Quis vero ignorat, in *sensu theologico* etiam *errantes* dici, Christum blasphemare, vtut ab omni intentione, eius gloriæ quid detrahendi, quam alienissimi sint. Sociniani diuinitatem Christi negant, aliaque, quæ theologi ad blasphemias referunt, statuunt, vtut per *errorem* intellectus peccent. Osterodi, ciuis Goslariensis cuiusdam, & matris eius confessionem ministris ecclesiæ Goslariensis editam, *blasphemias* appellat B. HEINECCIVS *in histor. Goslariens. p. 527.* imo quidam ex ministerio in *refutatione litterarum synodalium* apud EVNDEM *p. 529. seq.* admodum æstuat, & nil nisi *blasphemias* Socinianis obiicit, magna cum mentis acerbitate. PEVCERI fata, cui itidem *blasphemia* obiecta, supra recensui *tit. de hæret. §. 165.* simulque eos notaui, qui ex hac imputatione *corpus delicti* in *hæresi* quærunt. Acta ipsa edita sunt a B. THOMASIO *post. annot. ad OSSII testamentum*, quibus *p. 150. sq.* hanc subiicit epicrisin: Ob durch publicirung dieser Schrift der reinen Lutherischen Religion grosse Ehre wiederfahren, lasse ich andere unpartheyische judiciren, und möchte wohl wissen,

aliter in sensu theologico;

vt exemplo Blasphemiæ illustratur.

wissen, was unsere Leute dazu sagen wolten, wenn Catholische Priester auf gleiche Weise mit ihrem Disputiren und Beschuldigung der Gotteslästerung anfingen, und damit endigten. Vides ergo, *blasphemiæ* & *sacrilegiorum* imputationes in diuersos trahi sensus a *theologis;* & quia conciliorum decreta ab his condita sunt, non mirandum est, tot infinitas *sacrilegiorum* species excogitatas, a ICtis vero sine iudicio, (sed non sine opprobrio,) vtplurimum assumtas fuisse, vtpote qui cautius versari debuissent, nec doctores ecclesiæ cœco impetu sequi.

Ad varias species pertinet

§. L. Vt igitur hoc planum faciam, exordiar ab ipso sanctissimo Numine, DEO ter optimo terque maximo, cui sacra fiunt, & quem in omni sacrilegio quidem *mediate* lædi, & violari asserunt, simul tamen *immediate* quoque illud in eum variis modis committi posse censuerunt, *detrahendo* quid eius *eminentiæ*, *potentiæ*, *attributisque*, ac peruersas de eo sententias ferendo. Ita enim ipsum Ens omnium sanctissimum lædi, quis dubitet? quamuis multum referat, vtrum ex *errore intellectus* tale quid fiat, an vero *dolo malo;* adeo vt, si *dolo* fit, ex sententia PASSERINI *c. l.* facinus hocce rectius *irreligiositas* dici deberet. Posses (I) hoc SACRILEGIVM DIVINAE MAIESTATIS LAESAE vocare, vt *singularum specierum* sua propria, & peculiaris stet adpellatio. Iudæi, quod Christum cruci affixerint, & sanctissimam hanc victimam nefandissimo polluerint scelere, passim dicuntur *sacrilegi.* Forsan in *l. 1. C. de apost.* cœtus eorum ex hac ratione dicuntur *sacrilegi.* Clarius hoc prædicatum iis adscribitur in *concilio Toletano XVII. de anno 644. c. 8.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 1816.* vbi dicitur, *quod plebs Iudæorum nequissima sacrilegii nota adspersa, & effusione sanguinis Christi cruenta sit, & sic merito extirpanda.* Paulo humanius iudicium tulit INNOCENTIVS III. *lib. X. epist. 190.* Iudæosque tantum *seruitute* comprimendos esse censuit, *qua se dignos reddiderunt, cum in illum manus iniecere sacrilegas, qui veram eis conferre venerat libertatem*, quam etiam subire *suo modo* coacti sunt, vt supra *tit. de iudæis §. 26.* ostensum. Euidentius in *concilio Burdegalensi de anno 1583. tit. 28.* facinus Iudæ *impium scelus, & sacrilegium* vocatur. Eadem de caussa in oratione IOANNIS de POLEMA relata ab HARDVIN. *tom. VIII. concil. p. 1936.* sacrilegi dicuntur, *qui in mortem vnigeniti Dei filii conspirarunt;* immo sacerdotes Iudæorum Christo aduersantes *sacrilegos* vocat, quemadmodum Caiphas *sacrilegus* Pontifex vocatur, quod CHRISTVM cædi iusserit in *Act. SS. ad diem 8. Iun. p. 123. lit. c.*

(I) sacrilegium diuinæ maiestatis læsæ.

Commisisse hoc dicuntur Iudæi in crucifixione Christi.

Quia

Blasphemi

Quia vero primario sanctissimum numen per *blasphemiam* violatur, & gloriæ Christi per *hæreses* multa detrahi possunt, hinc non dubitarunt scriptores vtrumque *sacrilegio* adscribere. Idem iam obseruauit BARTHIVS *l. 18. aduersar. c. 2.* variisque argumentis illustrauit. His addi possunt plura alia loca ex conciliis, veluti ex *concilio Claramontano de anno 1095.* apud HARDVIN. *T. VI. P. II. p. 1724.* vbi VRBANVS II. querelas mouet contra eos, *qui nomen Dei viui abnegant, & ore blasphemant sacrilego.* Nec minus in *concilio Tolet. II. de ann. 531. t. II. concil. p. 1143. ore sacrilego blasphemare* dicuntur, qui de *diuinitate Christi* profane sentiunt, quorsum etiam referuntur in FELICIS I. *epistola III. tom. 1. concil. p. 203. seq.* qui credunt filium minorem patre, quam hæresin vocat *sacrilegam persuasionem*, sicuti *ibid. p. 830. 838. 839. & 1787.* eadem hæresis vocatur *apertum sacrilegium.* Item in Decretis CAII Papæ *ibid. p. 213. in magno autem sacrilegio se versari hæreticorum manifestat impietas, quum sub specie diuinitatis honorandæ humanæ carnis in Christo denegant veritatem.* Desino plura addere, quum ex mox producendis locis palam fiet, quamcunque *hæresin* a patribus inter *sacrilegia religionis* fuisse relatam, licet simul adpareat, id magis in sensu *theologico*, quam *iuridico* fieri, & ita ad *crimina publica* referri non posse, sicuti supra *hæresin* ab horum classe exclusi.

in genere Hæretici.

II) Sacrilegium religionis

§. LI. Vt hoc eo magis in omnium oculos incurrat, proximum locum tribuo (II) SACRILEGIO RELIGIONIS DIVINAE, quod agnoscit BOCERVS *class. 4. disp. 10. th. 4.* Multis modis impingi in religionem posse, tralatitium, adeoque non mirandum, tot exempla huius *sacrilegii* a patribus huc referri, quamuis more solito non distinguant inter forum *theologicum* & *iuridicum*, inter *crimen* & *peccatum*; immo destinato consilio hoc discrimen respuisse videntur, postquam quemcunque *intellectus errorem* & hæresin *criminibus* annumerauerunt, contra omnem veri iuris rationem. Obseruatum est *§. 36.* gentiles iam huius sacrilegii fabricatores fuisse, eandemque confusionem induxisse. Christiani *iure retorsionis* eorum vestigiis institerunt, & sacris gentilium idem crimen affinxerunt, verum magis in sensu *theologico* quam *iuridico.* Neque enim iis volupe fuit, censum publicorum criminum augere, sed tantum *impietatem*, sub prætextu *religionis* commissam, viuis adumbrare coloribus. Enimuero patres subsequentium seculorum non substiterunt in eadem *sinceritate* & *simplicitate*, sed, sicuti quamcunque hæresin, ita quicquid contra re-

Gentilibus iam cognitum

& a Christianis receptum

religionem christianam scriptum, vel factum esse videbatur, inter *crimina publica* collocarunt, præsertim postquam Imperatores in *l. 1. C. de crim. sacril.* generatim edixerunt: *Qui diuinæ legis sanctitatem aut nesciendo omittunt, aut negligendo violant & offendunt, sacrilegium committunt.* Quodsi præterea *totum titulum C. de summa trinit.* huic legi adiungimus, & præterea *tit. C. de haeret.* item *ne sanct. baptism. iterat.* porro *tit. de Apost.* similesque inspicimus, nemini dubium esse potest, quin legislatores Christiani in censum nefandissimorum *criminum* retulerint, quidquid contra *doctrinam publicam* & *confessionem ecclesiarum dominantium* traditum, scriptum, factumque fuit, id quod sine dubio ea de caussa *sacrilegii* denominationem accepit, vt de *vera* huius criminis *ratione* seu *ipso corpore delicti* dubitari non posset.

Generalia conciliorum testimonia.

§. LII. Illustrabo hoc ipsum primo per *generales* quasdam *obseruationes*, quibus deinceps speciales addam. In *concilio Coloniensi de anno 873.* apud HARDVIN. *t. 6. concil. p. 141.* generatim dicitur: *qui de clero est, si præter voluntatem Dei, præterquam, quod in scripturis sanctis euidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat, tanquam falsus testis Dei, aut sacrilegus habeatur.* Cum AMBROSIVS contra religionem christianam legi subscribere iuberetur, in *epistola ad Valentinianum* hoc præceptum *sacrilegium subscriptionis* adpellauit, ad quod prouocant Patres in *concilio Duziacensi* relato *t. V. concil. p. 1236.* In decretis IOANNIS Papæ ibique *epist. I.* relata *tom. II. concil. p. 1062. inauditum genus sacrilegii esse dicitur, quod mentitæ religionis honore coloratur.* Animaduerterunt iam quidam ICti, talia, quæ contra *religionem* traduntur, improprie dici *sacrilegia*, obseruante MENOCHIO *de arbitr. iud. quæst. caus. 389. n. 19.* adeo, vt REGNERVS *in censura Belgic. ad L. 1. C. de sacril.* asserat, pœnam *sacrilegii* in hac specie locum non habere, videlicet ex hoc fundamento, quod magis in sensu *theologico* quam *iuridico* hoc nomen adoptauerit, vtut, qui *hæresin* ignis supplicio plectendam censent, non possint non in conceptu *veri criminis publici* subsistere, manifesto indicio, discrimen hoc minime ab illis admitti, quod etiam *ius canonicum* indubitanter sequitur.

Specialiter committitur α) per hæresin

§. LIII. Pergo ad *speciales obseruationes*, quia variis modis *sacrilegium religionis* ex mente patrum committi potest. Sciendum itaque est, hoc sacrilegium perpetrari α) per HAERESIN. Hac de caussa HADRIANVS *VI. breuiar. ad Fridericum* Saxoniæ ducem apud HARDVIN. *t. IX. p. 1091. seq.* non potuit non *sacrilegiorum* variorum reum facere B. LVTHERVM, cui infinitas *hæreses* per calumniam obiecit.

In *Actis SS. ad diem 14. Iun. p. 968.* hæresis vocatur *sacrilegium Christi hostium munimentum.* Speciatim Eutychetis hæresis in *synodo II. Ephesina* defensa, adpellata fuit a LEONE episcopo in epistola *tom. II. concil. p. 26.* relata *scelestissimum facinus, quod cuncta sacrilegia excedit;* a GELASIO vero *ibid. p. 910.* & COELESTINO *tom. 1. concil. p. 1672. sacrilegus furor,* & *p. 1451.* ipse Eutyches cum Nestorio *sacrilegus* vocatur. conf. *p. 953.* Et denique *p. 1310.* in *concilio Constantinopolitano de anno 563.* dicitur, *quod Eutyches & Nestorius aduersus diuinam salutaris mysterii dispensationem sub quadam sacrilegii æqualitate concordent.* Ipsa sententia in NESTORIVM ex capite *blasphemiarum,* more consueto, lata, vt docet LVDOVICVS DOVCIN *dans l' histoire du Nestorianisme p. 136. seq.* Pari ratione *Manichæorum doctrina* vocatur sacrilegium in *decretis Anastasii tom. 1. concil. p. 974.* quod etiam repetit LEO Papa *ibid. p. 1754.* Porro & *Donatistæ* passim *sacrilegi* vocantur, cum Maximianistis *t. 1. concil. p. 1058. 1060.* Potest hæc adpellatio tolerari, si non tam de sola eorum *doctrina,* quam aliis facinoribus intelligatur, quæ *verum publicum crimen* inuoluunt, de quibus consulendus est BARONIVS *ad ann. 362. n. 266. & seq.* Pari sensu in *concilio Carthaginensi de anno 416. t. 1. concil. p. 1214. Pelagianis* obiicitur *sacrilega superbia,* nec minus HONORIVS & THEODOSIVS *in epist. ad Aurelium* Carthaginensem episcopum *ibid. p. 1232.* hanc sectam vocant *sacrilegium publicum* semel autoritate damnatum. Denique contra eos, qui de *trinitate* sanam sententiam non fouent, *concilium Parisiense de anno 1147. tom. VI. concil. p. 1298.* hæc decreuit: *sicut duos Deos dicere, profanum est; ita singularem & solitarium dicere, sacrilegium est.* In HERVEI *Dolensis comment. in Esaiam* a P. PEZIO *tom. III. anecdot.* edito *p. 667.* hæretici *in sacrilegio missas celebrare* dicuntur. *Non enim,* pergit, *sacrificium Deo offerunt hæretici, sed suis erroribus.* Et infinitum foret, omnes huius sententiæ patronos in medium prouocare.

β) per apostasiam

§. LIV. Eadem philosophandi ratio effecit, vt β) multo magis per *Apostasiam,* quæ hæresi detestabilior, sacrilegium committi diceretur. Qui enim nomen Iudaismo dant, *sacrilegis cœtibus aggregari, l. 1. C. de apost.* qui vero gentilium ad ritus accedunt, ad *sacrilegia templorum transiisse* dicuntur; *l. 2. C. de apost.* quid? quod apostatarum *sacrilegum nomen* continua accusatione deferri a quolibet possit, aliisque extraordinariis modis *hæc sacrilegia* coerceantur, iuxta *l. 4. C. de Apost.* Quodsi tam detestabile sacrilegium in *Apostasia* h. e. in transitu a fide christiana ad Iudæorum, Saracenorum vel infidelium ritus, per leges

Im-

Imperatorum damnatos, & sic in *foro criminali* deprehenditur, nullus de hoc dubitandi supererit locus, quin *iure ecclesiastico* idem multo magis obtineat, vel CYPRIANO autore *de bono patient. p. 211.* asserente: *a vera religione & ecclesia alieni sacrilegi sunt;* atque sic etiam *sacrilegium* commisisse videntur *sacrificati*, vt IDEM *epist. 20.* ait, seu qui desciuerunt a fide christiana, & idolis sacrificarunt, vt IDEM rursus *epist. 65.* ait. Porro γ) *per schisma* sacrilegium hoc perpetrari, vel eo minus dubium habet, quod contra religionem dominantem schismatici rebellionem mouere, & *altare sacrilegum contra altare legitimum* erigere dicantur in *tom. VIII. concil. p. 1413.* quæ locutio ex scriptis CYPRIANI desumta est. Idem episcopus Carthaginensis *epist. 75. p. 277. edit. Brem.* diserte ait: *sacrilegium committit, qui contra ecclesiam bellat.* Enim vero cum per *schisma* magis peccetur in *imperium sacrum*, quam *religionem*, reseruabo reliqua ad *sacrilegium hierarchiæ*.

γ) per schisma

§. LV. Pariter δ) sacrilegium *religionis* imputatur *falsæ & idololatricæ religioni* adhærentibus, id quod christiani primæui quoque obiecerunt gentilibus, vt supra obseruaui, sicuti gentiles christianis *sacrilegii* notam inurere vano conatu nitebantur. vid. *Act. SS. D. 2. Iun. p. 215. c. 2.* In *concilio Toletano III. de anno 589. c. 16. tom. III. concil. p. 482.* relato refertur per omnem pene Hispaniam *idololatriæ sacrilegium* inoleuisse, adeoque cum *consensu principis* synodum decreuisse, vt sacerdotes cum iudice loci *sacrilegium memoratum* studiose perquirerent, exterminarent, hominesque in tali *sacrilegio* versantes iuxta *principia hierarchica* coercerent. In CHILDEBERTI regis *constitutione* apud HARDVIN. *cit. l. p. 334.* de abolendis reliquiis idololatriæ agitur, diciturque: *qualiter in sacrilegos Dei iniuria vindicetur, nostrum est pertractandum*, & paucis interiectis: *ad nos querimonia processit, multa sacrilegia in populo fieri, vnde Deus lædatur*, indigitans reliquias idololatriæ, quæ adhuc in gente Francorum, ad baptisma sine vera cordis mutatione deductorum, superstites erant. Subinde tum in *seruos*, tum in *ingenuos* grauiorem pœnam constituit, *qui ista sacrilegia perpetrare præsumserint.* Similiter in *concil. Tolet. XII. de anno 681. ibid. p. 1725.* itidem in cultores idolorum, qui ea tempestate in Hispania adhuc supererant, hæc decernuntur: *Proinde omne SACRILEGIVM IDOLOLATRIAE, vel quicquid illud est contra sanctam fidem, in qua insipienter homines captiuati diabolicis culturis inseruiunt, sacerdotis & iudicis instantia inuenta hæc SACRILEGIA eradantur & exterminata truncentur*, constituta excommunicatione & pœna exilii

δ) per idololatriam

 in

in ingenuos, in ſeruos vero coercitione verberum, & vt onuſti ferro ſuis dominis tradantur. Non ſine ratione *ſacrilegii* labes his idolorum cultoribus, qui tamen ſanctiſſima Chriſti dogmata iam receperant, imputatur, eodem modo, quo SVLPICIVS SEVERVS *lib. I. hiſt. ſacr. c. 19. n. 6.* aſſerit, populum Iſraeliticum abſente Moyſe *ſacrilegio & luxui* deditum fuiſſe, & *c. 43. n. 6.* refert, prophetam iuſſu Domini regem Achabum adiiſſe, *exprobratoque ei ſacrilegio* ad ſe omnem populum congregari propoſuiſſe, quo crimine ſacra Baali dicata intellexit. Tandem in fine addit: *Mirum id Heliæ fuit, qui ſolum ſe a ſacrilegio immunem eſſe credidit*, exiſtimans, ſe tantum ab idoli ſacris puras retinuiſſe manus. Ceterum poſt tria priora ſecula, multa idololatriæ veſtigia inter chriſtianos deprehenſa fuiſſe, non adeo mirandum eſt, quod ſeculo V. & VI. magis de religione chriſtiana *quauis ratione* propaganda, quam de vera fide in Chriſtum inculcanda inuerſo modo cogitatum fuerit. Vnde tot in conciliis ſanctiones contra clandeſtinos idolorum cultores. In *concil. Arelat. II. de anno 452. c. 23. tom. II. concil. p. 775.* chriſtiani memorantur, *qui faculas accendunt, aut arbores, fontes vel ſaxa venerantur*, & ideo *ſacrilegii rei* iudicantur. ZACHARIAS papa in *epiſt. 10.* ad BONIFACIVM Germanorum Apoſtolum ſcripta, in Germania *presbyteros ſacrilegos* deprehenſos fuiſſe refert, qui tantos & hircos diis paganorum immolabant, manducantes ſacrificia mortuorum, quem effectum inſulſa huius Apoſtoli conuertendi methodus produxit. In *concilio Germanico*, præſide hoc Apoſtolo, *de anno 742 tom. III. concil. p. 1921. c. 5.* epiſcopis ſollicitudo magnopere commendatur, vt *populus Dei paganias non faciat*, prohibeantque ſpeciatim *ſacrilegos* ignes, quod *Niedfratres* vocant, vel potius vt in indiculo adiuncto paganiarum ſcribitur, *Nodfür*, quia *ignis* Saxoniæ inferioris idiomate *für* venit.

e) per commercium cum Iudæis

§. LVI. Quia vero antiquitates loquuntur, inſigni feruore chriſtianos ſacris Iudæorum bellum indixiſſe, inde ſimul *e)* nouam *ſacrilegii religionis* ſpeciem patres in ſcenam produxerunt, etiam iis exprobratam, qui *conuiuiis Iudæorum* intereſſent, quia, vt dicitur in *concilio Venetico de anno 465. c. 12. tom. II. concil. p. 798. cum apud Chriſtianos cibis communibus non vtantur, indignum eſt atque SACRILEGVM, eorum cibos a Chriſtianis ſumi.* Eadem ratio repetita eſt in *concil. Nemauſenſi de anno 1284. tom. VII. concil. p. 936.* nec tamen ipſe conſequentiæ nexus adeo euidens eſt, vt hoc ſcelus inde erui queat. Adeo vero odium plusquam Vatinianum in Iudæos hoc facinus produ-

duxit auxitque, vt eius rei iudicati fuerint, Iudæis vllo modo fauentes & inseruientes. In *concilio Toletano IV. de anno 633. c. 58.* (repetito in *concilio Meldensi de anno 845. c. 73. tom. IV. concil. p. 1498.*) contra eos, qui munera a Iudæis accipientes perfidiam eorum suo patrocinio fauebant, (h. e. contra persecutores episcopos defendebant) anathematis fulmen fabricatum est: *quicunque igitur deinceps episcopus, siue clericus, siue secularis illis contra fidem christianam suffragium vel munere vel fauore præstiterit, vere vt profanus & SACRILEGVS anathemate affectus, ab ecclesia catholica & regno Dei efficiatur extraneus.* In *Toletano VIII. de anno 653.* rex Flauius Reccesuinthus patribus caussam extirpandorum, vel conuertendorum Iudæorum commendauit, ægre ferens, hæresibus quibuscunque extinctis, *hoc solum SACRILEGII dedecus* remansisse, apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 956.* Hæc *sacrilegii* species iis multas attulit calamitates, vt docet BASNAGE *dans l'histoire de Iuifs tom. VIII c. 13. §. 5. seq.* effecitque, vt in *concilio Toletano IV. c. 65.* ab omnibus officiis publicis exclusi fuerint. *Si quis autem iudicum hoc permiserit*, addunt patres, *velut in SACRILEGVM excommunicatio proferatur.* Vid. *c. 31. C. 17. q. 4.*

§. LVII. Multo magis *sacrilegio religionis* accenseri debuit ζ) *magia*, qua vulnus immedicabile religioni infertur. In GREGORII III. *indic. c. 23. tom. III. concil. p. 1875.* sex annorum pœnitentia iis imponitur, qui *sacrilego ausu maleficiis se defensare posse confidunt.* In *synodo Claramont. de anno 1268. c. 7. tom. VII. concil. p. 599. sacrilegium* vocatur dæmoniorum inuocatio, iis propria, qui iuxta *concilium Bituricense de anno 1528. c. 2. tom. IX. concil. p. 1920. sacrilego & damnato ritu characterum, & vsu signorum in occultis reuelandis per dæmonum inuocationem & aliquorum mixtionem verborum abutuntur.* Vlterius η) *sacrilegium religionis* committi dicitur in *scripturam sacram*, qui peruerso & falso modo eam exponunt in *cod. Encycl. tom. II. concil. p. 745.* quod etiam in *epist. 9.* NICOLAI I. *tom. V. concil. p. 181.* extenditur ad alia scripta pietatis: *denique sacrilegium commisisse non immerito dicendus est, qui scripta pietatis fidelium atque pii principis notioni subducit*, id quod ad epistolam a se regi missam, sed a Græcis vel deprauatam, vel eius notitiæ subductam adplicat, idque in antecedentibus *immane sacrilegium* vocat. Quin etiam ϑ) *reformatio religionis* auspiciis B. LVTHERI suscepta passim *sacrilegio* adscripta fuit, adeo, vt in *concilio Tridentino* apud HARDVIN. *tom. X. concil. p. 265.* noui *sacrilegii impietas & omnium scelerum ritus* vocetur. Denique ι) etiam SALVIANVS

ζ) per magiam

η) per scripturæ S. peruersam explicationem

ϑ) per religionis reformationem

ι) per odium erga sanctos

VIANVS *lib. VIII. de gubern. Dei p. m. 165.* huc refert *odium erga sanctos: sacrilegii quippe genus est*, ait, *Dei odisse cultores.* En! quam latissimum campum habeat *religionis sacrilegium* ex mente patrum, vt nihil facilius sit, quam se hoc ipso maculare. Sicuti enim *religio* semel per formulas, ritus, aliaque externa elementa circumscripta & stabilita variis modis violari potest; ita infinitæ inde propullularunt species.

(III) Sacrilegium sacramentorum

§. LVIII. Quoniam vero primas salutis nostræ partes ferunt *sacramenta* a Christo instituta, ideo proximum locum (III) assigno SACRILEGIO SACRAMENTORVM. Fit huius mentio in *concilio Claramont. de anno 1268. c. 7. tom. VII. concil. p. 599.* vbi inquirere iubentur sacerdotes, vtrum quis *fecerit sacrilegia de sacramentis ecclesiæ*, vt ad episcopum referre queant. Refert IVO Carnutensis episcopus *epist. 186.* exemplum presbyteri, qui in statua fœminea sacramenta ecclesiastica profanauerat, quem vt *sacrilegum*, & *idololatram* degradandum esse censet. *Sacramentorum contemtus homines sacrilegos facit*, ait AVGVSTINVS, quod effatum laudatur in *concil. Burdegalensi de anno 1583. tit. 8. tom. X. concil. p. 1343.* Sed ad specialia propero. Videlicet committitur hoc scelus 1) intuitu *baptismi*, eum profanando, quod variis modis fieri potest, veluti per *iterationem*, qua *iniuria sacramento facta*, immo *sacrilegium* commissum dicitur in *append. concil. Lateran. III. de anno 1179. tom. VI. concil. p. 1800.* Sacrilegii quoque rei iudicantur, qui baptismum paruulorum euertere conantur, vt docet *epistola* THEODVINI circa *annum 1050.* apud HARDVIN. *tom. VI. concil. p. 1023.* Ast hi quidem *bona fide* errant, adeoque magis *theologice* quam *iuridice* sacrilegium committunt. Magis ergo huc referendi, qui ludibrio exponunt baptismum, eique illudunt, qui per ludibrium canes baptizant, qui quæstus caussa baptisma reiterant, qui impostores quoque *stellionatum* committunt.

quod perpetratur 1) intuitu baptismi

2) intuitu eucharistiæ.

§. LIX. Intuitu *eucharistiæ* 2) sacrilegii varia quoque exempla obuia sunt. Hoc quippe, GELASIO iudice *in c. 12. d. consecr. D. 2.* committere dicuntur, qui sumta tantum corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstinent, *quia diuisio*, ait, *vnius eiusdemque mysterii sine* GRANDI SACRILEGIO *non potest prouenire.* Et tamen hoc *grande sacrilegium* committitur in ecclesia Romana, quod iam in concilio Basileensi ei obiectum fuit, vt docet IOANNES de RAGVSIO *in orat. de commun. sub vtraque specie* in hoc concilio habita & relata ab HARDVIN. *tom. VIII. concil. p. 1722.* Vt hanc suspicionem declinet

Si quis diuina mysteria diuidere,

BEL-

BELLARMINVS l. 1. *de Pontif. Rom. lib. IV. c. 10.* pontificem de *sacerdote sacrificante* intelligendum esse censet. Videntur eiusdem sententiæ fuisse IOANNES de RAGVSIO *in orat. cit. p. 1690.* & LVDOVICVS IOANNES VILLETANVS, in disputatione, quam in *concilio Tridentino* habuit, relata ab HARDVINO *tom. X. concil.* vbi *p. 347.* ait: *Ne fortassis sacrificantium aliquis a calicis participatione abstineret, quod immane esset sacrilegium.* Ita sentientes vero exsibilandos iudicat BARONIVS *ad ann. 496. n. 20.* aliamque dubii huius solutionem, æque infelicem tamen, subiungit, quam examinaui *tom. III. tit. 41. §. 26. p. 735.* Porro in *concilio Tolet. I. de anno 400. c. 14. tom. I. concil. p. 991. sacrilegus* dicitur & abiiciendus, *qui acceptam a sacerdote eucharistiam non sumserit*, quod etiam *lib. VII. capitul. c. 473.* apud BALVZIVM *tom. I. capit. p. 1131.* repetitum, & quum hic canon fluctus quosdam moueret, declaratio eius facta est in *concil. Tolet. XI. de anno 675. c. II. tom. III. concil. p. 1028.* vt ad *casum necessitatis*, quo ægrotans eucharistiam ob morbi impetum sumere non potest, adplicari haud debeat. Quantum ego iudico, contra eos conceptus canon videtur, qui accipiebant quidem eucharistiam ex manibus sacerdotis, sed sumere eandem ex quodam contemtu recusabant. Præterea *sacrilegium* esse dicitur in *concil. Aurel. c. IV. c. 4. de anno 541. tom. II. concil. p. 1437. aliud offerri* in S. eucharistia, *quam quod in mandatis sacratissimus Saluator instituit.* Dicitur etiam *sacrilegus*, qui dehortatur populum a perceptione *sacramenti corporis & sanguinis Iesu Christi*; (v. *Acta SS. tom. I. mens. Ian. p. 845. D.*) vel qui credit corpus Domini non tam corpus esse, quam *vmbram* & *figuram corporis Domini*, vt censuit THEODVINVS *in epist.* apud HARDVIN. *tom. VI. concil. P. I. p. 1023.* eodem sensu, quo in genere *haresis* per abusum ad hoc crimen tracta est.

vel eucharistiam respuere

vel alios dehortari

§. LX. Primario vero huius sacrilegii species est, quam in genere committunt *fures hierothecæ*, qua *panis eucharisticus* consecratus ritu Romanæ ecclesiæ includitur. Fundamentum huius atrocis sceleris ex *transsubstantiatione* petitur, qua panis eucharisticus in verum corpus Christi *transsubstantiari* dicitur. Hac de caussa etiam huius criminis rei sunt, qui aliis modis in *consecratum & asseruatum panem* quid committunt. Huc pertinet exemplum relatum a RAYNALDO ad *annum 1218. n. 45.* vbi quis venienti sacerdoti, & corpus Christi portanti cum scypho cereuisiæ ebrius occurrens bibere monuit, & cum ille responderet: *corpus Domini porto, non modo bibam; iratus Friso cum scypho*

vel per violationem in panem eucharisticum quid committere conatur.

scypho pixidem percussit, & omnes hostias de illa excussit, ita vt per pauimentum dispergerentur. Similia exempla IDEM *ad ann. 1389. n. 22.* & passim alibi adfert, quorum etiam plena sunt *Act. SS.* In huiusmodi sacrilegos constituta est pœna ignis in *const. crim. Carol. art. 172.* So einer eine Monstrantzen stielet, da das heilig Sacrament des Altars in ist, soll mit dem Feuer vom Leben zum Tode gestrafet werden. Ratio huius pœnæ peculiaris ex adducta ratione desumta est, cum in ceteris *sacrilegii* speciebus diuersum obtineat. Vnde grauiter iudices rectius informatos peccare censet BEYERVS *in not. ad cit. text.* si durum ignis supplicium sub prætextu, quod ea pœna hodie in Germanis iuris communis sit, irrogare audeant. Loquitur sine dubio Autor de *iudice A. C. addicto*, cognoscente de hoc sacrilegio, in ecclesia, Romano ritu vtente, commisso, imo ipsemet iam obseruaui *tom. III. tit. de missa §. 23.*, pœnam hanc non vnice æstimandam esse *sanctione Carolina*, quippe quæ inter Protestantes eatenus recipi non potuit, quatenus absolute principiis nostræ confessionis aduersatur. Nec aliud dicendum esse crederem, si fur sacris ecclesiæ Romanæ foret addictus; quamuis enim hic propter opinionem, quam de hoc *pane consecrato* gerit, grauius peccare videatur, semper tamen in delictis ratio habenda pœnarum, quæ in territorio, quo delinquitur, obtinent, non quæ aliis in terris dictari solent. Sic Saxoni, adulterium eo in loco, quo *pecuniaria* pœna illud plectitur, committenti, non pœna iuris Saxonici *capitalis*, sed eius loci, vbi id commissum, dictanda est.

Pœna eiusmodi sacrilegii

§. LXI. Quandoquidem vero ecclesiæ Romanæ asseclæ adhuc *quinque* alia *sacramenta* duobus genuinis subiunxerunt; ita circa hæc quoque sacrilegium committi posse censuere. Nam 3) respectu *pœnitentiæ* dicitur *sacrilegus*, qui sacrilegum temere absoluit, iudice IVONE *epist. 40.* qui absoluit, cum tamen nec *parochiale beneficium* habeat, nec ab episcopo per examen & adprobationem idoneus iudicatus, licet alias *sacerdos* sit, vt decernit *concil. Mexic. de anno 1585.* apud HARDVIN. *t. X. concil. p. 1727.* Hoc potissimum constitutum est contra *ordines religiosorum*, qui ordinem sacerdotalem recipiunt, & vi huius confessionibus audiendis se ingerunt, quod tamen facere non licet sine *licentia episcopi;* alioquin *sacrilegii* reatus incurritur, quia *iura spiritualia* violari dicuntur. Equidem reum facit LVTHERVM HADRIANVS VI. in literis ad Electorem Saxoniæ scriptis apud HARDVIN. *tom. IX. p. 1903.* quod *satisfactionem* in pœnitentia sustulerit, nec admit-

3) intuitu pœnitentiæ

mittendum censuerit, vt corpus & sanguis Domini quotidie a sacerdotibus offerretur pro peccatis nostris, quam labem tamen iam dudum nostrates absterserunt. Sane si sacrilegium est, corrumpere media salutis, & iniuriam facere merito Christi, ab eius reatu abesse non possunt, qui *sua satisfactione* id assequi volunt, quod in *satisfactione Christi* vnice quærendum. Pergo 4) ad *confirmationem*, cuius iteratio prohibita est sub *pœna sacrilegii* in *concil. Camerac. de anno 1586. tit. 7. ideo, quod imprimat characterem*, æque vt baptismus, cuius olim appendix erat. Unde in genere colligi potest, *iterationem* eorum *sacramentorum*, quæ *characterem* imprimere dicuntur, *sacrilegium* involuere. Similiter 5) sacrilegium in *ordinibus* conferendis committi potest ab his, qui profanissimos & perditissimos consecrant, vt *concil. Constantinop. IV.* decernit apud HARDVIN. *tom. V. concil. p. 974.* qui munia sacerdotalia peragunt, & ignorant, vtrum sint ordinati: multo magis ergo, si non sunt ordinati, vt docent STEPHANI II. *responsa c. 10. vol. III. concil. p. 1987.* denique qui ab hæreticis ordinati sacrificia peragunt, vt decernit *concil. Carthagin. II. & III. de anno 255. tom. I. concil. p. 158. sqq.*

4) intuitu confirmationis

5) intuitu ordinis

§. LXII. Superest 6) *matrimonium*, cuius sacramentum violari dicitur per *adulterium;* vnde natum est *sacrilegium nuptiarum*, de quo iam supra §. XXXIX. actum est. Neque vero tantum sacramenti profanatio hoc crimen constituit, sed etiam *benedictionis violatio*, quæ olim desponsatis per *manuum impositionem* impertiebatur, vt *tom. III. tit. de clandest. desponsat. §. 13. seq.* obseruaui. Hinc SYRICIVS *epist. I.* quæsitus: vtrum desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere? respondit: *hoc ne fiat, omnibus modis inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam SACRILEGII instar est, si vlla transgressione violetur. c. 50. C. 27. qu. 2.* Ergo *violatio* huius *benedictionis* est sacrilegium. Inde plures fluxere conclusiones. Ivo Carnutensis episcopus *epist. 56.* presbyterum quendam, *qui verba diuina sacramenti, & insignia sacerdotalis officii in coniugali benedictione cuiusdam virginis illusorie transmutauerat, & alia pro aliis interposuerat*, commisisse *sacrilegium diuinorum sacrorum* respondit. En quam facile sacrilegium committi potest, si modo a receptis & præscriptis recedatur formulis! *Bigamiæ* crimen grauius ad vlterio iudicatum fuit in *C. C. C. art. 121.* quod *secundam* in Gestalt der heiligen Ehe viuente *prima* sibi adiunxerit, & ita & *sacramenti* & *benedictionis sacerdotalis* violator extiterit, atque adeo *adulterium* cum

6) intuitu matrimonii

ex ratione benedictionis desponsatis olim impositæ

& sacramenti

quod etiam per bigamiam violatur

sacrilegio coniunxerit, vt *tom. III. tit. de sponf. duor. §. 5.* ostendi; quid? quod *bigamus* de hæresi suspectus dicatur, nec bene de sacramento sentire videatur, vt FARINAC. *quæst. crim. 140. n. 24.* conicit, quo respectu rursus *sacrilegus* dicendus. Ergo sacrilegus est bigamus 1) qua *hæreticus:* 2) qua *violator sacramenti* matrimonialis, quod bigamiæ prorsus repugnat, quia in tali *matrimonio duplici* deficere dicitur repræsentatio vnius matrimonii Christi cum vnica ecclesia: 3) qua violator *benedictionis*, quam in vanum adhiberi curat.

et sic bigamia sacrilegium variis ex caussis constituit,

§. LXIII. Bigamiam quoque committere dicitur & quidem *similitudinariam*, iuxta SANCHEZ *de sacram. matrim. lib. 7. disp. 85.* quando in sacris constitutus contrahit matrimonium. Quia enim semel cum ecclesia *spirituale* contraxit, eaque ipsi *dotem* satis opimam intulit, a carnali abstinere debet, alioquin & *irregularitatem* & *sacrilegium* incurrit. Desideras probationem? en! in promtu est. Secundum *concil. Tolet. II. de ann. 531.* olim qui ad clericatum adspirabant, renunciare coniugio, atque castitatem spondere cogebantur. Quodsi sponsionis suæ immemores ad terrenas nuptias recurrebant, *vt SACRILEGII rei damnabantur, & ab ecclesia habebantur extranei. c. 1. cit. concil. vol. II. p. 1140.* conf. *c. 5. D. 28. & Acta SS. ad diem 10. Iun. p. 354.* FARINAC. *qu. crim. 138. n. 95.* Cum enim lex & votum *castitatis* ipsi clericatui inesse credatur, hanc legem sanctam violat, qui vxorem ducit. Multo magis ergo ex hac sententia sunt *sacrilegi* clerici, si adulterii vel fornicationis labe sese maculant; adulteri presbyteri enim diserte dicuntur *sacrilegi* in ZACHARIAE *Papæ epist. 10.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 1910.* adeo, vt iudice ZOESIO *ad tit. D. ad L. Iul. pecul. n. 9.* presbyter religiosus *duplex sacrilegium* committat; alterum contra *sanctitatem ordinis*, habentis annexam obligationem continentiæ; alterum contra *sanctitatem*, procedentem ex *voto castitatis.* conf. ENGEL in *coll. iur. can. lib. 5. tit. 16. n. 40.* Licet vero talis concubitus *sacrilegus* dicatur, in foro tamen *externo* eum non puniri vt *sacrilegium*, sed vt *simplicem fornicationem*, censet L. B. de LYNCKER. *in anal. ad Diss. erot. lib. V. tit. 16. qu. 8.* quia multa *theologice* dicuntur *sacrilega*, quæ *iuridice* talia non sunt.

quod etiam ad bigamiam similitudinariam trahendum,

imo clericus per concubitum sacrilegium committit,

§. LXIV. Post sacrilegium *sacramentorum* (IV) noua species sese exerit, quæ circa LITVRGIAM, seu CVLTVM DIVINVM in genere versatur, cuius vel *violatio*, vel *imminutio*, vel denique *turbatio* insigne dicitur constituere sacrilegium. Sacrificium missæ proprie

(IV) Sacrilegium liturgiæ

sumi

ſumi dicitur in *concilio Burdegalenſi de anno 1583. tit. 5. tom. X. concil. p. 1339. pro puro & ſimplici cultu, qui Deo ſoli debetur, in quo verus ac integer actus religionis eſt.* Inde collegerunt patres, *ſine ſummo ſcelere & ſacrilegio alteri adhiberi non poſſe;* quamuis manifeſtum ſit, in honorem tot ſanctorum miſſas celebrari. Pariter iuxta ſententiam EVGENII III. *epiſt. 68.* apud HARDVIN. *tom. VI. concil. P. 2. p. 1282.* ſacrilegium eſt, *diuina celebrare in eccleſia a diuinis officiis interdicta*, quod irregularitatem inſignem & vix diſpenſabilem conſtituit. Id obiurgat Papa SAMSONI Rhemenſium archiepiſcopo, quod ad maiorem beati Petri & ipſius contemtum in Bituricenſi eccleſia, a diuinis officiis interdicta, cum aliis Epiſcopis & Prælatis diuina celebrare, & ibi Regem Francorum coronare auſus fuerit, non ſine *ſacrilegio*, quo ipſo meruit, vt vſus pallii quoque ei interdiceretur. Longe grauius delinquunt, qui ſacra *turbant* publica, quippe quorum violatio præ ceteris *ſacrilegium* conſtituit. Grauiſſime in hos ſacrilegos animaduertendum eſſe conſtituerunt ARCADIVS & HONORIVS *anno 398. in l. 10. C. de epiſc. & cler.* ita edicentes: *ſi quis in hoc GENVS SACRILEGII proruperit, vt in eccleſias catholicas irruens* (cum diuina myſteria & alii ſacri cultus peraguntur, vt addit *Synopſis Βασιλικῶν lib. 60. tit. 25.*) *ſacerdotibus, & miniſtris, vel IPSI CVLTVI, locoque, aliquid importet iniuriæ, veluti crimen publicum capitali ſententia vindicetur*, quæ pœna etiam in turbatores ſacrorum repetita eſt in *Nou. 123. c. 31.* & a GRATIANO refertur in *can. ſi quis ſuadente diabolo C. 17. 29. Qu. 4.* Talia ſacrilegia paſſim admiſſa eo tempore fuiſſe, quo inteſtinæ ſeditiones ob controuerſias fidei eccleſias admodum concuſſerant, memorant antiquitates huius ſeculi, nec improbabile eſt, Donatiſtarum furorem, ſub quo Africa hoc tempore laborabat, per *cit. l. 29.* repreſſam fuiſſe, vt cenſet SAMVEL BASNAGE *ad cit. ann. § 4. in fin.* Eſt ergo hoc ſacrilegium *crimen publicum*, non aliter tamen ſupplicio capitali plectendum, quam ſi hæc quatuor concurrant: 1) vt vis inferatur miniſtris eccleſiæ, 2) in loco eccleſiæ, & quidem 3) eo tempore, quo rem diuinam facit, maxime ſi ſacramenta adminiſtrat: 4) vt per hoc ipſum ſacra turbentur. vid. CARPZOV. *in iuriſprud. conſiſt. lib. 3. def. 95. n. 11.* Qui alio modo turbant ſacra, pro modo admiſſi arbitrarie puniuntur, teſte EODEM *n. 16. ſq.* conf. BARBOSA *ad l. 10. C. de epiſc. & cler.* Plenius de hoc crimine egi *tom. III. p. 1027. ſqq.*

committitur potiſſimum per ſacrorum turbationem

quando turbatores puniendi

(V) Sacrilegium papale

§. LXV. Quemadmodum vero §. L. obseruatum est, sacrilegium primario committi in *ipsum Deum*, etiam *immediate;* ita æque graue sacrilegium perpetrari posse censent (V) in *pontificem Romanum*, quod SACRILEGIVM PAPALE dixeris. Postquam enim hic constituit se *vicarium Christi*, immo *vice-Deum* in ecclesia, vel in hac terra *Deum*, atque *christianæ reipublicæ monarcham inuictissimum* eum adulatores salutarunt, vt MORNAYVS *in præfat. tr. de myster. iniquit. in fin.* obseruat, & CARPZOVIVS similibus huius farinæ flosculis illustrat in *Vindic. Theol. Lutheran. contra ICtos Dillingenses c. 1. n. 40. & 49.* non potuere non *sacrilegi* nominari, qui vel in minimo eius *iura*, *potestatem* atque *autoritatem*, falli nesciam, in dubium vocant, vel aliter sese ei opponunt, contra ipsum conspirant, denique verbis & factis illum offendunt. Adeo enim sanctissima illius autoritas censenda, vt iudice GREGORIO VII. *epist. 39.* apud HARDVINVM *tom. VI. concil. p. 1227.* vel *ipsi mentiri* sacrilegium sit; multo magis *de iudicio pontificis dubitare*, quod INNOCENTIVS III. *lib. I. epist. 555. edit. Baluzian. culpam sacrilegii* vocat, atque illustrat BARBOSA *ad can. 29. C. 17. qu. 4. n. 98.* æque, vt olim *sacrilegi* dicti fuerunt, qui de iudicio principali disputare ausi fuerint, exceptis quibusdam casibus, relatis a ZOESIO *ad tit. C. de crim. sacril. in not. lit. d.* Qua de caussa, quum plura in *concilio Basileensi* contra iudicium episcopi Romani eiusque autoritatem gesta fuerint, censuerunt eius asseclæ, rem *sacrilegam* & *hæreticam* esse, postulare, vt synodus hæc, & quæ in ea decreta sunt, rata haberet, vt censuit AVGVSTINVS PATRICIVS *in historia concilii Basileensis* apud HARDVIN. *tom. IX. concil. p. 1111.* Hæc eadem ratio effecit, vt GREGORIVS VII. Hermannum, Bambergensem episcopum, qui se iudicio apostolicæ sedis subtraxerat, deponeret, & excommunicaret, quod hæresi iunxisset *sacrilegium*, vt scribit in *epist. 2.* apud HARDVIN. *tom. VI. p. 1324.* Multo magis ergo *sacrilegi* censendi, qui dubitant de *potestate Papæ*. Nam, vt ait PETRVS ALBINIANVS TRETIVS *de pontificia potest. §. diuini muninis n. 29. dubitans de potestate Papæ, dubitat de fide catholica, & tanquam sacrilegus est censendus, & instar sacrilegii est, disputare de potestate Papæ*, quod plenius illustrat CARPZOV. in *vindic. Theol. Lutheran. contr. ICtos Dillingens. c. 1. n. 42. sqq.* Ergo etiam ex iudicio sedis Romanæ *sacrilegi* iudicandi, qui iudicium in pontificem exercere, eumque ab administratione papatus suspendere audent, quod EVGENIVS papa Basileensibus exprobrat in *epist.* apud HARDVIN. *tom. IX. concil. p. 1006.* quum se omni-

omnibus conciliis maiorem credat, adeoque *temeritas sacrilega* dicatur, Romanum pontificem & sacrum senatum ad caussam dicendam citare, apud EVNDEM *cit. l. p. 112.* Fundamentum huius sacrilegii traditur in *c. 30. C. 17. qu. 4.*

§. LXVI. Sed hæc sacrilegia forsan adhuc minora sunt in comparatione eorum, quæ nunc adferenda. Decantatum est, post reformationem Augustanæ confessioni addictis *grande sacrilegium*, & *crimen læsæ maiestatis* obiectum fuisse, in scriptis suis docentibus, papam esse *antichristum*, quam controuersiam contra ICtos Dillingenses sub incudem reuocauit CARPZOVIVS *in vindic. Theol. Lutheran. c. 1. §. 19. & c. 2. 3.* quæ imputatio non noua, sed ab antiquis retro seculis omnibus obiecta, qui hostes se pontifici professi sunt. Huc referuntur (I) *Antipapæ*, quando, ecclesia Romana per *schisma* & *factiones* diuisa, plures fuere electi, quamuis quinam proprie tales fuerint, & quinam legitime electi censendi? determinari non potuerit. Hoc modo rationes subduxit *concilium Aquileiense de anno 1409.* pro tollendo schismate habitum, decreuitque, electionem GREGORII XII. fuisse legitimam, antipaparum vero *sacrilegam*, ac gesta eorum *sacrilega* & iniusta. vid. HARDVIN. *tom. VII. concil. p. 1952. & seq.* INNOCENTIO II. sese opposuit PETRVS LEONIS antipapa, ANACLETVS dictus, quem vt *sacrilegum* rex Lotharius armis persequendum esse censuit, vt *Acta SS. die 6. Iun. p. 856.* referunt. Pari ratione ALEXANDRI III. legatus Cardinalis Ioannes Anagninus omnes VICTORI antipapæ adhærentes, quique concilio Papiensi interfuerant, *tanquam sacrilegos suffragatores* anathematis telo percussit, & quosdam episcopatus honore spoliauit, teste VGHELLIO *tom. IV. Ital. sacræ p. 708. nou. edit.* Similiter PASCHALI II. sese opposuit GREGORIVS VIII. qui *validissimo Imperatoris instructus exercitu vrbem Romanam ingressus, tanquam sacrilegus & Apostata non erubuit Paschalis veri pontificis apostolicam vsurpare sedem*, vt acta *concilii Lateranensis de anno 1215.* apud HARDVIN. *tom. VII. p. 82.* docent, adduntque, eum vt *sacrilegum* & excommunicatum postea rursus deiectum fuisse.

quod specia- tim commit- tere dicuntur

(I) Antipapæ

§. LXVII. Præterea (II) *conspirantes cum hostibus pontificis* maxime politicis, vel immediate contra pontificem huc referunt. Hæc sententia fuit GREGORII IX. *in epist. 16.* ad *Florentin.* qua refert, plures fuisse condemnatos propter conspirationes & coniurationes, & *sacrilegia* in se commissa, apud HARDVIN. *tom. VIII. concil. p. 184.* Tales enim dicuntur *hostes ecclesiæ*, contra quos recte & pie non modo

(II) contra papam conspirantes

a re-

a regibus christianis, sed etiam a propriis subditis bellum suscipi posse, per nefandissima argumenta demonstrauit GVILIELMVS ROSSAEVS *de iusta reipubl. christian. in reges impios & haeret. autor. c. 9.* (III) *Iurium & terrarum Papalium inuasores*, occupatores & detentores *sacrilegi* dicuntur ex sententia MARTINI II. Papae in *epistola* ab HARDVINO relata *tom. VII. p. 890.* vt & GREGORII VII. *epist. 4.* apud EVNDEM *tom. VI. concil. p. 1482.* Inprimis vero (IV) hunc reatum incurrunt, *qui capiunt Romanum pontificem*, vel socii capientium sunt, ipsamque ratam habent captionem, vel in talibus dant auxilium, consilium & fauorem, atque facientes recipiunt, & scienter defendunt. Hi *sacrilegi*, & rei *laesa maiestatis* dicuntur in *epistola* relata a STEPHANO BALVZIO *tom. II. vitarum paparum Auenionensium. p. 15.* (V) *Qui nuntios apostolicos & cardinales capiunt*, vel aliter offendunt, vt rursus *cit. epist.* docet, quippe qui sunt a *latere pontificis*, vt per eorum latus ipse pontifex petitus videatur. BARBOSA *ad c. 5. X. de poen.* FARINACIVS *Pr. crim. qu. 112. n. 107. & 162.* Pluribus id declarat BONIFACIVS VIII. in *c. 5. de poen.* in *6.* & *Si quis*, ait, *in hoc SACRILEGII genus irrepserit, quod sanctae ecclesiae Romanae cardinalem fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandauerit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit vel fauorem; aut postea receptauerit, vel defensauerit scienter eundem: sicut reus criminis laesae maiestatis perpetuo sit infamis, diffidatus nihilominus, & bannitus, sit intestabilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicuius bona ex testamento, vel ab intestato vocetur: quatenus ab omni successione repulsus, publicaque repulsa confusus minus inueniat suae malitiae successorem: fiant habitationes eius desertae, & vt non sit, qui eas inhabitet, dentur cuncta ipsius aedificia in ruinam, & vt perpetuae notam infamiae perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur: nullus ei debita reddere, nullus respondere in iudicio teneatur: quidquid etiam in bonis inuenitur ipsius, fisci, vel reipublicae dominio adplicetur, vt ex iis nihil transmittat ad posteros, sed potius cum ipso quodammodo damnentur & sua. Si qua vero feuda, locationes, officium vel beneficium spirituale vel temporale ab aliquibus ecclesiis obtinet, sit iis ipso iure priuatur, quae sic libere ad ecclesias reuertantur, quod ecclesiarum rectores de ipsis pro sua voluntate disponant. Quodsi quis praedictorum filium vel filios habeat, nepotem, vel nepotes per lineam rectam descendentes, beneficium, seu beneficiatos quouis beneficio, etiamsi pontificalem adeptus vel adepti fue-*

(III) iurium papalum invasores

(IV) pontificem

(V) vel eius nuntios capientes

fuerint dignitatem, ſint eis ipſo iure priuati, ſpe promotionis omnino ſublata. Nulli præterea talium filiorum atque nepotum, ex virili ſexu deſcendentium, ab eisdem alicuius aperiatur ianua dignitatis aut honoris eccleſiaſtici vel mundani ſeu ad alicuius loci regimen ſit aſcenſus: ſit eis poſtulandi negata facultas: ſit notorie iudicatus, & quodlibet aliud officium ſeu miniſterium publicum interdictum: in iudiciis eorum aſſertio contra quenquam nihil fidei, nihil credulitatis inueniat, vt ad teſtimonium prorſus reddantur indigni; ſit eis ad ordines aſcenſus inhibitus; ſit ad beneficium vel officium eccleſiaſticum denegatus acceſſus, & (vt magis famoſa ſit eorum infamia) ad actus legitimos nullus eis pateat aditus, nulla porta pandatur eisdem ſuper aliquo præmiſſorum, omni ſpe diſpenſationis ademta. Præſenti nihilominus adiicimus ſanctioni, vt ex inſecutione prædicta, ſicut ex iniectione manuum violenta, ipſo facto excommunicationis ſententiam quis incurrat, & tam inſecutor, quam alii ſupra dicti tanti mali participes, quamdiu in ſua contumacia perdurarint, ſingulis diebus dominicis & feſtiuis pulſatis campanis, & candelis accenſis per omnes illius loci eccleſias, in quo tantum facinus fuerit attentatum, nec non ciuitatum & diœceſium vicinarum excommunicati publice denuncientur: nec ab alio, quam a Romano pontifice poſſint abſolutionis beneficium obtinere, niſi duntaxat in mortis articulo conſtituti. En grauitatem ſupplicii, quo tam atrox ſacrilegium expiandum eſt! Saluator certe ſuorum diſcipulorum iniuriam minime ita vindicandam cenſuit, quia regnum eius non erat de hoc mundo, ſicut *papale.* Non ſubſtitit vero pontifex in hac atrocitate pœnæ, ſed etiam præterea principes, & imperantes prouocauit ad vindictam erga tales ſacrilegos exercendam, ſimulque rationem *ſanctitatis*, cardinalibus præſtandæ, his depinxit verbis: *per hoc quoque ſecularibus poteſtatibus non adimimus facultatem vtendi legibus contra tales, quas aduerſus ſacrilegos catholici principes ediderunt. Quis enim locus regiminis poterit eſſe tutus, quis rector ſecuritate gaudebit, ſi Romana eccleſia (quae omnium eccleſiarum diſponente Domino caput eſt & magiſtra) caſibus iſtis ſubiicitur? ſi eius filii ſpeciales huiusmodi periculis exponuntur? Quem eccleſiæ filium, quem fidei zelatorem contumelia tanta non tangeret, & confuſio tam aſpera non moueret? Porro ſi filius eſt, dolebit: ſi fidelis, matre fidei læſa lædetur. Quapropter ſi princeps, ſenator, conſul, poteſtas, vel alius dominus ſiue rector contra præſumtores prædictos, præſentis conſtitutionis tenorem non fecerit obſeruari: tam ipſe, quam officiales ipſius intra menſem, poſtquam*

res

res ad notitiam eorum peruenerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Ciuitas vero quaeuis alia, praeter vrbem, quae talia facienti vel facientibus vel praesumentibus, in his consilium vel auxilium dederit aut fauorem, vel intra mensem saltem taliter delinquentes, (prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas ei affuerit) non duxerit puniendos, pontificali & supra sit eo ipso dignitate priuata, & nihilominus remaneat interdicta. Applicationem vide apud VGHELLIVM *tom. I. p. 521.* Hunc in finem summi regum administri id agere solent, vt sacro Cardinalium decore a pontifice muniantur, quia sic satis tutissimum contra quascunque offensiones & persecutiones praesidium sibi conciliant, quod nec ab ipsis regibus absque *graui sacrilegio* violari potest, adeo, vt ipse imperator, ab omni humana lege solutus, si cardinalem offendat, ne dum *criminis laesae maiestatis*, sed etiam *summi sacrilegii* reus fieri dicatur, vt plenius euicit IACOBVS COHELLIVS *in notit. Cardinalat. c. 16. priuil. 23.* Quantos fluctus in aula Romana anno 1618. excitauerit Cardinalis CLESELII captiuitas, notissimum est; mox tamen hi sedati, postquam rex FERDINANDVS & archidux MAXIMILIANVS, quorum iussu hic MATTHIAE Imperatoris administer primarius in captiuitatem deductus erat, veniam huius sacrilegii a pontifice submissis precibus exorauerant, & *absolutionem ad cautelam* impetrauerant.

(VI) Sacrilegium clericale

§. LXVIII. Postquam *omnes clerici* titulo *spiritualium* priuatiue superbire coeperunt, ac inter personas *sacrosanctas* relati sunt, teste CAROLO de GRASSIS *de effect. clericat. in praelud. n. 8.* noua (VI) species sacrilegii, quod CLERICALE dixeris, inde orta, iisque adplicata est, qui manus clericis iniiciunt, ac *reali iniuria* afficiunt, quamuis, quo magis gradu inter se differunt, eo maiora incrementa etiam assumat, & aliter vindicetur in percutiente episcopum, aliter vero in eo, qui inferioris ordinis clerico manum intulerit, obseruante ALEXANDRO II. *in c. 22. C. 17. qu. 4.* Realem iniuriam vero desiderant per *manus iniectionem*, quae atrocior est; verbalis enim clerico illata sacrilegium haud constituit, obseruante de VALASCO *de priuil. paup. II. qu. 9. n. 68. sqq.* Generatim hoc docet decantatissimus *can. 29. C. 17. qu. 4. si quis, suadente diabolo, huius SACRILEGII REATVM incurrit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat: & nullus episcoporum illum praesumat absolvere, (nisi mortis vrgente periculo) donec apostolico conspectui praesentetur, & eius mandatum suscipiat.* Est ergo *sacrilegium*, manus in

quod potissimum per realem iniuriam clericis illatam committitur

quem-

quemlibet clericorum iniicere, qui ad eos adplicant illud prophetæ, *qui vos tangit, tangit pupillam oculi Dei*, secundum *c. 15. C. 2. qu. 2.* Additur in *cit. text. in f.* noua ratio, quæ sacrilegii huius indolem veram sistit: *quoniam iniuria clericorum ad Christum pertinet, cuius legatione funguntur:* imo in *c. 5. in f. C. 3. qu. 1. Dominum crucifigere dicuntur, qui eum in sacerdotibus persequuntur.* conf. de VALASCO *de priuil. pauper. p. 2. qu. 9. n. 4. 13. seqq.* Iam autem iniuria Christo illata *atrox sacrilegium* esse, supra euictum. Quocirca ne quidem offendendi sunt, si vel maxime in reatu quodam fuerint adprehensi. *Si enim etiam, quia non operuit pudenda patris, maledictus est; multo ampliori condemnatione digni sunt, qui patribus, legatione Dei fungentibus, contumeliam inferunt. c. 9. C. 2. qu. 7.* Idem regustasse videtur PSEVDO-ANACLETVS in *c. 12. C. 2. qu. 7. Sententia Cham filii Noë damnantur, qui suorum doctorum vel præpositorum culpam produnt, ceu Cham, qui patris pudenda non operuit, sed magis deridenda monstrauit.* Strenue huius sacrilegii leges executioni dederunt pontifices, vtpote a quibus omnis *clericalis autoritas* dependebat, nec postremus, sed primus inter eos fuit INNOCENTIVS III., vltor huius criminis acerrimus, vt docent *Lib. I. epist. 209. 268. 306. lib. II. epist. 180. lib. X. epist. 214. lib. XI. epist. 110. lib. XIII. ep. 68. lib. XV. epist. 30. lib. XVI. epist. 161. edit. Baluz.*

culus ratio euoluitur

§. LXIX. Hac *sanctitate singulari* gaudent omnes clerici, vt a nemine citra *sacrilegium* violari possint, in quo a *laicis* magnopere differunt. Quid ergo mirum, quod olim tam immensa laicorum turba ad clericatum ruerit, vt hac *sanctitate* gauderet, & alios violare posset citra grauem culpam, ipsimet vero *inuiolabiles* existerent. Nam etiam hac *sanctitate* gaudent in *minoribus ordinibus* constituti, & qui tantum *primam tonsuram* acceperunt, quippe qua clerici *iure nouo* fiunt. *c. 1. X. de ætat. & qualitat. ordin. præf.* Hæc quæstio olim inanis erat, quum is demum tonderetur, qui ad *officium actuale ecclesiasticum* statim erat admouendus, & sic non ex *tonsura*, sed ex *officio* clericus æstimandus erat, vt non diffitetur FLEVRIVS in *instit. iur. eccles. P. I. cap. V. §. pen.* Postquam vero *tonsura* etiam promiscue iis data, qui numerum *clericorum* augere gestiunt, sine voto ecclesiæ inseruiendi, ex ratione status iura clericorum iis adplicata sunt, qui tantum *primam* acceperunt *tonsuram*, vt eo maior confluxus ad *clericatum* fieret eorum, qui *nomine*, non *re* clerici fieri cupiebant. Multum vtique profuit regno ecclesiastico hoc *sanctitatis* priuilegium, quo in immensum

Per clericos hic etiam intelliguntur in minoribus constituti ordinibus

numerum eius consortes excreuerunt, quod omnes *naturali impulsu* adpetere soleant *immunitatem singularem* contra quamcunque *violationem*. Ne quidem excipiuntur *clerici coniugati*, primam tonsuram ferentes, si cum *virginibus* contraxere coniugium, qui itidem *sancti* & *inuiolabiles* sunt, & *priuilegio canonis* gaudent, quod in *fauorem totius ordinis clericalis* est introductum. *c. vn. de cler. coniug. in 6.* Hac extensione facta, opifices etiam qualescunque, exceptis paucis, ceterique maritati sese *tonsuræ* sponte submiserunt, & iudicio ac potestati seculari se subtraxerunt, obseruante CLAVDIO FLEVRIO *in histor. ecclef. tom. XIX. in disc. prælim.* vt & *sanctitatis* & *fori* prærogatiua, si alios læderent, muniti essent contra *quoscunque*. Dico *quoscunque;* nam 1) nec parentes excepti sunt, liberos clericos verberantes, sed *sacrilegi* iudicantur, atque ipso iure excommunicati ex sententia EVGENII III. *in epist. 25.* apud HARDVIN. *concil. tom. VI. p. 1259.* maxime si in sacris ordinibus sunt constituti: in *minoribus ordinibus* qui sunt, (ad quos *pueros* etiam admittunt) leuiter a *parentibus* & propinquis *correctionis caussa* percuti possunt. *c. 54. in f. de sent. & excom.* sine reatu *sacrilegii*. Nec 2) clerici excipiuntur monachos vel clericos percutientes, *c. 10. X. eod.* nisi itidem *correctionem* nudam exercuerint in eos, qui *minoribus ordinibus* tantum decorati sunt. *c. 54. in f. eod.* Sed infinitum foret, omnia interpretum somnia hic referre, quæ magno studio collegit CAROLVS de GRASSIS *de effect. clericat. eff. IX. n. 6. seqq.* multaque absurda cumulauit. His annumero, 1) quod papa hoc priuilegium clericis non possit adimere, sed *iuris diuini* censeatur: 2) quod, clerico etiam consentiente in percussionem, sacrilegium committatur, quippe quo vniuersus clericalis ordo iniuriam accipiat, nec tamen, si clericus consentiat in *adulterium*, quo suum *corpus* & *animam* maculat & corrumpit, hanc iniuriam suam facit totus ordo clericalis: 3) quod clericus *semet ipsum* percutiens sacrilegium committat: 4) quod huius criminis reus sit, qui per vim accepit habenas equi, super quo clericus equitatur, & impedit, ne iter suum prosequatur &c. Indignos autem hoc priuilegio censuit BONIFACIVS VIII. *in can. vnic. de vit. & honest. cler. in 6.* clericos *ioculatoriam artem* exercentes, quos *ioculatores*, *goliandos* aut *busones* vocat, si tertio moniti ab episcopo non resipuerint. Hi quidem reuera insigne dedecus toti ordini clericali attulere; sed in culpa fuere episcopi, qui promiscue sine selectu idoneo quoscunque facile admiserint ad clericatum, sine *titulo*, vt huius

mo coniugati

vt nec a suis parentibus

nec ab aliis clericis verberari possint.

extensiones absurdæ.

huius gregem quomodocunque augerent, maioresque acceſſiones ad *iurisdictionis* ſuæ amplitudinem facerent.

§. LXX. Hæc ſacrilegii ſpecies, quæ *excommunicationem* ipſo iure in reos conſtituit, decreuitque, a ſolo papa abolendam, magnopere autoritatem atque imperium *clericorum* promouit, laicos in venerationis ſubiectione erga eos continuit, & *politiam eccleſiaſticam* adeo corroborauit, vt laici, qualescunque fuerint, etiam ſummi Imperantes, excommunicationis fulmine deterriti, ſuo iure contra clericos vti, aut eorum audaciam infringere, atque remediis conſtringere coactiuis non potuerint. Nam nec in vincula coniicere eos licuit, ſine reatu *ſacrilegii*, nec grauius quid in eos, vtut rebelles turbatoresque pacis publicæ eſſent, ac ſeditioſas voces ſpargerent, ſtatuere. Ita legitimis imperantibus omnis iurisdictio in clericos per *indirectum* ademta, his vero murus aheneus circumdatus, qui ab omni violatione, licet autores rixæ fuerint, & audaciæ improbioris coercitionem meruerint, eos immunes atque incolumes præſtitit, quo opinionem *ſanctitatis*, *ſpiritualisque qualitatis*, iis attributæ, inter laicos conſeruarent, eosque in *ſuperſtitionis* officio retinerent. Obſeruarunt hoc quidam ex Romanæ eccleſiæ doctoribus, tradentibus ingenua voce, iniuriam clerico illatam, non aliter DEO eiusque *religioni* factam cenſeri, quam ſi *directe* & *principaliter* in *Dei contemtum* & *odium* fiat; ceterum ſi haud in religionis deſpectum, ſed *perſonæ* tantum, & priuato odio, violatio facta fuit, non modo contra *religionem* ſacrilegium admiſſum non eſſe, ſed nec ſacrilegium ex natura rei, *iure poſitiuo ſecluſo*. VALASC. *de priuil. paup. & miſer. perſon. P. II. qu. 9. n. 48.* Eſt ergo percuſſio clerici, quæ *priuato odio* vel *in rixa* citra reſpectum ad *religionem* fit, tantum ſacrilegium ex voluntate INNOCENTII II. qui formas rerum nutu ſolo permutare, & ita iniuriam priuatam realem in *ſacrilegium* transformare potuit, ſi vel viliſſimum eccleſiæ mancipium, per *tonſuram primam* duntaxat a laicorum grege ſeparatum, reali iniuria affectum fuerit. E contrario ſi tonſuratus auſu nefario laico, in dignitate conſtituto, & pro reipublicæ & eccleſiæ commodis vigilanti, manus intulerit impias, *ſimplex* eſt *iniuria*, non adeo vindicanda, ſed læſo ſimpliciter deuoranda.

Quo ipſo omnis iurisdictio in clericos laicis ademta.

§. LXXI. Creſcit vero, vt dixi, ſacrilegii ſcelus, quo maiori luce in eccleſia radiant, qui violantur, ſiue iam fuerint defuncti, ſiue adhuc in viuis ſint. Inde (VII) noua *ſacrilegii* ſpecies naſcitur, quæ in PATRES, SANCTOS, & RELIQVIAS SS. committitur.

(VII) ſacrilegium in ſanctos.

LVTHERVS ideo HADRIANO VI. in *epist. ad Fridericum ducem Saxon.* apud HARDVIN. *tom. IX. concil. p. 1903. sacrilegus* vocatur, *quod sanctos patres illos, quorum vita & doctrina illustrauit vniuersum mundum, non solum debito honore non prosequatur; sed multo quam Cain scelestius despiciat, derideat, contemnat, insectetur.* Manifestam quidem calumniam hæc imputatio sapit, vt vel scripta LVTHERI docent; interim hoc mendacium demonstrat, *sacrilegia*, ab aula Romana efficta, hunc fere vnicum scopum habuisse, vt barbaries inter christianos conseruaretur, & eius impugnatores opprimerentur. Patres homines fuisse, & sic errare potuisse, quis dubitauerit? Hos næuos qui detegit, & in lucem producit, eos non contemnit, nec odio habet, sed veritatem eorum auctoritati præfert. Amicus Augustinus, amicus Hieronymus, magis tamen amica veritas. In *concilio Romano II.* de *anno* 745. apud HARDVINVM *tom. III. concil. p. 1938.* Adelbertus, homo ineptissimus, ideo *sacrilegus* a ZACHARIA adpellatus est, *quod se apostolis prætulerit*, & ita iis iniuriam intulerit. Annon simili vitio laboret aula Romana, vel hi iudicent, qui non ex *verbis*, sed ex *rebus* ipsis & *factis* iudicare norunt, & res gestas pontificum, eorumque doctrinas audacissimas paulo penitius rimantur.

Et reliquias sanctorum.

§. LXXII. Grauius adhuc delinquunt, qui quid *in reliquias SS.* committunt sacrilego conatu, quamuis mores primæui a praxi seculorum subsequentium alieni fuerint. Olim damnata fuit *translatio reliquiarum*, quæ ad varias imposturas ansam dabat inter Christianos, adeoque merito prohibenda fuit in *l. 7. C. Theod. de sep. viol.* Enim vero quo magis *reliquiarum cultus* creuit, eo magis *translatio reliquiarum* frequentari sine crimine cœpit, magna cum pompa & adparatu peragenda, vt *acta SS.* docent. Ita quod olim *sacrilegii* instar habitum fuit, in opus *pietatis & deuotionis* degenerauit. Prohibitum porro est in *cit. l. 7.* & *l. 3. C. de SS. eccles. ne aliquis martyrem distrahat, aut mercetur*, quod rursus contra impostores constituit THEODOSIVS & *sacrilegio* attribuit BARBOSA ad *cit. l. 3. n. 5.* quamuis, reliquias *probatas* sæpe pro ingenti pretio fuisse distractas, multa exempla doceant, vt hodie commercium earum non adeo *sacrilegum* videatur, quod singularis deuotionis pruritus excusat. Euidentiora sacrilegii specimina edere dicitur, qui contra scrinium, quo corpus sancti conditum, temere manum extendit, vindicta diuina nonnunquam coercitum, si credendum relationi in *act. SS. ad d. 8. Iun p. 123.* & *d. 15. p. 1068. lit. F.* adductæ; multo maius vero, qui sacra vasa cum reliquiis san-

ſanctorum aufert, quod *proprie dictum* magis eſt ſacrilegium, per *art. 172. C. C. C.* de quo infra agendum erit.

§. LXXIII. Ex eodem fonte (VIII) naſcitur SACRILEGIVM CONCILIORVM. Quid enim aliud ſunt concilia, quam *comitia ſacra regni eccleſiaſtici, collecta ex patribus & capitibus eccleſiæ ad decidendas cauſas publicas eccleſiaſticas, ac regnum eccleſiaſticum ſtabiliendum?* Vnde ſanctiſſima eorum autoritas, & qui eius temerator nefarius eſt, merito pro *ſacrilego* reputandus. LVTHERVM *ſacrilega lingua* contradixiſſe SS. conciliis garrit HADRIANVS V. apud HARDVIN. *tom. IX. concil. p. 1903.* ſi modo rationabilis contradictio *impia*, ſi veritatis propugnatio *ſcelus* dici meretur. Baſileenſe concilium de *anno 1431. ſeſſ. I. decret. XVIII.* apud HARDVIN. *tom. VIII. p. 1117. ſacrilegos* eſſe decrevit, qui ad concilium venientes aus recedentes ab eodem, inuadere, capere, detinere, incarcerare, mutilare, occidere, vel ſpoliare bonis ſuis, vel iniuriis affligere præſumſerint *in ſacri concilii vilipendium & contemtum.* Talem enim iniuriam redundare in totius concilii, *in ſpiritu S. congregati*, contumeliam, cenſent, cum tamen ipſimet patres ſæpius *reos* vocatos ad concilium deceperint, & nequidem fidem, publice iis datam, quam *ſaluum conductum* nominamus, ſeruauerint. Pari in reatu ſunt, qui contra *legitimum concilium* aliam congregationem cogunt, vt patres ſynodi prædictæ cenſuere in litteris *cit. l. p. 1413.* Quale vero *legitimum* & quale *illegitimum* ſit, quis determinabit? niſi qui *dominatu* in concilio præponderat. Baſileenſes ſynodum ſuam *legitimam* eſſe allegabant; qui EVGENII IV. partes tuebantur, *ſeditioſam* eam & *ſchiſmaticam* eſſe venditabant: Florentinam vero a papa coactam, *legitimam* iuſtamque, vt RAYNALDVS *ad annum 1439. n. 18. ſeq.* more paraſitorum aulæ Romanæ pluribus declarat. Breuiter: *papalium conciliorum* contemtor rebellis eſt, ſacrilegus, ſeditioſus, ſchiſmaticus, quorſum RAYNALDI rationes in vniuerſum tendunt & collineant.

(VIII) ſacrilegium conciliorum.

§. LXXIV. Idem fundamentum habet (IX) SACRILEGIVM HIERARCHIAE, quando quid committitur contra *ſacrum*, vt vocant, *regimen:* quando regni eccleſiaſtici faſces turbantur, violantur, impediuntur. Nam etiam *imperium ſacrum* illis accenſetur rebus, quæ *religionem & fidem eccleſiæ Romanæ* fundant ſuſtinentque, quarum læſio primario *ſacrilegium* continet. Etenim PETRVM & PAVLVM a Chriſto ad principatum eccleſiæ catholicæ euectum eſſe docent, vnde hanc nectunt conſequentiam; eccleſiæ Romanæ præſidi, vt legitimo

(IX) ſacrilegium hierarchiæ.

vtri-

vtriusque apoſtoli ſucceſſori, ſolium apoſtolicum vnice deberi, nec hoc ſine *ſacrilegio* negari poſſe. Deſideras probationem? en in promtu eſt, deſumenda ex *concilio Osborienſi de anno 1262.* apud HARDVIN. *tom. VI. concil. p. 1125.* vbi ita: *negare, inter omnes ſanctos martyres Petrum & Paulum in apoſtolici ſenatus culmine poſſidere principatum, ſacrilegium eſt*, quia etiam hæreſin conſtituit, hæc vero *ſacrilegium* quoque continet. Lites inter epiſcopos Romanum & Conſtantinopolitanum notiſſimæ ſunt. Olim patriarchis orientalibus hoc axioma paſſim datum fuiſſe docet BASNAGE *in annal. eccleſ. ad ann. 536. §. 26.* & *ad ann. 588. §. 11.* atque cum more deceſſorum IOANNES Conſtantinopolitanus archiepiſcopus eundem ſibi vindicaret titulum, indigne id tulit GREGORIVS M. contendens, *lib. IV. epiſt. 32. pro B. Petri Apoſtolorum principis honore per venerandam Chalcedonenſem ſynodum Romano Præſuli eum oblatum eſſe, ſed nullum vnquam hoc ſingularitatis nomen aſſumſiſſe.* Poſterius tamen falſum eſſe, docet BASNAGE *cit. loc. ad ann. 595. §. 3. in f.* adeoque palam GREGORIVM id vnice egiſſe, quo principatum vniuerſalem contra auſus Conſtantinopolitani epiſcopi, qui in *oriente* idem affectabat ſupremum in eccleſia imperium, ſibi ſoli & ſucceſſoribus ſuis aſſereret. Iisdem veſtigiis inſtitit LEO IX. *in epiſt. 6. ad* MICHAELEM *Conſtantinopolitanum Archiepiſcopum*, apud HARDVIN. *tom. VI. concil. p. 956.* ita ſcribens: *qualis vero, & quam deteſtabilis, atque lamentabilis eſt illa SACRILEGA VSVRPATIO, qua te vniuerſalem Patriarcham iactas, vbique & ſcripto & verbo - - Et quis poſt Chriſtum conuenientius poteſt inſigniri hoc vocabulo, quam cui dicitur diuina voce:* TV ES PETRVS ET SVPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM MEAM. Conuenit ergo hic titulus ſoli Papæ Romano, qui a multis retro ſeculis *imperium vniuerſale* ſpe deuorauit, vtut eo abſtineat; ergo *ſacrilegium* eſt, ſi quis alius eo vtitur, quia ſub illo impugnat ſedis Romanæ ſuprematum.

quod inprimis incurrunt ſchismatici

§. LXXV. Hunc reatum vero ex *iuris canonici* ſententia, & *curiæ Romanæ* principiis, inprimis incurrunt *ſchismatici*, vt iam *§. 54. in f.* obſeruaui, quippe qui ſe imperio affectato vniuerſali ſubtrahunt, & ideo rebelles cenſentur. In *concilio Trosleiano de anno 909. c. 4.* apud HARDVIN. *tom. VI. concil. p. 513.* variæ ſpecies ſacrilegiorum recenſentur, inter quas primum locum tenet *ſacrilegium ſchismatis; iuxta* AVGVSTINVM *enim apertiſſimum ſacrilegium eminet ſchismatis, ſi nulla fuerit cauſſa ſeparationis.* Hæc ſubiecta limitatio in effectu tollit omnem criminis cauſſam, quum *ſine cauſſa* vix ſchisma concipi & vix

iuſtior

iuſtior dari poſſit, quam vbi dominatui, & iugo vſurpato papali ſeſe eccleſiæ ſubtrahant. In *concilio Baſileenſi ſeſſ. 10. §. 5.* patres obteſtantur, *ſe ſummopere atque diligenti ſtudio procuraſſe, ne ſacrilegum ſchisma in Dei eccleſia naſceretur;* natum nihilominus fuiſſe, euentus docuit. Quem vero *ſacrilegii* huius autorem cenſebimus, *pontificem*, an vero *patres Baſileenſes?* Romani hos incuſant; ceteri illum. Sic ergo adhuc ſub iudice lis eſt, cuius iudicem in propria cauſſa curia Romana ſemet conſtituere voluit, quia ſolus *iudex vniuerſalis* eſſe cupit. Paucis: qui quouis modo imperio papali reſiſtit, *ſacrilegium* incurrit, adeo vt clericus propter recurſum ad curiam ſecularem pro impedienda executione litterarum apoſtolicarum dicatur committere *ſacrilegium*, iudice FARINACIO *conſ. 26. n. 1.* Neque vero pontifex ſolus eccleſiaſticum diadema gerit; quilibet etiam epiſcopus imperat, atque ad puppim & proram nauis eccleſiaſticæ ſedet, adeoque nec horum faſcibus iniuria ſine *ſacrilegio* inferri poteſt. In genere enim, qui ſacerdotes vexant, *ſacrilegi* atque indubitanter *infames ſacrilegi* vocandi ſunt ex ſententia *concilii Trosleiani de anno 909.* apud HARDVIN. *tom. VI. p. 513.*

& quouis modo clericis reſiſtentes.

§. LXXVI. Sed etiam *officium eccleſiaſticum*, quod gerunt clerici, inprimis *ordinum maiorum*, ſacrum eſt, adeoque eius profanatio, contemtus & violatio inuoluit (X) *ſacrilegium* OFFICII SACRI. Hoc tamen minime ad quaſcunque iniurias iis illatas adplicari, nec temere allegari poteſt, *officio ſacro* magis, quam *perſonæ* factam fuiſſe contumeliam; quod qui inuerecunde aſſerunt, id ideo duntaxat faciunt, vt augeant atrocitatem delicti, & *ſacrilegium officii ſacri* effingant, quo præiudicio tamen plerique occœcati ſunt. Quid enim *officii publici cauſſa* cum tali iniuria ſacerdoti ex impetu iracundiæ commune habet? Sed videamus, quomodo *iniuria* talis *officio ſacro* inferri dicatur. Romani pontifices variis eam modis *officio ſacro* inferri conſtituerunt, vt per *criminationem ſacrilegii* terrorem laicis iniicerent. Et quidem (1) per *inueſtituram laicalem* ſeu *manualem*, vt vocant, quam olim imperatores exercuere in conferendis epiſcopatibus & prælaturis per *annuli & baculi* traditionem. Contra hunc morem ſeculo XI. calamum ſtrinxit PLACIDVS *Nonantulanus in tr. de honor. eccleſ. edito a* BERNHARDO PEZIO *tom. II. theſaur. anecd. P. II. p. 18.* ridiculiſque argumentis impugnauit. Inprimis vero *c. 68. p. 112.* docet, quid proprie ſit *inueſtire*, h. e. per ſignum, quod noſtri iuris eſt, alicui dare. *Ipſo itaque nomine*, pergit, *quantæ impietatis ſit*, *ſan-*

(X) ſacrilegium officii ſacri

in quod impingitur

1) per laicalem inueſtituram

ſanctuarium Dei inueſtire deſiderare, apertiſſime comprobatur. Alicui enim homini ſanctuarium Dei poſſidere velle, MAGNI SACRILEGII eſſe, propheta cum graui interminatione denunciat, dicens: pono principes ſicut Oreb, Zeb, Zebee, & Salmana, omnes principes eorum, qui dixerunt: hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Speciatim vero *c. 85.* hanc inueſtituram inde improbat, quod per eam auferatur eccleſiæ, quod ei debetur & competit, atque ita *verum ſacrilegium* committatur, ad exemplum eorum, qui pecunias & res eccleſiæ auferunt. Non alienus ab hac ſententia fuit IVO *Carnutenſis epiſcopus epiſt. 238. in f.* ita ſcribens: *ſi congrua volumus rebus nomina dare, poſſumus dicere, quod manualis illa inueſtitura per laicos facta alieni iuris eſt peruaſio, SACRILEGA PRAESVMTIO, quæ pro libertate eccleſiæ & honeſtate, ſaluo pacis vinculo ſi fieri poteſt, funditus abſcindenda eſt.* Eadem fuit philoſophia INNOCENTII III. in *c. 31. X. de decim.* audacter pronuntiantis: *ſacrilegii crimen incurrit, qui eccleſias vel eccleſiaſticum aliquid de manu receperit laicali*, quippe quod pro *ſpirituali* habetur, cuius collatione manus impuræ laicorum indignæ ſunt. Hoc modo rationes ſubduxit VRBANVS II. in *concil. Rom. III. anno 1099.* habito, apud HARDVIN. *tom. VI. concil. P. 2. p. 1761.* aitque, *nimis execrabile cenſeri, vt manus, quæ in tantam eminentiam excreuerunt, vt, quod nulli angelorum conceſſum eſt, vt Deum cuncta creantem ſuo ſignaculo creent, & eundem ipſum pro ſalute totius mundi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignauiam vel ſtultitiam detrudantur, vt ancillæ fiant earum manuum, quæ diebus & noctibus obſcœnis contactibus inquinantur, ſiue rapinis ac iniuſtæ ſanguinis effuſioni addictæ maculantur.* Inprimis vero id pontifices vrgebant, quod *baculus* eſſet *ſignum epiſcopalis officii*, atque adeo per eius traditionem a laicis *officium* ipſum *ſacrum* videretur collatum, quod tamen a collatione & dono Regum dependere haud deberet. Dum ergo *epiſcopatus* dationem ſibi arrogarunt, quid aliud, (dixere pontifices,) quam *ſacrilegam inuaſionem* iuris non ſui, & quidem *iuris ſacri* in conſtituendis epiſcopis commiſere? Nec in hoc quidem acquieuerunt: eis etiam obuiam eundum eſſe cenſuere, qui pro defendendo hoc iure regio aſſeruerunt, non tam *officium ſacrum*, quam *res eccleſiaſticas* per hanc inueſtituram conferri, quo argumento eam quodammodo excuſare voluit IVO. Nam in *concilio Lateranenſi* Anno 1112. habito, quod BALVZIVS *in ſupplem.* ad P. MARCA *de C. S. & imp. lib. VIII. c. 12.* ex veteri codice MSCto exhibet *c. 8.* ita edixere patres: *ſi quis principum aut aliorum vel laicorum diſpoſitionem,*

tionem, vel donationem rerum siue possessionum ecclesiasticarum sibi vindicauerit, vt sacrilegus iudicetur. Hoc inani terriculamento vsi sunt pontifices, vt principes regesque longe a præsepibus suis arcerent, iisque omne *ius circa ecclesias* adimerent, atque regum auctoritatem, sese in plenam *libertatem* vindicando, sibi subiicerent.

§. LXXVII. Præterea vero hoc sacrilegium (XI) committi volunt per *simoniam*, quatenus *pretio interueniente* reuera res sacra violatur, profanatur, & indigne tractatur, quod calculo suo adprobat IAEGERVS *de simonia eccles. Rom. c. 1.* & testimoniis quibusdam illustrat. Admodum quoque hanc labem reprobat IVO *epist. 94.* & Simonem *sacrilegum lucrorum sectatorem* fuisse allegat, quamuis non neget, hoc *sacrilegium* in curia Romana dominari. PLACIDIVS Nonantulanus lib. *de bonor. eccles. c. 96.* apud PEZIVM *tom. 2. thes. anecdot. p. 145.* acrius adhuc inuehitur in Simoniacos, &, *Simoniaci,* ait, *minime contenti tanto Arrianorum sacrilegio, omnipotentem Spiritum S. non tantum minorem patre & filio, sed etiam sibimet ipsis inferiorem, atque sibimet ipsis subditum tanquam quodlibet venale & vile mancipium credunt, vt, velit, nolit, obediat voluntatibus eorum, atque funiculis pecuniæ attractus aut velut aureis eorum catenis alligatus plenitudinem suæ sanctificationis & gratiæ sacrilegis eorum officiis & execrandis consecrationibus administret, eorumque venalitati seu operationi cooperetur &c.* ARNOLDVS abbas bonæ vallis de *cardinal. Christi operib.* (quem tract. quidam adscripsere CYPRIANO, ita vt Bremensi editioni *operum* CYPRIANI adiectus sit in calce:) capite de *tentationibus in f.* itidem *sacrilegium* in Simonia constituit, aiens: *Hac sacrilegii forma per omnia officia graduique discurrit, & nihil intentatum ambitio prætermittit.* Pari modo etiam his, qui donis corrumpuntur, vt simoniace promotis fauerent, *sacrilegium* imputat GREGORIVS VII. *lib. III. registr. epist. 1. in fin.* alia loca vt non tangam, supra *tit. de Simonia* ex professo sub incudem recusa.

(XI) per simoniam.

§. LXXVIII. Vlterius (XII) sacrilegium hoc illi committere dicuntur, *qui per iniuriam alicui episcopatum auferunt*, & sic in *officium sacrum* iniqui sunt. Ita censuit Pseudo-FELIX Papa *epist. 2.* apud BLONDELL. in *Pseudo-Isidoro p. 359.* aiens: *adimi namque episcopo episcopatum, antequam caussæ eius exitus adpareat, nulli christiano videri iure potest.* Hæc verba sunt concilii Africani, quibus hoc addit impostor: *quia talis præsumtio sacrilegium, & autor talium sacrilegus.* Sed magis impostor sacrilegus fuit, qui hisce quisquiliis orbem

(XII) per iniuriosam episcopatus ablationem.

Christianum rudem, tenebrisque inuolutum decipit, fustigatione dignus: & tamen hanc *sacrilegam imposturam* tam diu fouit ecclesia Romana, eiusque præsules hoc fulcro sacrilego sibi tot inusitata & noua iura attribuerunt, vt in compendio tradit CLAVDIVS FLEVRIVS *tom. XIII. histor. eccles. in discurs. prælimin. p. 15. seqq.*

(XIII) per reditus altaris, cui quis non inseruit.

§. LXXIX. Denique (XIII) sacrilegi in *officium sacrum* censentur, *qui de altari viuunt, nec tamen ecclesiis inseruiunt*, otiosi scilicet illi clerici, quibus iam olim & hodie adhuc orbis Christianus abundat. Suo tempore IVO *epist. 12.* hanc *sacrilegii* speciem grauiter taxauit inquiens: *multa inordinata fieri video in domo Dei, quæ me torquent, maxime, quod apud nos, qui altari non seruiunt, de altari viuunt.. A quo sacrilegio cum eos absterrere velim monendo, increpando, excommunicando, altaria a me redimere volunt sub nomine personæ, sicut a prædecessoribus meis ex praua consuetudine redemerunt.* De his redemtoribus altarium agit MARCA *in not. ad concil. Claramont. c. 7.* ostenditque, episcopos eo æuo, certa pecuniæ summa sibi depensa, monasteriis aliisque *inhabilibus* permisisse, vt reditus ecclesiæ sub nomine *personæ* perciperent, *vicariumque* constituerent, cui *alimenta parcissima* præberent. In hoc vero quin nundinatio & quæstus turpissimus ecclesiarum commissus fuerit, quis dubitabit? Verum etiam extra hunc casum indigni ab officiis ecclesiasticis arcendi sunt, ne quis se *sacrilegio* polluat. Hoc salutare monitum est BENEDICTI III. *d. a. 885.* apud D'ACHERIVM *tom. III. spicil. p. 346. nou. edit.* (*in vet. tom. VI. p. 397.*) aientis: *hoc impietatis sacrilegium a monasterio Corbeiensi propellite semper.*

(XIV) sacrilegium beneficiorum

§. LXXX. Sicuti vero *beneficium* propter *officium* sacrum confertur prouisis, ita hæc adeo connecti solent, vt sæpe illius adpellatione vtrumque denotetur, & ita non mirandum, quin intuitu *beneficiorum*, quæ magis quam *officia sacra* captantur, insignes abusus commissi fuerint, quod (XIV) *sacrilegium* BENEFICIORVM more ecclesiæ Romanæ dixeris. Tale committere dicuntur *a*) *confidentiarii*, vt nominantur, quos *concilium Rotomagense* de *anno 1581. tom. X. concil. p. 1229.* vocat, *aliorum beneficiorum clitellarios asinos & custodes*, eisque disertis verbis *sacrilegii* labem aspergit, quemadmodum etiam *concilium Burdegalense de anno 1583. tom. cit. p. 1364.* eosdem *pensionum exactores sacrilegos* appellat, cum a *Simonia* non sint alieni. Speciatim de hac materia agit FLAMINIVS PARISIVS *de confidentia beneficiali*, eamque CLAVDIVS FLEVRIVS *in institut. iur. eccles. P. III. c. XI. in fin.*

hoc committunt *a*) confidentiarii.

defi-

definit, quod *sit pactum, quo alteri beneficium ea lege traditur, vt fructus, vel, post certum tempus, ipsum titulum alteri reddat.* Sæpe *inhabiles* ad beneficium adspirant, quod cum possidere non possint, alteri conferendum curant, ea lege, vt hic *modica pensione* contentus maiorum redituum partem ipsis præstet. Eadem fraus quoque committi solet, si ad certum tempus quis inhabilis est, veluti si beneficium infanti destinatum est, id quod ob defectum *ætatis* nondum possidere potest, quo casu interim id conferri solet amico, qui id velut *depositum* custodiat, dum puer ad legitimam ætatem peruenerit. *Hæc ingeniosa fraus*, ait FLEVRIVS *cit. l. exeunte seculo XVI. Francis nostris fuit commendatissima, cum multa maiora beneficia, immo & episcopatus alieno nomine possiderentur a fœminis & ab hæreticis.* Contra hos edita est constitutio PII IV. & PII V. *d. 1. Iun. 1569.* in qua pœna *excommunicationis*, immo eadem, quæ in *simoniacos* locum inuenit, dictata est, quamuis ante has constitutiones hæc consuetudo pessima tolerata fuerit, vt etiam secundum eam ius redderetur, fatente PARISIO *cit. l. qu. 5. n. 11. seqq.* qui etiam *qu. 9.* caussas aperit varias, ob quas hæc *confidentia* vsurpata fuerit. Vno verbo: per *pactum* hoc *fiduciæ*, laici, milites, fœminæ, pueri, & qualescunque parasiti, hominesque ineptissimi beneficiorum fructus indignissimo modo suos facere, & vnus *plura beneficia incompatibilia* possidere potest. Tales fraudes inepta cupiditas, deuorandi bona ecclesiastica, produxit ediditque.

olim in Francia frequentes.

§. LXXXI. Verum & β) aliæ artes & machinationes prauæ committi possunt pro lucrandis reditibus ecclesiasticis, quod *sacrilegum* æque, vt rapina rerum ecclesiasticarum, esse censent. Tales recenset *concilium Rotomagense cit. l. p. 1230.* & inprimis adscribit illis patronis siue ecclesiasticis siue laicis, *qui colore patronatus beneficia ecclesiastica in seruitutem redigunt, dum per suppositas clericorum personas aut ex pacto tacito vel expresso cum ipsis inito in præsentatione suorum beneficiorum seu quacunque arte, aut quocunque quæsito colore, iura aut fructus eorundem aut partem ipsorum in vsus proprios conuertunt*, quales iniquæ nundinationes de iure canonico simoniam alunt, hæc vero ad *sacrilegium*, prout ante obseruaui, refertur. Addit vero γ) prædictum concilium etiam hanc speciem: *Alii vero sine iure patronatus atque etiam sine vllo titulario, aut per aliquem suppositum aliena beneficia vi occupant, eorumque iura aut fructus deprædantur.* Sed etiam aliis modis iniusta occupatio beneficii potest fieri, de cuius possessione adprehendenda, vbi vacat, inprimis solliciti esse solent, quod illustrat FLEV-

β) qui colore patronatus beneficia ecclesiastica ad se trahunt,

γ) etiamsi color iuris patronatus desit.

RIVS *in instit. iur. eccles. P. II. c. 22. §. 3.* Possessionem quidem *beneficii vacantis* adprehendere licet, iure suffragante, *debito* tamen *modo* & *tempore;* alioquin *intrusio* per *sacrilegium* facta dicitur, veluti δ) qui sola *præsentatione* contentus occupat ecclesiam sine *institutione* episcopi: *c. 21. X. de iure patron.* ε) qui in Gallia eam occupat obtenta bulla papali, sine *approbatione episcopi*, quam *visa* vocant, de quo more consulendus est ANTON. DESPEISIVS *tom. III. oper. p. 433.* ζ) *qui laborantibus clericis ac religiosis in extremis, beneficia possidentibus excubias faciunt, & ante eorum obitum ecclesias vel domus eorum inuadunt, occupant, in eas se introducunt, ac quandoque eas cum armatis detinent obsessas*, quo facere solent, vt impediant, quo minus expectantes apostolici, & alii forsan auctoritate ordinaria canonice instituti, possessionem eorum beneficiorum nancisci valeant, quales intrusiones *concilium Andegauense de anno 1448. tom. IX. concil. p. 1350.* ad *sacrilegia* refert, quod etiam confirmat papa GREGORIVS VII. *lib. 7. epist. 19. tom. VI. concil. p. 1441.* Denique η) quia absque ecclesiastica autoritate per *laicalem potentiam* in beneficia se faciunt intrudi. vid. *concil. Lambethense de anno 1261. tom. VII. concil. p. 538.*

δ) qui ex sola præsentatione occupat ecclesiam: ε) vel in Gallia absque consensu episcopi: ζ) qui ante obitum clericorum ægrotantium se intrudunt in beneficia ecclesiæ: η) qui per laicos eorum possessionem acquirunt: ϑ) qui vltra vitæ necessaria de bonis ecclesiæ pascuntur.

§. LXXXII. Olim quoque ϑ) singularis *sacrilegii* species ab iis perpetrari dicebatur, qui vltra vitæ necessaria & indigentiam de bonis ecclesiæ pascebantur. Constans ecclesiæ dogma erat, bona ecclesiæ esse *patrimonium pauperum*, hisce alendis pascendisque primario destinatum, adeo, vt clerici iisdem frui aliter non possent, quam ex capite *indigentiæ* per modum *eleemosynæ;* neque enim bona inter clericos diuisa, aut olim ad *beneficia stata* redacta erant, sed in communi ea possidebat ecclesia. Hac ratione ductus ita censuit HIERONYMVS in *c. 6. C. 1. qu. 2. clericos illos conuenit ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui a bonis parentum & opibus suis sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, SACRILEGIVM profecto committunt, & per abusum talium iudicium sibi manducant & bibunt.* Idem quoque ad *Nepotian. de vit. cleric.* denuo hoc modo: *Amico quicquam rapere, furtum est. Ecclesiam fraudare, sacrilegium est. Accepisse, quod pauperibus erogandum sit & esurientibus plurimis, vel cautum esse velle vel timidum, aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.* Adhuc Seculo IX. eadem in sententia substitit BENEDICTVS III. *in priuil. Corbeiæ de anno 855.* apud ACHERIVM *tom. III. spicileg. p. 344. nou. edit. (in vet. tom. VI. p. 395.)* & de hac re ita censuit:

fuit: *Clericorum, qui de propriis abundant reditibus, communicatio prohibetur cum eis, quae conferuntur ecclesiis.* Et *p. 346. nou. edit.* (vet. p. 397.) *Qui sunt enim, qui sanctuarium Dei de hereditate possidere dicuntur, nisi illi, qui res Deo dicatas & ad vsus pauperum seruorumque eius collatas, secularis potentiae dominatu, non electionis gratia, quaerunt obtinere?* Idem praeceptum pluribus quoque inculcatur *in epistola* FVLBERTI *Carnutensis episcopi* apud EVND. *cit. l. p. 387.* his verbis: *pars SACRILEGII est, res pauperum dare non pauperibus. Magnum scelus est, res pauperum praestare diuitibus &c.* certissimo iudicio, tempore HIERONYMI, vnde dictus episcopus haec hauserat, supra dictam regulam adhuc in viridi fuisse obseruantia. Ergo sacerdotibus relictum erat tantum *ministrandi* officium, non *dispergendi* arbitrium, adeo vt, qui hoc vsurpare conabantur, *inuasores, praedonibus crudeliores, fures domesticos ac familiares inimicos* adpellauerint, vt ex *cit. l.* adparet. Alia testimonia collegit LANGIVS *de cura eccles. pro miser. & pauper.* quibus pietas maiorum optime illustratur. Sed postquam bona ecclesiastica in *patrimonium cleri* per *beneficia stata* transierunt, & *pauperum* esse desierunt, nemo amplius est, qui hodie in consumtione horum redituum *sacrilegium* quaerat. Ita, mutatis moribus, mutantur etiam iura, dogmata, sententiae. Potissimum haec mutatio facta, postquam bona ecclesiae *diuisa*, & in *beneficia stata* & *perpetua* transformata sunt, quae *officio sacro* cohaerent, & a possessore eius percipiuntur, non habita ratione, vtrum indigeant, nec ne? Sunt enim haec beneficia instar *salarii*, & sic eodem *titulo* secundum *regulas iuris* percipi possunt, quo alia salaria, officiis secularibus destinata, quod olim secus erat.

hodie autem non amplius attenditur.

§. LXXXIII. Notum praeterea est, quod praeter *beneficia* clericis variae *immunitates* debeantur, maxime intuitu *onerum publicorum* & *iurisdictionis secularis*, quas iuri diuino tribuit BONIFACIVS VIII. *in c. 4. de cens. in 6to.* assentientibus patribus Tridentinis *sess. XXV. de reform. c. 20.* quam sententiam tamen sub censuram reuocaui *tom. III. tit. de immun. eccles. §. 50. seqq.* Posita hac sententia non potuit non violatio huius immunitatis *sacrilegium*, quod (XV) IMMVNITATIS adpellari potest, inducere, excommunicatione, vel interdicto loci expiandum. *c. 4. cit. c. 3. de immun. eccles. in 6.* CAROL. de GRASS. *de effect. clericat. eff. III. n. 145.* Hoc modo pontifices sententias & principia quaeuis in suum commodum & vsus conuerterunt, & nuda hominum inuenta, principum priuilegia, vel somnia ISIDORI sub

(XV) sacrilegium immunitatis.

 iuris

iuris diuini larua in ſcenam produxerunt, atque credulo obtruſerunt orbi. Hæc qui conuellit, turbat, atque ludibrio habet, *ſacrilegus*, immo *infamis ſacrilegus* eſt, non *ſimplex*. In *Synodo Treuirenſi de anno 1548. tom. XI. concil. p. 1077.* eccleſiæ iura inuadere & ipſius cleri priuilegia violare, *ſacrilega violentia* vocatur, inquiſitione digna, vt tandem *hoc genus luporum a ſacrilego aucupio conquieſcat.* Inprimis vero, qui *angarias* vel *indebitas penſiones* exigunt de rebus eccleſiæ vel clericorum, *ſacrilegium* committere dicuntur IVONI *epiſt. 71.* & HINCMARO *in quatern. ad Karol. regem tom. V. concil. p. 1335.*, quippe quod continet *malitiam contra Dei eccleſiam* ex mente INNOCENTII III. in *c. 7. de immun. eccleſ.* ALEXANDRI III. *in c. 1. eod. in 6.* atque BONIFACII VIII. *in c. 3. eod.* anathemate plectendum tam diu, *donec transgreſſores atque fautores ſatisfactionem impenderint competentem.* Tam ſancta enim tamque venerabilis atque illibata debet eſſe *ſacerdotum autoritas* laicis, vt qui vel in eorum præſentia falſa tantum protulerit, *ſacrilegii procul dubio crimen incurrat*, vt *concilium Osborienſe de anno 1062. tom. VI. concil. P. I. p. 1121.* cenſuit; quidni ergo ſacrilegium incurreret, qui *immunitates* eorum inuadere atque violare auſus fuerit? Priuilegiis porro clericalibus inprimis accenſetur *immunitas a iurisdictione ſeculari*, quam itidem *iuri diuino* adſcribere maluerunt, vt transgreſſores eius terrore *ſacrilegii* percutere poſſent. Etenim in *concil. Senonenſ. de anno 1269. c. 5. tom. VII. concil. p. 650.* attentatum hoc dicitur *graue nimis & diuini plenum animaduerſione iudicii, quod aliqui laici falcem in meſſem Domini ſacrilegis auſibus ingerentes perſonas eccleſiaſticas ſuis ſubiiciendo iudiciis in periculum fidei eccleſiaſticam moliuntur ſubiicere libertatem.* Hoc ſacrilegium in laicis excommunicatione, in clericis vero, qui ſponte ſe iudiciis ſecularibus ſubiiciunt, *amiſſione cauſſæ* plectitur, ſi locum ſuum maluerint retinere.

quod in ſpecie committunt, qui angarias vel indebitas penſiones ab eccleſia exigunt,

vel laici, qui clericos ſuæ iurisdictioni ſubiiciunt.

§. LXXXIV. Nec tantum clerici ſingulari ſanctitate gaudent, ſed etiam *res & patrimonia* eorum, adeo, vt a ſacrilegio immunis eſſe non credatur, qui ad ea *manus ſacrilegas* extendit. Inde (XVI) noua emergit ſpecies SACRILEGII RERVM videlicet CLERICALIVM, quum, qui eas inuadit, in ipſos clericos iniurius eſſe cenſeri debeat. Res atque bona clericorum eccleſiarumque iam olim a laicis ſæpiſſime poſſeſſa fuiſſe, dilucide declarant conciliorum atque antiquitatum monumenta, quæ nobis ſuperſunt. Non tantum in Italia atque Germania, ſed etiam in Gallia clericorum patrimonia, laicis ex

(XVI) ſacrilegium rerum clericalium.

ex regia largitate concessa, imo ab ipsis imperantibus si non integra, magna tamen ex parte vel sibi ipsis vel fisco addicta fuisse, quis est qui nesciat? Sane de CLOTARII Regis edicto testatur GREGORIVS TVRONENSIS *lib. 4. c. 2. hist. Franc. omnes Galliæ ecclesias sub huius regimine ad tertiam fructuum partem fisco exsoluendam obstrictas fuisse:* vt taceam alias donationes atque concessiones laicis ex bonis clericalibus adscriptas, quas hi æquo animo ferre non poterant, sed sub *sacrilegii*, vtpote criminis grauioris specie, laicos ab eiusmodi præsumtione deterrebant, vel ex earundem possessione deiiciebant, vt tot conciliorum fulmina abunde testantur, quorum plura collegit, & hoc sacrilegium speciatim ex moribus ecclesiæ Gallicanæ illustrauit IOANNES FILESACIVS *in operum theol. tract. de sacrilegio laico.* Inprimis vero hoc crimen incurrunt, *qui in res & bona Cardinalium manus violentas ausu sacrilego iniicere non verentur*, maxime si Cardinales conclaui inclusi sunt, quod sub grauissimis censuris prohibitum in *concil. Lateranens. V. anno 1517. tom. IX. concil. p. 1846.* Vtrum vero hoc facinus ad eos, qui quorumcunque clericorum bona auferunt, adplicari possit, interpretes iuris canonici in dubium vocarunt. SPERELLVS *decis. 135. n. 94.* tale furtum ad *quasi sacrilegium* refert. FARINACIVS vero in *pr. crim. qu. 172. n. 54.* hoc simpliciter negat. Priori sententiæ quodammodo subscribit ZIEGLER. *ad Lancellot. lib. IV. tit. 5. §. 6.* si quid ex domo episcopi ablatum. *Forte etiam*, ait, *ille sacrilegium committit, qui ex domo episcopi aliquid suffuratur. Concessum enim est isti domui ius ἀσυλίας, perinde vt ecclesiæ. Tam ample scilicet fimbrias suas dilatarunt personæ ecclesiasticæ.* Ergo sacrilegium committitur, non quod bona episcopo ablata, sed quod ἀσυλία violata fuerit, quæ *ædibus episcopalibus* debetur per *c. 36. C. 17. qu. 4.* quod olim intra XXX. passus circa ecclesiam cathedralem ædificatæ fuerint, cui ambitui *immunitas* concessa est, quamuis hodie indistincte hisce ædibus ἀσυλίαν concedant, vt docet MICHAEL ANGELVS DONATVS *de Asylia resol. 53. n. 4.* Ceterorum clericorum bona propria qui rapiunt, magis *simplex furtum* committunt, nisi 1) itidem *intra XXX. passus* circa ecclesiam collocatæ fuerint: 2) decedentium bona spoliata fuerint. Vsitatum enim olim erat, bona decedentium diripere, vt quasi res nullius occupantibus cederent. Ius *spoliorum* vel *exuuiarum* inde natum, quod olim imperatores in bonis prælatorum exercuere. In hos itaque, *qui de bonis & rebus clericorum decedentium ausu sacrilego aliquid auferunt*, con-

quæ a laicis possideri nequeunt,

quorumcunque clericorum bona auferentes, vtrum sint sacrilegi an fures? fluctus doctorum.

ius spolii in aliis est sacrilegium,

constituta est pœna excommunicationis in *concil. Colon. de anno 1266. c. 7. tom. VII. concil. p. 565.* Inprimis *in concilio Trosleiano de anno 909. c. 14. tom. VI. concil. P. I. p. 541.* hic mos admodum reprobatus est. *Quanquam superius*, aiunt patres, *de sacrilegis inter nos sermo sit habitus, vbi ex parte ostendimus, quam graue sit illud facinus, & qua pœna iure plectatur sacrilegus; tamen quia inter nostrates hic pessimus inoleuerit mos, vt defuncto ecclesiæ episcopo mox a quibuscunque potentioribus peruadantur res ecclesiasticæ, quasi episcopo fuerint propriæ, cum etiamsi eius essent, contra omne ius id fieret, hoc tam immane sacrilegii facinus etiam sæpius factum scientes dolemus - - - & nunc omnibus notum fieri, ducimus, quatenus nullus audeat tantum scelus perpetrare sacrilegii.* Ea de caussa quoque idem *ius spoliorum* redarguit, & illud ipsum, quod *impium & sacrilegum facinus* vocat, prohibuit LEO IX. *epist. 9. ad Auximan. tom. VI. concil. P. I. p. 963.* His proinde inuasoribus anathema dictum est in *concilio Claramontano* apud GRATIANVM in *c. 46. C. 12. qu. 2.* non tantum, si bona episcoporum, sed aliorum quoque decedentium clericorum diripuerint, quos disertis verbis *sacrilegos* vocat WILHELMVS episcopus Patauiensis *tom. VI. concil. P. 2. p. 1722.* canonem prædictum referendo. Confirmauit easdem sanctiones HADRIANVS IV. *in epist. 41.* constituitque, vt spoliator eiusmodi, *tanquam sacrilegus fidelium communione priuatum, & vinculo se nouerit excommunicationis adstrictum.* Verum quod sacrilegium in aliis improbauit coërcuitque curia Romana, in *pontifice* adprobauit, eique *ius spoliorum* addixit, vt *iurium spoliorum* collectores tradiderunt. Ita quod aliis probrosum, sacrilegum, impium; pontifici permissum: quod in aliis nefandum facinus existimatur, pontificis solius *regale* censetur, immo metu *sacrilegii* imperatores, reges, aliique ab hoc iure vel ideo remouendi erant, quo pontifex illud in rem suam vertere posset.

non autem in pontifice.

§. LXXXV. Clericis vulgo annumerari *monachos*, & *sanctimoniales*, vt *personas spirituales*, noto notius est, quem *nouum statum* vbi induerunt, noua (XVII) sacrilegii species inde enata est, quam SACRILEGIVM MONASTICVM dicere liceat, quod vel in *monachos* & *sanctimoniales*, vel ab his contra *vota* committitur. In monachos & sanctimoniales illud committitur 1) manus in eos coniiciendo, quum etiam hi gaudeant priuilegio *can. si quis suad. diab.* vt censuit INNOCENTIVS III. *epist. 268. lib. I. in f.* edit. BALVZ. & illustrat CAROLVS de GRASSIS *de effect. cleric. eff. 9. n. 71.* adeo vt etiam

(XVII) sacrilegium monasticum.

In monachos committitur 1) manus in eos iniiciendo

etiam *nouitii* eodem gaudeant iure, *c. 21. de sent. excomm. in 6.* quum quatenus *monastice* viuunt, eatenus inter *clericos* referri soleant. Immo huc in genere collocantur, qui monachos vel monachas *crudeliter persequuntur*, vt docet *breue* HADRIANI VI. *ad Fridericum Saxon. duc. tom. IX. concil. p. 1906.* quia ex *qualicunque violatione* sanctitati ipsis inhærenti aliquid decedere credunt. Hoc *sacrilegii* crimen, vtrum tali violatione veteres in *monachos* committi existimauerint, vel inde dubium est, quod olim non *clericorum*, sed *laicorum* numero adscripti fuerint, maxime quum vitam monasticam adhuc ex *arbitrio* vel agerent vel negligerent, quod specialius explicaui *in iur. eccles. tom. III. tit. de regul. & transeunt.* Nihilo tamen minus, quia ex plerorumque *patrum* sententia vitæ ac fidei *sanctum institutum* pro scopo habere credebantur, non dubitarunt, tandem eos *clericis*, quos *sanctos* & *spirituales* dixere, aggregare, & priuilegia *horum* personis competentia iis adplicare, vt docet GRATIANVS *c. 29. C. 16. qu. 1.* & HARDVIN. *tom. I. concil. p. 851.* Hac *clericali dignitate* postea inter ceteros laicos eo facilius fulgere poterant, ex quo *regulis* monasticis *stricte* se submittere tenebantur. Vnde etiam hodie, siue reuera fratres *chori* sint, siue tantum *ministrent*, & res monasterii *curent*, quos etiam INNOCENTIVS III. *in c. 10. in f. X. de sepult. conuersos* vocat, merito ex sententia canonistarum iure *clericorum*, quoad *violationem* erunt censendi. Ceterum ratione *personarum*, quæ *vitam* ac *virginitatem* Deo dicant, 2) hoc sacrilegium ii committere dicuntur, qui *sanctimonialem* adhibita *vi rapiunt*, & sic eius *statum spiritualem* lædunt, crimineque polluunt. *c. 2. C. 36. qu. 1.* Sufficit autem *sola manuum iniectio*, etiam absque *animo libidinem* exercendi, quum talis virgo per *consecrationem* a laicis separari, & res *sacra* fieri dicatur, adeo, vt sicut cuiuscunque rei consecratæ *contactus*, ita etiam *raptus* ingens sacrilegium constituat. Hoc si verum est, non inique censuit ZIEGLER. *ad Lancellot. ad tit. de adult. §. 6.* COELESTINVM III. huius criminis se reum fecisse, quod ille *monialem*, e monasterio raptam, HENRICO VI. in *matrimonium* collocauerit. Aut ergo hoc non est *sacrilegium*, aut Papa grande crimen committere potest; quorum alterum affirmare tamen pontificii absque *sacrilegio* non poterunt, sed potius pro excusando hoc facto ad *dispensationem in voto* confugient. Crescit autem hoc crimen, si virgo simul in *raptum* consentiat, & sic, *voto monastico* posthabito, monasterium voluntarie deserit,

vel eos persequendo,

quod antiquitus obtinuit,

& etiam hodie obtinet.

2) sanctimoniales rapiendo,

quod tamen Cœlestinus papa ipse perpetrauit.

rit, quo casu quia ab vtraque parte peccatur, *sacrilegium duplex* ex sententia iuris canonici adesse videtur, vt postea euincam.

3) easdem matrimonii caussa rapiendo.

§. LXXXVI. Multo magis autem 3) *sacrilegium monasticum* committitur, si raptus monialium ad *libidinem restinguendam*, vel ad *matrimonium cum iis ineundum* perficitur, contra quod ecclesia Romana vbique grauissima pœnarum fulmina emisit. Censet etenim, virginem monialem per *votum Christo spiritualiter nupsisse*, adeoque per concubitum cum ea *adulterium* & *sacrilegium* committi. *Nullum* ergo est matrimonium cum moniali contractum, dissoluendum potius, quam tolerandum, quum eiusdem vir *non sit maritus*, *sed turpis adulter* & *sacrilegus*, vt edixere patres in *concilio Turonens. II. in f. de anno* 567. apud HARDVIN. *tom. III. concil. p.*374. vid. BALVZ. *capitul. Reg. Franc. tom. II. tit.* 23. *c.* 5. Huius matrimonii exempla referunt BARONIVS *ad ann.* 826. *n.*61. & GODEAV. *dans l'histoire de l'eglise ad eund. an. tom. VI.* Alterum de Imperatore MICHAELE, qui post mortem coniugis *Theodoræ*, *Euphrosinam* monialem in matrimonium duxerat: alterum de alio *duce Siciliæ*, eodem modo connubium ineunte, atque ea inter maxima scelera atque *fœdera sacrilega* referunt. Immo extra matrimonium *quælibet consuetudo* carnalis cum *moniali* peculiare hoc *sacrilegii* crimen constituit, diuersum in hoc a *stupro simplici*, quod in eo concurrat *personæ Deo consecratæ sanctitas*, simul nefandissime violata. *c.* 37. *C.* 27. *q.* 1. Hanc *sacrilegii* labem non agnoscunt antistites nostrarum ecclesiarum, testibus ZIEGLERO *ad Lancell. tit. de adult. §. 6. n.* 345. & LINKIO *ad decretal. lib. V. tit.* 17. *§.* 7. quod nec vota nuncupent, nec Deo consecrentur singulariter virgines, & ita *monasticam vitam* cum *coniugali* commutare possint, prout experientia docet. Ceterum quia Catholici hoc crimen maxime ex *sacri characteris violatione* æstimant, non præcise concubitus est necessarius, sed sufficit *velaminis habitusque*, *Deo dicati*, *detractio*, suo iam tempore id docente TERTVLL. *de virgin. vel. c.*3. *in f.* Imo quod maximum est, solus *conatus* cum sanctimoniali concumbendi respicitur, grauissimis pœnis coercendus. vid. *l.* 5. *C. de episc. & cler.* quæ desumta ex *l.* 2. *C. Theodos. de raptu virgin.*

hoc etiam simplex stuprum pertinet,

& solus conatus sufficit.

4) manus in Abbates iniiciendo,

§. LXXXVII. Ad monachos merito refero *Abbates*, & *Abbatissas*, rectores & quasi præceptores monachorum, vt hi nutu ac præcepto eorundem degant, vitamque monasticam ex regulis præscriptis instituant. In hos ergo qui 4) *manus iniecerit*, vel eos *occiderit*, quin sacrilega contagione sese maculet, quis est qui dubitauerit? quum

quum multo magis hi gaudeant priuilegio canonis: *si quis suadente diabolo*, scribente INNOCENTIO III. *lib. I. epist. 323.* vid. HARDVIN. *tom. VII. p. 663.* Multo magis ergo hoc crimen incurrit 5) qui *monasteria* ipsa rapiunt, sibique subiiciunt ex sententia S. BONIFACII *in epist.* relata *tom. III. p. 1910.* vel in genere, qui monasterii *priuilegia confundere*, & ad irritum deducere nituntur; conf. *tom. VI. P. I. concil. p. 684.* quod ita per indirectum ipsi monachi violati censeantur, contra quos turbatores iam insurrexit GREGOR. *lib. VII. epist. 33. Ind. I.* Omitto plura addere exempla, & maxime illud, quod in *secularisatione*, quæ contra voluntatem cleri maioris facta est, se reperisse arbitrantur, de qua suo loco agendum.

5) ipsa monasteria rapiendo eiusque priuilegia confundendo.

§. LXXXVIII. Atque hæc potissimum de *laicis*, sacrilegio sese erga *monachos monachasque* maculantibus. Verum etiam hoc crimen ipsi *monachi* incurrunt, quando *vota* a se nuncupata deserunt, abiiciunt, aut quomodocunque *impietatis* accusant. Vota principaliter tria præstare solent, *obedientiæ* scilicet, *castitatis*, & *paupertatis.* Contra prius ii peccare censentur, qui ex monasteriis simpliciter profugiunt. Hi speciatim *extra obedientiæ iugum & ordinis sui obseruantiam* constituti dicuntur in decretis *concilii Coloniensis II. de anno 1549.* apud HARDVIN. *tom. IX. p. 2099.* & per eadem decreta ab vllo, vel episcopo, vel abbate, suscipi prohibentur. His multo magis accensentur, qui *sanctam & monasticam* vitam cum *seculari* commutant, atque, abiecta *cuculla* vel *vestibus sacris*, e monasteriis egrediuntur, quippe qui etiam peccant contra votum *stabilitatis*, quod olim *regulæ* BENEDICTI primarium caput erat, vt docet FLEVRIVS *tom. VII. hist. eccles. p. 783.* Triplici ex caussa hi *sacrilegio* se contaminant, tum quod per *habitus monachalis* abiectionem insignem despectum edere, eumque violare credantur, quem tamen sciunt *sanctum*, ac *consecratum*, imo *angelicum habitum* esse, vt scribit WILHELMVS *abbas in epist. V.* relata a MABILLONIO *inter veter. analect. p. 458. ed. Paris.*; tum, quod contra *votum obedientiæ* abbatum inspectioni sese subducant, & ita *DEO*, vt existimant, *promissa*, non adimpleant: tum denique, *mundo & diabolo*, *quibus semel per votum abiurarunt*, *se reddere*, & sic ex neglectu sancta instituta violare existimentur, vt rationes subducit HADRIANVS VI. *in breui ad* FRIDERICVM I. apud HARDVIN. *tom. IX. p. 1903.* Atque ex his rationibus sine dubio inducti fuere patres, vt omnes monachos *profugos* adpellauerint *sacrilegos*, ceu patet ex decretis *concilii Colon. II.* apud HARDVIN.

committitur etiam monachis ipsis peccantibus: a) contra votum obedientiæ, quorsum pertinent monachi profugi, ex triplici ratione.

 tom.

tom. IX. concil. p. 2098. & 1939. quod ſpeciatim ad LVTHERVM, votum monaſticum deſerentem & flocci pendentem, ex principiis papalibus adplicauit HARDVINVS in *ſupr. cit. breu. ad* FRIDER. I. quæ merito repudiauimus.

β) contra votum caſtitatis,

§. LXXXIX. Præſtant vero præterea monachi votum *caſtitatis*, atque eo ipſo *connubio* renunciant, eoque reſpectu ſanctimoniales *virginitatem Deo ſpondere* dicuntur in *c. 37. C. 27. qu. 1.* Toties ergo hæc vota rumpere, & *ſacrilegium* committere dicuntur, quoties carnales amplexus non ſolum optant, verum re ipſa in actum deducunt, cenſente SIRICIO *Papa* apud MABILLONIVM *in vet. analect. p. 140. edit. Pariſ.* Hanc ob cauſam occaſionem quamuis, ad eiusmodi ſacrilegam contagionem contrahendam, illis ademerunt Patres, ne *ſub prætextu monaſterii* etiam tale crimen perpetrare poſſent. Docet hoc *c. IX. Synodi S. Patricii de anno 450.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 1791. Monachus & virgo vnus ab hinc, & alia ab aliunde, in vno hoſpitio non commaneant, nec in vno curru a villa in villam diſcurrant, nec aſſidue inuicem confabulationem exerceant.* Multo minus ſecundum *c. 47. concil. in Trullo* habiti apud HARDVIN. *tom. III. p. 1679. vir in mulierum, aut mulier in virorum monaſterio dormiat.* *Aequalem* enim in monachis ac monialibus requirunt *caſtitatem*, quippe quæ, docentibus patribus, in maximo pretio cuique eſſe debet, vt vel AMBROSII *exhortatio virginitatis* teſtatur. Hanc vero per *ſtuprum* ſimplex pariter ac per *matrimonium* violari, & ita in vtraque commixtione *fœdera ſacrilega* adeſſe, tradiderunt. Ita cenſuere patres in *concil. Duziacenſ. II. de anno 874.* apud HARDVIN. *tom. VI. P. I. p. 154.* idemque repetiere in *concil. Triburienſ. de anno 895. p. 446.* conf. *tom. I. p. 154. & tom. II. p. 963.* Aiunt, vouiſſe monachos monachasque caſtitatem, atque *virginitatem per votum Deo pactas* fuiſſe, ceu loquuntur patres in *concil. Eliberitan. de anno 313. cit. l. p. 251.* in eum ergo iniurios fieri, ſi *pacti* immemores nuptias vel concubitum anhelarent. *Nam ſi humana pacta non poſſunt impune calcari, quid eos manebit, qui corruperint fœdera diuini ſacramenti?* ita philoſophante LEONE II. *in epiſt. decret.* relata ab HARDVIN. *tom. I. p. 1764.* Quid? quod per illud votum cum *Chriſto* atque eccleſia *myſticum* iniiſſe dicantur *matrimonium*; quomodo ergo absque grandi ſacrilegio, atque iam *contractæ ſponſionis violatione* ad terrenas nuptias tranſire poterunt? *Adulterii* hos incuſant patres *concil. Duziacenſ. II. loc. ſupr. cit.* hoc autem ex *ſacramenti profanatione* ſacrilegium in eccleſia Romana conſtituere,

quod a monachis æque ac monialibus obſeruandum.

nec iis matrimonium ineundum cum laicis

1) propter votum.

2) propter myſticas cum eccleſia contractas nuptias.

tuere, ſupra probatum dedi. Vt taceam, per *coniugium* ſpeciatim a monialibus violari *benedictionem*, ipſis a ſacerdotibus impoſitam, per quam ſumto *velamine peculiarem qualitatem* & *characterem* accepiſſe creduntur, vt docet BASNAGE *diſſertat. de virgin. ſacr.* inſerta *tom. II. annal. eccleſ.* qualis character eo magis venerandus, quo magis moniales cum *miſſa S.* conſecrari debent, vt referunt capitula THEOD. *epiſc. Cantuar.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p.* 1772. Immo ne quidem ritus ſolennis benedicendi vel veſtiendi moniales, quem das Einkleiden vocant, neceſſarius eſt, quum *ad altare* eas eſſe *oblatas* ſufficiat, adeo, vt ad minimum inter *nouitias* referendæ ſint, quæ, vt loquuntur patres in Synodo Romana apud HARDVIN. *tom. I. concil. p.* 1033. *licet nondum ſint in Chriſto velatæ; tamen quia propoſuerunt, furtiuas nuptias contrahunt.* Conf. hac de re ſpecialis *epiſt.* LANFRANCI *Archiepiſc. Cantuar. tom. VI. concil. P. I. p.* 1184. Vides, non deeſſe eccleſiæ Romanæ ad hoc crimen inducendum rationes, quamuis pleræque petant id, quod eſt in principio, & fere vnice reſoluantur in *voti ſanctitatem*, eiusque *indiſſolubilem nexum*, de quo adhuc ſub iudice lis eſt.

3) propter benedictionem.

§. XC. Ceterum ex his, quæ protuli, patet, adhuc eo maius ex eorum ſententia *ſacrilegium* committi, ſi *duæ conſecratæ perſonæ*, votis poſthabitis, maritali amplexu ſe iunxerint, quum ſi, quod huc vsque de monialibus, *laicis* nubentibus, attuli, ad vtramque perſonam coniugatam adplicatur, inde *ſacrilegio* grauius pondus accedere dicatur. Videlicet a parte *clerici*, quod *manus ſuas, quibus ſacra myſteria frangit, polluerit*, quæ ſententia videtur eſſe SYRICII *Papæ in epiſt. I.* relata ab HARDVIN. *tom. I. p.* 874. *c.* 7. a parte *monialis* vero, quod *membra Chriſti faciat meretricia*, ceu paſſim in conciliis patres edixiſſe obſeruaui. Hæc ergo abſque dubio in cauſſa fuerunt, quod (1) in monachos, *ſibi ad inuicem mulieres fornicarias aut concubinas procurantes*, grauius quid conſtituerint, vt patet ex *ſtatut. ſynodal.* NICOLAI *epiſcop. Andegau.* apud D'ACHERIVM *ſpicileg. tom. I. p.* 729. *nou. edit.* 2) quod omnem cum *monialibus* conuerſationem iis prohibuerint, *neminique* canonicorum aut *monachorum*, inconſulto epiſcopo, aut ipſi epiſcopo abſque ſacerdotibus ad *monaſteria monialium* extra caſum *neceſſitatis* aut *celebrandæ miſſæ* acceſſum fecerint, referente HARDVIN. *tom. IV. concil. p.* 860. & 1323. nec non monialium introitum ad monaſteria regularium monachorum admo-

multo minus matrimonium inter monachum & monacham ſubſiſtit.

Inde a) acriter contra clericos concubinas ſibi procurantes ſtatutum: b) monialibus omnis cum clericis conuerſatio interdicta.

 dum

RIVS *in instit. iur. eccles. P. II. c. 22. §. 3.* Possessionem quidem *benefi- cii vacantis* adprehendere licet, iure suffragante, *debito* tamen *modo* & *tempore;* alioquin *intrusio* per *sacrilegium* facta dicitur, veluti δ) qui sola *praesentatione* contentus occupat ecclesiam sine *institutione* episco- pi: *c. 21. X. de iure patron.* ε) qui in Gallia eam occupat obtenta bulla papali, sine *approbatione episcopi*, quam *visa* vocant, de quo more consulendus est ANTON. DESPEISIVS *tom. III. oper. p. 433.* ζ) *qui la- borantibus clericis ac religiosis in extremis, beneficia possidentibus excubias faciunt, & ante eorum obitum ecclesias vel domus eorum inuadunt, occu- pant, in eas se introducunt, ac quandoque eas cum armatis detinent ob- sessas*, quo facere solent, vt impediant, quo minus expectantes aposto- lici, & alii forsan auctoritate ordinaria canonice instituti, possessio- nem eorum beneficiorum nancisci valeant, quales intrusiones *concil- lium Andegauense de anno 1448. tom. IX. concil. p. 1350.* ad *sacrilegia* refert, quod etiam confirmat papa GREGORIVS VII. *lib. 7. epist. 19. tom. VI. concil. p. 1441.* Denique η) quia absque ecclesiastica autoritate per *lai- calem potentiam* in beneficia se faciunt intrudi. vid. *concil. Lambethense de anno 1261. tom. VII. concil. p. 538.*

δ) qui ex sola praesentatione occupat ecclesiam: ε) vel in Gallia absque consensu episcopi: ζ) qui ante obitum clericorum aegrotantium se intrudunt in beneficia ecclesiae: η) qui per laicos eorum possessionem acquirunt: ϑ) qui vltra vitae necessaria de bonis ecclesiae pascuntur.

§. LXXXII. Olim quoque ϑ) singularis *sacrilegii* species ab iis perpetrari dicebatur, qui vltra vitae necessaria & indigentiam de bo- nis ecclesiae pascebantur. Constans ecclesiae dogma erat, bona eccle- siae esse *patrimonium pauperum*, hisce alendis pascendisque primario destinatum, adeo, vt clerici iisdem frui aliter non possent, quam ex capite *indigentiae* per modum *eleemosynae;* neque enim bona inter cle- ricos diuisa, aut olim ad *beneficia stata* redacta erant, sed in communi ea possidebat ecclesia. Hac ratione ductus ita censuit HIERONYMVS in *c. 6. C. 1. qu. 2. clericos illos conuenit ecclesiae stipendiis sustentari, qui- bus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui a bonis pa- rentum & opibus suis sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, SACRILEGIVM profecto committunt, & per abusum talium iudi- cium sibi manducant & bibunt.* Idem quoque ad *Nepotian. de vit. cleric.* denuo hoc modo: *Amico quicquam rapere, furtum est. Ecclesiam frau- dare, sacrilegium est. Accepisse, quod pauperibus erogandum sit & esu- rientibus plurimis, vel cautum esse velle vel timidum, aut, quod apertis- simi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium praedonum crudelita- tem superat.* Adhuc Seculo IX. eadem in sententia substitit BENE- DICTVS III. *in priuil. Corbeiae de anno 855.* apud ACHERIVM *tom. III. spicileg. p. 344. nou. edit. (in vet. tom. VI. p. 395.)* & de hac re ita cen- suit:

fuit: *Clericorum, qui de propriis abundant reditibus, communicatio prohibetur cum eis, quae conferuntur ecclesiis.* Et *p. 346. nou. edit.* (vet. p. 397.) *Qui sunt enim, qui sanctuarium Dei de hereditate possidere dicuntur, nisi illi, qui res Deo dicatas & ad vsus pauperum seruorumque eius collatas, secularis potentia dominatu, non electionis gratia, quaerunt obtinere?* Idem praeceptum pluribus quoque inculcatur *in epistola* FVLBERTI *Carnutensis episcopi* apud EVND. *cit. l. p. 387.* his verbis: *pars SACRILEGII est, res pauperum dare non pauperibus. Magnum scelus est, res pauperum praestare diuitibus &c.* certissimo iudicio, tempore HIERONYMI, vnde dictus episcopus haec hauserat, supra dictam regulam adhuc in viridi fuisse obseruantia. Ergo sacerdotibus relictum erat tantum *ministrandi* officium, non *dispergendi* arbitrium, adeo vt, qui hoc vsurpare conabantur, *inuasores, praedonibus crudeliores, fures domesticos ac familiares inimicos* adpellauerint, vt ex *cit. l.* adparet. Alia testimonia collegit LANGIVS *de cura eccles. pro miser. & pauper.* quibus pietas maiorum optime illustratur. Sed postquam bona ecclesiastica in *patrimonium cleri* per *beneficia stata* transierunt, & *pauperum* esse desierunt, nemo amplius est, qui hodie in consumtione horum redituum *sacrilegium* quaerat. Ita, mutatis moribus, mutantur etiam iura, dogmata, sententiae. Potissimum haec mutatio facta, postquam bona ecclesiae *diuisa*, & in *beneficia stata* & *perpetua* transformata sunt, quae *officio sacro* cohaerent, & a possessore eius percipiuntur, non habita ratione, vtrum indigeant, nec ne? Sunt enim haec beneficia instar *salarii*, & sic eodem *titulo* secundum *regulas iuris* percipi possunt, quo alia salaria, officiis secularibus destinata, quod olim secus erat.

hodie autem non amplius attenditur.

§. LXXXIII. Notum praeterea est, quod praeter *beneficia* clericis variae *immunitates* debeantur, maxime intuitu *onerum publicorum* & *iurisdictionis secularis*, quas iuri diuino tribuit BONIFACIVS VIII. *in c. 4. de cens. in 6to.* assentientibus patribus Tridentinis *sess. XXV. de reform. c. 20.* quam sententiam tamen sub censuram reuocaui *tom. III. tit. de immun. eccles. §. 50. seqq.* Posita hac sententia non potuit non violatio huius immunitatis *sacrilegium*, quod (XV) IMMVNITATIS adpellari potest, inducere, excommunicatione, vel interdicto loci expiandum. *c. 4. cit. c. 3. de immun. eccles. in 6.* CAROL. de GRASS. *de effect. clericat. eff. III. n. 145.* Hoc modo pontifices sententias & principia quaeuis in suum commodum & vsus conuerterunt, & nuda hominum inuenta, principum priuilegia, vel somnia ISIDORI sub

(XV) sacrilegium immunitatis.

iuris diuini larua in ſcenam produxerunt, atque credulo obtruſerunt orbi. Hæc qui conuellit, turbat, atque ludibrio habet, *ſacrilegus*, immo *infamis ſacrilegus* eſt, non *ſimplex*. In *Synodo Treuirenſi de anno 1548. tom. XI. concil. p. 1077.* eccleſiæ iura inuadere & ipſius cleri priuilegia violare, *ſacrilega violentia* vocatur, inquiſitione digna, vt tandem *hoc genus luporum a ſacrilego aucupio conquieſcat.* Inprimis vero, qui *angarias* vel *indebitas penſiones* exigunt de rebus eccleſiæ vel clericorum, *ſacrilegium* committere dicuntur IVONI *epiſt. 71.* & HINCMARO *in quatern. ad Karol. regem tom. V. concil. p. 1335.*, quippe quod continet *malitiam contra Dei eccleſiam* ex mente INNOCENTII III. in *c. 7. de immun. eccleſ.* ALEXANDRI III. *in c. 1. eod. in 6.* atque BONIFACII VIII. *in c. 3. eod.* anathemate plectendum tam diu, *donec transgreſſores atque fautores ſatisfactionem impenderint competentem.* Tam ſancta enim tamque venerabilis atque illibata debet eſſe *ſacerdotum autoritas* laicis, vt qui vel in eorum præſentia falſa tantum protulerit, *ſacrilegii procul dubio crimen incurrat*, vt *concilium Orborienſe de anno 1062. tom. VI. concil. P. I. p. 1121.* cenſuit; quidni ergo ſacrilegium incurreret, qui *immunitates* eorum inuadere atque violare auſus fuerit? Priuilegiis porro clericalibus inprimis accenſetur *immunitas a iurisdictione ſeculari*, quam itidem *iuri diuino* adſcribere maluerunt, vt transgreſſores eius terrore *ſacrilegii* percutere poſſent. Etenim in *concil. Senonenſ. de anno 1269. c. 5. tom. VII. concil. p. 650.* attentatum hoc dicitur *graue nimis & diuini plenum animaduerſione iudicii*, *quod aliqui laici falcem in meſſem Domini ſacrilegis auſibus ingerentes perſonas eccleſiaſticas ſuis ſubiiciendo iudiciis in periculum fidei eccleſiaſticam moliuntur ſubiicere libertatem.* Hoc ſacrilegium in laicis excommunicatione, in clericis vero, qui ſponte ſe iudiciis ſecularibus ſubiiciunt, *amiſſione cauſſæ* plectitur, ſi locum ſuum maluerint retinere.

[Margin: quod in ſpecie committunt, qui angarias vel indebitas penſiones ab eccleſiis exigunt, vel laici, qui clericos ſuæ iurisdictioni ſubiiciunt.]

§. LXXXIV. Nec tantum clerici ſingulari ſanctitate gaudent, ſed etiam *res* & *patrimonia* eorum, adeo, vt a ſacrilegio immunis eſſe non credatur, qui ad ea *manus ſacrilegas* extendit. Inde (XVI) noua emergit ſpecies SACRILEGII RERVM videlicet CLERICALIVM, quum, qui eas inuadit, in ipſos clericos iniurius eſſe cenſeri debeat. Res atque bona clericorum eccleſiarumque iam olim a laicis ſæpiſſime poſſeſſa fuiſſe, dilucide declarant conciliorum atque antiquitatum monumenta, quæ nobis ſuperſunt. Non tantum in Italia atque Germania, ſed etiam in Gallia clericorum patrimonia, laicis

[Margin: (XVI) ſacrilegium rerum clericalium.]

ex

ex regia largitate concessa, imo ab ipsis imperantibus si non integra, magna tamen ex parte vel sibi ipsis vel fisco addicta fuisse, quis est qui nesciat? Sane de CLOTARII Regis edicto testatur GREGORIVS TVRONENSIS *lib. 4. c. 2. hist. Franc. omnes Galliæ ecclesias sub huius regimine ad tertiam fructuum partem fisco exsoluendam obstrictas fuisse:* vt taceam alias donationes atque concessiones laicis ex bonis clericalibus adscriptas, quas hi æquo animo ferre non poterant, sed sub *sacrilegii*, vtpote criminis grauioris specie, laicos ab eiusmodi præsumtione deterrebant, vel ex earundem possessione deiiciebant, vt tot conciliorum fulmina abunde testantur, quorum plura collegit, & hoc sacrilegium speciatim ex moribus ecclesiæ Gallicanæ illustrauit IOANNES FILESACIVS *in operum theol. tract. de sacrilegio laico.* Inprimis vero hoc crimen incurrunt, *qui in res & bona Cardinalium manus violentas ausu sacrilego iniicere non verentur*, maxime si Cardinales conclaui inclusi sunt, quod sub grauissimis censuris prohibitum in *concil. Lateranens. V. anno 1517. tom. IX. concil. p. 1846.* Vtrum vero hoc facinus ad eos, qui quorumcunque clericorum bona auferunt, adplicari possit, interpretes iuris canonici in dubium vocarunt. SPERELLVS *decis. 135. n. 94.* tale furtum ad *quasi sacrilegium* refert. FARINACIVS vero in *pr. crim. qu. 172. n. 54.* hoc simpliciter negat. Priori sententiæ quodammodo subscribit ZIEGLER. *ad Lancellot. lib. IV. tit. 5. §. 6.* si quid ex domo episcopi ablatum. *Forte etiam*, ait, *ille sacrilegium committit*, *qui ex domo episcopi aliquid suffuratur. Concessum enim est isti domui ius ἀσυλίας, perinde vt ecclesia. Tam ample scilicet fimbrias suas dilatarunt personæ ecclesiasticæ.* Ergo sacrilegium committitur, non quod bona episcopo ablata, sed quod ἀσυλία violata fuerit, quæ *ædibus episcopalibus* debetur per *c. 36. C. 17. qu. 4.* quod olim intra XXX. passus circa ecclesiam cathedralem ædificatæ fuerint, cui ambitui *immunitas* concessa est, quamuis hodie indistincte hisce ædibus ἀσυλίαν concedant, vt docet MICHAEL ANGELVS DONATVS *de Asylia resol. 53. n. 4.* Ceterorum clericorum bona propria qui rapiunt, magis *simplex furtum* committunt, nisi 1) itidem *intra XXX. passus* circa ecclesiam collocatæ fuerint: 2) decedentium bona spoliata fuerint. Vsitatum enim olim erat, bona decedentium diripere, vt quasi res nullius occupantibus cederent. Ius *spoliorum* vel *exuuiarum* inde natum, quod olim imperatores in bonis prælatorum exercuere. In hos itaque, *qui de bonis & rebus clericorum decedentium ausu sacrilego aliquid auferunt*, con-

quæ a laicis possideri nequeunt,

quorumcunque clericorum bona auferentes, vtrum sint sacrilegi an fures? fluctus doctorum.

ius spolii in aliis est sacrilegium,

constituta est pœna excommunicationis in *concil. Colon. de anno 1266. c. 7. tom. VII. concil. p. 565.* Inprimis *in concilio Trosleiano de anno 909. c. 14. tom. VI. concil. P. I. p. 541.* hic mos admodum reprobatus est. *Quanquam superius*, aiunt patres, *de sacrilegis inter nos sermo sit habitus, vbi ex parte ostendimus, quam graue sit illud facinus, & qua pœna iure plectatur sacrilegus; tamen quia inter nostrates hic pessimus inoleuerit mos, vt defuncto ecclesiæ episcopo mox a quibuscunque potentioribus peruadantur res ecclesiasticæ, quasi episcopo fuerint propriæ, cum etiamsi eius essent, contra omne ius id fieret, hoc tam immane sacrilegii facinus etiam sæpius factum scientes dolemus - - - & nunc omnibus notum fieri, ducimus, quatenus nullus audeat tantum scelus perpetrare sacrilegii.* Ea de caussa quoque idem *ius spoliorum* redarguit, & illud ipsum, quod *impium & sacrilegum facinus* vocat, prohibuit LEO IX. *epist. 9. ad Auximan. tom. VI. concil. P. I. p. 963.* His proinde inuasoribus anathema dictum est in *concilio Claramontano* apud GRATIANVM in *c. 46. C. 12. qu. 2.* non tantum, si bona episcoporum, sed aliorum quoque decedentium clericorum diripuerint, quos disertis verbis *sacrilegos* vocat WILHELMVS episcopus Patauiensis *tom. VI. concil. P. 2. p. 1722.* canonem prædictum referendo. Confirmauit easdem sanctiones HADRIANVS IV. *in epist. 41.* constituitque, vt spoliator eiusmodi, *tanquam sacrilegus fidelium communione priuatum, & vinculo se nouerit excommunicationis adstrictum.* Verum quod sacrilegium in aliis improbauit coërcuitque curia Romana, in *pontifice* adprobauit, eique *ius spoliorum* addixit, vt *iurium spoliorum* collectores tradiderunt. Ita quod aliis probrosum, sacrilegum, impium; pontifici permissum: quod in aliis nefandum facinus existimatur, pontificis solius *regale* censetur, immo metu *sacrilegii* imperatores, reges, aliique ab hoc iure vel ideo remouendi erant, quo pontifex illud in rem suam vertere posset.

non autem in pontifice.

(XVII) sacrilegium monasticum.

§. LXXXV. Clericis vulgo annumerari *monachos*, & *sanctimoniales*, vt *personas spirituales*, noto notius est, quem *nouum statum* vbi induerunt, noua (XVII) sacrilegii species inde enata est, quam SACRILEGIVM MONASTICVM dicere liceat, quod vel in *monachos* & *sanctimoniales*, vel ab his contra *vota* committitur. In monachos & sanctimoniales illud committitur 1) manus in eos coniiciendo, quum etiam hi gaudeant priuilegio *can. si quis suad. diab.* vt censuit INNOCENTIVS III. *epist. 268. lib. I. in f.* edit. BALVZ. & illustrat CAROLVS de GRASSIS *de effect. cleric. eff. 9. n. 71.* adeo vt etiam

In monachos committitur 1) manus in eos iniiciendo

etiam *nouitii* eodem gaudeant iure, *c. 21. de sent. excomm. in 6.* quum quatenus *monastice* viuunt, eatenus inter *clericos* referri soleant. Immo huc in genere collocantur, qui monachos vel monachas *crudeliter persequuntur*, vt docet *breue* HADRIANI VI. *ad Fridericum Saxon. duc. tom. IX. concil. p. 1906.* quia ex *qualicunque violatione* sanctitati ipsis inhærenti aliquid decedere credunt. Hoc *sacrilegii* crimen, vtrum tali violatione veteres in *monachos* committi existimauerint, vel inde dubium est, quod olim non *clericorum*, sed *laicorum* numero adscripti fuerint, maxime quum vitam monasticam adhuc ex *arbitrio* vel agerent vel negligerent, quod specialius explicaui *in iur. eccles. tom. III. tit. de regul. & transeunt.* Nihilo tamen minus, quia ex plerorumque *patrum* sententia vitæ ac fidei *sanctum institutum* pro scopo habere credebantur, non dubitarunt, tandem eos *clericis*, quos *sanctos* & *spirituales* dixere, aggregare, & priuilegia *horum* personis competentia iis adplicare, vt docet GRATIANVS *c. 29. C. 16. qu. 1.* & HARDVIN. *tom. I. concil. p. 851.* Hac *clericali dignitate* postea inter ceteros laicos eo facilius fulgere poterant, ex quo *regulis* monasticis *stricte* se submittere tenebantur. Vnde etiam hodie, siue reuera fratres *chori* sint, siue tantum *ministrent*, & res monasterii *curent*, quos etiam INNOCENTIVS III. *in c. 10. in f. X. de sepult. conuersos* vocat, merito ex sententia canonistarum iure *clericorum*, quoad *violationem* erunt censendi. Ceterum ratione *personarum*, quæ *vitam* ac *virginitatem* Deo dicant, 2) hoc sacrilegium ii committere dicuntur, qui *sanctimonialem* adhibita *vi rapiunt*, & sic eius *statum spiritualem* lædunt, crimineque polluunt. *c. 2. C. 36. qu. 1.* Sufficit autem *sola manuum iniectio*, etiam absque *animo libidinem* exercendi, quum talis virgo per *consecrationem* a laicis separari, & res *sacra* fieri dicatur, adeo, vt sicut cuiuscunque rei consecratæ *contactus*, ita etiam *raptus* ingens sacrilegium constituat. Hoc si verum est, non inique censuit ZIEGLER. *ad Lancellot. ad tit. de adult. §. 6.* COELESTINVM III. huius criminis se reum fecisse, quod ille *monialem*, e monasterio raptam, HENRICO VI. in *matrimonium* collocauerit. Aut ergo hoc non est *sacrilegium*, aut Papa grande crimen committere potest; quorum alterum affirmare tamen pontificii absque *sacrilegio* non poterunt, sed potius pro excusando hoc facto ad *dispensationem in voto* confugient. Crescit autem hoc crimen, si virgo simul in *raptum* consentiat, & sic, *voto monastico* posthabito, monasterium voluntarie deserit,

vel eos persequendo,

quod antiquitus obtinuit,

& etiam hodie obtinet.

2) sanctimoniales rapiendo,

quod tamen Cœlestinus papa ipse perpetrauit.

rit, quo casu quia ab vtraque parte peccatur, *sacrilegium duplex* ex sententia iuris canonici adesse videtur, vt postea euincam.

3) easdem matrimonii caussa rapiendo.

§. LXXXVI. Multo magis autem 3) *sacrilegium monasticum* committitur, si raptus monialium ad *libidinem restinguendam*, vel ad *matrimonium cum iis ineundum* perficitur, contra quod ecclesia Romana vbique grauissima pœnarum fulmina emisit. Censet etenim, virginem monialem per *votum Christo spiritualiter nupsisse*, adeoque per concubitum cum ea *adulterium & sacrilegium* committi. *Nullum* ergo est matrimonium cum moniali contractum, dissoluendum potius, quam tolerandum, quum eiusdem vir *non sit maritus, sed turpis adulter & sacrilegus*, vt edixere patres in *concilio Turonens. II. in f. de anno 567.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 374.* vid. BALVZ. *capitul. Reg. Franc. tom. II. tit. 23. c. 5.* Huius matrimonii exempla referunt BARONIVS *ad ann. 826. n. 61.* & GODEAV. *dans l'histoire de l'eglise ad eund. an. tom. VI.* Alterum de Imperatore MICHAELE, qui post mortem coniugis *Theodoræ*, *Euphrosinam* monialem in matrimonium duxerat: alterum de alio *duce Siciliæ*, eodem modo connubium ineunte, atque ea inter maxima scelera atque *fœdera sacrilega* referunt. Immo extra matrimonium *quælibet consuetudo* carnalis cum *moniali* peculiare hoc *sacrilegii* crimen constituit, diuersum in hoc a *stupro simplici*, quod in eo concurrat *personæ Deo consecratæ sanctitas*, simul nefandissime violata. *c. 37. C. 27. q. 1.* Hanc *sacrilegii* labem non agnoscunt antistites nostrarum ecclesiarum, testibus ZIEGLERO *ad Lancell. tit. de adult. §. 6. n. 345.* & LINKIO *ad decretal. lib. V. tit. 17. §. 7.* quod nec vota nuncupent, nec Deo consecrentur singulariter virgines, & ita *monasticam vitam* cum *coniugali* commutare possint, prout experientia docet. Ceterum quia Catholici hoc crimen maxime ex *sacri characteris violatione* æstimant, non præcise concubitus est necessarius, sed sufficit *velaminis habitusque, Deo dicati, detractio*, suo iam tempore id docente TERTVLL. *de virgin. vel. c. 3. in f.* Imo quod maximum est, solus *conatus* cum sanctimoniali concumbendi respicitur, grauissimis pœnis coercendus. vid. *l. 5. C. de episc. & cler.* quæ desumta ex *l. 2. C. Theodos. de raptu virgin.*

hoc etiam simplex stuprum pertinet,

& solus conatus sufficit.

4) manus in Abbates iniiciendo,

§. LXXXVII. Ad monachos merito refero *Abbates*, & *Abbatissas*, rectores & quasi præceptores monachorum, vt hi nutu ac præcepto eorundem degant, vitamque monasticam ex regulis præscriptis instituant. In hos ergo qui 4) *manus iniecerit*, vel eos *occiderit*, quin sacrilega contagione sese maculet, quis est qui dubitauerit?

quum

quum multo magis hi gaudeant priuilegio canonis: *si quis suadente diabolo*, scribente INNOCENTIO III. *lib. I. epist. 323.* vid. HARDVIN. *tom. VII. p. 663.* Multo magis ergo hoc crimen incurrit 5) qui *monasteria* ipsa rapiunt, sibique subiiciunt ex sententia S. BONIFACII *in epist.* relata *tom. III. p. 1950.* vel in genere, qui monasterii *priuilegia confundere*, & ad irritum deducere nituntur; conf. *tom. VI. P. I. concil. p. 684.* quod ita per indirectum ipsi monachi violati censeantur, contra quos turbatores iam insurrexit GREGOR. *lib. VII. epist. 33. Ind. I.* Omitto plura addere exempla, & maxime illud, quod in *secularisatione*, quae contra voluntatem cleri maioris facta est, se reperisse arbitrantur, de qua suo loco agendum.

5) ipsa monasteria rapiendo eiusque priuilegia confundendo.

§. LXXXVIII. Atque haec potissimum de *laicis*, sacrilegio sese erga *monachos monachasque* maculantibus. Verum etiam hoc crimen ipsi *monachi* incurrunt, quando *vota* a se nuncupata deserunt, abiiciunt, aut quomodocunque *impietatis* accusant. Vota principaliter tria praestare solent, *obedientiae* scilicet, *castitatis*, & *paupertatis*. Contra prius ii peccare censentur, qui ex monasteriis simpliciter profugiunt. Hi speciatim *extra obedientiae iugum & ordinis sui obseruantiam* constituti dicuntur in decretis *concilii Coloniensis II. de anno 1549.* apud HARDVIN. *tom. IX. p. 2099.* & per eadem decreta ab vllo, vel episcopo, vel abbate, suscipi prohibentur. His multo magis accensentur, qui *sanctam & monasticam* vitam cum *seculari* commutant, atque, abiecta *cuculla* vel *vestibus sacris*, e monasteriis egrediuntur, quippe qui etiam peccant contra votum *stabilitatis*, quod olim *regulae* BENEDICTI primarium caput erat, vt docet FLEVRIVS *tom. VII. hist. eccles. p. 783.* Triplici ex caussa hi *sacrilegio* se contaminant, tum quod per *habitus monachalis* abiectionem insignem despectum edere, eumque violare credantur, quem tamen sciunt *sanctum*, ac *consecratum*, imo *angelicum habitum* esse, vt scribit WILHELMVS *abbas in epist. V.* relata a MABILLONIO *inter veter. analect. p. 458. ed. Paris.*; tum, quod contra *votum obedientiae* abbatum inspectioni sese subducant, & ita *DEO*, vt existimant, *promissa*, non adimpleant: tum denique, *mundo & diabolo*, *quibus semel per votum abiurarunt*, *se reddere*, & sic ex neglectu sancta instituta violare existimentur, vt rationes subducit HADRIANVS VI. *in breui ad* FRIDERICVM I. apud HARDVIN. *tom. IX. p. 1903.* Atque ex his rationibus sine dubio inducti fuere patres, vt omnes monachos *profugos* adpellauerint *sacrilegos*, ceu patet ex decretis *concilii Colon. II.* apud HARDVIN. tom.

committitur etiam monachis ipsis peccantibus:

α) contra votum obedientiae,

quorsum pertinent monachi profugi,

ex triplici ratione.

tom. IX. concil. p. 2098. & 1939. quod ſpeciatim ad LVTHERVM, votum monaſticum deſerentem & flocci pendentem, ex principiis papalibus adplicauit HARDVINVS in *ſupr. cit. breu. ad* FRIDER. I. quae merito repudiauimus.

β) contra votum caſtitatis,

§. LXXXIX. Praeſtant vero praeterea monachi votum *caſtitatis*, atque eo ipſo *connubio* renunciant, eoque reſpectu ſanctimoniales *virginitatem Deo ſpondere* dicuntur in *c. 37. C. 27. qu. 1.* Toties ergo haec vota rumpere, & *ſacrilegium* committere dicuntur, quoties carnales amplexus non ſolum optant, verum re ipſa in actum deducunt, cenſente SIRICIO *Papa* apud MABILLONIVM *in vet. analect. p. 140. edit. Pariſ.* Hanc ob cauſam occaſionem quamuis, ad eiusmodi ſacrilegam contagionem contrahendam, illis ademerunt Patres, ne *ſub praetextu monaſterii* etiam tale crimen perpetrare poſſent. Docet hoc *c. IX. Synodi S. Patricii de anno 450.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 1791. Monachus & virgo vnus ab hinc, & alia ab aliunde, in vno hoſpitio non commaneant, nec in vno curru a villa in villam diſcurrant, nec aſſidue inuicem confabulationem exerceant.* Multo minus ſecundum *c. 47. concil. in Trullo* habiti apud HARDVIN. *tom. III. p. 1679. vir in mulierum, aut mulier in virorum monaſterio dormiat. Aequalem* enim in monachis ac monialibus requirunt *caſtitatem*, quippe quae, docentibus patribus, in maximo pretio cuique eſſe debet, vt vel AMBROSII *exhortatio virginitatis* teſtatur. Hanc vero per *ſtuprum* ſimplex pariter ac per *matrimonium* violari, & ita in vtraque commixtione *foedera ſacrilega* adeſſe, tradiderunt. Ita cenſuere patres in *concil. Duziacenſ. II. de anno 874.* apud HARDVIN. *tom. VI. P. I. p. 154.* idemque repetiere in *concil. Triburienſ. de anno 895. p. 446.* conf. *tom. I. p. 154. & tom. II. p. 963.* Aiunt, vouiſſe monachos monachasque caſtitatem, atque *virginitatem per votum Deo pactas* fuiſſe, ceu loquuntur patres in *concil. Eliberitan. de anno 313. cit. l. p. 251.* in eum ergo iniurios fieri, ſi *pacti* immemores nuptias vel concubitum anhelarent. *Nam ſi humana pacta non poſſunt impune calcari, quid eos manebit, qui corruperint foedera diuini ſacramenti?* ita philoſophante LEONE II. *in epiſt. decret.* relata ab HARDVIN. *tom. I. p. 1764.* Quid? quod per illud votum cum *Chriſto* atque eccleſia *myſticum* iniiſſe dicantur *matrimonium;* quomodo ergo abſque grandi ſacrilegio, atque iam *contractae ſponſionis violatione* ad terrenas nuptias tranſire poterunt? *Adulterii* hos incuſant patres *concil. Duziacenſ. II. loc. ſupr. cit.* hoc autem ex *ſacramenti profanatione* ſacrilegium in eccleſia Romana conſtituere,

quod a monachis aeque ac monialibus obſeruandum.

nec iis matrimonium ineundum cum laicis

1) propter votum.

2) propter myſticas cum eccleſia contractas nuptias.

tuere, ſupra probatum dedi. Vt taceam, per *coniugium* ſpeciatim a monialibus violari *benedictionem*, ipſis a ſacerdotibus impoſitam, per quam ſumto *velamine peculiarem qualitatem & characterem* accepiſſe creduntur, vt docet BASNAGE *diſſertat. de virgin. ſacr.* inſerta *tom. II. annal. eccleſ.* qualis character eo magis venerandus, quo magis moniales cum *miſſa S.* conſecrari debent, vt referunt capitula THEOD. *epiſc. Cantuar.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 1772.* Immo ne quidem ritus ſolennis benedicendi vel veſtiendi moniales, quem das Einkleiden vocant, neceſſarius eſt, quum *ad altare* eas eſſe *oblatas* ſufficiat, adeo, vt ad minimum inter *nouitias* referendæ ſint, quæ, vt loquuntur patres in Synodo Romana apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 1033. licet nondum ſint in Chriſto velatæ; tamen quia propoſuerunt, furtiuas nuptias contrahunt.* Conf. hac de re ſpecialis *epiſt.* LANFRANCI *Archiepiſc. Cantuar. tom. VI. concil. P. I. p. 1184.* Vides, non deeſſe eccleſiæ Romanæ ad hoc crimen inducendum rationes, quamuis pleræque petant id, quod eſt in principio, & fere vnice reſoluantur in *voti ſanctitatem*, eiusque *indiſſolubilem nexum*, de quo adhuc ſub iudice lis eſt.

3) propter benedictionem.

§. XC. Ceterum ex his, quæ protuli, patet, adhuc eo maius ex eorum ſententia *ſacrilegium* committi, ſi *duæ conſecratæ perſonæ*, votis poſthabitis, maritali amplexu ſe iunxerint, quum ſi, quod huc vsque de monialibus, *laicis* nubentibus, attuli, ad vtramque perſonam coniugatam adplicatur, inde *ſacrilegio* grauius pondus accedere dicatur. Videlicet a parte *clerici*, quod *manus ſuas, quibus ſacra myſteria frangit, polluerit*, quæ ſententia videtur eſſe SYRICII *Papæ in epiſt. I.* relata ab HARDVIN. *tom. I. p. 874. c. 7.* a parte *monialis* vero, quod *membra Chriſti faciat meretricia*, ceu paſſim in conciliis patres edixiſſe obſeruaui. Hæc ergo absque dubio in cauſſa fuerunt, quod (1) in monachos, *ſibi ad inuicem mulieres fornicarias aut concubinas procurantes*, grauius quid conſtituerint, vt patet ex *ſtatut. ſynodal.* NICOLAI *epiſcop. Andegau.* apud D'ACHERIVM *ſpicileg. tom. I. p. 729. nou. edit.* 2) quod omnem cum *monialibus* conuerſationem iis prohibuerint, *neminique* canonicorum aut *monachorum*, inconſulto epiſcopo, aut ipſi epiſcopo absque ſacerdotibus ad *monaſteria monialium* extra caſum *neceſſitatis* aut *celebrandæ miſſæ* acceſſum fecerint, referente HARDVIN. *tom. IV. concil. p. 860. & 1323.* nec non monialium introitum ad monaſteria regularium monachorum admodum

multo minus matrimonium inter monachum & monacham ſubſiſtit.

Inde a) acriter contra clericos concubinas ſibi procurantes ſtatutum: b) monialibus omnis cum clericis conuerſatio interdicta.

 dum

c) monasteria puellarum a monasteriis monachorum longe separauerunt.

dum taxauerint: HARDVIN. *tom. X. p. 933.* 3) in genere *monasteria puellarum* longe a *monachis* separari constituerint, *propter insidias diaboli*, quibus carnale sacrilegium alias facile promoueri posset, vt existimauit INNOCENTIVS S. apud HARDVIN. *tom. II. p. 1001.* Verum si hæc institutorum ratio est: ipsi etiam patres in caussa fuerunt, quod ceteri clerici contra ea sæpius peccauerint, dum ab arctiori virginum consortio ipsi non alieni fuerint, vt ex aliquot locis ostendit B. THOMAS. *ad Lancellot. P. 3. p. 1554. in not. n. 495.* vid. *tot. tit. X. de cohab. cler. & mulier.*

γ) contra votum paupertatis. Huc pertinent monachi testamentum facientes,

§. XCI. Superest votum *paupertatis*. Vi huius tam monachos quam monachas *propriis bonis*, & *testamenti* de iis *factioni* renunciare debere, ex *tit. de pecul. cleric.* patescit. Huic voto contrauenientes, & ex *oblationibus*, vel rebus *ecclesiasticis* sibi quid comparantes, ingens sacrilegium commisisse dicuntur in HINCMARI *Archiep. Remens. cap.* apud HARDVIN. *tom. V. concil. p. 396. & in concil. Maghfeldens. de anno 1332.* apud EVNDEM *tom. VII. p. 1557.* Hoc multo magis dicendum, si sub *prætextu proprii* vel *alieni nominis* forte per testamentum fraudem fecerint, & ea, quæ ecclesiæ debebantur, malitiose subtraxerint, aliisque reliquerint, docente LANCELLOTTO *tit. de pecul. cler. §. 1. in f.* conf. GRATIANVS *in c. 1. C. 12. q. 3.* Rationem potissimum quærunt in *fracta* & violata *fide*, *per votum paupertatis* ecclesiæ facta. Et sicuti *votis* Deo quid principaliter *promitti* censent; ita non possunt non huius violationem atro *sacrilegii* carbone notare, quo eo magis monachos criminis magnitudine deterreant, ne de *thesauris* ecclesiæ aliquid interuertant, in quos sacrilegos pœna *denegatæ sepulturæ* constituta est in *c. 2. X. de stat. monach.* Hæc speciem non admittit ZIEGLER. ad *Lancellot. cit. l.* negatque sacrilegium adesse ex ea ratione, quod desit *res sacra*, quæ tamen hoc crimen qualificat. Hoc dubium tamen euitare potuisset, si obseruasset, pontificios hoc casu magis ad *votum*, quam ad *obiectum* respexisse; quamuis negandum non sit, ex eorum principiis etiam propter *bona ecclesiastica*, quæ *sacra* esse clamitant, monachos in hoc crimen incurrere.

nisi dispensationem a papa acceperint.

Interim tale sacrilegium declinare hoc prætextu solent, maxime *ordines militares*, quod per *indultum papale* dispensationem circa *testamenti factionem* contra votum impetrauerint, quale exemplum privilegii a GREGORIO XIII. in Hispania equitibus S. Iacobi de Calatraua & Alcantara circa *factionem testamenti* concessi ex MENDONE *de ordin. militar.* retuli *in iur. eccles. tom. II. tit. pecul. cler. §. 24.*

§. XCII.

§. XCII. Abundat vero ecclesiæ Romana *rerum sacrarum stricte dictarum* copia, quarum *profanationem* & *surreptionem* primario in hunc referunt censum, indeque (XVIII) SACRILEGIVM RERVM CONSECRATARVM conficiunt. Ideo vero omnis earum violatio *sacrilegium* ex mente ecclesiæ Romanæ operatur, quod per eandem *diuina qualitas*, ex ritu *consecrationis*, vel *benedictionis* tracta, polluatur, & veneratio iis debita destruatur, atque *cultus diuinus* per indirectum lædatur. Videlicet *consecrationem* in sacris ecclesiæ Romanæ adhiberi *tom. III. tit. 40. & 49.* fusius demonstratum est, quam ex *disciplina* veteris testamenti regustauit. Nam in Republica Iudaica *consecrationum* solennia sacra vsitatissima erant, imo ex *speciali* præcepto diuino determinata, non tamen in alium finem, quam vt sub his vmbris *spiritualia vera*, ad statum noui fœderis trahenda, adumbrarentur. Erat populus Israeliticus admodum rudis atque pertinax, per varia *schemata externa* in obedientia erga Deum retinendus, vt proinde vniuersus cultus infinitis *ceremoniis*, & intra has præcipue *consecrationis* ritu, mixtus esset, de quibus legendi SPENCERVS *de LL. Hebraeor. ritual.* SELDENVS de *Synedriis*, & HADRIANVS RELANDVS in *antiqu. sacr. vet. Hebr.* Quamuis autem diuina prouidentia hæc sapienter ordinauerit; nihilo tamen minus, obseruante LEYDECKERO de *republ. Hebr. libr. VIII. c. 3. §. 10. in not.* ingrauescente *superstitione*, consecrationi infinita virtus est adscripta, vt res *consecratas* absque insigni *crimine* violare non liceret. Principiis fere similibus imbuti erant gentiles, & ex idolorum multitudine sacra adeo cum *superstitione* auxerant, vt vnice *cultus sacri* ratio his absolueretur. Tandem vtriusque religionis mores assumserunt patres, & incaute ritus plures ex *iudaismo* & *gentilismo* retinuerunt. Palam itaque est, integrum *consecrationis* ritum non aliunde, quam ex more *Iudaico* & *gentili*, ad ecclesiam Romanam penetrasse: eo tamen maiorem meretur reprehensionem, quod *vmbras* veteris testamenti, per aduentum CHRISTI abolitas, absque vllo fundamento reuocauerit, nihil in contrarium facientibus BELLARMINI traditis, quæ ex asse expunxit HOSPINIANVS *de orig. templor. Lib. IV. c. 1. p. 383.* Cum vero ecclesia Romana inueteratis moribus inhærere, quam veritatem sequi gestiat; non mirandum, tot contra *consecrationis*, & sub ea latitantis *characteris diuini indelebilis*, violatores emanasse fulmina sub specie criminis horrendi, & speciatim *sacrilegii* commissi prodita, plenius euoluenda. Committi-

(XVIII) Sacrilegium rerum consecratarum.

Obiter ex consecratione in republica Iudaica.

Male ad tempora noui fœderis applicata.

Omnis violatio rerum sacrarum in genere hoc crimen gignit.

mittitur autem in *res hasce consecratas* sacrilegium *generatim* per *violationem* atque *profanationem* quamcunque, *speciatim* vero per earum *surreptionem*. Tribuunt Catholici *ecclesiis*, vel in genere rebus *consecratis*, ex singulari *diuina qualitate* & *virtute* indeque deducta *exemtione ab omni iure humano*, *sanctitatem internam*, qua posita, grauissimas pœnas contra eiusdem *violatores* ex capite *sacrilegii* sanxerunt, adeo, vt qualiscunque, etiam *minima* læsio, *characterem* rei inhærentem *cultu externo* prosequendum, violare, profanare, ingensque crimen constituere videatur. Hoc STEPHANVS papa *epistola* 2. suggerit: *quicquid in sacratis Deo rebus iniuste agitur, pro SACRILEGIO reputabitur*, quæ verba HINCMARVS *Rhemensis episcopus* in *epistola* ad CAROLVM *Regem Franciæ* repetit, apud HARDVIN. *tom. V. concil. p.* 1357. Iniuste autem omnis ille agere videtur, qui contra *legem* eiusque *interpretationem ecclesiasticam*, hoc est, ex mente *ecclesiæ Romanæ* intellectam, peccat. Hanc ipse clerus *constituit*, *restringit*, vel *extendit*, prout *ecclesiæ* vsibus expedire videtur, vt proinde qualiscunque actio, vtilitati ecclesiæ, per *clerum* repræsentatæ, non respondens, in *sacrilegii* crimen ex mente ecclesiæ Romanæ facile cadere possit. Eodem modo *violationem* rerum Deo & ecclesiæ vsibus consecratarum damnat THORNDICVS *in orig. eccles. p. 642.* eamque absque grandi *sacrilegio* fieri non posse contendit, iisdem fere subnixus rationibus, quibus PETRVS FRANCISCVS PASSERINVS *in tr. de pollut. eccles.* incessit. Non distinguunt Catholici, vtrum *publice*, an *priuatim* locus sit consecratus? quamuis priori casu *grauius*, posteriori *leuius* sacrilegium adesse constituant. Quid? quod huius criminis cancellos ex sola *violatione* in tantum extendant, vt ecclesiæ pollutionem *habitu* tantum, non *actu*, vt loquuntur, factam, graue non tantum *sacrilegium* esse, verum etiam in *corde* perpetrari, existiment. Conf. IDEM *cit. tr. disput. 1. c. 16. & 17.* Quocunque enim modo res consecrata lædatur, insignem *irreuerentiam* eo ipso in Deum *immediate* semper commissam esse censent, quod locus consecratus sit factus *res quodammodo diuina, & quasi peculiaris Dei possessio*, vt philosophatur PASSERINVS *cit. loc. disput. 1. c. 13. n. 3.* Tota hæc doctrina, vt ex verbis his PASSERINI patet, nil, nisi *superstitionem* sapit, quoniam ea, quæ etiam ethnici de fanis, templisque suis superstitiose constituerunt, suis sacris incaute sæpe applicant, atque sanctitatem vltra modum extollunt.

§. XCIII.

§. XCIII. Quæ hactenus ex iure *immunitatis* singulari de *rebus sacris* in genere adduxi, pro diuersis harum speciebus obseruationibus quibusdam illustrabo. Referuntur ad res sacras primo loco *templa*, cultui diuino singulariter *dicata*. Noti sunt harum consecrandarum ritus, *tit. de consecrat. ecclesiar.* in compendio relati, qui *sanctitatem internam* loco conciliant, vt ex effectibus, *consecrationi* propriis, patet, quos *cit. l. §. 44. seqq.* explicui. Non ergo mirum, quod huius *diuinæ* & *occultæ qualitatis læsæ* acerrimi vindices extiterint, & quoscunque eius *detrectatores* formidine criminis summi deterruerint pontifices, ne quid irreuerentius in templa attentarent. Etenim omnibus ecclesiarum euersoribus, violatoribus, profanatoribus atque in genere inimicis bellum indixere grauissimum, eisque *sacrilegii* notam aspserserunt, vt ex illis, quæ referuntur apud HARDVINVM *tom. IX. concil. p. 1231.* & VGHELLIVM *in Italia sacra tom. I. p. 663.* liquet. Postquam enim omne *peccatum*, in ecclesias commissum, *sacrilegium* inuoluere docuerunt, teste PASSERINO *de pollut. eccles. disput. 1. c. 13. n. 8. & 9.* multo magis earum *profanationem* tanquam *speciem* insignem *peccati* tam acriter notare debuerunt, quam obseruationem illustrat oratio GERARDI LANDRIANI *orator. Basileens.* apud HARDVIN. *tom. VIII. p. 1515.* & præfatio PETRI PECKII ad tractatum de *SS.* & *catholicis Christi ecclesiis reparandis ac reficiendis*, vbi inprimis Protestantes huius criminis reos esse clamat, qui tamen *superstitionem* tantum eradicarunt, vsum autem necessarium *ecclesiarum* conseruarunt, neque vnquam *sanctitatem externam* iis dubiam reddiderunt.

Inter res sacras quoad hoc crimen referuntur *a*) ecclesiæ.

§. XCIV. Est autem *profanatio* nomen *generale*, quod multos sub se *modos specialiores* comprehendit, qui ex sententia Romanæ ecclesiæ sub eiusdem criminis nomine venire solent. Referunt huc (1) *seminis emissionem* in *ecclesiæ* loco sacro peractam, quæ efficit, vt secundum *c. 3. D. 68.* & *c. fin. de consecr. eccles.* ecclesia hoc modo polluta iterum sit reconcilianda. Late hanc quæstionem tractant SANCHEZ. de *SS. matrim. Lib. IX. disp. 15.* PASSERIN. de *pollut. eccles. disput. 7. per tot.* docentque hunc actum impurissimum *sanctitati* loci aduersari, & si *voluntas* pariter, ac ipse *actus* accesserit, ingens crimen constituere. His deficientibus, sicuti alias *actus* dici nequit *voluntarius*; ita & hoc casu exceptionem a regula formant, prout exceptiones a PASSERINO *c. 2. & 3. cit. disput.* relatæ declarant. Quæ cum ita sint, omnis *consuetudo carnalis* huc est referenda, nullo habito respectu, vtrum

Quæ sacrilege pollui dicuntur per seminis emissionem ibidem peractam.

Quod variis obseruationibus illustratur.

vtrum cum *laica*, an vero cum *moniali* contracta; imo hoc posteriori casu ob *sacratae personae* concursum eo *grauius* adhuc censetur crimen, secundum ea, quae supra in medium proposui, & infra de *raptu* monstrabo. Equidem *stuprum* quodlibet, per se actus *illicitus* est atque *peccaminosus*, & exemplo copulae *adulterinae* locum multo magis sacrum ex mente *iuris canonici* polluit, atque sacrilegio maculat. *c. 5. X. de adult. c. 42. D. 1. de consecr.* Nequidem vero in hoc subsistunt. Etiam actus per se *liciti*, si in *loco sacro* committuntur, ex *loco* illiciti fiunt, vt ex *copula coniugum carnali, vel ventris exoneratione* intra ecclesiae ambitum patescit. Vtrumque sacrilegium specialiter exponit PASSERINVS, & prius quidem *cit. loc. c. 18. n. 3.* posterius vero *disput. 1. c. 18. n. 13. seqq.* iisdem pene rationum ponderibus, quapropter cum vna species ex altera facile explicari possit, omissa posteriori, priorem tantum ex *mente Romanae* ecclesiae explicabo. Etenim quod actus per se licitus *ex accidenti* ratione *circumstantiarum*, & sic etiam *loci*, in quo perpetratur, illicitus fieri possit, non negatur, quod etiam clare docet *c. 1. X. de immunit. eccles.* Cum itaque *loco sacro* diuina qualitas inhaerere dicatur, quid mirum? si idem ad cohabitationem coniugum, ex qua, etiamsi in ecclesia fiat, ad minimum seminis emissio *praesumitur*, applicarunt PASSERIN. *c. l. c. 17. n. 3.* Nec crimine etiam vacat, si in *contemtum loci* & ex *mera libidine* fiat, quod merito coercendum. Vnicum excludunt casum *necessitatis*, non tamen aliter, quam si coniuges ob belli infortunium, vel aliam calamitatem ecclesiae columnas amplecti, ibique cohabitare cogantur. *Necessitas enim*, ait IDEM *c. l. n. 9. tollit reuerentiam, tollit etiam omnem deformitatem ac culpam sacrilegii*, vt, eodem teste, consuetudo talis impune permittatur, siue fiat ad *procreandam sobolem*, siue etiam ad *delectationem* vel *incontinentiam* domandam, quamuis eam posteriori casu reprobet GEORG. SAVR. relatus a ZIEGLERO ad *Lancellottum §. fin. de sortil. & maled.* Reuera tamen haec sententia non satis cum *doctrina ecclesiae Romanae* cohaeret, cum si casus *necessitatis* a regula est eximendus, aliter ex eorum principiis eximi non possit, quam vt ipsa regula simul destruatur. Docent quippe pontificii, omnes actus ecclesiae pollutiuos & sic etiam *copulam carnalem* habere intrinsecam *malitiam*, & *indecentiam* cum loco sacro, ad hunc effectum, vt, etiamsi *lex positiua prohibens* deficeret, nihilominus *pollutio sacrilega* commissa sit. PASSERIN. *cit. l. disput. 1. c. 13. n. 5.* *Intrinsece* malum vel *sacrilegum* autem duplici ex ratione dici potest: (1) quod

ex

ex se & *sua natura absolute* tale est, licet deficeret dispositio humana: (2) quod *secundum quid* tale est, id est, quod posita aliqua institutione humana, v. g. *consecratione*, intrinsecam indecentiam cum loco sacro producit, etiamsi institutum illud humanum nulla lege *prohibitiua* sit munitum. Ad prius *copula coniugum carnalis*, quippe *in se* licita, referri nequit; ad posterius ergo, vt referatur, necesse est. Si autem hoc, quia copula tam in *casu necessitatis*, quam *extra eandem* in se, quoad *intrinsecam* & *substantialem essentiam*, eadem manet, falsam esse supra adlatam exceptionem: vel, si hæc vera, falsam esse necessario regulam oportet, quorum tamen alterutrum interpretes ex his suis principiis absque contradictione admittere nequeunt. Neque enim verum est, quod PASSERIN. *c. l. n. 8.* scribit: *intrinsecam malitiam copulæ carnalis ex necessitate alterari, ob id, quod iam deficiat contemtus virtualis, sub omni alia cohabitatione in ecclesia latitans, propter quem demum vnice n. 9. sacrilegam pollutionem contrahi* putat. Dum autem hoc contendit, eo ipso *contemtus* ad minimum *præsumti* rationem in *sacrilegio* supponit, cum talis cohabitatio omitti *possit*, & posita sanctitate interna, ex veneratione *debeat*. Ita vero reuera regula euertitur, quæ hæc erat, quod *posita consecratione* seminis emissio in loco sacro ex *sua natura* mala & sacrilega dicenda sit. Etenim ipse PASSERINVS non *voluntatem*, & consequenter nec *contemtum* hic spectari, sed etiam ab eo, qui *ignorauit* esse locum sacrum, eundem ex *macula morali* pollui pluribus propugnat *disput. 3. c. 9. n. 4.* contra ea, quæ *disp. VII. c. 2. & 3.* proposuerat. Vt autem ex his laqueis se extricet, inter sacrilegium *formale* & *materiale* distinguit, atque ex intimis *metaphysices* visceribus se defendit, hoc modo autem nil nisi contradictiones adfert, quæ omnia sane indicium malæ caussæ esse videntur.

§. XCV. His ita præmissis de ceteris actibus illicitis eo facilius iudicium ferri, & secundum ea examinari poterit, an & qua ratione *sacrilegium* inuoluant. Refert (2) huc PASSERIN. *disput. 5.* *homicidium* vel *vulnerationem* in ecclesia consecrata factam. Hæ species quidem per se in *graue crimen* incidunt, *maius* autem pro ratione circumstantiarum constituunt, quoties per eas simul locus *consecratus* dehonestatur. Aestimantur autem hæc sacrilegia ex *sanguinis effusione voluntaria*, quæ sanctitatem loci commaculare censetur, ita tamen, vt in *cædem* commissam, ob vitæ spiritusque *totalem* priuationem, tanquam tetrius atque atrocius factum, grauiores pœnæ S. canonibus sint constitutæ. Denegata enim est homicidis *dolosis* immu-

Idem dicendum (2) de homicidio in ecclesia perpetrato.

nitas ecclesiastica, seu, quod idem est, *ius asyli.* Euellendi potius sunt ab altari, & brachio seculari ad pœnam promeritam tradendi, secundum *c. 1. X. de homicid.* Merito ergo hi delinquentes vltimo adficiuntur supplicio, etiam ex sententia HIERONYMI, relata ab HARDVINO *tom. III. p. 1960.* & a GRATIANO in *c. 32. C. 23. quaest. 5. Homicidas & sacrilegos punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.* Ita quidem *ex rei veritate* ratiocinatus est HIERONYMVS: sed vereor, ne principiis *Romanae*, atque *primitiuae ecclesiae* aduersetur. Etenim secundum hæc *clerici* pro criminis reis apud iudicem *intercedere* tenentur, ne pœna *sanguinis*, quem *ecclesia* non sitit, afficiantur, id quod etiam AVGVSTINVM in homicidio fecisse patet ex *c. 1. C. 23. qu. 5.* & supra *tit. de homicid.* plenius est euictum. At si ex sententia HIERONYMI sanguinis effusio in puniendis his sacrilegis deest, vel ad minimum ex *criminis atrocitate* deesse fingitur, nec etiam in hoc crimine *intercedere* tenebitur ecclesia, quæ tantum, vbi de *sanguine effundendo* agitur, officio suo fungi debet. *cit. c. 1.* Et tamen praxis quotidiana docet, in nullo crimine magis *intercessionis huius* rationem haberi, quam in *homicidio*, & quidem secundum eorum principia recte, quia vbi illud pœna *capitali* plectitur, reuera *sanguinis effusio* concurrere debet.

Locus Hieronymi illustratus.

§. XCVI. Vlterius (3) PASSERINVS ad ecclesiarum sacrilegam pollutionem refert *sepulturas* tam *infidelium* quam *excommunicatorum*, qui speciatim *extra gremium ecclesiae constituti* censentur, de quibus peculiari tractatu egit RICCIVLLVS *de iur. person. extra grem. eccles. constit.* His in genere *ecclesiasticam sepulturam* denegant, siue ea fiat in *cœmeteriis*, siue in ipsa *ecclesia*, cum illis *benedictio*: huic *consecratio* debeatur, atque inde *diuinae gratiae* atque *qualitatis* vtrique loco quid concilietur. Expresse hoc est constitutum in *synodo Claramont. de anno 1268.* apud HARDVIN. *tom. VII. concil. p. 606.* atque repetitum in *synodo Santonensi de anno 1282.* apud EVNDEM *cit. loc. p. 883.* præterea etiam in *concil. Cameracens. de anno 1586. tit. XIII. c. 1.* apud EVNDEM *tom. IX. p. 2165.* aliisque innumeris præceptis confirmatum, quæ omnia congerere non vacat. *Ecclesiasticae sepulturae* tantum capacees censentur *fideles*, pro quibus *preces* & *oblationes* post mortem tantum fieri possunt, vno verbo, *quorum inter se viuentium est communio.* Quibus e contrario *viuis* non communicatur, cum iis nec *mortuis* communicandum est. Proinde, cum excommunicati infidelesque speciatim *extra communionem fidelium* constituti sint, nihil est, quod mire-

Necnon (3) de sepultura infidelium in ecclesia facta.

mireris, per eos tanquam *extorres*, *maculatos*, atque *eiectos* ecclesiam, vel cœmeteria ſacrilege pollui, *communionem* ceterorum fidelium disrumpi, oſſaque *ſancta* cum *maculatis* fœde miſceri, exiſtimatum fuiſſe. Quocirca eos, qui eiusmodi *ſepulturæ ſacrilegium* tempore *interdicti* perpetrare audent, grauiſſimis pœnis ſubiecit CLEMENS V. in *c. 5. de ſepult.* vt ſcilicet ipſo iure habeantur pro excommunicatis, ceu latius illuſtrauit IOSEPHVS GIBALLINVS *de ſacra iurisd. in ferend. pœn. & cenſ. eccleſ. disq. 7. quæſt. 2. p. 222. ſeqq.*

§. XCVII. Sicuti vero *profanatio conſecrationis* his actibus non abſoluitur, ſed aliis ſimilibus promoueri poteſt, prout ſcil. rerum ſacrarum conceptus & numerus eſt laxiſſimus: ita plures inde natæ atque a patribus fabricatæ ſpecies. Etenim præter templa ad vſum *ſacræ Miſſæ* conſecrantur *altaria*, quibus per impoſitas ſimul *ſanctorum reliquias* tanta virtus ineſſe exiſtimatur, vt ea qualicunque violare ratione plus quam *ſacrilegum* cenſeatur, vt deduxit GERARDVS LANDRIANVS Ambaſſiator *concil. Baſileenſ.* apud HARDVIN. *tom. VIII. p. 1515.* De *altari* ſuo, ab extero *pagano* quodam inuaſo, multis conqueritur verbis IVO *epiſt. 114. 124. 137.* eidemque ſæpiſſime ſacrilegium obiicit, pari modo, quo ATHANASIVS *epiſcopus Alexandriæ* accuſatus eſt in *literis de anno 347. tom. I. p. 673.* quod non tantum *templum*, verum etiam *altare* ſimul *ſacrilega ratione* euerterit. Maiori forſan ratione id applicatum ad militem illum, qui impura vrina effuſa altare polluiſſe dicitur apud BARONIVM *ad an. 362. §. 107.* Confer eiusdem continuatorem RAYNALDVM *ad an. 1199. n. 5.* Aliud adhuc ſummæ profanationis exemplum refert GODEAV *ad an. 874. tom. VI. dans l'hiſtoire de l'egliſe §. 72.* quo Rex Abdila in eccleſia quadam lectum ſuum altari ſuperimponi iuſſit, ibidemque virginem defloraŭit, quod duplici ex cauſa *ſacrilegium* iudicatum fuit, tum quod in genere *altare* conſecratum per hanc impoſitionem grauiter profanatum; dum quod per copulam *carnalem*, vt ſupra deduxi, dehoneſtatum fuerit.

Ad res ſacras (β) referuntur altaria, nec minus ſacrilegii capacia.

§. XCVIII. Eandem ſanctitatis reuerentiam tribuunt *ornamentis veſtibusque*, quæ ad vſum ſacrificii in altari celebrandi *ſpeciali* quoque *conſecratione* cohoneſtantur. CASTALDVS *in praxi ceremon. lib. II. ſect. 12. c. 2.* Talis autem ſanctitas plenam inuiolabilitatem operatur, vt etiam clerici, eiusmodi *veſtibus ſacris* induti, ſiue *intra*, ſiue *extra* eccleſiam reperiantur, absque graui *ſacrilegio* tangi, aut reali *iniuria* affici non poſſint. INNOCENT. III. *lib. 15. epiſt. 141.*

Sicut & (γ) ornamenta, veſtesque vſui ſacro deſtinatæ.

 Cum-

Cumque hæc ornamenta altari tantum ad vſus *ſacros* ſint dicata, ex eadem ratione ad vſus *profanos* ſine pœna ſacrilegii adhiberi nequeunt, vt cenſuere patres in *concilio Bituricenſ. de anno 1584. tit. XI. c. 4.* apud HARDVIN. *tom. X. pag. 1474.* conſ. GODEAV *dans l'hiſtoire de l'egliſe tom. VI. lib. II. c. 19. p. 236.* Ad vſus hoſce etiam referunt *exequias funeris*, quarum adparatui ne vllo modo inſeruiant, ſeuere prohibuit *concil. Mediolan.* apud HARDVIN. *tom. X. p. 245.* conſ. *c. 42. de conſecr. diſt. 1.* Dantur adhuc plures res ſacræ atque conſecratæ, quæ eodem contra *violationem*, *pollutionem*, atque *ſacrilegium* priuilegio gaudent, quæ quales ſint, & quatenus pollutioni ſubiaceant, ex principiis eccleſiæ Romanæ ex aſſe examinauit PASSERIN. *de pollut. eccleſ. diſput. 2.* quorſum lectorem remitto.

Applicatio huius ſacrilegii ad fora Proteſtantium.

§. XCIX. Atque hæ quidem rationes propriæ ſunt eccleſiæ Romanæ Doctoribus pro eruendo, deriuando, corroborandoque crimine *ſacrilegii.* Quid autem inter Proteſtantes circa eiuſmodi ſacrorum violationes obtineat? eo accuratius eſt euoluendum, quo magis etiam quidam *Proteſtantium*, vocabulo *ſanctitatis* decepti, talia incaute aſſumſerunt dogmata, quæ ſacris Romanorum addicti ex ſuis principiis propriis defendunt. Ordine ergo procedendum, atque a *ſanctitate*, vtpote *formali ſacrilegii cauſa*, incipiendum, qua ex traditis noſtræ eccleſiæ perpenſa, facili negotio adparebit, an & quatenus ex rerum *ſacrarum* violatione crimen *ſacrilegii* verum concipi ſtatuique poſſit. Fuſius hunc nodum ſolui atque ſub examen reuocaui ſupra *tom. III. tit. de immun. eccleſ.* adeoque potiora capita inde ſiſtam. Quando itaque quæritur, *an eccleſiis noſtris ſanctitas debeatur?* ſciendum eſt, eandem eſſe vel *internam*, vel *externam.* Prior conſiſtit in *peculiari rei ab vſibus, atque dominio priuatorum exemtione, inque eius, cui dicata res eſt, addictione*, ita, vt rei *virtus* inſit *diuina*, quæ omnes eius partes permeat, *characterem indelebilem* operatur, *gratiamque deificantem* eidem conciliat. *Externa* vero producit tantum *immunitatem a violatione*, & eam quidem ex *ſpeciali legis ſanctione*, eodem ſenſu, quo *ſanctum* definitur in *l. 9. §. 3. de R. D.* qualis alias *veneratio* ſeu *ſanctitas ceremonialis* adpellatur a ZIEGLERO ad *Lancell. lib. II. tit. 18. §. 12.* Prior, vt oſtendi, *pontificiis* propria, non tamen aliter, quam accedente *conſecratione* iisdem rebus ſacrandis propria, cum ante eam res adhuc priuata, & profana cenſeatur. Ita ratiocinatur GERMONIVS *de ſacr. immun. lib. III. c. 2. n. 1: congeſtis in altitudinem ſaxis & lignis, ſibi inuicem cohærentibus, domus conficitur;*

Sanctitas eccleſiarum eſt vel interna,

vel externa.

ficitur; & paucis interiectis: *sed* (hæc) *domum Domini non faciunt, nisi prius consecratione compaginentur.* Tota ergo ratio *sanctitatis internæ* petenda ex *consecratione* ritu solenni celebrata. Vbi hæc exulat, illa quoque deest. Iam vero ecclesiæ nostræ, nulla vnquam *consecratione* initiantur, ergo quoque nulla *interna sanctificante virtute* gaudent. Adhibemus quidem rebus *dedicationem*, quæ tamen magis in *simplici*, & *externa pia ceremonia* consistit, neque, vt consecratio, rei, cui accedit, *naturam alterat;* sed vel abesse, vel adesse pro lubitu potest, aliisque operibus publicis, vt *curiis, academiisque* accedere solet, quas tamen inter res *sacras* nunquam referri, constat. Nullibi consecratio in nouo fœdere præcipitur; nullibi ex ea proueniens sanctitas interna, legibus *diuinis*, maxime *noui fœderis*, nobis iniungitur. Falsa ergo est illatio GRATIANI, relati a GERMONIO *cit. l. n. 7.* aientis: *Si Iudæi, qui vmbræ legis deseruiebant, hoc faciebant, multo magis nos, quibus veritas patefacta, & gratia per Christum data est, templa Domino debemus ædificare, & sacrare.* Templi *Hierosolymitani* consecrationem, eique *diuinam* inhærentem *qualitatem*, intelligit, & sic quidem ex speciali *Iudæorum* religione, & in ea regnante *lege ceremoniali*, vera proponit; illationem tamen *falsam* committit, quod illud cum ecclesiis *noui fœderis* comparari nequeat, ceu docuit SPENERVS *P. II. consil. Theol. Germ. c. 3. art. 1. sect. 30.* Sed rei Romanæ propriæ erant rationes, sub quibus ad *imperium vniuersale* ruere possent, adeoque talia *media* excogitanda erant, quæ ad illud stabiliendum faciebant. Ante omnia e re eius videbatur, *Reges* a præsepibus suis longe auertere, quod colore isto *internæ* atque *diuinæ sanctitatis*, quam etiam *Reges*, vtpote Deo *inferiores*, venerari debebant, optime fieri poterat. Et inde factum est, vt imperantes per *indirectum* omni *imperio* in ecclesiam eiusque accessoria defraudarent, in *ecclesiasticas* ab iis factas *collationes* sub specie criminis grauissimi inueherent, sibi ipsis autem plenariam in rebus sacris, vtpote *Christi negotiorum gestoribus*, dispositionem vindicarent, vt proh dolor! temporum vestigia abunde loquuntur. Nihil ergo superest, quam vt rebus, quæ nobis ex *superioris voluntate sancta* esse debent, tantum *externam* venerationem tribuamus, *internæ* virtutis conceptu seposito. Vocamus quidem quasdam res *sanctas*, vel *sacras*, magis tamen ex *vsu*, cui adhibentur, *sacro*, qui tamen rei *naturam* non immutat, quamuis rebus peculiarem *respectum* conciliet. Neque enim easdem *Dei dominio* solitarie addictas, atque *hominum commercio simpliciter exemtas* existimamus, sed potius *vniuersitatis*

Posterior demum nostris ecclesiis debetur.

Quod variis obseruationibus illustratur.

tatis, & sic *ecclesiæ patrimonio*, hoc autem *superioris dispositioni* subiicimus. Hæc certissimum præbent indicium, ea omnia, quæ hucusque de rerum *sacrarum* violatione ex mente Romanæ ecclesiæ, indeque promanante *sacrilegii* crimine, in medium produxi, rebus *nobis sacris* nullo modo applicari, nec ex earum violatione sacrilegium tale erui posse. Non nego, grauiter eum contra legem *peccare*, qui has res, ea, qua debet, ratione *externa* non veneratur. Imo quia res *sacræ sanctaque* ex ipsa *legis dispositione*, vel *vsu* peculiari a ceteris similibus suo modo sunt discretæ, eos *maiori pœna* afficiendos esse existimo, qui vel harum sanctitatem immediate profanant, vel mediate v. g. in loco sacro crimen aliud perpetrant, & sic simul *loci reuerentiam* lædunt. Bene CARPZOVIUS *iurispr. consist. Lib. III. defin. 97. n. 10. seqq. Quod si atrocitatem pœnæ augeat locus, quis negabit, grauius peccare eum, qui in ecclesia vel templo aliquem offendit? Nec enim minus hoc crimen, quam quod in curia, theatro, foro aut principis domo, violata eiusdem securitate ac religione, perpetratum est.* Inde tamen nunquam efficitur, *sacrilegium* proprie dictum commissum esse, quod aliter committi nequit, quam cum *res* ipsa, quæ vsui *sacro dedicata est*, *furto aufertur*, vt iamiam specialius dicendum est.

Verum sacrilegium quid?

§. C. Est enim in *sensu strictiori* sacrilegium *detrectatio fraudulosa rei sacræ lucrifaciendi animo facta.* De eo inter plerosque non ambigitur, vtrum in loco *sacro* an vero *profano* sacri quid auferatur? quum res suam naturam & qualitatem, vbicunque inueniatur, retineat. Id potius in quæstionem venire solet, vtrum etiam rei *profanæ* ex loco *sacro* ablatæ sacrilegium committatur? Tota huius quæstionis decisio inde dependet, vtrum sacrilegium secundum *leges ciuiles*, an vero *canones* sit æstimandum? posterius vel ideo asserendum videtur, quod in collisione vtriusque iuris semper non tantum præferatur iuris *canonici* dispositio, verum etiam hoc casu tres scil. sacrilegii species constitutæ sint, vt (1) si quis rem *sacram* aut diuino cultui dicatam in *loco sacro*: (2) rem *sacram* in loco *profano*: (3) rem *profanam* in loco *sacro* surripuerit, sacrilegium commissum esse dicendum sit. vid. *c. 21. C. 17. qu. 4.* Idque eo magis, quo clarius hæc dispositio in legibus imperii agnita atque in *constitutione criminali Carolina art. 171.* ad exemplum sacrorum canonum his fundata est verbis: Stehlen von gewenhten Dingen ist schwehrer, denn andere Diebstäle, und geschiehet in dreyerley Weiß. Zum ersten, wenn einer etwas heiliges, oder gewenhtes stiehlet an gewenhten

An hoc secundum leges ciuiles an canonicas sit æstimandum.

Städ-

Stätten. Zum andern, wenn einer etwas geweyhtes an ungeweyhten Stätten stiehlet. Drittens, wenn einer ungeweyhte Dinge an geweyhten Stätten stiehlet. Non ergo necesse est, confugere ad *distinctiones* communes, quibus, vtrum in *foro seculari*, an vero *ecclesiastico* furtum rerum sacrarum commissum fuerit? vti plerumque solent, ita vt posteriori casu quidem secundum ius *canonicum*, priori vero *ciuile* iudicandum sit, CARPZOV. *praxi crim. quaest. 89. n. 6. seqq.* Etenim huius distinctionis ratio adaequata dari nequit, nec *forum* naturam furtiuae contrectationis alterat; insuper *constitutioni crim. Carol.* prorsus ea aduersatur, ab iis tantum excogitata, quibus iuris *Romani* vsus adeo in deliciis est, vt etiam leges imperii negligendas existiment.

§. CI. Quum vero dictum sit, etiam *iure Carolino* veri *sacrilegii* dari tres species, singulas examinare seorsim iuuabit. Primaria species est, *si quis rem sacram ex loco sacro aufert.* Quae hac de re ICtorum *iure ciuili* fuerit sententia, supra *ab init. h. t.* pluribus demonstraui, insuperque docui, etiam Romanos hoc facinus grauiter exaggerasse, atque ex principiis *consecrationis*, gentilismo etiam communibus, seuerissime coercuisse. Rationem vnice in consecrationis ritu quaerebant, quae rem ex commercio priuatorum eximebat, Diis *priuatiue* addicebat, tantique ponderis esse credebatur, vt ea rebus profanis indita, non posset non producere religiosos effectus. Erat enim iisdem *sacrorum* genus duplex; alterum *publicum*, alterum *priuatum*. Illi tantum accedebat *consecratio*, stricte *sacrum* vocabatur, obiectumque sacrilegii erat. Hoc talem consecrationem ignorabat, adeoque proprie non *sacrum*, sed *profanum* erat, ipso ICto iudice in *l. 6. §. 3. de R. D.* Quocirca rei *priuatae sacrae* surreptionem non ad classem *sacrilegiorum*, sed *furtorum*, etsi quodammodo ceteris grauiorum, referebant. *Ius canonicum* sicuti in plurimis causis aliis ad principia haec se accommodauit, ita etiam potissimum in hac specie varias sacrilegii species constituit. Has assumsit, & confirmauit *constitutio criminalis Carolina*, confecta ab autore, *ecclesiae Romanae* addicto, iisdemque, quo *ius canonicum*, imbuto principiis. Haec iura diuersa tamen in eo conspirant, quod in hoc *stricte dicto sacrilegio* requirant rem *sacram*, eandemque in *loco sacro* surreptam. In *rebus consecratis* tamen distinctionem introduxit CAROLVS V. in *C. C. C. art. 172.* inter *hierothecam*, ceterasque res cultui diuino destinatas, vti sunt: Kelche, Pathenen, Wachs, Altar-Tücher, Leuchter ⁊c. ⁊c. ita vt prius *sacrilegium* grauius, quam cetera,

Huius prima species est, si 1) Sacrum de sacro auferatur, quod ex iure ciuili,

canonico,

& Carolina demonstratur.

res sacrae sunt vel maiores, vel minores.

Locus facer vel publice, vel priuatim talis.

puniatur, vt mox ostendam. Circa *locum* quidam distinguunt, vtrum *publice*, an vero *priuatim*, facer sit? priori, non posteriori casu *proprie* dictum *facrilegium* committi statuentes, vt proinde, qui *vas*, *librum*, vel aliam rem consecratam ex *oratoriis*, maxime *priuatis*, aufert, hunc in *facrilegii* crimen non incidere dixerint FARINAC. *Pr. crim. quaest. 172. n. 50.* PASSERIN. *de pollut. eccles. disput. II. c. 6.* Verum fine dubio errarunt, cum qui in locis *priuatim* facris, rem *facram* e medio tollit, æque crimen facrilegii committat, ac qui ex loco publicis facris dicato, obferuante MENOCH. *de arbitr. iud. quaest. c. 389. n. 11.* Falsum etenim est, *oratoria priuata* quæuis nulla *consecratione* inaugurari, quod experientiæ repugnat. Imo fi *oratoria priuata*, vt *aliquando* accidit, non confecrata funt, nihilominus tamen aliunde facrilegii conceptus fupereft, quandoquidem *§. feqq.* oftendam, *proprie* dictum facrilegium etiam tunc committi, quum ex loco *non confecrato* fed *profano* res facra aufertur.

Quamuis ratione loci quoad facrilegii reatum nihil interfit, & fic in oratoriis priuatis hoc crimen committi poffit.

Pœna huius facrilegii fecundum ius ciuile,

§. CII. Ad pœnas huiusmodi facrilegii proprie fic dicti quod attinet, easdem pro iurium diuerfitate variaffe, res ipfa loquitur. De *iure ciuili*, fi tempora ante *L. Iul. peculatus* refpexeris, *extraordinaria* obtinuit coercitio. Poft *L. Iul. pecul.* pœna *capitalis* quidem introducta, ita tamen, vt ea pro ratione *circumftantiarum* variauerit, & quandoque *aquae* & *ignis interdictio*, quandoque ad *beftias condemnatio*, tandem in *furca* fufpenfio, femper vero *capitalis* locum habuerit, ceu in *membro primo* illuftraui. Iure canonico *exemtio e numero atque confortio fidelium* dictata eft, quam fine dubio per *canonicam fententiam* intellexit IOANNES VIII. in fæpius *cit. c. 21. in fin.* Acceffit denique *ius Carolinum*, quod quidem *criminales pœnas* determinare voluiffe videtur, reuera tamen non determinauit, fed hunc articulum pluribus *dubiis* inuolutum reliquit. Diftinguendi enim funt hoc iure *tres* cafus, pro quorum diuerfitate *conftitutio Carolina* in determinanda pœna admodum variauit. Primus in *hierotheca* deprædatione fefe exferit, quæ tanti credita fuit, vt in eam pœnam *ignis* CAROLVS ftatuerit *art. 172.* ex principiis *iuri canonico* propriis, fecundum quæ talis fur, qui ipfum *corpus Chrifti*, in quod *hoftiam* transfubftantiatam Catholici credunt, non fine *contemtu* aufert, *infideli* atque *haeretico* deterior cenfendus, quos *igni* perfequendos effe, tot concilia demonftrant. Alter cafus in *articulo tit. 172.* ceteras res *maioris pretii* cultui diuino dicatas, fraudulofe vero furreptas comprehendit, quorfum pertinent *aurea*, ac *argentea vafa*, *calix*, *patena* tam *facrae*

canonicum,

Carolinum, fecundum quod

1) in monftrantiæ deprædationem pœna ignis conftituta eft,

2) in ceteras res facras maiores furreptas capitalis,

coenae,

cœnæ, quam *baptismati* inseruiens, quæ ab autore *constit. crimin. cit. loc.* tapffere Stücke inde sine dubio vocantur, vt eo ipso simul ad *pretium* in hoc crimine coercendo respiciendum, eademque a *rebus maioris pretii* distinguenda sint. De pœna, hoc casu secundum *ius Carolinum* dictanda, interpretes inter se non conueniunt. Supplicium *ignis* quoque intellexisse imperatorem improbabile est, cum inter *hunc*, & *primum* casum ingens ex principiis ecclesiæ Romanæ, quibus autor huius constitutionis addictus fuit, constituendum sit *discrimen*, secundum quod *maius* in illo, quam hoc casu crimen committitur; ergo quoque pœna diuersa, non eadem, constitui debuit, ceu ex antiquis constitutionis criminalis exemplaribus vlterius illustrauit Dn. KRESSIVS in *comment. ad hunc art.* Ceterum CARPZOVIVS *in praxi crim. qu. 89. n. 17.* pœnæ determinationem *simpliciter* iudicis *arbitrio* subiicit, eoque ipso non semper *capitalem* dictandam esse credidit, motus sine dubio verbis similibus *cit. art.* nach Gelegenheit der Sache und Rath der Rechts-Verständigen zu bestraffen. CLASENIVS e contrario ad *cit. art.* aliique pœnam *vltimi supplicii* imperatorem intendisse, *genus* autem *mortis* non determinasse, sed *arbitrio iudicis* reliquisse volunt, quorsum etiam collineare videtur STEPHANI ad eundem *art.* & quidem satis recte, quod ipsa articuli verba clarissime indicant: zum Tod nach Gelegenheit, ꝛc. quæ sine dubio *superflua* fuissent, si *mero iudicis arbitrio* CAROLVS V. pœnam commisisset, etiam KRESSIO ad hunc *art.* iudice. Videlicet imperator in secundo huius articuli membro duos casus enarrat: *alterum* de sacrilegio *simpliciter* tali, alterum de sacrilegio *vi & effractione* adhibita commisso. In vtroque mortis pœnam constituit, sed tamen cum clausula: nach Gelegenheit der Sachen, h. e. habito respectu ad *quantitatem* rei ablatæ, circumstantias *famis*, *necessitatis*, *ætatis*, vt & *vis* adhibitæ. Proinde, si sacrilegus *impubes*, aut *quantitas* rei ablatæ minima, aut denique *vis* adhibita *leuior* fuerit, pœna etiam *arbitraria*, ex mente horum verborum dictanda est. Vltimus casus est, si res *minoris* momenti, consecratæ tamen, e loco *sacro* ablatæ fuerint, vt sunt iuxta *art. 174.* Wachs, Leuchter, Altar-Tücher, ꝛc. quo casu pœna *arbitraria* simpliciter constituta est, in *carceris*, *relegationis*, ac *fustigationis* coercitione pro ratione *circumstantiarum* consistens. Refert enim se expresse imperator *cit. loc.* ad præcedentes articulos, quibus de furtis egerat, *eandemque* & hoc quoque casu *pœnam* dictandam iudicibus iubet.

genere mortis haud determinato.

3) in minores arbitraria.

Inter nos vero in his tribus casibus pœna furti obtinet,

§. CIII. Pœnam *ignis* ecclesiæ *Romanæ* principia vnice spirare, adeoque ad statum *nostræ ecclesiæ* reformatum applicari non posse, supra iam monstraui. Quoad reliquas species vero inter Protestantes in pœna furtis rerum secularium dictari solita ex mente *constitutionis criminalis* vtplurimum subsistendum. Neque enim simplex vsus, qui sacris rebus inter nos accedit, huius criminis atrocitatem adeo auget, vt hæc pœna *singulariter* & *nimium* exasperanda sit. Interim non omne *discrimen* inter furtum rei *sacræ* & *profanæ* sublatum est, sed expresse stabilitum in *art.* 174. his verbis: Doch soll in solchen Kirchen-Räubern weniger Barmhertzigkeit bewiesen werden, denn in weltlichen Diebstälen. Etenim in *his* plures occurrunt causæ mitigandi pœnam tam ordinariam quam extraordinariam, de quibus agit CARPZOV. *in prax. crim. qu.* 149. plures etiam in his pœnis dictandis adhibendæ sunt præcautiones, ne quid durius aut remissius statuatur. In *sacrilegio* vero eo difficilius hæ mitigandi pœnam causæ attendendæ, quo indigniores sacrilegi vlla iudicis misericordia esse videntur ex mente CAROLI V. Fac, diutinis sacrilegum quendam *præter culpam* carceribus mancipatum: fac, eundem *singulari artis peritia* & quidem tali, quæ omnes artis suæ socios longe præcessit, præditum, & *reipublicæ* admodum *vtilem* esse: fac denique, rem ablatam domino *restitutam* fuisse. His, inquam & similibus casibus in *furto simplici* pœna ordinaria non raro *mitigatur*: difficilius, vt *verba cit.* indicant, in *sacrilegio*, quod ex qualitate *sanctitatis externæ*, quæ violari nescia, maiorem meretur pœnam. Est præterea maior rerum *sacrarum* ex ipso vsu *sacro* fauor, quam ceterarum, *secularibus vsibus* destinatarum, adeoque merito pœna in *sacrilegos* exasperari debet; ne dicam grauem *diuini* sub hoc sacrilegio *cultus*, *sacramentorumque diuinorum*, quibus inseruiunt *vasa sacra*, contemtum vt plurimum concurrere, acrius vindicandum.

quo ipso tamen nihilominus sacrilegium, & furtum adhuc differunt, quod ex art. 174. illustratur,

§. CIV. Equidem Dn. KRESSIVS ad *cit. art.* §. 2. *in fin.* discrimen hoc conceptui ecclesiæ Romanæ, quo res sacræ *internam sanctitatem* habere creduntur, vnice attribuendum esse contendit, indeque vero concludit, obseruationem hanc quoad *sacrilegos* in foris nostris exulare debere. Enimuero etsi concedam, fundamentum huius diuersitatis *iuris canonici* principiis quoad maximam partem deberi; inde tamen non conficitur, ob principia hæc reiecta *omne* plane discrimen inter res *sacras*, & *seculares* prorsus sublatum esse. Etenim ex *vsu peculiari* eiusmodi res præ ceteris singulari *inuiolabilitate* gaudent, adeoque in earum deprædatores merito maior & vi *huius articuli*, & ex

quod principiis nostræ ecclesiæ aduersari putat KRESSIVS,

cui respondetur.

ex ratione *ſanctitatis externæ* pœna conſtituenda eſt. Sunt *obiect.*: criminum non *eadem*, ſed admodum *diſtincta*, maxime ſi de crimine furti, in ſenſu *generali* ſumti, quæſtio mouetur. Alia *maiorem*, alia *minorem* ſecuritatem merentur, atque reuera per leges acceperunt, quorſum etiam res *principi* propriæ, & quæ ad *publicum* ſpectant, item olim res in *balneis* depoſitæ, in Saxonia *aratra* in agris libere expoſita, ſecundum *I. P. S. lib. II. art. 13.* pertinent, quæ violare grauiſſimum nefas eſt. Aeque rebus ſacris *inuiolabilitas* tributa eſt *ſingularis*, quæ ex *vſu*, cui perpetuo adplicantur, a profanis diſtinguuntur. Quocirca euidentius *animi irreligioſi* argumentum edit is, qui talem fraudulenter aufert, quam qui res alias *communes*, non ſanctas rapit, minori vtique miſericordia dignus. Accedit, quod ſacrilegium in *locis ſacris* commiſſum, ex *immunitate* iisdem per leges tributa, cum furto intra *priuatos* parietes commiſſo exæquari nequeat. Si enim reliqua crimina ex *loco* aggrauari queunt, quid obſtat? quo minus idem de furto intra muros eccleſiæ perpetrato aſſeratur, cuius *ſanctitas externa* per ſacrilegium admodum *læſa*, & ſic condigna animaduerſione coercenda. Minuitur in plerisque, qui ſenſibus plus valent quam iudicio, fauor feruorque religionis ipſius, ſi *loci* eiusque *ſanctitatis* ratio nulla habetur. Neque hanc ob cauſam ſecedimus in caſtra Romanæ eccleſiæ, ſi media incedimus via, ſcopulos quidem *ſanctitatis internæ* euitantes, illam tamen ſanctitatem & inuiolabilitatem locis & rebus aſſignantes, quæ ex legibus, ex vſu ſacro, & fine ſanctiſſimo eis debetur. Subſiſto itaque in doctrina Carolina, quod maiori miſericordia digni ſint fures ſimplices, quam nefarii ſacrilegi. Atque hæc quidem de iure communi vera ſunt. Quoad Saxoniam tota hæc diſputatio fere otioſa videtur, vbi ſacrilegi tales *indiſtincte* ex clara legis diſpoſitione *rota* contunduntur; *I. P. S. lib. II. art. 13.* CARPZOV. *prax. crim. quæſt. 89. n. 18. ſeqq.* quamuis pœnæ grauitas merito iis debeatur temporibus, quibus vniuerſa adhuc Germania iure imperioque papali olim regebatur.

In Saxonia pœna rotæ dictatur.

§. CV. Progredior ad *alteram* ſpeciem ſacrilegii, quoties *ſacrum ex loco non ſacro ſed profano, animo fraudoloſo ſurripitur*, in qua explicanda eo breuior eſſe potero, quo magis eiusdem ratio ſimul in *præced. §§.* iam ſub examen reuocata eſt. Etiam de iure *ciuili* rei ſacræ in loco profano deprædationem pro *ſacrilegio* habitam, & hoc crimen ex *re ſurrepta*, non vero vnice ex *loco*, poſt reſcriptum D. SEVERI & ANTONINI in *l. 5. ad L. Iul. pecul.* æſtimatum fuiſſe

2) ſacrum de profano auferendo.

Hanc ſpeciem ius ciuile

 §. 29.

§. 29. docui. In eadem ſententia ſubſiſtit *iuris canonici* diſpoſitio in ſupra *cit. c. 21. C. 17. q. 4.* ſtabilita per *ius Carolinum art. 171.* ibi: zum andern, wenn einer etwas geweyhtes an ungeweyhten Stätten stiehlet. Idem repetitum in *art. ſeq.* quo imperator de pœna in *ſacrilegos*, ſine diſcrimine *loci*, vtrum in *conſecrato*, an vero *profano* commiſſum fuit, dictanda, ita eloquitur: Umb ſolche Diebſtäle alle, ſie mögen geſchehen an geweyhten oder ungeweyhten Orten . . . dieſe Diebe ſind zum Tod zu ſtraffen. Locus *profanus* intelligitur, qui eſt *extra eccleſiam*, non tam ſpecialiter *conſecratus*, vel *benedictus*, vti quidem ſunt *cœmeteria & eccleſiæ* &c. Huc vt plurimum referunt *domos paſtoris* vel etiam *æditui*, in quibus res ſacræ quandoque melioris *ſecuritatis* gratia aſſeruari in pagis & villis ſolent, quarumque *deprædatio* etiam pro *ſacrilegio* his iuribus habenda eſt. Etſi enim *locus* ſacer ſacrilegium *augere* dicatur, id tamen non efficit, vt *profanus* hoc crimen plane abſtergat. *Res ipſa* ſurrepta *diſtinguit* & *qualificat* hoc delictum a *furto*, cuius *qualitates eædem* manent, etiamſi non in loco *ſacro* reperiatur, etiam ex principiis *noſtræ eccleſiæ*, ſecundum quæ *reuerentia* & *inuiolabilitas* rebus vſui *diuino* dicatis, etiam *nullo* loci habito *reſpectu*, concedi debet. Quum vero in omnibus delictis ad *animum* delinquentis ſit reſpiciendum, merito & in hoc *ſacrilegio* ſcientia *qualitatis rerum* ſupponenda eſt, qua fur tamen quandoque deſtitutus eſſe poteſt. Quid enim ſi fur nocturnus ædes paſtoris vel æditui ſpoliandi cauſa acceſſerit? quid ſi depoſitum rerum *ſacrarum ignorauerit*? quid ſi vaſa *ſacra* ab aliis, paſtori propriis, *diſcerni* nequeant? furtum quidem committit, non tamen ſacrilegium ſtricte dictum, quod in pœnæ determinatione omnino attendendum.

canonicum & Carolinum agnoſcit,

quum res ipſa diſtinguat furtum & ſacrilegium,

dummodo animus quoque adfuerit.

§. CVI. Hoc ſacrilegium non tantum *extraneus* deprædator, verum etiam omnis is, cuius *fidei* res ſacra *demandata eſt*, committit, quorſum ipſi *paſtores* atque *æditui*, res ſacras intercipientes, referri poſſunt. In legibus quidem hic caſus expreſſe determinatus non eſt, *re tamen ipſa* & *ratione* legis ſatis comprehenſus videtur. Equidem qui, quod ex *publico fidei ſuæ*, *rationumque redditioni* mandatum eſt, aufert, in crimen, quod vocant *de reſiduis* incidit, diuerſum in hoc a *ſacrilegio* vel *furto* ſimplici, quod *non aliam* perſonam ſupponat, quam cuius *adminiſtrationi* & *rationum redditioni* res, & quidem *publica*, ablata, ſubiecta eſt; ſed *ſacrilegium* latiorem ambitum habet, & *quoscunque rei ſacræ deprædatores* comprehendit, ſecundum ſanctiones ciuiles in *tit. D. & C. ad L. Iul. pecul. de ſacril. & reſiduis.* Quum vero hodie

Non diſtinguitur, vtrum extraneus, an is, cuius tutelæ res ſacra commendata erat, eam abſtulerit?

hodie omnia crimina ex *constitutione criminali*, non vero amplius ex *iure ciuili*, nisi in *subsidium*, æstimari debeant, merito hodie aliter pronunciandum est. *Generaliter* vero circa furta rerum sacrarum disposuit *ius Carolinum*, nullamque, vti ius ciuile, circa *personæ qualitatem* distinctionem fecit, sed surreptionis fraudulosæ *simpliciter* mentionem iniecit. Sic in *art. 171.* trina vice dicitur: So einer etwas geweyhtes stiehlet. in *art. 172.* so einer eine Monstrantz stiehlet, item: stäle aber einer sonst güldene ꝛc. vt & *art. 174.* So iemand von geweyhten Dingen was stehle. Ius *canonicum* quoque verbis generalissimis *sacrum de sacro*, *non sacrum de sacro*, & *sacrum de profano loco ablatum*, *sacrilegium* censuit constitui. De iure Romano facilius in hoc casu dubia moueri potuerunt, postquam res *sacræ* ex consecratione, *publica autoritate* facta, rebus *publicis* accensebantur. Quia vero inter nos res *sacræ* non *publici iuris* censentur, sed potius ad *patrimonium ecclesiæ* pertinent, inde nequidem crimen de *residuis* in casu proposito fingi potest. Quapropter nullum dubium est, quin illæ quoque pœnæ, quæ ex mente *constitutionis Carolinæ* sacrilegiis aliis impositæ, hic quoque locum sibi vindicent. Sunt enim æditui vel ecclesiarum prouisores reuera *depositarii* rerum sacrarum; hi vero sicuti ob res profanas ablatas *suspendio* afficiuntur per *art. 170. C. C. C.* ita quoque propter rerum sacrarum sibi concreditarum interceptionem eadem pœna digni censendi sunt.

Ex ratione constitutionis criminalis.

§. CVII. Accedo tandem ad *tertiam* atque vltimam *stricte* dicti sacrilegii speciem, ad surreptionem scilicet rei *profanæ* ex loco *sacro*, si maioris *securitatis* gratia *non-sacrum* in ecclesiæ tutelam *depositum*, animo frauduloso compilatur. In hac specie maior iurium *discrepantia*, iuris maxime *ciuilis* a iuribus *recentioribus*, *canonici* scil. atque *Carolini* sese exserit. Iuris ciuilis conditores in hac quæstione admodum hæsitasse, imo *plures* etiam hanc speciem pro *vero sacrilegio* habuisse *§. XXIV.* declaraui, adiecta, huius dissidii inter ICtos tollendi causa, decisione MARCIANI, qua tantum *duæ* priores species, reiecta hac, olim pro *genuinis sacrilegiis* habitæ sunt. Ast ius *canonicum* in *c. 21. C. 17. qu. 4.* in hoc a iure ciuili diuortium facit, atque sacrilegium verum non tantum ex *re*, sed etiam ex *loco* æstimat. Adprobatum idem in *nemesi Carolina*, atque hæc species *sacrilegiis proprie dictis* adnumerata in *art. 171.* per verba: zum dritten, wenn einer ungeweyhte Dinge an geweyhten Stätten stiehlet. Ratio *iuris canonici*, vnde

3) profanum de sacro auferendo,

iure ciuili hæc species incognita,

secus ac iure canonico vt & Carolino.

Ratio huius dispositionis,

vnde hæc *Carolina dispositio* desumta, vnice in *consecratione* atque huic inhærente peculiari *qualitate diuina* loci fundata est: secundum hanc per talem surreptionem *loci sacri*, cuius tutelæ res profana commendata erat, *maiestas* & *reuerentia* lædi, atque ex hoc fundamento *sacrilegium* committi creditum fuit. CANIS. *ad tit. de sacril. §. 2.* GONZALEZ. *ad c. 8. de for. comp.* Ita vero in principia, cultui *Leuitico* olim quodammodo propria, a gentilibus pariter, quamuis ex fonte impuro assumta, inciderunt, vt hanc speciem plurimi ex antiquis ICtis pro *vero sacrilegio* agnoscerent, quæ magis ad *furtum simplex* referri deberet, nisi quod ob violatam *sanctitatem loci externam* pœna aggrauanda esset.

pertinet huc furtum eleemosynarum.

§. CVIII. In *articulo 173.* huc refertur fur: *qui cistam, vel aliud receptaculum eleemosynarum, in ecclesia effregit, reserauit, vel aliis artibus pecuniam in vsus pauperum destinatam ex ecclesia furatus est*, ex adductis rationibus *sacrilegis* ab imperatore adnumeratus. In aliam sententiam nihilominus iuit CLASENIVS, *ad cit. art.* aiens: *Quæ pecunia in vsum & alimenta pauperum miserabilium recondita custoditur, Deo velut sacra habetur, vt, qui eam furatur, tanquam sacrilegus sit puniendus.*

Clasenius notatur.

Mirandum est, ICtum sacris nostris addictum conceptum *sacri* ex *constitutione criminali* propugnasse, & numero rerum sacrarum præter necessitatem *nouam* adiecisse *speciem*, quod a nostræ iurisprudentiæ ecclesiasticæ rationibus alienum est. Neque enim *sacrum Deo* dici potest, cum quo *cultus diuinus* commercium non habet. Ex fine *pio* quidem, in quem eleemosynæ deponuntur, ab imperatore dicuntur: die heilige Almosen; ast *finis* rei naturam immutare aut alterare, etiamsi *pius* fuerit, nullo modo potest, multominus rem *profanam* efficere *sacram*, maxime inter nos, quibus nil sacrum, nisi quod *immediate ad cultum diuinum reuera adplicatum est.* Dantur plures *causæ piæ*, inter quas etiam *purgatoria facinorosorum*, seu *ergastula*, non infimum tenent locum, quarum tamen pecunias, vel res constat esse simpliciter *profanas.* Quod *in constit. crim. cit. loc.* eleemosynæ dicantur sanctæ, id ignoscendum autori, principiis religionis *catholicæ* innutrito, secundum quæ conceptus *sancti* laxissimum ambitum habet, & piis causis etiam tribui solet. Proinde recte sentire HVBERVM *h. t. n. 4.* existimo, furtum eleemosynarum tantum ad *improprium* sacrilegium, seu *quasi tale* referentem, h. e. quod tale esse *videtur*, sed non est. Ipsa pœna huic furto imposita hoc præterea declarat, de qua Imperator ita: So einer einen Stock, darinnen man das heilige Almosen sammlet, aufbricht, sperret, oder

oder wie er arglistig daraus stielet, oder solches mit etlichen Wercken zu thun untersiehet, der ist auch an Leib oder Leben zu straffen nach Rath der Rechts-Verständigen. In *prioribus speciebus* per *art. 172.* pœna mortis *simpliciter* dictata; in hac vero *alternatiue* loquitur Imperator: an Leib oder Leben, certo indicio, CAROLVM V. hæsitasse quoad hanc speciem, furtorum priorum diuersam ab hac naturam perspexisse, & hanc ob causam, quia hic reuera tantum res *profana* & sic *furtum simplex* occurrit, pœnam *furti simplicis* elegisse, nisi quod ex læsa loci qualitate, quæ *securitatem plenam* desiderat, exasperari supplicium quodammodo possit. Dicitur ergo hæc species, ex *vsu loquendi vulgari*, secundum quid *sacrilegium*, re *ipsa* vero *furtum simplex* est.

pœna in furto eleemosynarum dictari solita.

§. CIX. Quoniam autem ecclesia præter res *sacras* aliis rebus vel bonis abundat, quæ eius *patrimonium* constituunt, ius canonicum quoque horum deprædationem ad *sacrilegium* refert, quod (XIX) RERVM ECCLESIASTICARVM dixeris. Destituuntur *qualitate sacra* hæc *bona ecclesiastica*, quæ ab aliis *secularibus* reuera differre non videntur, præterquam quod hæc in *secularium*, illa in *ecclesiarum* sint dominio. Ita vero mirari licet, quare etiam in has res crimen illud perpetrari dicatur? Sed mirari desines, si *insolitas* harum rerum *denominationes*, iuri canonico proprias, paulo penitius inspexeris, quæ non potuere non eisdem *speciales* & *insolitas qualitates* inter ecclesiæ Romanæ addictos attribuere. Non enim canonibus insolitum est, eas *patrimonio Christi* accensere: inter *res nullius* numerare: *spiritualitatis* notam iis tribuere, &c. vt patet ex *c. 34. de eccles. in 6. c. 6. C. 12. qu. 2. c. 65. C. 16. qu. 1.* aliisque. Audiamus VRBANVM II. *ep. 17.* ad *Lucium*, ita scribentem: *Quisquis itaque res ecclesiasticas, quæ DEI DONA sunt, quoniam A DEO DONANTVR, quæque ab eodem gratis dari debent, propter sua lucra vendit vel emit, cum eodem Simone donum Dei possidere existimet.* Hic *ambitiosior conceptus* easdem a *secularibus* admodum distinxit, cum *sacris* vero hoc modo exæquauit, vt si non in *omnibus*, saltem ratione *immunitatis* ab inuasione, iura rerum *consecratarum*, quoad effectum *sacrilegii*, acceperint. Neque enim ecclesia Romana per *immunitatis priuilegia, sacratis rebus* concessa, sufficienter rei suæ se consuluisse existimauit, sed quo magis *rempublicam ecclesiasticam* stabiliret, & *patrimonium ecclesiasticum* a reliquis rebus laicorum proprietati subiectis distingueret, *totum ecclesiæ peculium* iisdem, quibus res sacræ, iuribus frui iussit, ne illud sub vllo prætextu a *matre ecclesia*, cuius *accessorium* est, auelli posset. Potissimum

(XIX) Sacrilegium rerum ecclesiasticarum,

cuius ratio euoluitur.

mum vero in terrorem *laicorum*, qui *imperandi* vel *iubendi* maiorem habent potestatem, hoc constitutum videtur, ne sub prætextu *imperii augustioris* bona ecclesiarum turbarent, inuaderentque. Clericos ab eiusmodi *iniusta* inuasione sub comminatione tanti sceleris deterrere, necessum non fuit, quod contra eos *præsumtio deprædationis* non militaret, nisi quod per *consequentiam* id, quod contra *laicos* iustum esse existimarunt patres, etiam in *clericis* eadem *sacrilegii* nota reprobare debuerint. Et hanc ob causam factum est, vt quamcunque *turbationem*, *vsurpationem*, *alienationem* vel *deprædationem* peculii ecclesiastici, siue a *laicis*, siue a *clericis* factam, sub *sacrilegii* fulmine prohibuerint.

hoc sacrilegium committitur 1) per solam turbationem,

§. CX. Committitur autem specialiter hoc sacrilegium (1) per *violationem* rerum *ecclesiasticarum*, qua *immunitati* earum aliquid decedit. Hanc ob causam inter res *sacras* & *ecclesiasticas* computationem instituit ATHO *episcopus* in diplomate apud VGHELLIVM *Ital. sacr. tom. III. p. 57. edit. nouiss.* & in fine hunc in modum rationes subducit: *sicut inter sacrilegos deputantur, qui vasa sacra, diuinis cultibus mancipata, furantur, vel aliquo modo ab ecclesia diripiunt; sic nimirum sacrilegi nominandi sunt, quicunque a fidelibus viris sacris ecclesiis iure collata peruersa mente præsumunt violare.* Pariter hanc *bonis ecclesiasticis* immunitatem admodum vindicauit *concilium Auenionense de anno 1326. c. 24.* apud HARDVIN *tom. VII. conc. p. 1504.* & *conc. Londinens. c. 3.* apud EVNDEM *cit. l. p. 1579.* atque omnes, tam *clericos* quam *seculares*, ab eorum vsurpatione *grauissimis pœnis* deterruit. Aduersus *laicos* turbatores potissimum insurgit IVO *ep. 30.* eisque *sacrilegii* maculam ex spreta *rerum ecclesiasticarum immunitate* inurit. *Violationis* autem nomen *generale* est, quod varias iterum sub se continet *species*, quibus illa committi, & sacrilegii crimen contrahi potest. Etenim (2) hoc *sacrilegium* tunc etiam committitur, quum res ecclesiastica per *alienationem* e patrimonio ecclesiæ exiit. Agnouit hanc speciem LVCIVS *episcopus* in *c. 5. C. 17. qu. 4.* his verbis: *Omnes ecclesiæ raptores atque suarum facultatum alienatores a liminibus sanctæ matris ecclesiæ anathematizamus, apostolica autoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus.* Noua hæc *de alienatione patrimonii ecclesiastici sacrilega* est doctrina, sequioribus demum temporibus, *vtilitate cleri* ita suadente, introducta, iis maxime, quibus de *diuitiis* atque *thesauris* corradendis cogitatum fuit. *Apostolorum* tempore enim ecclesia nullum *stabile patrimonium* habuit, nec in *alienatione* *sacri-*

2) alienationem patrimonii ecclesiastici,

quod sacrilegium tempore apostolorum

ſacrilegium quæſitum. Si quid per *legata*, *hæreditates*, vel *donationes* piis corporibus obueniebat, *alendis pauperibus*, *viduis*, *pupillis* ac *clericis* impendebatur, *episcopis* ac *presbyteris diſpenſatoribus* & *adminiſtratoribus* oblationum conſtitutis.

incognitum fuit,

§. CXI. Libera ergo & conceſſa erat epiſcopis alienandi poteſtas, & hæc vmbratilis *ſacrilegii* ſpecies incognita; poſt IVSTINIANI tempora noua circa *bona eccleſiaſtica immobilia* œconomia eſt introducta, vtilitate mera ſuadente, prout *tom. II. p. 688. §. 16.* plenius euictum. Hæc noua diſciplina noua & inuſitata pedetentim produxit iura, finemque eorum plane immutauit, adeo, vt quod primario *pauperum* diſtributioni deſtinatum, iam inter *diuitias* eccleſiarum recondi, ac, magno cum eccleſiæ detrimento, commodis *clericorum* & *epiſcoporum* inſeruire inciperet. Omnis ſollicitudo ab hoc tempore huc directa fuit, vt bona *extra commercium* peruenirent, atque vt eo magis hoc dogma inculcaretur ſub ſpecie, quod ea *patrimonium Chriſti ſacrum* conſtituerent, tali alienationi ingens *ſacrilegii* crimen ineſſe conſtitutum fuit, vt *ſynodus Nemauſenſis* de anno 1284. apud HARDVINVM *tom. VII. conc. pag. 919. ſeqq.* decernit. Idem *ſacrilegii* reatus repetitus eſt in *conc. Rotomag. de anno 1581.* apud EVNDEM *pag. 1226.* & *1246.* & *concil. Burdigal. de anno 1583.* apud EVNDEM *cit. tom. pag. 1368.* porro *concil. Aquenſ.* apud EVNDEM *cit. loc. pag. 1559.* aliisque innumeris locis, quibus recenſendis non immorabor. Adeo vero alienandi facultas coanguſtata, vt nequidem *capituli* voluntas ſine *epiſcopi*, & huius conſenſus ſine *capituli* adprobatione ſufficiat, ſed res alienata ſemper reuocationi ſit obnoxia. Neque enim epiſcopi ſibi in his rebus *dominium plenum* arrogare poſſunt, qui tantummodo earum *adminiſtratores* eſſe, & *poſſeſſionem* ſaltem *naturalem* habere cenſentur, vt exiſtimat GERMONIVS *de ſacrorum immun. lib. III. c. 17. ab init.* inquiens: *dominium enim penes mortalium quemquam exiſtere non poteſt, ſed penes Chriſtum duntaxat.* Multo minus rata erit alienatio, quæ *principis* tantum *conſenſu* munita eſt, ac corroborata, quum eius poteſtas tanta non ſit, vt etiam ad *eccleſias* earumque *iura* ex *noui iuris* principiis ſe extendat, quin potius, vt craſſe admodum philoſophatur GERMONIVS *loc. n. 40. ſecularis princeps, quantum ad clericos, reſque eccleſiaſticas, cenſetur loco priuati, quia eum manet obſequendi neceſſitas, non autoritas imperandi*, quod genus loquendi deſumſit ex *c. 10. X. de conſtit.* Imo, quod mireris, ne quidem papam indiſtincte de bonis eccleſiarum, quæ in ſummi *pontificatus* aſſumtione

poſtea demum, ſtatu eccleſiæ mutato, prohiberi cœptum.

quibus omnis bon. eccleſ. alienatio prohibita,

ſi vel maxime princeps conſenſerit,

 tione

tione *salua* se seruaturum promittit, disponere, eaque pro *lubitu* alienare posse, tradit REDOANVS *de reb. eccles. non alien. Rubr. XXX. cas. 4. n. 15.* quum tamen is, secundum catholicorum tradita, *legem* sibi scribere nequeat, vel ad minimum eius *vinculo*, quando ipsi æquum visum fuerit, semet soluere possit. Potissima autem *ratio* sub hac alienatione latitantis *sacrilegii* ea esse videtur, quod omnia ecclesiarum accessoria in sensu latiori *sacra* & patrimonium *sacrum*, adeoque ex *interna* quadam *inhabilitate* ab omni commercio exemta sint. *c. 3. X. de rerum permut.* Proprie eæ res, quæ *merum patrimonium ecclesiæ* constituunt, vt quidem res *cultui diuino* immediate inseruientes, non consecrantur. Interim tamen quia *accessorium* ipsius *ecclesiæ consecratæ* habentur, ex huius quoque iuribus æstimari, & quod dicantur CHRISTI *patrimonium*, sacrilegii crimen grauissimum *temerariæ alienationi* affingere solent. Hunc *improprium consecrationis conceptum* rebus ecclesiarum adplicat BONIFACIVS in *c. 3. C. 12. qu. 2.* atque hoc sub prætextu earundem immunitatem his depingit verbis: *Nulli liceat ignorare, omne, quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino: & ad ius pertinet sacerdotum, propter quod inexcusabilis erit omnis, qui, quæ a Domino & ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, & inuadit vel eripit.* Nequidem *permutationem* excipiunt, adeo vt papa PASCHALIS ab ANSELMO consultus, *an totam aliquam ecclesiam pro terris episcopatus vel abbatiæ recipere liceret*, ita responderit: *Pro terris ecclesiarum de manu regis ecclesias suscipere minus licet, ne sacrilegii*, (vel vt HARDVINVS *in margine notat*: SACRILEGIO) *dari videatur assensus. Diuina enim in nullius bonis sunt, & quod Deo semel oblatum est, in alienos vsus non expedit vsurpari.* conf. HARDVINVS *tom. VI. conc. P. II. pag. 1804.* Idem vero ad *bona ecclesiarum* quoque trahendum, quæ non minus *diuini iuris* censenda, adeo, vt nequidem *beneficia ecclesiastica*, vti sunt *præbenda*, priuata autoritate absque iuris amissione permutari possint; *c. 7. X. h. t.* quamuis hodie, postquam *resignationes* in fauorem tertii inualuerunt, eo ipso insignes *fraudes* committantur.

Ratio huius sacrilegii.

§. CXII. Atque hæc respiciunt *alienationem* rerum *immobilium*, ad ecclesiam spectantium. *Mobilia*, maxime *non pretiosa*, dispositioni Episcoporum *facilius* relinquunt, quod ea ecclesiæ tantam vtilitatem, vti quidem *immobilia*, præstare non possint. Imo eadem ratio facit, vt *mobilia*, dummodo *exigui valoris* fuerint, absque *sacrilegii* metu a ce-

Mobilia facilius absque sacrilegio alienari possunt.

a ceteris quoad *alienationem* ſegreget REDOANVS *cit. tr. rubr. XII. n. 5.* quamuis quænam tales ſint, inter ipſos Romanæ eccleſiæ doctores dubium ſit, ceu patet ex iis, quæ tradit WIESTNER. *inſtit. iur. can. lib. III. tit. XIII. art. 3. n. 40.* Hæc omnia indicio ſunt, *ſacrilegium* hoc vnice ex *utilitate eccleſiæ* æſtimandum, hoc effectu, vt quidquid in eius *præiudicium* fit, *ſacrilegum* eſſe exiſtiment, quum, ſi ratio *ſacrilegii* in bonorum eccleſiaſticorum ſingulari *diuina qualitate* quærenda eſſet, illud non minus in *mobilibus*, ac quidem in *immobilibus* committi deberet. Equidem Proteſtantes *ſacrilegium* ſub *bonorum eccleſiaſticorum alienatione* non agnoſcunt; nihilo tamen minus plerique grauiſſime hanc eodem modo reprobant, vt patet ex iis, quæ BRVNNEMANN. *lib. II. iur. eccleſ. c. 3.* HARPRECHT. *reſp. 57.* KLOCK. *vol. 1. conſ. 35.* REINKING. *de regim. ſeculari & eccleſ. lib. III. D. 1. c. 8. n. 4.* tradiderunt, adeo, vt ipſe CARPZOVIVS *lib. II. iurispr. conſiſt. def. 298. in fin.* non vereatur aſſerere: *Quis tam audax & temerarius eſſet, vt patrimonium Chriſti pauperumque bona diminueret, quæ ſemper amplificari & augeri, æquum eſt*, vt mirum ſit, quod pœnam *ſacrilegii* non adiecerit. Recte ſe quidem habet regula, non tamen ex rationibus CARPZOVII, ſed inde illuſtranda eſt, quod eccleſiarum præfecti, tanquam *adminiſtratores*, libere de earum bonis diſponere non poſſint, atque metuendum ſit, ne hi ſub prætextu *permiſſæ alienationis* eccleſiam bonis ſuis ſpoliarent. Neque enim bona eccleſiaſtica inter nos *patrimonium Chriſti* dici poſſunt, quin potius patrimonium *eccleſiæ* ſeu *vniuerſitatis* ſunt, & ad eius erogationes adplicantur. Imo licet alienatio inter nos quoque prohibita ſit, nullum tamen inde *crimen* in ſpecie ſic dictum contrahitur, ſed alienatio duntaxat nulla eſt.

Inter nos alienatio bonorum eccleſiaſticorum ſacrilegiis accenſeri nequit.

§. CXIII. Potiſſimum autem tunc ſacrilegium committi cenſent, ſi res eccleſiaſtica rurſus vſibus ſecularibus applicatur, inuitis eccleſiæ prælatis. Si enim ab vna eccleſia res quædam in alteram transfertur, alienatio non abſolute interdicta eſt, quia qualitatem patrimonii ſacri, quam antea habuit, etiam poſt alienationem manere exiſtimant, vt docet REDOAN. *cit. loc. qu. 51. n. 6.* LVD. ENGEL. *in coll. iur. can. tit. de reb. eccl. non alien. n. 18.* Aſt vbi illa bona profanis vſibus a republica, inuitis prælatis, applicantur, quod in ſpecie *ſeculariſationem* vocant, eam immutationem damnant & ad *ſacrilegii* reatum referunt. Hæc fuit ſententia SYMMACHI *in c. 57. C. XVI. qu. 1.* *Valde iniquum ergo & ingens ſacrilegium eſt, quæcunque pro remedio peccatorum, vel ſalute & requie*

quid in ſpecie in ſeculariſatione iuris?

 anima-

animarum suarum vnusquisque venerabili ecclesiæ contulerit, aut certe reliquerit; ab his, a quibus hæc maxime seruari conuenit, id est, Christianis & Deum timentibus hominibus, & super omnia a principibus, & primis regionum, in aliud transferri vel conuerti. Eundem in sensum papa PIVS scripsisse fingitur *epist. II.* apud BLONDELLVM *in pseudo Isidoro p. 197. Ad sedem apostolicam perlatum est, quod - - - prædia diuinis vsibus tradita quidam humanis adplicant vsibus, & Domino Deo ea subtrahunt, vt suis vsibus inseruiant. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsius secretorum cælestium dicata a quibusdam irruentibus vexentur. Quodsi quispiam præsumserit; sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus iudicetur.* Conf. *c. 16. X. de for. comp. c. 2. D. 96. c. 4. 5. C. 17. qu. 4. Nou. 7. 126. c. 7. l. 1. C. de SS. eccles. concil. Carth. IV. c. 32. Aurel. III. c. 12. Tolet. IX. c. 1. Chalced. can 23. Document. rediuiu. monast. præcipuor. Würtemb. p. m. 11.* Fluxit hæc doctrina ex ratione, hæc bona videlicet semel *Deo destinata* & *dicata*, & proinde omnis *secularis commercii* plane expertia esse, vt *tom. II. p. 268. seqq.* plenius tradidi.

In foris protestantium secularisatio ex caussa iusta defenditur absque sacrilegii terriculamento.

§. CXIV. Equidem inter nostrates non desunt, qui hanc *secularisationem* vel sub expresso *sacrilegii* reatu eodem modo proscribunt, vel ad minimum iis *principiis* eandem impugnant, quibus *catholici* alias ad demonstrandum *sacrilegii* nexum vti solent, vt vel COTHMANNI *vol. 2. cons. 10.* KLOCKII *vol. 1. cons. 35. n. 107.* aliorumque tradita aperte testantur. Apertius docet COLERVS de *process. execut. P. II. c. 3. n. 131. semel dicatum ecclesiæ esse sanctum sanctorum & sine incursu sacrilegii capi non posse*, quod argumentum quoque repetit KNIPSCHILD *de iurib. & priuil. ciuit. imp. lib. V. c. 8. n. 7.* Non diffiteor quidem, simplicibus ecclesiarum *patronis*, vel *administratoribus*, talem potestatem merito denegari. Multo magis assero, *regulariter* bona ecclesiarum intacta seruanda, nec *secularisationi* subiicienda. Vtrum vero *summa* in republica *potestas ex iusta & rationabili causa* bona ecclesiis incorporata reuocare, aliisque *vsibus probatis* absque *sacrilegio* adplicari possit? id in quæstione est, de quo *tom. II. p. 717. seqq.* mentem meam exposui. Quid enim si monasteria vel ecclesiæ *desertæ*? si monachi *eiecti*? si bona ecclesiis superflua aut *noxia*? si *vsus*, ad quem destinata, *superstitiosus* deprehenditur? quid si cum euidenti *pernicie reipublicæ* subtracta sint? quid si earum reuocationem *necessitas* vel *vtilitas publica*, quæ *supremam legem* constituunt, efflagitent? Hisce casibus non iniquum esse credo, bo-

na

an talia meliores in vſus reipublicæ applicare, quam otioſorum hominum paſturæ reſeruare. Non nego, poſſe principem in *modo* peccare, & ſine probabili cauſa talia bona *reprobatis vſibus* deſtinare, non tamen ea propter *omne ius* eidem adimendum; adeoque ſumme abſonum eſt, eundem ex principiis *reprobatis* cum *furibus* & *raptoribus* conferre, quod tamen KLOCKIVM exiſtimaſſe *cit. l.* patet.

§. CXV. Supereſt, vt de *tertia* huius *ſacrilegii* ſpecie agam, quæ 3) *inuaſione* rerum *eccleſiaſticarum* abſoluitur, quam æque vt *ſacrilegam* damnant. Sunt hac de re teſtes pleraque fere *concilia*, atque loca patrum, quorum *potiora* referam. De eccleſia IVLIANI epiſcopi ſpoliata ſub ſpecie grauiſſimi *ſacrilegii* conqueritur GREGORIVS V. *in epiſt. ad* CONSTANTIAM Reginam Gall. relata ab HARDVIN. *tom. VI. concil. p.* 744. quod exemplum quoque repetiit AEGIDIVS CARLERIVS *in orat.* habita in *concil. Baſileenſ.* relata ab EOD. *tom. VIII. pag.* 1808. Eadem querela quoque habetur in *conc. Rom.* apud EVND. *tom. VI. P.* 1. *p.* 765. & apud PEZIVM *tom. II. p.* 2. *theſauri anecd. p.* 139. Atque his caſibus eo minor de hoc crimine ratio dubitandi ſuperfuiſſe videtur, poſtquam tales rapinæ ex ipſa *eccleſia*, & ſic ex *loco ſacro* factæ fuere, vt loca per ſe oſtendunt. Hic vero potiſſimum quæſtio eſt de *rebus eccleſiaſticis in genere*, vbicunque repertæ fuerint, ex quarum *inuaſione* per ſe *ſacrilegium* committi volunt, etiamſi ab *eccleſia* non auferantur. In genere enim iiſdem *ſacri* conceptum tribuunt, ex quo fit, vt, cum hæc qualitas ſemper iis inhærere cenſeatur, vbique per inuaſionem earum crimen hoc contrahi debeat. Teſtis ea de re omni exceptione malor eſſe videtur *tot. tit. VII. de ſacrileg.* qui inter ISAACI *epiſc. Lingonenſ.* canones relatus eſt ab HARDVIN. *tom. V. conc. p.* 437. Potiſſimum autem hoc loco *c. V.* autor citatus *ſacri* conceptum vrſit, vt ſine dubio ex illo harum rerum *deprædationem* ad *ſacrilegium* retulit: *Nulli liceat ignorare, quod omne, quod DEO conſecrabitur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, vel quidquid ſemel DEO fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino, & ad ius pertinet ſacerdotum, propter quod inexcuſabilis erit is, qui ea, quæ Domino & eccleſiæ competunt, aufert, vaſtat, inuadit vel diripit, vsque ad emendationem eccleſiæque ſatisfactionem, quod ſit ſacrilegus, & non tantum ſacrilegus, ſed etiam fur ſacrilegus.* Clarius illud adhuc illuſtratur ex *c.* 7. *cit. l.* his verbis: *Omnia, quæ Domino offeruntur, procul dubio & conſecrantur: & non ſolum ſacrificia, quæ a ſacerdotibus ſuper altare Domino conſecrantur, oblationes fidelium dicun-*

3) inuaſionem bonorum eccleſiaſticorum.

quod illuſtratur.

dicuntur: sed quaecunque ei a fidelibus offeruntur, siue in mancipiis, siue in agris, vineis, siluis, pratis, aquis, aquarumque de vrsibus, artificiis, libris, vtensilibus, petris, aedificiis, vestimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus, pascuis, membranis, mobilibus & immobilibus, vel quaecunque de his rebus, quae ad laudem Dei fiunt, vel supplementum sanctae Dei ecclesiae eiusque sacerdotibus, atque ornatum praestare possunt Domino ecclesiaeque suae, a quibuscunque vltro offeruntur, Domino indubitanter consecrantur, & ad ius pertinent sacerdotum. Hæc principia ita sunt comparata, vt inde nexus huiusmodi conclusionum facile colligi queat. Si enim omne, quod ecclesiæ offertur, *consecratum*, & sic *sacrum* est, sacri autem *inuasio* vel *contrectatio sacrilegium* constituit; necessario inde sequitur, vt *depraedatio* etiam *aerarii ecclesiastici* hoc crimine contineatur. Nihil autem interest, siue *laicus*, siue *clericus* eiusmodi spolio manus suas commodauerit. Quamuis enim primario *laicorum* audacia iisdem restricta videatur, vt docent testimonia patrum, collecta in epist. ALEXANDRI III. apud HARDVIN. *tom. VI. p. 2. p. 1440.* per *consequentiam* tamen hæc dispositio quoque ad *clericos* tracta, qui sub specie *administrationis* inique bona ecclesiastica surripiunt. *Iniquum est enim*, aiunt patres *concil. Aquisgr. II.* apud HARDVIN. *tom. IV. pag. 1446. & sacrilegii instar, quae vel pro salute & requie animarum suarum vnusquisque venerabili ecclesiae pauperum causa contulerit aut certe reliquerit, ab his, a quibus conuenit seruari, auferri & in aliud transferri.* Vtinam vero adhuc in pauperum vtilitatem cederent, nec iam *patrimonium clericorum* aut *monachorum* facta fuissent. An vero hæc metamorphosis sine crimine sacrilegii fieri potuerit, ipsi viderint.

Non distinguitur, vtrum laici an clerici hanc perpetrauerint?

§. CXVI. Latissimum autem hæc *inuasio* significatum habet, vt etiam quamcunque *fraudem* in his bonis commissam sacrilegio adscribant, ceu illustrant *capitula* HINCMARI *Rhemens.* apud HARDVIN. *Tom. V. conc. p. 396.* Etenim hi suo modo *peruasores ecclesiastici patrimonii* dicuntur, qui tale quid audent; quamuis ex sententia PETRI FRANCISCI *de* TONDVTTI *de praeuent. P. 1. c. 22. n. 6.* tantum *improprium* sacrilegium committant. Idem quoque sentiendum de illis, qui, quod ecclesiæ iam *acquisitum*, *poenitentia* ducti rursus auferunt, quales sunt, qui ecclesiæ iam a se *collata*, vel *legata*, postea *reuocare* conantur. Ait AMBROSIVS in *c. 3. C. 17. q. 4. Sunt, qui opes suas tumultuario mentis impulsu, non iudicio perpetuo, vbi ecclesiae contulerint, postea reuocandas putant, quibus nec prima merces grata est,* nec

Contrectatio hoc loco omnem fraudem ecclesiæ circa hæc bona factam comprehendit.

nec ſecunda; quia prima iudicium habuit, & ſecunda habuit ſacrilegium. Simili genere loquendi vtuntur patres in *c. IV. concil. Agathenſ. de anno 506.* apud HARDVIN. *tom. II. concil. p. 998.* Et quis omnes *modos* in conciliis hinc inde relatos recenſeret, quibus talis *ſubtractio fraudulosa*, & ſic *ſacrilegium* ex principiis *eccleſiæ Romanæ* addictorum ſubeſſe cenſetur.

§. CXVII. Rebus *eccleſiaſticis* inprimis accenſentur *decimæ*, quæ proinde eodem iure, quo ceteræ res, gaudere debent. Imo his præ cæteris *ſpiritualem qualitatem* tribuunt, vt non ſit mirandum, etiam in harum poſſeſſione, a laicis propugnata, *ſacrilegium* quæſitum fuiſſe, quod nouam huius criminis ſpeciem produxit, quam (XX) DECIMARVM SACRILEGIVM dixeris. Admodum hoc vrſerunt patres conciliorum, atque ex eo potiſſimum fundamento, quod decimæ ſimpliciter ſint *iuris diuini*, defenderunt. Neque vero tantum earundem *inuaſionem* huc referunt, ſed in genere hoc crimen committi cenſent, quoties in *fraudem* eccleſiarum, quibus easdem vindicant, detinentur, nec eo, quo decebat, modo perſoluuntur. Habet enim ex principiis canoniſtarum *eccleſia* tantum ad eas *ius quæſitum*, quod illi absque *grandi ſacrilegio*, quomodocunque id factum fuerit, adimi nequit, quod illuſtrant *ſynodus Ciceſtrenſ. c. 3. & conc. Salmanticenſ. de anno 1335.* apud HARDVINVM *tom. VII. concil. p. 1968.* Imo non tantum earum detentores, ſed omnes, qui his a conſiliis fuerunt, vel etiam prohibuerunt, ne miniſtris eccleſiæ præſtarentur, eodem crimine ſeſe maculant, quum eo ipſo iura eccleſiis debita imminuere atque peruertere, *patrimonium ſacrum* inuadere, atque id, quod *Dei*, vt aiunt, *lege* conſtitutum eſt, peruerſo modo eludere videantur, vt declarant *Acta SS. tom. I. menſ. Iunii p. 845. D.* Quo autem *dominium* decimarum *ſolitarium* ſibi clerus eo magis firmaret, eo tandem deuentum eſt, vt ſola *poſſeſſio* laicorum *ſacrilegio* tributa, hique earum *plane incapaces* habiti fuerint, vt conſtat ex traditis apud HARDVIN. *tom. VI. conc. p. 2. p. 13. c. 2.* BALVZ. *in vlt. Pap. Auenion. tom. II. p. 702.* CRAVETT. *conſ. 874. n. 1. c. 7. de praſcr c. 15. 17. de decim.* Admodum ficulneæ ſunt rationes, quibus hanc theſin probare contendit GERMON. *lib. III. c. 13. n. 55.* aiens: *ius accipiendi decimas ſpirituale eſt, quod laicorum eſſe non poteſt, tum quod Deo conſecratæ ſunt, tum quod eas primum ſibi Deus conſecrauit, non homines.* Idem quoque ſenſiſſe videtur HIERONYMVS, quia eas *c. vlt. C. 16. qu. 1. iuris diuini* eſſe aperte pronunciat. Tota huius *ſpiritualitatis* ratio ex *lege* diuina

(XX) ſacrilegium decimarum

cuius ratio euoluitur

veteris testamenti desumta est, ad cuius autoritatem quoque HIERONYMVS *cit. loc.* prouocauit. Notum videlicet est, lege veteri Deum sibi decimas ex peculiari ratione vindicasse. *Exod. 22. Leuit. 27. Deut. 14.* idque, vt INNOCENTIVS III. *in c. 16. de decim.* philosophatur, *in recognitionem dominii uniuersalis.* Hanc legem in suam partem traxit ecclesia Romana, atque sub eius prætextu decimas de omnibus rebus sibi vindicauit, v. gr. *de militia, de negotio, de artificio, de lanarum tonsione, & de ceteris quibuscunque sibi a Deo largitis commerciis*, vt censuere patres *in concil. Trosleian.* apud HARDVIN. *tom. VI. P. I. p. 521.* Nolo vero hanc causam denuo hic agere, de qua fusius iam actum tum titulo *de decimis*, tum *tom. I. consult. & decis. P. I. resp. 4.* ostensumque, inanem esse conceptum *spiritualitatis*, nec *decimas* a reliquo ecclesiæ patrimonio distinguendas.

(XXI) Sacrilegium oblationum.

§. CXVIII. Intimam cum decimis connexionem habere censentur *oblationes*, quæ si fraudulenter ecclesiis subtractæ fuerint, nouam speciem, & quidem SACRILEGIVM OBLATIONVM (XXI) constituunt. Praxis *oblationum* primitiuæ ecclesiæ *tom. III. p. 156.* declarata, ostensumque est, eas non in *necessitate*, sed nuda *voluntate*, atque *libero arbitrio* offerentium fundatas fuisse, teste TERTVLLIANO *in apolog. c. 39.* confer. FLOERK. *de orig. bon. mens. episc. §. 2.* Quia vero hæ oblationes vsum *pium & finem spiritualem* habere videbantur, earum inuasio, maxime a laicis facta, summo *sacrilegio* tributa, vt censuerunt patres in *concil. Londinens. de anno 1342.* eiusque *c. 4. & 6.* apud HARDVIN. *tom. VII. concil. p. 1680. c. vlt. C. 16. qu. 2.* Imo postquam precibus interuenientibus, quod a laicis oblatum esset, iterum Deo oblatum solenniter fuit, non potuit non tam graue crimen in earundem inuasione constitui. Sicuti vero hæc a traditis nostræ ecclesiæ alienissima sunt, ita simul patet, in nostris ecclesiis corpus delicti, quo conficitur sacrilegium, deesse, & simplex tantum superesse furtum, quanquam quædam oblationes, alio tamen in sensu, supersint, vti sunt nummi missales, die Opfer-Pfennige, vel per sacculum sonantem in vsum pauperum collecti, quæ ad *eleemosynas* pertinent, de quarum furto iam supra egimus. conf. LYNCK *ad decret. tit. de decim. §. fin.* & WILDVOGEL *de eo quod iustum est circa oblat. per saccul. sonant.*

§. CXIX. Sæpius iam monitum est, omnia, quæ ecclesiarum sunt, ex qualitate accessorii *spiritualibus* per abusum accenseri, & quia etiam *iura propria* habent, paucis adhuc examinandum erit, qua

qua ratione (XXII) *iurium ecclesiasticorum sacrilegium* committi possit. Ex qualitate ipsius ecclesiæ, cui inhærent, suas prærogatiuas obtinent. Sicuti ergo illa *sacrosancta* censetur, ita multo magis hanc sanctitatem his sartam tectamque seruare studuerunt. Acriter huius immunitatis sanctitatem defendit INNOCENTIVS III. passim in epistolis suis, præcipue autem in *epist. 448. lib. I. edit.* BALVZ. *p. 264.* in qua Regem Portugalliæ multis verbis adhortatur, vt censum Regni sui, quod sedi apostolicæ iam *epist. 481.* censuale esse asseruerat, eo, quo decebat, modo præstaret, ne, sin secus fecerit, iura ecclesiæ *sacrilega præsumtione* inuadere videretur. Idem quoque omnibus priuilegiorum ecclesiasticorum temeratoribus obiectum in *fin. synod. Treuirens. de anno 1548.* apud HARDVIN. *tom. IX. concil. p. 2077.* Incidit autem speciatim in hoc *iurium ecclesiasticorum sacrilegium*, 1) qui *iura electionis* inuadit, & contra priuilegia data alium ecclesiis pastorem non legaliter electum obtrudit. Hoc sacrilegii crimen Regibus Galliæ imputat BENEDICTVS III. *in confirmat. priuileg. monast. Corbeiens.* apud HARDVIN. *tom. V. conc. p. 104.* ac inter alia *p. 108. cit. loc.* ita ratiocinatur: *Qui regia donationis potestate suffultus, & non per electionis gratiam super dominicam gregem primatum arripit, hic non pastor*, i. e. *vicarius Christi, sed fur, atque latro esse cognoscitur, nec vt dominicam gregem custodiat, sed vt perdat & dissipet, intrare deprehenditur. Vnde quisquis ei potestatis huius tribuit dominationem, de morte tantarum animarum in die iudicii reus iudicabitur, quantis hic per prauitatis exempla causa fuit perditionis;* paucis vero interiectis, *scelestissimum* hoc *impietatis sacrilegium* vocat, non alia de causa, quam quod iura sacra violata & vsurpata fuerint.

(XXII) Sacrilegium iurium ecclesiasticorum

hoc committunt 1) qui iura electionis inuadunt

§. CXX. Eodem modo 2) *sacrilegi* censentur, qui *ostiis ecclesiarum obicibus obstructis impedimento sunt, ne vlli cuiquam accessus pateat ad easdem*, vt patet ex iis, quæ relata sunt apud VGHELLIVM *tom. IV. Ital. sacræ p. 754.* quod nonnunquam *patronos* ex iure *proprietatis*, quod in suas ecclesias sibi adscribebant, fecisse, perspicue docet locus PETRI de MARCA *dans l' histoire de Bearn. lib. V. c. 30.* relatus *tom. III. tit. de iur. patronat. § 34.* Habent enim hoc *ecclesiæ*, vt *opera publica*, præcipuum, vt liber introitus atque discessus cuilibet pateat, *clericis* non tantum, vt in *missis psalmisque* cantandis, ceterisque *sacris* peragendis suo fungantur officio, verum etiam *laicis*, vt & hi eisdem intersint, *cultumque diuinum* simul peragant. Hoc ergo qui quouis modo impediunt, atque prohibent, *iurium ecclesiasticorum*

2) qui clausis ecclesiis aditum liberum ad easdem denegant.

teme-

temerarii *inuafores* cenfentur, eoque maiori animaduerfione digni, quo magis hoc ipfo *religio*, quæ in *cultu externo* non leue momentum habet, ad tempus ad minimum impeditur & retardatur, ac imperium in ecclefias *per indirectum* a laicis vindicatur. Iam vero folitarium fibi *clerus Romanus* in eas arrogat *imperium*, nulla habita ratione eius, qui in republica τὸ κύριον gerit, cuius quidem fuprematum in *fecularibus*, non vero *ecclefiafticis* agnofcit. Sicuti ergo princeps vel patronus, qui liberum hunc ad ecclefias acceffum prohibet, fpeciem *iurisdictionis ecclefiafticæ* exercere videtur; ita non potuit non tanquam raptor, atque *facrilegus* vfurpator *iurium ecclefiafticorum* haberi, qui regiminis ecclefiaftici fafces turbat, & proinde in *facrilegium hierarchiæ* incidit, ceu fupra oftendi.

3) qui ecclefias ædificari & confecrari prohibent.

§. CXXI. Pari ratione 3) *facrilegi* cenfentur, qui *ædificationem* & *confecrationem ecclefiarum* impediunt, quippe qui impedire creduntur *cultum diuinum*, quem in exftructionibus ecclefiarum quoque collocant, vt *tom. III. tit. de confecr. eccl. §. VIII.* obferuaui. conf. CORVIN. *Inftit. iur. can. lib. II. tit. 21. §. 13.* Huc collineaffe videntur patres in *concil. Lateranenf. de anno 1110. Sunt præterea quidam, qui vel violentia, vel fauore non permittunt ecclefias regulariter ordinari, hos enim decernimus vt SACRILEGOS iudicandos.* Eft enim non tantum publice *vtile*, ecclefias ædificatas *confecrare*, verum etiam ex doctrina canonum abfolute *neceffarium.* Neque enim *facra myfteria* in *loco profano* regulariter celebrari poffunt, qualis non tantum is cenfetur, qui nunquam cultui diuino deftinatus, fed etiam, qui in hunc vfum feparatus quidem, *rite* tamen & *folenniter* nondum per *confecrationem* initiatus eft, quod fupra *cit. l.* oftenfum eft. Confiftunt autem præcipue iura ecclefiarum in earum *immunitate*, quæ multos peculiares effectus producit, quos *tom. III. tit. 49.* explicui. Primarius effectus eft 4) decantatum illud *ius afyli*, vi cuius ab ecclefiis nemo inuitus *violenter* abftrahi abfque reatu *facrilegii* debet, docente LANCELLOT. *L. 2. tit. 20. §. 5.* Debetur hoc facrilegium *fanctitati internæ locorum*, quos tanquam confecratos violare, nefas effe crediderunt patres. Ceterum *violentas*, inconfulto iudice ecclefiaftico, nulla caufa cognita, factas abftractiones tantum reprobarunt; ad petitionem enim criminofos profugas iudicibus fub certis cautelis tradere folent, vt patet *ex c. 6. X. de immun. ecclef. & decretis concil. Colonienf.* relatis ab HOSPINIANO, *de orig. templ. Lib. I. c. vlt. p. 72. & 73.* conf. *l. 4. §. fin. C. Theodof. de his qui ad ecclef. conf. l. 6. cod.*

4) qui ius afyli violant

§. CXXII.

§. CXXII. Iuribus ſacris quoque *iura ſepulturæ* annumerantur, quibus non minorem ſanctitatem immunitatemque canones adſcripſerunt, poſtquam *cœmeteria* ex *benedictione* ſolenni rebus *religioſis* accenſeri, & ita eorum quoque iura *ſpiritualia* dici cœperunt. Quocirca etiam ratione SEPVLTVRAE (XXIII) SACRILEGIVM committi poſſe arbitrati ſunt. Ipſa *ſepulcra* apud Romanos ab omni violatione exemta fuiſſe, vel inde patet, quod cadauera ſpoliantes, ad exemplum *ſacrilegorum*, pœnis grauiſſimis ſubiecerint, & religionem ex principiis gentiliſmi, loco tali inhærentem, vindicauerint, vt ſupra *§. XXII.* probatum dedi. Eandem concluſionem repetiit ius canonicum *tit. de ſepultur.* nec aliter potuit, poſtquam cœmeteriis religionem ex *benedictione* attribuit, ſacrilegium autem præter *contrectationem* in quauis *violatione ſacrorum* conſiſtere docuit. Multo magis ergo hoc obtinere debet, ſi ipſa *ſepulcra* plane *deſtruuntur*, *funditusque eradicantur.* Hoc facinus eo grauius viſum ſacrilegioque adnumeratum fuit, quo magis hoc modo locus religioſus contemnitur a priuatis, quibus in illum nullum ius conceſſum. Neque hic *clerici* exemti ſunt, ſed idem crimen debitis pœnis luere tenentur, ceu patet ex iis, quæ refert HARDVIN. *tom. III. p. 1824.* Magis adhuc *ſacrilegi* ſunt, qui non in ſola *violatione* ſubſiſtunt, ſed ſimul *furtum cadaueris mortui* committunt. Obiicit hanc ſpeciem inter alia crimina Decano cuidam INNOCENTIVS III. *L. 1. ep. 209.* quod nimirum eccleſiam aliam intrauerit, corpusque mortuum in eiusdem eccleſiæ præiudicium ad ſuam eccleſiam deferri curauerit. Variis ex fundamentis hoc in caſu crimen hoc deductum fuit, quod non tantum *fraudulosa contrectatio* concurrere, verum etiam ipſius *eccleſiæ* locus, *iuraque* admodum violata ac læſa viderentur. Idem quoque dicendum videtur, ſi tale quid factum in cœmeterio, quod ſeorſim exſtructum eſt, quia etiam hoc *benedictione* initiatur & *immunitate* atque *aſylo* gaudet.

(XXIII) ſacrilegium ſepulturæ.

§. CXXIII. Quis vero crederet, etiam (XXIV) IVRAMENTORVM SACRILEGIVM conſtitui, & huc referri? ſed res ſalua eſt. Sunt iuramenta ex doctrina canoniſtarum *cultus diuini ſpecies*, magnaque cum religione & deuotione præſtantur. Hanc ergo violat, conculcat, ſpernit, qui periurium perpetrat, & ita incidit in crimen grauiſſimum, quod *ſacrilegium* vocant. Qui iurat, Deum in *teſtem* vocat ac *vindicem* de veritate eius, propter quod iuramentum præſtatur. Qui ergo peierat, nomen Dei in *vanum* aſſumit, polluitque *mendacio.* Sicuti vero *profanatio* rei cuiuscunque *ſacræ* ſacrilegium opera-

(XXIV) Sacrilegium iuramentorum

operatur, ita nullum dubium esse, aiunt Catholici, quin idem crimen per profanationem eius contrahatur, quod omnium maxime *sacrum* nobis esse debet, quale est nomen diuinum. Variis argumentorum coloribus hoc *sacrilegii* facinus ex commisso periurio defenderunt patres in *conc. Toletan. VIIII. de anno 1653.* apud HARDVIN. *tom. III. conc. p. 957.* & *Duziacensi I. de anno 871.* apud EVND. *tom. V. Conc. p. 1286. seq.* Inter alias autem rationes *loco primo cit.* ita euixere: *Si attestante veritate, propter profanationem periurii euitandam prohibetur omnino iurare, quomodo impunitum erit, nomen tantæ gloriæ profanasse, dum in eo laxata fides dignoscitur interiisse, vel quatenus pacis fœdera inter gentium dissidia ligabuntur, si non iuramenti pacta sanctiori integritate seruentur?* Tota ergo ratio in *despectu*, & *contemtu* eius posita est, per quem *iuramentum* præstitum est. Quamuis autem non negandum, periurum pessimum facinus perpetrare; in quod pro *grauitate malitiæ* merito animaduerti debet, vt patet ex *art. 107. & 108. C. C. C.* non tamen proprie cum *sacrilegio* connexionem habet, nisi eodem in *sensu latiori* vsus fueris, id quod non tantum loca *supra cit.* demonstrant, verum vlterius illustrat INNOCENTIVS III. *Lib. II. ep. 179.*

(XXV) Sacrilegium festorum.

§. CXXIV. Sunt præterea festa sancte & citra profanationem peragenda, alioquin delictum committitur, quod (XXV.) SACRILEGIVM FESTORVM vocari posset. Semper enim impium, *religionique Christianæ* incongruum visum fuit, his temporibus, ad *animæ culturam* destinatis, ea agere, quæ ad corporis, animique hilarioris delectationem pertinent, exceptis iis, quæ *pietatis* vel *necessitatis* speciem habere videbantur, quorsum in *l. 3. C. de fer.* non tantum *agricultura*, verum etiam in *c. 3. X. h. t. captura halecum* relata est. Hæ patrum constitutiones non adeo reprobandæ sunt, quamuis exinde *sacrilegii* reatus deduci aut defendi nequeat. Dies ipsi festi enumerantur in *c. vlt. de fer.* in quibus ea reprobantur, quæ *profani* quid spirant, qualia coniunctim recensentur in *cit. C. VI. tit. VI. concil. Bituricens.* de *anno 1584.* apud HARDVIN. *tom. X. p. 1466. Prohibetur populus profana sodalitia & commessationes, choreas, tripudia, laruas, & theatrales ludos iisdem diebus festis exercere: pompas instrumentorum musicorum & tympanorum in gestationibus imaginum per vias & compita exhibere: & si quid olim sanctorum in vacationibus aduersariis ansam maledicendi præbuit: a cauponibus abstineant, & nil, nisi quod pietatem redoleat, exerceant.* Imo, quod mireris, non tantum *concubitus*

bitus coniugum tanquam *profanus* diebus festis damnatus est in *capitulis* HERARDI *Turonensis* apud HARDVIN. *tom. V. conc. p. 454.* verum etiam in specie *barbitonsoribus* interdictum, ne his temporibus *barbas* radant, vel *molitoribus*, ne *molendina* exerceant, vid. *Stat. Synodal.* apud D' ACHERI *in spicileg. ecclesi. tom. I. p. 735. b. nou. edit.* Ceterum qui neglectis his praeceptis *festorum sanctitatem* violant, ex saepius traditis principiis *sacrilegii* crimine se polluunt. Festos dies in genere quocunque labore *sacrilegio* violari, refertur in *Actis SS. ad diem 15. Iun. p. 1087. A.* Magis tamen aduersus hos, qui ludicros actus exercent, incanduerunt patres, atque *dansatrices*, festis diebus per *plateas* ambulantes, nec non *ebrietate scurrilitateque* eosdem violantes in CHILDERICI *Regis constitutione* apud HARDVIN. *tom. III. p. 334.* vel superstitiosas *Calendis Ian.* cantationes celebrantes in epist. ZACHARIAE apud EVND. *tom. III. conc. p. 1880.* pro *sacrilegis* declararunt. Idem *sacrilegii* reatus iis quoque imputatus est, qui publicas *nundinas*, & *mercaturas* celebrant pendente *festiuitatis* tempore in *conc. Rothomagens. de anno 1581.* apud EVND. *tom. III. p. 128.* quo loco patres ad festorum institutionem prouocant, & ex hoc fundamento hoc *sacrilegium* deriuant.

§. CXXV. *Sanctitatis veneratione* etiam munita est *potestas* *secularis*, quae *Regi*, *principi*, seu supremo imperanti in republica debetur, adeo, vt *maiestatis* violator graui crimini se obnoxium faciat, quod ex principiis Catholicorum (XXVI) SACRILEGIVM REGALE dicere liceat. Hoc crimen in violatione maiestatis regiae quaesiuisse etiam gentiles *§. 40.* demonstraui, insimulque ostendi, legibus *diuinitatem* principibus attributam fuisse, quae non poterat non hunc reatum in iis, qui hanc diuinitatem conculcabant, operari. Eadem videtur esse canonum dispositio, ex *diuerso* licet hausta fundamento, quod patres in *sanctitate externa dignitatis* quaesiuerunt. Inter alia *sacrilegia*, quae SVERO Tyranno obiicit INNOCENTIVS III. *Lib. I. ep. 382. & 384.* etiam hoc relatum est, quod *regalem dignitatem* Regni Norwegiae non electione principum legitima, aut sanguinis iure occupauerit, sed vt eiusdem *violator sacrilegus*, ceu INNOCENTIVS *cit. loc.* loquitur: *per effusionem sanguinis, & violentiam occupauerit, in matris infamiam se asserens de regali progenie* descendisse. Vtrumque factum ita comparatum erat, vt directo in *regiae dignitatis* impingeret *sanctimoniam*, quae absque *sacrilegio* dehonestari non poterat, etiam ex sententia *Synodi Turonens. de anno 1583.* apud HARDVIN.

(XXVI.) Sacrilegium regale.

tom.

tom. X. p. 1392. Imo ſola *contradictio* imperanti facta BERNARDO ſacrilegio attributa fuit, vt patet ex eiusdem *excommunicatione*, relata ab HARDVIN *tom. VI. p. 1. Conc. p. 39.* quod *ſuprema*, & a Deo collata *poteſtas*, peculiarem ſanctitatem, atque inuiolabilitatem principibus acquirat, quamuis rurſus hic ſignificatus improprius ſit. Quo magis autem *Regis* nomen, voluntas & officium in genere quibuslibet *ſancta* eſſe debent, eo adſtrictiori ſtudio ſubditi ſuos principes, quibus fidem *ſacramento* promiſerunt, venerari tenentur: *ſacrilegium quippe eſt, ſi violatur a gentibus regum ſuorum fides promiſſa, quia non ſolum in eos ſit pacti transgreſſio, ſed & in Deum quidem, in cuius nomine ipſa ſit promiſſio* ex ſententia *Concil. Tolet. IV. de anno 663.* apud EVND. *tom. III. p. 593.* Adeoque hoc caſu præter perſonæ inuiolabilitatem, etiam *periurii* ratio habetur, quod per ſe *ſacrilegium* iam perficit, vt ſupra oſtendi. Vnde patres grauiſſimo anathemate hoc crimen vindicarunt: *anathema ſit in conſpectu ſpiritus ſancti, & martyrum Chriſti, atque ab eccleſia Catholica, quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni communione Chriſti alienus; neque partem iuſtorum habeat, ſed cum diabolo & angelis eius æternis ſuppliciis condemnetur &c.* Ita ſentiunt patres ex principiis hactenus traditis, & non ſine ratione hanc *Auguſtæ maieſtatis* profanationem contra nefarios ſubditorum aliorumque auſus vindicant. Vtinam vero pontifices huius doctrinæ memores fuiſſent, maieſtatemque ſummorum imperantium *ſacrilegis excommunicationibus* haud violaſſent atque prorſus contriuiſſent!

(XXVII) Sacrilegium pauperum.

§ CXXVI. Perſonis *ſanctis* ſuo modo accenſentur *pauperes*, non quod iis *reuerentia* debeatur, ſed quod eorum iura absque ſacrilegio turbari aut violari non poſſint, vnde (XXVII) SACRILEGIVM PAVPERVM naſcitur. Magnam curam olim ſub primordio Chriſtianiſmi pauperum habitam fuiſſe, non tantum in *colligendis*, verum etiam in *diſpenſandis* iis, quæ *pauperum gratia* in eccleſiis *offerebantur*, tempora *Apoſtolorum* nos docent. Quod ſicuti *pium*, atque *laudabilem* finem pro ſcopo habebat; ita e contra *impium* atque *ſacrilegum* exiſtimauit MARCVS ANTONIVS de DOMINIS *de republ. eccleſ. lib. IX. c. 5. n. 41.* ſi quis bona iis deſtinata fraudulose ſurripere, ſibique vſurpare præſumſerit. Lata eſt hæc lex non tantum contra *extraneos*, ſed potiſſimum contra horum bonorum *adminiſtratores*, ne hi ſub prætextu *diſpenſationis* ex iis quædam iniuſte retinerent, vt claris verbis diſpoſitum eſt in *conc. Colon. 1. de anno 1536.* apud HARDVIN. *tom. IX. conc. p. 2022.* Id quoque ad illos clericos tractum, qui propter

ſua

ſua *ſtipendia* victum pauperum retinent: confer. *Act. SS. ad diem 10. Iun. p. 350. A.* Equidem clerici de his reditibus partem capiebant, vt docet antiqua eorum diuiſio; ſed ſimul manifeſtum eſt, illos pedetentim pauperes ab horum participatione prorſus excluſiſſe, quod vtrum ſine *ſacrilegio* fieri potuerit, ipſi viderint.

§. CXXVII. Agmen denique claudat (XXVIII.) SACRILEGIVM PECCATORVM CLERICALIVM, quibus abiecta omni honeſtate ſe maculant hi, qui aliis exemplum eſſe debebant. Sunt clerici in diuinam ſortem electi, atque ex *officio*, quod gerunt, *ſacro* a *laicis* diſtincti. Conuenit ergo, vt hi vitam *integram* atque *honeſtam* præ ceteris profiteantur non tantum, ſed etiam reuera agant, *iniuſtitiam* auerſentur, & *peccata* quouis modo deteſtentur. Quocirca in huius legis transgreſſores clericos ſeuere animaduerſum, & ſub prætextu *ſacrilegii* commiſſi grauiores pœnæ conſtitutæ fuerunt. Inter peccata clericalia GREGORIVS VII. in *epiſt. ad Alphonſ.* apud HARDVIN. *tom. VI. p. 1. p. 478.* refert 1) *mendacium*, idque, cum in laicis *ſimplex peccatum* conſtituat, in clericis *ſacrilegium* operari exiſtimat, inde ſine dubio, quod, quo maior his, tanquam *verbi diuini miniſtris*, dexteritas congruit; eo grauius crimen ab iisdem contrahatur, quoties illa dexteritas *mendaci* ſermone polluitur, *legisque ſacræ* autoritas tantopere *læditur*, quo ſenſu ſacrilegium a quibusdam accipi iam docui. Sæpe etiam 2) reſpectu *clericorum* eſt *delictum*, quod laicis permiſſum, vt vel *coniugium* docet, quod *ſacrilegum* vocat LVPVS *tom. IV. oper. p. 16.* Maiori iuris ratione 3) huc referri poſſet *excommunicatio ſine iuſta cauſa & indiſcrete facta*, quæ ſub pœna grauiſſimi *ſacrilegii* expreſſe prohibita eſt in *c. 5. C. 24. qu. 3.* CORVIN. *inſtit. iur. can. lib. IV. tit. 44. §. 6.* Neque enim deſunt eccleſiæ Romanæ doctoribus rationes, quibus hanc ſpeciem illuſtrare poſſint. Volunt, *excommunicationem* inter res *ſpirituales* referri, eique *virtutem diuinam* tribuunt, adeoque non poſſunt non excommunicationis abuſum inter *ſacrilegia* referre, quum eo ipſo inſignis rei *ſpiritualis abuſus* concurrat, qui absque *ſacrilegio* ex eorum principiis perpetrari nequit. Similem quoque *abuſum* rei *ſpiritualis*, & per conſequens 4) *ſacrilegium* committere dicitur *ſacerdos, qui nullum beneficium parochiale habet*, aut *epiſcopo per examen idoneus iudicatus non fuit, & tamen ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrare contendit.* Refertur *pœnitentia* inter *ſacramenta*, quorum ſanctitas atque veneratio a nemine in vanum adhiberi, aut in *abuſum* deduci poteſt, quod ſeueriſſime prohi-

(XXVIII.) Sacrilegium peccati clericalis.

bitum in *concil. Mexicano de anno 1585.* apud HARDVIN. *tom. X. Conc. p. 1727.* Plura addere non placet, cum ex adductis speciebus palam & manifestum sit, quæuis fere facinora, & quoscunque excessus in hunc deduci posse reatum, si stylo patrum luxurianti insistendum est, vnde tamen conceptus rerum moralium admodum turbantur.

(III.)

De obligatione heredum ex sacrilegio aliove delicto defuncti ad damnum resarciendum.

Obligatio delinquentis ex delicto ad damnum resarciendum, & heredum.

§. CXXVIII. Adductæ *sacrilegiorum* species, quæ circa *res*, æstimationem recipientes, committuntur, a reliquis in eo discrepant, quod obligent delinquentes ad damnum resarciendum, in quo *satisfactio* iuris canonici consistit. *c. 2. 3. 5. X. h. t.* Neque vero tantum ad hanc tenentur ipsi sacrilegi, sed eorum etiam *heredes*, & quidem *indistincte*, si vel maxime ad eos ex delicto defuncti nihil peruenerit. In hoc *ius canonicum* secessum a *iure Romano* fecit, nec, quod in *c. 5. X. h. t.* traditur, *sacrilegio* proprium, sed omnibus delictis commune est, quibus a defuncto damnum patrimoniale illatum, cuius rationes & vsum inter Protestantes expendere iuuat.

Obligatio heredum est ex iure naturæ,

§. CXXIX. *Iure gentium* etiam heredes obligari ad damnum resarciendum datum a defuncto delinquente, quousque *bona hereditaria* sufficiunt, non sine ratione censuit B. THOMASIVS *de larua L. Aquil. detracta actioni de damno dato §. 13.* Etenim secundum mores gentium heres ad omnia defuncti debita soluenda tenetur, nec vlla concludens ratio adest, quæ hoc debitum excipiat. Defunctus *debitor* intuitu huius damni dati, & ad illud resarciendum ex suo patrimonio obstrictus fuit, id quod cum ad heredem cum commodo quouis perueniat, merito quoque is onera eius ferre debet. Recte GROTIVS *de I. B. & P. lib. III. c. 2. §. 1. Mero iure naturæ ex facto alieno nemo tenetur, nisi qui bonorum successor est: vt enim cum oneribus bona transirent, simul cum dominiis rerum introductum est.*

Doctrina Romani iuris diuersa.

Ab hac tamen sententiá suo modo secessum fecerunt *Romani*, generatim constituentes, obligationem ex delictis seu criminibus esse *personalissimam* & morte delinquentis extingui, nisi *lucrum* ex delicto a defuncto dato in bonis hereditariis deprehendatur, quod damnum passo restituendum, quia iniustum lucrum heredibus prodesse non debet.

Re-

Regula adducta in *iure antiquo ciuili* fundata erat; limitatio vero in *iure prætorio*, quod *ex æquitate* actionem *in factum* contra heredem dabat, ad turpe lucrum eis extorquendum. Atque hæc obligatio diuersa erat ab obligatione defuncti: hic *ex delicto* in *solidum* ad damnum resarciendum obstrictus erat, si vel maxime nullum inde sensisset commodum: ille tenebatur vnice ex fundamento *æquitatis naturalis*, quæ non permittit, heredem lucrari ex delicto defuncti, quæ obligatio *perpetua*, & a priori longe diuersa erat. *l. 17. in f. l. 19. D. quod met. causa.* In actione de *calumniatoribus* ICtus in *l. 5. D. de calumn.* hac doctrina forensi vtitur aitque: *in heredem autem competit in id, quod ad eum peruenit. Nam est constitutum* (per antiquam iuris ciuilis regulam, iure prætorio mitigatam) *turpia lucra heredibus quoque extorqueri, licet crimina extinguantur* per mortem delinquentis, id quod de *obligatione ex crimine* intelligendum; vnde simul sequitur, vt heredes in hoc casu conueniri nequiuerint, si nihil ad eos peruenisset. In hoc differebat obligatio ex *contractu* & *delicto* orta: si ex *illo* agebatur, indistincte heredes obligabantur, licet vel maxime in contractu dolus a defuncto esset commissus. *l. 12. D. de oblig. & act.* Diuersa ratio erat, si ex *delicto immediate* actio nascebatur, quæ in heredes non dabatur, nisi ex iure prætorio *in factum*, si ex delicto defuncti lucrum hereditati inesset. Ita etiam ICtus rationes subducit in actione *quod metus causa*, aitque in *l. 16. in f. D. quod met. caus. in heredem & ceteros in id, quod peruenit ad eos, datur non immerito; licet enim pœna ad heredem non transeat, attamen quod turpiter vel scelere quæsitum est, ad compendium heredis non debet pertinere.* Et quia hæc obligatio ex *æquitate naturali* est, sufficit semel ad heredem peruenisse, quo facto etiam heredis heres simpliciter est in nexu, quamuis apud primum heredem consumta fuerit. *l. 17. eod.* Ob quam causam etiam *actio in factum* in perpetuum dabatur in heredem, id quod natura actionis *quod metus causa* non permittebat regulariter. Actio *de dolo* pariter ex *delicto* erat, adeoque heredes factum defuncti non aliter stringebat, quam si essent locupletiores ex eo dolo facti per *l. 17. §. 1. de dolo mal.* ex ratione, quam CAIVS in *l. 28. eod.* suggerit: *quia non debet lucrari heres ex alieno damno.* Ipsa rei vindicatio vtilis contra eum, *qui dolo desiit possidere*, tracta est ex edicto prætoris *de dolo malo*, vnde conficitur, vt, si defunctus dolo desiit possidere, heredes eius in rem quidem actionem suscipere non cogendi sint, sed in factum actio aduersus eos reddi debeat, *per quam restituere cogantur, quanto locupletiores ex ea re facti fuerunt*, secundum *l. 52. de R. V. conf. l. 42. eod.*

temperata iure prætorio,

quod illustratur.

Porro heres eius, qui damnum dedit, non aliter tenetur, quam si locupletior ex damno factus fuerit. *l. 23. §. 8. ad L. Aquil.* Ex causa interdicti *de vi & vi armata* in heredem & bonorum possessorem ceterosque successores *in factum* actio competit in id, quod ad eos peruenit, *l. 1. §. 48. de vi & vi arm.* Ergo si nihil ad eos peruenit, omne fundamentum obligandi cessabat, quod interdicti causa proxima ex *delicto* tracta esset, *l. 3. in f. eod.* æque vt interdicti *quod vi aut clam l. 15. §. 3. D. quod vi aut clam.* Actio *in factum* contra falsum tutorem quæ competit, in heredem eius reddi non debet, *quoniam & factum punit & in dolum concipitur*, vt dicitur in *l. 9. §. 1. quod fals. tut.* h. e. immediate ex *dolo* obligatio trahitur. In *condictione furtiua* quidem vsum huius regulæ cessasse, manifestum est; sed rationes eius propriæ tale quid etiam postulabant, quas detexi in *tr. de action. sect. II. c. 5. §. 34. seqq.*

Iuris Saxonici doctrina de obligatione heredum ex delicto defuncti,

§. CXXX. Compilator *speculi Saxonici lib. 1. art. 6.* sententiam iuris Romani, quod præ oculis habuisse videtur, amplexus est, regulam hanc constituendo: Wer das Erbe nimpt, der soll zu Recht die Schuld gelten, alß ferne das Erbe weret, mit der fahrenden Habe. Hæc regula tamen officium suum perdere dicitur in debitis ex *delicto* ad damnum resarciendum, nisi ad heredes aliquid ex eo peruenerit: Dieberey, Raub, oder Spiel-Geld ist er nicht pflichtig zu gelten, noch keine dergleichen Schuld, dann solche, der er Nutz oder Wiedererstattung empfangen hätte, oder da er wäre Bürge für worden. Latius hæc exceptio, & quidem vltra iuris Romani dogmata, extensa etiam ad *furta & rapinas*, ex quibus heredes per *condictionem furtiuam* indistincte ad indemnitatem tenentur, etsi nihil ad eos peruenerit. Credo, Saxonem subtiles rationes in *condictione furtiua* haud agnouisse, si, quod probabile est, hanc exceptionem ex *iure Romano* petierit; vel si huius iuris scita ob oculos non habuit Saxo, ad minimum tamen obligationem *personalissimam* delinquentis ex delicto, æque ac ICti Romani, esse arbitratus est, vt tamen iniquum lucrum ab herede extorqueretur. In

& speculi Sueuici.

speculo Sueuico art. 100. iuxta edit. SCHANNATTI *p. 223.* & *c. 255.* secundum *edit.* Dn. de BERGER. *p. 16.* fere eadem doctrina refertur, noua tamen adiecta distinctione: Diebheit noch Spiel noch Raub noch Wucher ist niemand schuldig zu gelten für den andern, ob er wieder kein Gericht gethan hat. Ist aber eine Schuld auf ihn gezeuget, ohne die ich iezo habe genennet, die erzeugen Schuld sollen die Erben büssen, dem

dem Kläger und dem Richter. Ist aber keine Schuld auf den todten Mann erzeuget, so büssen das die Erben nicht. Hat er dis Guth verzehret mit den Erben, sie sollen es gelten gar; aber haben sie das nicht genossen, und ist auf den Todten nicht gezeuget, sie gelten sein nicht. Secundum hanc sententiam heredes prorsus non tenentur ex *furto, rapina, lusu,* & *vsuris* defuncti: quæ coincidere videntur, cum vsuræ *furto* æquiparentur *iure pontificio, c. si quis C. 14. qu. 4.* & quod *lusu* acquisitum, parum ab hoc differat moraliter. Ex aliis delictis distinguendum erat: vtrum iam, viuente delinquente, probata erant nec ne? Priori casu tenebantur *heredes* ex delicto defuncti ad reparationem damni; non æque posteriori, nisi aliquid ex eo perceperint & consumserint. Pro parte hoc dogma rursus conspirat cum iuris *Romani* & *Saxonici* doctrina, pro parte vero recedit ab vtroque, vt credibile sit, speculatorem retulisse sententiam, quam partim ex *doctrina forensi*, partim ex proprio ingenio traxit, & instar *iuris communis* tradidit.

Veteres iuris parœmiæ de hac doctrina;

§. CXXXI. Ex his iuribus natæ sunt variæ iuris parœmiæ, veluti, **der Dieb bezahlet mit dem Stricke**, quæ sententia cum *iure Sueuico* prorsus conuenit, a iuris Romani sententia vero abit. Generalior est hæc, quam tradit HERTIVS *in paræm. iur. lib. III. par. VII.* **mit dem Hals bezahlet man alles**, vel, vt *gloss.* ad *lib. II. iur. Sax. art. 35.* ait: mit dem Tode wettet man zugleich dem Richter, und büsset dem Kläger. Argumentum hoc inter ICtos Saxoniæ in grauem tractum est disceptationem, FINCKELTHVSIO *obs. 59.* heredes ex sententia *iuris Romani* ad restitutionem adstringente, CARPZOVIO vero *qu. 80. pr. crim. n. 101. seqq.* eosdem absoluente. Illi quidem sese adiunxere *ICti ducales*, vt RICHTER *P. II. consil. 356. n. 2. & 20.* PINGITZER. *qu. Saxon. 49. n. 39. sqq.* STRVVIVS *ex. 48. th. 22. inf.* Sed in *electorali* Saxonia CARPZOVII doctrina præualuit, confirmata in *decis. elect. 86.* Wiewohl hierinn bey denen Rechtslehrern allerhand widrige Meynungen, die zum Theil auf subtilitates iuris hinauslaufen, zu befinden seyn; so ist doch der Billigkeit und unser 12. constit. p. 4. gemäß, und in unsern Landen vorlängst also gesprochen, wenn ein Dieb gehangen, oder mit Staupenschlägen des Landes ewig verwiesen, oder an statt der ordentlichen Strafe ihm das Gefängniß zuerkannt, und darinn versterben wird, auch die entwendete Sachen nicht mehr vorhanden, sondern verthan oder verwüstet sind, daß die Erben, den Werth derselben zu erstatten, solchen falls nicht angehalten werden sollen, dabey wir es auch

ICtorum Saxonicorum contentio de hoc argumento.

Electoralium, præeunte Carpzouio.

 aller-

allerdings bewenden lassen. Woferne aber der Delinquent nur der Verwahrung halber in Hafft und Gefängniß behalten, und ihm das Urtheil oder zuerkannte Straffe des Stranges angekündiget wird, er aber, ehe die execution erfolget, des natürlichen Todes stirbet, auf diesen Fall, zwischen welchen und den vorigen ein grosser Unterscheid ist, seyn die Erben den Werth der veruntraueten und gestohlnen Sachen dem Eigenthumbs-Herrn, welcher das Seinige nicht gar missen kan, aus des Diebes Verlassenschaft zu erstatten schuldig, darnach sich die unsrigen zu achten. Palam est, *ICtos ducales* secundum *ius ciuile*, *electorales* vero secundum *ius Saxonicum* eiusque *vsualem interpretationem* respondisse, vt *pœna capitalis* vel *corporis afflictiua* absolueret heredes a restitutione rei furtiuæ, nisi adhuc extaret. Durauit hæc lex vsque ad *ann. 1719.* quo nouo edicto *de d. 27. Iun.* in aliam sententiam itum, &, priori lege sublata, sancitum hoc modo: gleichwie nicht minder die bishero erzehlte Verbrechen, so mit Lebens-Straffe oder Vestungs-Bau beleget werden, so wohl als der hingerichteten Missethäter Erben, ob schon das gestohlne Gut in natura nicht mehr zugegen, oder bey ihm vorhanden, dennoch aus sothaner Delinquenten Vermögen, denenjenigen, welchen das ihre entwendet worden, solches hinwieder gehörig nach dem Werthe, den allenfalls der beraubte und bestohlne endlich anzeigen wird, zu ersetzen, als welches auch mit dem Schaden, so von Mordbrennern geschiehet, über die in der *17. Constit. p. IV.* enthaltene Straffe, also zu halten, ingleichen den Gerichten, was diese oder auch die Unterthanen, nach theils Orten Gebrauch zu Führung der inquisition bey dergleichen so wohl, als allen andern criminel-Fällen aufgewendet, ebener massen zu restituiren angehalten.

ducalium.

Noua decisio electoralis heredes obligans ad restitutionem.

§. CXXXII. Verum ne sic quidem in tuto collocatum est loco hoc argumentum, in quo rursus *ius canonicum* ab vtroque & *Romano* & *Germanico* recessit. Fundamenti loco præmittitur sententia AVGVSTINI in *c. 1. C. 14. q. 6.* *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veracitur agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Nata inde regula iuris canonici, relata in *c. 4. de R. I. in 6.* *peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum;* quam BRVNNEMANNVS *lib. I. iuris eccl. c. 6. §. 16.* magnopere commendat, *aureis literis scribendam* iudicat, suadetque, vt pastores ecclesiarum quauis occasione eam auditoribus suis inculcare iubeantur in *ordinat. ecclesiast.*

Sententia iuris canonici ex textibus.

Quia

Quia vero ecclesia Romana non tantum in hac vita, sed etiam post mortem peccata dimitti credit, ceu doctrina de *purgatorio* & de *offertorio pro defunctis* præsupponit, inde etiam ex hoc principio constituerunt pontifices, heredes in genere ob damnum a defuncto per delictum datum obstringi in *conscientia* ad id restituendum, quod absque hoc medio in altera vita peccatum dimitti non possit. Neque putandum, hanc *obligationem in conscientia* imperfectam esse, quod illi etiam leges scribat ius pontificium necessitatemque externam ei addat. Iam GREGORIVS in *c. 3. C. 16. q. 6.* ex hoc principio hanc formauit decisionem: *Si enim, vt dicunt, Comitiolus defunctus est, ab herede eius, quæ iniuste ab illo ablata sunt, sine executione reddantur.* Secundum hanc doctrinam pariter ALEXANDER III. in *c. 5. X. h. t.* ita censuit: *In literis tuis continebatur, quod cum H. multis fuisset criminibus irretitus, qui ecclesiarum incendium, diabolo instigante, commiserat, tandem in ægritudine constitutus accepta pœnitentia de commissis, per manum capellani sui fuit a sententia anathematis absolutus, sed moriens ecclesiasticam sepulturam habere nequiuit. Quapropter, si ita res se habet, mandamus, vt corpus eiusdem, appellatione cessante, facias in cœmeterio sepeliri, & heredes eius moneas & compellas, vt his, quibus ille per incendium vel alio modo damna contra iustitiam irrogauerat, iuxta facultates suas condigne satisfaciant, VT SIC A PECCATO VALEAT LIBERARI.* Idem pontifex ad eum casum, quo sacerdos quidam calicem argenteum & medietatem vnius breuiarii ecclesiæ, cui præerat, pro necessitate sua pignori obligauerat, nec reluerat morte præuentus, hoc dogma applicauit in *c. 3. X. de pignor.* hoc modo: *quia indignum est, vt eidem ecclesiæ res suæ (præsertim quæ sacris ministeriis deputata sunt) taliter debeant deperire: mandamus, quatenus, si verum est, quod adseritur, filium eius, qui ex successione ipsius patrimonii ius dicitur obtinere, moneas & COMPELLAS, vt ea recolligat, & restituat ecclesiæ memoratæ.* Parum aberat hoc factum a *sacrilegio*, quod sacerdos calicem argenteum pro suis necessitatibus pignori dedisset, & ita re sacra abusus fuisset, inde pontifex filio necessitatem imposuit ad reluendum hoc pignus, *quo sic pater eius a peccato possit liberari.* Denuo IDEM hoc dogma traxit ad vsuras a defuncto perceptas nec redditas in *c. 9. X. de vsur. Tua nos duxit fraternitas consulendos, quid sit de vsurariorum filiis obseruandum, qui eis, in CRIMINE VSVRARVM defunctis, succedunt, aut extraneis, ad quos bona vsurariorum adseris deuoluta? Tua igitur quæstioni literis præsentibus respondemus,*

mus, quod filii ad restituendas vsuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viuerent, cogerentur. Id ipsum etiam contra heredes extraneos credimus exercendum. Eodem ergo modo obligantur heredes ad restituendas vsuras, quo obligatus fuit defunctus. Ideo autem defunctus ad hoc fuit obstrictus, *quod peccatum non remitteretur, nisi restitueretur ablatum*, vt sic a peccato, quod per vsurarum extorsionem incurrerat, posset liberari, vt IDEM *c. 5. X. de vsur.* rationes subducit. GREGORIVS IX. in *c. f. X. de sepult.* interrogatus de parochiano, qui pro manifestis excessibus, videlicet *homicidio, incendio, violenta manuum iniectione in personas ecclesiasticas, ecclesiarum violatione & incestu* excommunicatus fuerat, sed ante mortem absolutus, heredibus inter alia iniungit restitutionem damnorum. *Sed eius heredes*, ait, *& propinqui, ad quos bona peruenerunt ipsius, vt pro eodem satisfaciant, censura sunt ecclesiastica compellendi.* Hac de causa etiam defuncti possunt absolui, si de eorum viuentium pœnitentia per euidentia signa constiterit. Simul tamen ab heredibus satisfaciendum læsis, ideoque INNOCENTIVS III. in *c. 28. X. de sentent. excommun. in f.* addit: *Heredes quoque ipsius ad satisfaciendum pro ipso, si monitione præmissa noluerint, per districtionem ecclesiasticam compellantur.* Adstrictior adhuc in heredibus obligatio, si defunctus iis iniunxit præcepitque, vt damnum datum, veluti vsuras inique perceptas, redderent, vt INNOCENTIVS decernit in *c. 20. X. de iureiur. in f.*

Quatenus heredes obligentur?

§. CXXXIII. Tradidi potiores textus iuris canonici, vnde obligatio heredum ad damna a defuncto data resarcienda aperte liquet. In compendio hanc doctrinam complectitur sistitque RAYMVNDVS *in summ. lib. 2. tit 5. §. 24.* his verbis: *Vt autem circa heredes materia latior habeatur, nota, quod quilibet heres, siue filius, siue extraneus, non distincto, vtrum raptoris vel alterius, tenetur iure canonico ad omnia debita defuncti persoluenda: siue fuerint ex contractu vel quasi, siue ex maleficio vel quasi: siue peruenerit res illa, pro qua debitum fuit contractum, ad eum, siue non; siue lis fuerit contestata, siue non.* Obligantur vero, heredes (1) tantum secundum *vires patrimonii*, seu quatenus illæ permittunt, vt *c. 5. h. t.* decernitur, vt ne quidem *beneficium inuentarii* quoad debita *ex delicto* necessarium sit, sed heredes liberentur, si bona hisce damnis resarciendis non suffecerint. (2) Quamuis singuli ex pluribus delinquentibus obligentur in solidum, æquum tamen est, vt delinquentis heredes tantum pro rata, quod

scil. iuxta vires hereditatis

pro rata,

quod diuersa causa sit heredum & defunctorum delinquentium, teneantur. (3) Ante heredes sunt monendi ad satisfaciendum, quo monito neglecto, per *censuram ecclesiasticam* compellendi, qua imperium etiam in *conscientiam* exercetur. (4) Ita vero hæc obligatio *externa* & *coactiua* vnice ad iudicium *ecclesiasticum*, non *seculare* pertinet, adeo vt, si de satisfaciendo heredes conueniendi sint ex delicto defuncti, hæc causa ad *iudicem ecclesiasticum* & forum eiusdem spectet, cum de aliis debitis, ex negotio licito contractis, contra heredes *in foro seculari* agendum sit. (5) Non dubium tamen est, quin iudices seculares, hoc iure, iudicem ecclesiasticum implorare possint & debeant, vt heredes per *censuras ecclesiasticas* ad satisfaciendum compellat. (6) Ratio vero, cur hæc causa ad *iudicem ecclesiasticum* referri debeat, primario quærenda est in ratione *peccati*, quæ hic vertitur, *vt defunctus a peccato valeat liberari*, & purgatorii squaloribus eximi. Talem causam & inde descendentem obligationem non agit iudex *secularis*, sed *ecclesiasticus*. Equidem GONZALEZ. ad *c. 5. X. h. t. n. 3.* existimat, non fuisse mentem pontificis, incendiarium, in gratia ante restitutionem, defunctum, *vt liberetur a purgatorio*, egere restitutione per heredes facta; sed mentem eius fuisse, heredibus eam restitutionem esse necessariam, *vt liberentur a culpa, h. e. ne eam incurrant*, quod ob neglectam vel dilatam restitutionem, ab heredibus faciendam, non detineantur animæ in purgatorio, quod ex moralistis ecclesiæ Romanæ addictis docet. Meum iam non est, moralistarum expendere doctrinam, sed tantum de mente pontificis disputare. Hic vero in *c. 5. X. h. t.* aperte loquitur de *peccato defuncti*, docetque, HEREDES compellendos esse ad satisfaciendum, *vt sic a peccato* VALEAT (non VALEANT) *liberari;* quæ verba vnice *defunctum* in *singulari*, non *heredes* in *plurali* concernunt, si ab omni sophismate abstrahimus. Pariter in *c. 5. X. de vsur.* pontifex, non aliter posse vsurarium a peccato liberari, docet, quam restitutis vsuris, additque in *c. 9. X. eod.* heredes eadem districtione ad restituendas vsuras cogendos, qua defunctus, si viueret, cogeretur, quod ea intentione faciendum, *vt defunctus a peccato valeat liberari.*

mediante censura ecclesiastica, a iudice ecclesiastico,

requisito a iudice seculari.

cuius fundamentum sistitur.

Remoto dubio.

§. CXXXIV. Quæ cum ita sint, grauissimis subiecta est hæc doctrina scopulis in foris Protestantium, quando de *vsu eiusdem* quæritur. Etenim (α) iam supra obseruaui, *iuris Romani*, quod plerique in foris vt *ius commune* sequi amant, philosophiam a iuris pontificii scitis magnopere recedere, nec heredes delinquentis aliter obligare, quam quatenus ex scelere defuncti lucrum perceperunt, aut si hic post litem contestatam de-

De vsu huius doctrinæ in foris protestantium dubitatur.

1) ob iuris Romani dissensum.

2) Iuris Germanici diuersam sententiam.

decessit. (β) Iuris *Germanici* quoque sententia, ex *vtroque speculo* supra declarata, a scitis pontificum abit, quamuis alias *speculatores* non raro *iuris canonici* principia adoptauerint, maxime in causis *conscientiam* tangentibus. Hæc tamen hoc in argumento neglexisse videntur, quod illæ vnice ad *forum ecclesiasticum* non *seculare* spectent. Huius iuris ergo doctrina, quæ heredes vtplurimum absoluit, præferenda in foro videtur.

3) Ob fori ecclesiastici diuersam rationem,

(γ) Longe grauior difficultas ex eo nascitur, quod, prout ostensum, hæc *iuris canonici* sententia non ad forum *seculare*, sed *ecclesiasticum* accommodata sit, quippe quod per *censuras ecclesiasticas* heredes ad satisfaciendum cogere debet, & quidem ex *causa peccati*. Enimuero tales *causæ peccati* ad *consistoria* Protestantium non pertinent, nec *censuris ecclesiasticis* abutimur ad hominum *conscientias* constringendas, quarum vsum legitimum cum primitiua ecclesia duntaxat agnoscimus in *criminibus manifestis*, ob quæ merito a corpore ecclesiæ, vt membra putrida, delinquentes abscindi debent. Denique quando *de restituendo damno* ex defuncti delicto contra heredes agitur, consistoria de ea causa, quæ *mere ciuilis* est, cognoscere nequeunt, sed tantum *secularia*. Hæc vero secundum principia *iuris canonici* de iis iudicare nequeunt, quorum vsum penes catholicos non secularia sed ecclesiastica tribunalia duntaxat habent. Vix enim vero simile videtur, in iudiciis quoque *secularibus Catholicorum* secundum hæc principia iudicari.

4) Ob principium a protestantibus reprobatum, quod in hac doctrina latet.

Denique (δ) omnium grauissima dubitandi ratio ex eo petenda, quod in tali principio *ius canonicum* suam fundet sententiam, quod a *confessione Augustana* abit, quodque Protestantes vnanimi fere consensione reprobarunt. *Purgatorii* ignes, reliquias peccati exurentes, ignoramus; quin potius docemus & credimus, omnia remitti peccata tantum *in hac vita*, nec in *futura* expiationem superesse, adeoque defunctum non indigere ope heredum, vt, restitutione facta, defunctus eo citius a peccatis possit liberari, qua ratione vsus est pontifex. Doctrinam hanc de *purgatorio* late examinat atque refellit B. CHEMNITIVS *in exam. concil. Trid. P. III. loc. 3. sect. 1. 2. & 3.* ostenditque eam & scripturæ sacræ, & patrum dogmatibus repugnare; vnde sequitur, vt in vsu forensi conclusio iuris canonici a Protestantibus tolerari non debeat, quæ in reprobato & reiecto fundata est principio.

Noua interpretum fluctuatio de vsu huius doctrinæ.

§. CXXXV. Nihilominus hæc dubia a ICtis Protestantibus plane haud mouentur, sed in alio principio, qui dissentiunt, discrepant, quibusdam *iuri Romano*, vt *communi*, prærogatiuam dantibus; quibusdam ius *canonicum*, vt æque *commune*, & quod principatum ante ius Romanum obtinuit, præferentibus, sine indagine, vnde decisiones eius proflu-

fluxerint. Iuris Saxonici placita extra *Saxoniam electoralem* fere conſenuerunt in hoc argumento, quamuis in aliis vſum inſignem retinuerint, vt ſtatuta locorum moresque paſſim docent. Si in rationem huius iuris paſſim antiquati inquiro, forſan non errauero, ſi eam a curia Romana, eiusque inſidiis, *iuri Saxonico* ſtructis, repetierim. Quis enim ignorat, GREGORIVM XI. pontificem XIV. articulos huius iuris, vt *falſos*, *temerarios*, *iniquos*, *iniuſtos*, *haereticos*, *ſchismaticos*, & animabus hominum periculoſos damnaſſe & reprobaſſe in bulla, quam CHRISTOPHORVS ZOBELIVS *ſpeculo Saxonico* adiecit, omiſſo loco & dato. Vtrumque deſignat GOLDASTVS *in collect. LL. & conſuet. imperial. in diſcurſ. praelim.*, vbi integram exhibet bullam, inſimulque aliam ad CAROLVM IV. eo nomine directam recitat, vnde liquet, annum bullae in 1375. incidere, obſeruante STRVVIO *in hiſtor. iur. c. VI. §. 23. p. 473. ſq.* vel annum praecedentem, teſte RAYNALDO in *contin. Baron. ad ann. MCCCLXXIV. n. 2.* vbi recte hanc bullam GREGORIO XI. vindicat. Auctam eſſe hanc cenſuram ab EVGENIO IV. in *concilio Baſileenſi*, anno 1431, obſeruat GRYPHIANDER *de Weichbild. Saxon. c. 47.* ceu etiam docent ARTICVLI A ZOBELIO repetiti, quod non adeo mirandum, quia curia Romana *cenſuram librorum* iam dudum ſibi aſſeruerat ac vindicauerat. Sed vix eſt, vt huic traditioni fides habenda ſit. Duplici vice in iis *magiſter MEVS Rudolphus Block* nominatur, certo indicio, eos articulos non fuiſſe ex aliquo concilio profectos. RVDOLPHVS BLOCK eo tempore defendebat *ius Saxonicum* Pariſiis, atque adeo irritabat crabrones, vt ad *aulam Auenionenſem* putatiui abominabiles errores praeuia denunciatione deferrentur, & BLOCKIVS atro carbone notaretur. Poſſidet amicus integerrimus doctiſſimusque codicem chartaceum iſtius aetatis, in quo haec *denunciatio*, quae huic bullae anſam dedit, deprehenditur, docetque GREGORIVM XI. verum huius bullae autorem eſſe. His articulis ibidem reprobatis etiam ſequens adiectus eſt: *Duodecimus: quod heres non tenetur reſpondere de furto vel ſpolio perpetrato per illum, cui ſuccedit in hereditate: quod erroneum eſt, ſaltim in foro conſcientiae*, in quo de *remiſſione peccatorum* eorumque *expiatione* agitur. Pariter in cenſura, quae EVGENIO IV. tribuitur, itidem hic articulus damnatus: *Decimus quartus: heres non tenetur de furto vel ſpolio reſpondere, perpetrato per eum, cui ſuccedit in hereditate.* Haec *cenſura papalis* licet iuri huic, quatenus reprobatum eſt, efficaciam ſuam in totum non ſubtraxit, ad minimum tamen dubiam fecit, vt in plerisque locis minori cum fiducia principia reprobata ſequerentur,

Iuris Saxonici doctrina ex iure canonico ſubmerſa. Ex Gregorii XI. bulla.

 prae-

præsertim quod etiam quidam cum iuris Romani doctrina pugnarent. Ad minimum scopum suum obtinuisse videtur censura in designato argumento, vt extra Saxoniam electoralem omnem virtutem amiserit, quam etiam recentiori iure in ipso *Electoratu Saxoniæ* deposuit.

Iuris canonici vsum laudant plures: Meuius,

§. CXXXVI. Superest ergo tantum disquisitio, cuius iuris vsus præualeat in hoc argumento; *canonici*, an *Romani*? Aequitatem canonicam præferendam censet MEV. *P. 5. dec. 39. n. 4.* aiens: *De iure ciuili licet aliquis secus sentire possit, ex æquitate tamen canonica, quæ ad damnum alteri illatum naturalis est obligatio, ad heredes transitoria reddita est, vt teneantur, quatenus ex bonis capiunt;* atque hanc doctrinam præferendam esse prorsus arbitratur. Laudat hanc sententiam B.

Thomasius,

THOMASIVS *de Larua L. Aquil. detract. actioni de damn. dat. §. 59.* & vsum fori nostri ex decisis iuris canonici petit. Pariter *æquitatem canonicam* in hoc argumento etiam agnoscunt BRVNNEMANNVS ad *l. 23. ad L. Aquil. n. 11.* STRYKIVS *in vs. mod. ad tit. ad L. Aquil. §. 5. in f.* SCHILTER. *ex. 19. th. 73.* LEYSER *in medit. ad Pand. specim. 112. in coroll. n. 3.* imo BERGERVS *in œconom. iur. lib. III. tit. 14. §. 1. not. 3.* testis est, senatum Dresdensem anno 1647. ita censuisse, licet ipsemet arbitretur, receptionem *iuris canonici* ab *allegante* probandam esse. Equidem

Brunnemannus aliique.

Titius vnice prouocat ad ius naturæ.

TITIVS *in obseru. ad Lauterbach. obs. 1146.* itidem hodie heredes ex delictis defuncti ad damnum resarciendum obligari censet, verum non ex *iuris canonici* sanctione, sed ex *æquitate naturali. Cum enim*, ait, *obligatio intuitu bonorum sit constituta, merito ad eum, qui bona consequitur, simul transire debebat, ac in vniuersum iuxta æquitatem naturalem de transitione ita dicendum est.* Post pauca pergit: *cum enim nulla appareat ratio, quare iniquius Romanum ius, æquitati naturali præferendum sit, hinc putem, actiones ex delicto rei persecutorias in Germania in heredes transire.* Agnosco quidem in hac sententia *æquitatem naturalem*, prout supra indicaui; sed ICtis non est integrum, ad eam confugere, si *iure constituto* non deficimus. Optime *ordinat. cameral. P. 1. tit. 13.* sanxit: Die Beysitzer des Cammer-Gerichts sollen in keiner Sache, sie sey so geringe als sie immer wolle, allein auf ihr Gutbedüncken, oder eines ieden erwogene Billigkeit oder eigenen fürgenommenen und nicht denen Rechten gemässen Gewissen, sondern auf des Reichs gemeine Rechte ꝛc. Urtheil fassen und aussprechen.

Iuri communi insistendum.

§. CXXXVII. Quid ergo inter hos interpretum fluctus iurimque communium discrepantiam dicendum? In dubio *iuri communi*

ni insistendum esse, omnes fatebuntur facile: ast cum ius *Romanum* æque ac *canonicum* dicatur *commune*, quod tamen in principiis & decisione a semet dissentit, superest quæstio, cui prærogatiua concedenda sit in praxi? Grauissima *iuri canonico* obstant obstacula, & tamen *ad tit. de constit.* argumentis stringentibus monstraui, etiam in foris Protestantium hoc præ *iure Romano* receptum, & in dissensu a *iure Romano* præferendum. Hoc etiam in præsenti argumento dicendum, si modo scopulos supra §. 134. adlatos superare queamus. Faciam periculum, vtrum id propitio iure fieri possit. Et quidem *primo dubio* facile satisfieri potest, si, quæ ad *tit. de constitut. de praecedentia iuris canonici* præ *iure Romano* dixi, hic adferantur, quæ, abstrahendo a reliquis momentis, etiam hic valere debent. *Alterum* momentum, a iure Germanico petitum, iam §. 135. sub examen reuocatum, ostensumque, papam in causa fuisse, ne in hoc articulo damnato subsisterent ICti Germanici, adeo vt etiam Saxonia electoralis ab hoc iure antiquo recesserit; ne dicam, *ius Saxonicum* & *Allemannicum* in diuersas abire sententias, vt dubium sit, quæ inter discrepantes amplectenda, & pro *iure Germanico* habenda sit. Tertia ratio dubitandi, a nemine fere tacta, pondere suo non destituitur; sciendum tamen est, pontifices huc consilia sua vnice direxisse, vt non tantum in foro *ecclesiastico* iudices principia, quæ *conscientiæ* securitatem spectant, sed etiam in *foro seculari* sequerentur. Hanc intentionem prodiderunt non tantum in doctrina de *bona fide* inpræscriptione per totum tempus necessaria secundum *c. f. X. de præscript.* sed inprimis in argumento de *iuramentis*, in quo locorum ordinariis iniunxerunt, vt per censuras cogerent iudices seculares, quo secundum ius canonicum, ad animarum periculum euitandum, pronunciarent per *c. 2. de iurei. in 6.* Quid? quod GREGORIVS XI. hunc articulum ex *iure Saxonico* ideo exstirpandum esse voluerit, quod *iuri canonico* repugnaret, certissimo argumento, *iudices seculares* secundum huius principia pronunciare debere. Denique in vltimo obstaculo ipsa *decisio* a *ratione* eius separari & distingui debet. Illa sine dubio *rectæ rationi* conformis est, in *æquitate naturali* fundata, & hoc intuitu iuri Romano a Protestantibus prælata. Hæc vero spuria est, a Protestantibus non agnita, sed merito reiecta. Hanc si remoues tollisque, nihil obstat, quo minus decisio ipsa recipi queat, idque ex *æquitate canonica*, cuius fundamentum ICti in *naturali ratione*, non vero in *purgatorii doctrina* collocarunt. Hoc modo LVDER. MENCKE *diss. de reo eiusque herede ex delicto corporis afflictiuam pœnam merente* §. 20.

Canonicum tamen magis quam Romanum.

Ad dubium primum respondetur,

ad secundum,

ad tertium,

ad quartum

§. 20. ſententiam iuris canonici accipiendam eſſe credit. *Selecto igitur*, ait, *iuris canonici æquisſimo ſenſu*, & *ex naturali principio ſtabilito*, *non mirum*, *quod euidentiam rei non pauci doctores pontificii Proteſtantiumque agnouerunt*, & *heredibus*, *cum offenſa proximi quæſitorum reſtitutionem imperarunt*, *inculcaruntque*, *non dimitti peccatum*, *niſi reſtituatur ablatum. c. 4. d. R. I. in 6. Si quidem id orthodoxe explicatum*, & *a ſatisfactionis meritoriæ* & *expiatoriæ macula liberatum*, *ipſam æquitatem exprimit.* Hoc modo vero nihil impedit, quo minus iure canonico, hoc ſenſu accepto & *recepto*, in hac doctrina vtamur, cum etiam Theologi, Romanæ eccleſiæ addicti, in ea a rationibus *purgatorii* abſtineant, & vnice deciſiones iuris canonici ab *æquitate naturali* laudent. In hanc ſententiam ſaniorem iuit IO. PONTAS *in diction. caſ. conſcient. tom. II. ſub artic. hereſ. caſu* 25. aitque: *Hæc eſt Gallicæ iurisprudentiæ regula*, *quod cum agitur de reſtitutione damni ex delicto ſeu crimine orti*, *ſeu autoris eius bona aucta fuerint ex eo*, *ſiue non*, *de eo tenetur eius heres*, *licet etiam nulla facta fuerit accuſatio vel actio in defunctum. Qua in re ius Gallicum non ſequitur ius Romanum*, *verum certiſſimas naturalis æquitatis regulas*, *iure canonico ſtabilitas.* Rationem hanc *æquitatis naturalis* etiam IDEM agnoſcit *ſub artic. mulcta caſ. 1.* & quæ in compendio antea dixerat, prolixius explicat, illuſtratque abſtrahendo ab argumento, quod plerique a *purgatorii* liberatione ducunt. Nec minus DOMAT. *in tr.* quem inſcribit: *les loix ciuiles dans leur ordre naturel lib. 1. tit. 1. ſect. 10. p.* 357. omnis in hoc eſt, vt hanc doctrinam ex *naturalibus principiis* diffuſiori opera explicet, & conſenſum *iuris canonici* in fine addat, oſtendatque hoc modo, vnde *vera æquitas canonica* haurienda ſit. Nihil ergo periculi ex tam ſobrie explicata doctrina metuendum, poſtquam etiam Doctores Catholici ſolidiorem philoſophiam hic ſequuntur.

(IV.)

De raptu.

Sacrilegium in raptu virginum.

§. CXXXVIII. Verum ne ſic quidem ab hoc titulo diſcedere licet, qui etiam iura *raptui* dedit. *Sacrilegium nuptiarum* etiam in *adulterio* committit, ſupra *§. XXXIX.* dictum eſt; nihil ergo impedit, quominus etiam *raptum feminarum* huc retuleris, qui fit vel *adulterii* vel *libidinis* exercendæ gratia, adeo vt ſi vel maxime *matrimonii ineundi* cauſa fiat, adhuc tamen idem ſcelus committi dicatur, quod

quod ipſa *abductio virginis* ſine more inordinatum amorem vel libidinem pro ſcopo habeat & res peſſimi exempli ſit, ſcelere tam inuſitato ſibi vxorem quærere. Illuſtrat hoc MINVCIVS FELIX *in Octau. c. 25. p. m. 251.* auſpicia vrbis Romæ referens, &, *mox alienas virgines*, addit, *iam deſponſatas*, *iam deſtinatas*, *& nonnullas de matrimonio mulierculas* SINE MORE *rapuit*, *violauit*, *illuſit*: *& cum earum parentibus*, *i. e. cum ſoceris ſuis bellum miſcuit*, *propinquum ſanguinem fudit. Quid irreligioſius*, *quid audacius*, *quid ipſa ſceleris confidentia tutius?* Sabinas *ſine more* raptas intelligit, quod facinus *rapinam virginum* appellauit TERTVLLIANVS *in apol. c. 5.* Merito hoc ſcelus abominata eſt eccleſia, atque etiam *inter chriſtianos* per *concilia* reprimere ſtuduit, quod *legibus imperatorum* in genere iam ſub capitali prohibitum pœna; a *chriſtianis* vero eo magis fugiendum, quibus maior morum caſtitas & ſanctimonia commendata erat. *Vos adulteria*, ait MINVCIVS *c. 35. p. 363. prohibetis & facitis; nos vxoribus noſtris ſolummodo viri naſcimur. Vos ſcelera admiſſa punitis; apud nos & cogitare, peccare eſt: vos conſcios timetis; nos etiam conſcientiam ſolam*, *ſine qua eſſe non poſſumus.* Hoc modo gentilium & chriſtianorum mores diſtinxere chriſtiani, & eo magis ab omni *raptu* abhorruerunt. Verum cum nihilominus poſtea hoc nefandum ſcelus paſſim erumperet *inter ipſos chriſtianos*, eos crimine hoc infectos anathemate feriendos, ac communione priuandos cenſuere, editis hanc in rem variis canonibus, plenius relatis a Dn. D. VINCENTIO RVMPFIO *in diſſ. de crimine raptus cap. IV.*

Quod illuſtratur.

Ab eccleſia damnatum ſcelus.

§. CXXXIX. Committitur hoc crimen per *violentam abductionem feminæ extraneæ honeſtæ*, *libidinis gratia.* Proprie committitur raptus 1) in *perſonam extraneam*, h. e. vinculo coniugii vel ſponſalium raptori haud iunctam. Neque enim (x) in *propriam vxorem* raptus committitur, quamuis peruerſo more agat maritus, vxore hoc modo abutendo, imo delinquere intuitu *loci* poſſit. Quid enim ſi per vim abducat vxorem ex loco, cui ſanctitas debetur, ex *monaſterio* forſan, vel alio, cui *ſanctitas* debetur *externa?* quamuis enim vxor, inuito marito, continentiam vouere nequeat, ſed repetenti viro reſtituenda ſit; *c. pen. X. h. t.* non tamen marito integrum eſt, per violentam abductionem vxoris violare loci immunitatem. Nec olim 2) committebatur *in propriam ſponſam*, ceu docet lex CONSTANTINI in *l. 1. C. Th. rapt. virg.* quæ ſupponit expreſſe hanc circumſtantiam: *Si quis nihil cum parentibus puellæ ante depectus inuitam eam rapuerit*, quod ſpon-

Definitio raptus.

1) Committitur in perſonam extraneam, non in vxorem,

aut ſponſam.

sponsa iam adeo deuincta esset sponso, vt etiam adulterium in eam committi, & tum hæc *iure mariti* accusari posset: *l. 13. §. 3. ad L. Iul. de adult.* tum etiam adulter ipse, *l. 7. C. ad L. Iul. de adult.* vt *secundum quid* iam vxori esset æquiparanda. Ab hac sententia discessisse videtur IVSTINIANVS in *l. vn. C. de rapt. virg.* raptoribus etiam eum accensens, *qui sponsam suam per vim rapere ausus fuit.* Eandem sententiam etiam approbant BASILICA *lib. LX. tit. 58.* Τὸ αὐτὸ δὲ λέγομεν καὶ εἰ μνηστήν τις ἰδίαν ἥρπασεν. *Idem dicimus, & si quis sponsam propriam rapuerit.* Ipse tamen contextus docet, vocem *suam* esse intercalarem, nec connexioni legis conuenientem. Augeri crimen hoc censet IVSTINIANVS, si quis *alterius* vxorem rapuerit, dicendo: *quæ multo magis contra eos obtinere sancimus, qui nuptas mulieres ausi sunt rapere: quia duplici tenentur crimine, tam adulterii scilicet quam rapinæ, & oportet acerbius adulterii crimen ex hac adiectione puniri.* Idem statim extendit ad *sponsam*, id quod ex connexione non potest non de *aliena* seu *non sua* intelligi, asserens: *quibus connumeramus* (h. e. qui duplicis criminis, adulterii & raptus, rei sunt) *etiam eum, qui* SALTIM *sponsam* SVAM *per vim rapere ausus fuerit.* Palam est, particulam *suam* vel interpolatam vel particulam NON omissam, vt sensus sit, *qui saltim sponsam non suam per vim rapere ausus fuerit*, h. e. quæ quidem non est vxor, sed SALTIM h. e. *minimum desponsata*, cum etiam in eam adulterium committatur; sub hoc intellectu enim demum recte cohæret integra IVSTINIANI dispositio, quæ alioquin *contradictione* non careret, quod sponsus rapiens *propriam sponsam*, etiam *adulterii* reus esse posset, sicuti qui alterius coniugem, quia hæc duo coniungit. PETRVS SVRGIVS *libro elector. c. XVI. (thesaur. iur. Rom. tom. I. p. 337.)* eandem interpolationem agnoscit, sed, quod mirandum, vim huius argumenti ne quidem tetigit; quamvis in aprico sit, iam eo tempore, qno *Basilica* collecta, vocem *suam* vel interpolatam, vel *non* omissam fuisse, vt HARMENOPVLVS quoque *lib. VI. tit. 7.* eandem lectionem: *siue etiam quis sponsam propriam rapuerit* suo *promtuario* inseruerit.

Non obstante l. vn. C. de rapt. virg.

§. CXL. Quæ cum ita sint, non leuis causa fuit patribus & pontificibus, vestigiis CONSTANTINI insistendi, & *raptum propriæ sponsæ* ab hoc flagitio remouendi. GELASIVS papa in *c. 49. C. 27. q. 2.* & *c. 2. C. 36. q. 1.* ad legem antiquam prouocat, aitque: *lex illa præteritorum principum ibi raptum dixit commissum esse, vbi puella, de cuius ante nuptiis nihil actum fuerat, videatur abducta.* Pariter GREGORIVS II. in *c. 5. C. 36. q. 2.* hoc confirmat: *Si quis virginem vel viduam*

Quæ sententia iure ecclesiastico probata.

viduam, NISI DESPONSAVERIT, *rapuerit*, *vel furatus fuerit in vxorem*, *cum sibi fauentibus anathema sit.* Retinuit & propagauit hanc doctrinam ZACHARIAS in *concil. Romano I.* anno 747. celebrato *c.* 7. apud HARDVIN. *tom. III. p. 1928. Si quis temerario ausu præsumserit virginem aut viduam furari in vxorem*, *præter si desponsatam habuerit*, *anathema sit.* Dogma hoc repetiit rursus LVCIVS III. in *c. 6. X. h. t.* his verbis: *Respondemus*, *quod cum ibi raptus dicitur admitti*, *vbi nihil ante de nuptiis agitur*, *iste raptor dici non debet*, *cum habuerit mulieris assensum*, *& prius eam desponsauerit*, *quam cognouerit*, *licet parentes forsitan reclamarent.* Inde vero liquet, raptum excludi, siue sponsalia *de præsenti*, siue, *de futuro* inita fuerint, vt recte PIRHING. *ad h. t. §. 2. n.* 7. constituit, quod ius canonicum simpliciter vel *ius anteiustinianeum* approbauerit, quo hæc distinctio ignoratur, vel IVSTINIANI lex corrupta sit. Vnde forsan est, quod CAROLVS V. *in art. 118.* plane *sponsæ* nullam faciat mentionem, quantumuis sciuerit, ius canonicum a IVSTINIANEO quoad *lectionem vulgatam* abire, licet in alia circumstantia, mox adducenda, in qua itidem ius canonicum a ciuili recessit, *ius ciuile* diserte approbauerit. Quocirca iuris canonici sententia in Germania prælata *iuri ciuili*, secundum *lectionem vulgatam* accepto, cum ad *tit. de constitut.* insignem prærogatiuam huius iuris ostenderim, eamque etiam in foris Protestantium propagatam probauerim. Id quod propter dissensum L. B. de LYNCKER. notandum, qui *resp. 143. n. 66.* in omnia alia iuit, & *iuris canonici* autoritatem in foris Protestantium magnopere attriuit, non perpendens, ipsum *ius Carolinum* in plerisque principia huius iuris admisisse, nisi quatenus disertis verbis contrarium approbauit, vt in hoc argumento *secundum quid* factum est. In eo tamen merito LYNCKERO accedendum, quod *sponsalia valida* præsupponenda sint: *inualida* h. e. sine parentum consensu contracta pro sponsalibus non sunt habenda, atque hac de causa crimen hoc minuere non possunt. Licet vero pontifex in verbis adductis *dissensum parentum* non attendendum esse censuerit, quod post desponsationem sponsam agnouisset, atque matrimonium secutum fuisset, supra tamen *tit. de desponsat. impub. §. 2. seqq. tom. III. p. 1237.* obseruaui, hoc in argumento merito repudiandum esse *ius canonicum*, quod etiam in legibus prouincialibus, quibus talia *matrimonia clandestina* improbata sunt, passim factum est. Denique quamuis euictum sit, ex mente *iuris canonici*, quo vinculum longe

Et iure Carolino.

Modo sint sponsalia valida.

Talis tamen de vi priuata tenetur.

ge sanctius, ac quidem de *iure ciuili*, sponsalibus adsignatur, in sponsam, cum qua *sponsalia valida* contracta sunt, *proprie dictum raptum* non committi, minime tamen inde colligi potest, factum hoc plane impune committi, cum nihilominus *priuatam vim* sapiat, quæ in republica, bene constituta, minime toleranda, adeo vt qui etiam in *causa bona* sibi ius sine iudice dicere ausus fuerit, merito puniendus sit extra ordinem.

Omnino autem committitur in sponsam alienam.

§. CXLI. Non dubium autem est, quin proprie dictus raptus in *sponsam alienam* committatur, eo consilio sine dubio susceptus, vt a matrimonio ineundo sponsa abstraheretur, quod raptor per indirectum cum rapta contrahere intendit. Hac de causa in *concilio Ancyrano c. 10.* cautum: *desponsatas puellas & post ab aliis raptas placet erui, & eis reddi, quibus antea fuerant desponsatæ, etiamsi iis a raptoribus vis illata constiterit.* Verba vltima dicti concilii sine dubio de illo intelligendi casu, si sponsus eam post *vim illatam* recipere gestiat; inuitus enim cogi nequit. Hac sub declaratione repetitus est canon Ancyranus *lib. VII. capitular. c. 183.* apud BALVZ. *tom. I. capitul. p. 1064.* eique hæc adiecta declaratio: *proinde statutum est a sacro conuentu, vt raptor publica pœnitentia multetur. Raptæ vero, si eam sponsus nubere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens minime fuerit, licentia nubendi alii non negetur. Quod si illa consensit, simili sententiæ subiaceat. Quod si post hæc seiungere præsumserint, vtrique anathematizentur.* Particulam quandam ex hoc textu repetiit GRATIANVS in *c. 33. C. 27. q. 2.*, eique *c. sq.* subiecit canonem *concilii Toletani* vel potius *Aquisgranensis de anno 816. c. 24.* apud EVNDEM *cit. l. p. 688.*, in quo rursus verba adducta repetuntur. Quodsi cum *sponsa aliena* raptor se in ecclesiam recipiat, per *capitul.* CAROLI CALVI *de anno 846. c. 68.* humanius ex loci reuerentia cum raptore agendum esse creditum fuit, vt tamen raptor publicam subeat pœnitentiam, & multam sponsa *legaliter* seu secundum *capitularia regum Francorum*, a BALVZIO *tom. I. p. 116. 601. 779. & 871.* relata, componat. Restituenda ergo sponsa erat sponso secundum antiquos canones. *Quodsi hæc*, additur *cit. c. 68. tom. II.* apud BALVZ. *p. 38. obedire renuerit, sine vlla refragatione anathematizetur, fautores vero illius iuxta modum culpæ episcopali decreto pœniteant. Si vero, quod non optamus, quis de gradu ecclesiastico talibus nuptiis se consensorem & interuentorem manifeste prodiderit, a gradu proprio repellatur. Et si vero similibus exinde suspicionibus fuerit propulsatus, & canonice nequiuerit approbari, secundum sanctorum patrum sta-*

Quam sponsus repetere potest si velit.

Inuitus cogi nequit.

Quod declaratur.

ſtatuta ſe purgare cogatur. Nec vero tali flagitio a ſponſalibus reſiliendi deſponſatis anſa præbeatur, omnis aditus ineundi matrimonium cum raptore ei præcluditur, vt *lib. VI. capitul. 96. tom. I. apud* BALVZ. *p. 938.* cautum eſt, de quo ſpeciatim infra agendum.

§. CXLII. Atrocius crimen committunt, qui *ſacratas virgines* matrimonii iungendi gratia rapiunt, adeo vt qui tantummodo id attentare auſus fuerit, capite puniendus ſit; *l. 5. C. de epiſc. & cler. c. 3. C. 36. q. 2.* ex decreto vero pontificis SYMMACHI in *c. 2. C. 36. q. 2.* pro tam *nefandiſſimi criminis atrocitate* a communione ſuſpendendus. Declaratur hæc cenſura ſpecialius in *c. 16. conc. Aurelian. III. de anno 538.* apud HARDVIN. *tom. II. concil. p. 1426. de raptoribus virginum conſecratarum ſeu in propoſito ſub deuotione viuentium, id ſtatuimus, vt ſi quis conſecratæ vel deuotæ, i. e. religionem profeſſæ vim inferre præſumſerit, a communione eccleſiaſtica vſque ad exitum repellatur, viatico tantum ei in infirmitatis periculo reſeruato. Quodſi quæ rapta dicitur cum raptore habitare conſenſerit, & ipſa excommunicatione ſimili feriatur. Quæ forma & de pœnitentibus & viduis in propoſito manentibus, ſub diſtrictione eccleſiaſtica conſeruetur. Quodſi quis ſacerdos ſciens huiusmodi perſonis communicauerit, anno integro pacem eccleſiæ non habebit.* De *viduis* idem diſpoſitum, quod de raptu *virginum ſacrarum,* id quod de *diaconiſſis* intelligendum, quæ nuptiis æque ac *pœnitentes*, quarum etiam fit mentio, abſtinere debebant. In *concil. Arelat. II. c. 46. de anno 452.* apud HARDVIN. *tom. II. p. 777.* de his ita: *profeſſas viduas, ſi conniuentiam* (in raptu) *præſtiterint, cum raptoribus eſſe damnandas*, quorſum etiam collineat *concil. Pariſ. III. de anno 557. c. 5.* apud HARDVIN. *tom. III. p. 338.* in æqualem cenſum collocans, tum qui *per raptum ſacrarum virginum, tum per competitiones aliquas* coniugia ſortiuntur, a communione æqualiter remouendi, in perpetuum anathemati ſubiecti. Praua hæc conſuetudo eo tempore paſſim inoleuerat, vt raptu mediante virgines, *quæ Chriſto ſpiritualiter nupſiſſe dicebantur*, quæque *in honorem Chriſti* veſtem mutauerant, & hoc ipſo *continentiæ propoſitum* ediderant, in matrimonium ſibi conciliare tentarent. Inde rurſus *in concilio Turonenſi II. c. 20. cit. l. p. 362.* prolixius paulo contra hos raptores variorum conciliorum decreta, legum ſanctiones, & morem gentilium, viuas in terram defodientium virgines Deæ Veſtæ ſacratas, repetunt atque recenſent patres, æquali pœna dignas cenſentes ipſas virgines, quæ propoſitum nubendo fallunt, vt ſcilicet *gladio oris*

Grauior raptus in ſacratas virgines committitur.

Vel in ſacratas viduas.

Etiamſi conſenſerint.

(excommunicatione) *perimantur*, & *communione priuentur*, omni excusationis præsidio sublato. Grauius supplicium IVSTINIANVS in *Nou. 124. c. 43.* in hos raptores constituit, quam etiam ex IVLIANO antecessore paulo corruptius retulit GRATIANVS in *c. 30. C. 27. q. 1.* Ait imperator: *Si quis rapuerit aut sollicitauerit aut corruperit ascetriam, aut diaconissam, aut monastriam, aut quamcunque aliam feminam, venerabilem habitum habentem, huius res ex talis sceleris participio iubemus venerabili loco, in quo talis femina habitat, per locorum sanctissimos episcopos & œconomos eorum, nec non etiam cuiuslibet prouinciæ iudices & eorum officia vindicari. Eos autem, qui talia deliquerint & participes eorum sceleris fuerint, capitale periculum sustinere: talem vero mulierem, vbicunque est, cum propriis rebus in monasterio recondi, in quo cautius custodiri possit, vt non rursus in eodem crimine reperiatur. Si vero diaconissa fuerit, & filios habuerit legitimos; legitimam partem dari filiis &c.* Non aliæ ad munus *diaconissarum* olim admissæ, quam *continentes*, h. e. *viduæ* aut *perpetuæ virgines*, teste EPIPHANIO *hæres. 79.* & IVSTINIANO *in Nou. 6. c. 6.* & sic in eundem censum cum *monialibus* & *ascetriis*, quæ extra monasterium ἄσκησιν professæ erant, collocatæ, de quarum officio & statu præter ZIEGLERVM *de diacon.* agunt IO. MORINVS *de sacris eccles. ordinat. P. III. ex.* 10. IO. DARTIS *in comment. ad decret. Gratian. c. 27. q. 1. in f.* CHRISTIANVS LVPVS *ad c. 15. concil. Chalced. tom. II. oper. p. 90.* & paulo succinctius ANASTASIVS GERMONIVS *de sacror. immun. lib. II. c. 2. n. 17. seqq.*

Quæ rursus arcto monasterio includendæ.

§. CXLIII. Committitur (II) raptus per *violentam abductionem mulieris*, adeoque crimen *legis Iuliæ de vi publica* in eam committitur, cumque *vim* patiatur *inuita* regulariter, vtplurimum quoque in raptu deest *consensus raptæ*. Nihilominus tamen IVSTINIANVS hoc facinus perpetrari ait in *l. un. C. de rapt. virg.* siue *nolentibus siue volentibus* id fiat. Non tantum enim vim patitur, quæ reclamat, sed etiam, quæ seducta blanditiis in raptum dedit consensum. Posterius præsumitur, *quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi, qui meditatur rapinam, inducitur. Nisi etenim eam sollicitauerit, nisi odiosis artibus circumuenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus sese prodere*, vt Imperator loquitur. *Sollicitare* enim & *persuadere* hoc modo puellam ad consentiendum raptui, est suo modo *cogere*, *l. 1. §. 3. de foro. corr. l. 3. §. 5. de lib. hom. exhib.* præsertim cum consentire non potuerit parentum potestati subiecta. Sponte consentientem

Fit raptus per violentam abductionem.

An etiam volentis virginis.

&

& vltro ſollicitantem abducens a pleriſque pœnæ huiusmodi criminis eximitur, quod vim nullam in eam, quæ libere conſentit, committatur. Sed vix eſt, vt huic limitationi aſſenſum præbere poſſim: aut enim puella poteſtati patris matrisque ſubiecta vel educationi alienæ commiſſa eſt, aut non. Priori caſu conſentire in abductionem non potuit, quæ directioni alienæ voluntatis obnoxia fuit, & ſic *moraliter* inuita abducta dicitur: aut plane *ſui iuris* eſt, & a nullius directione dependet, quo caſu omnis *abductionis* cauſa abeſt, quia etiam domi in id conſentire potuit, cuius cauſa volens in alium locum abducitur, vel ſi maluit peregre cum comite, cuius amore capta eſt, abire, non rapitur aut abducitur, ſed iter ſponte ſuscipit, quod vel ſine vel cum comite ſuſcipere licuit. Imo ſi vel maxime *libidinis gratia* hoc iter ſuscipit, vtpote ſi rus ex vrbe tantum ex vinculis cum comite euolauerit, raptum tamen non committit, qui illam comitatur, etſi ruri libidinem cum ea exerceat.

Quid ſi iuris ſui fuit & volens abducta?

Cum hac doctrina conſpirauit ſententia patrum antiquorum. In *concil. Aurel.* I. relato in *c. 3. C. 36. q. 1.* ius Romanum prorſus refertur his verbis: *Si quæ rapitur, patrem habere conſtiterit, & puella raptori conſenſerit, poteſtati patris excuſata* (forſan *excuſſa, v. LL. Wiſigoth. lib. III. tit. 3. c. 2.*) *reddatur, & raptor patri ſuperioris conditionis ſatisfactione teneatur obnoxius.* In antecedente periodo *ſatisfactio* determinata eſt, cuius hic mentio iniecta. Ita vtrumque ius & *Romanum* & ius antiquum *canonicum* conſpirat. Conſentiunt etiam *capitularia regum Francorum lib. VI. cap. 96.* *Ipſa autem quæ rapitur, ſi aut primo* (ab initio) *aut poſtmodum tam nefario ſceleri libens conſenſerit, nunquam poſtea nubat, ſed publica pœnitentia multetur, & ſub tali cuſtodia ponatur, vt ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat.* Pariter conſentit *ius Carolinum in art. 118.* reiicitque abſolute hoc ſubterfugium his verbis: Unangeſehen ob die Ehefrau oder Jungfrau ihren Willen dazu giebet. Denique conſentit etiam *recta ratio*, ab omnibus, etiam iis, qui ex infima plebe ſunt, agnita, quam optime depingit *Cardin. de* LVCA *tom. III. de matrim. diſc. 5. n. 16.* *Ex communi humano ſenſu ac vſu, ſi dormiente vel in ſtudiis aliisque negotiis occupato, aut etiam extra domum exiſtente patrefamilias, ex eius domo, cum ſuaſionibus & blanditiis vel cum aliis ſuggeſtionibus abducatur puella, adeo vt nulla concurrat vis vera & poſitiua in parente neque in ipſa abducta; adhuc tamen ſi vniuerſus populus interrogaretur, omnes etiam ruſtici ac mulieres, pro communi humano ſenſu ac vſu dicent, quod puella de domo*

Sententia patrum, ſi volens alieni iuris fuit.

Regum Francorum.

Caroli V.

recte rationis.

 pater-

paterna vel alterius educatoris criminose & illicite rapta fuerit. Addit optime, iudices dubitantes, filias habentes, apud se constituere debere, quomodo rationes subducturi sint, si tale quid eis contigisset.

Iuris canonici doctrina plane insolita de volente rapta.

§. CXLIV. Hisce tamen non obstantibus interpretes non leues circa hanc conclusionem excitarunt motus. His ansam dedit LVCIVS III. in *c. 6. X. h. t.* censens, ibi raptum admitti, *vbi nihil ante de nuptiis actum*, quod in sponsam scilicet hoc crimen non committatur. Quodsi in hac ratione substitisset pontifex, nullum iniecisset scrupulum; ast præterea nouam & rationi iuris prorsus contrariam format decisionem in casu, quo miles virginem, sibi non desponsatam, *volentem* tamen, a parentibus, quorum sub custodia fuit, rapuit, & postmodum prius, quam eam cognosceret, desponsauit. Hoc casu *verus* adfuit *raptus:* puella raptori non erat desponsata, sed parentum sub potestate posita, vnde *volentem* abduxeret. Prima ergo quæstio de *raptu* erat. Raptam postea sibi desponsauerat accedente *copula carnali*, adeoque altera quæstio de *validitate matrimonii* erat, quod duplici laborabat vitio: (α) quod cum raptore: (β) inuitis & non consentientibus parentibus contractum esset: quo non obstante, matrimonium validum iudicat pontifex ex noua & prorsus insolita iuris ratione. Olim matrimonium cum raptore initum nullum fuisse, paulo post declarabo. Pariter sine consensu parentum contractum validitate carebat, vt *tom. III. p. 1237.* demonstraui. Hoc dogma repudiavit, nouumque substituit LVCIVS III. in *cit. c. 6. h. t.* vt *cit. l. p. 1242.* docui. Prius vitium ex eo remouendum esse censet, quod raptus in *volentem* non committatur, licet *ex custodia parentum* esset abducta, quod indicant hæc verba: *iste raptor dici non potest, qui habuit mulieris assensum*, quæ omni iuri & rectæ rationi prorsus aduersantur.

Quæ declaratur ex Lucii III. doctrina.

Hic scopulus interpretes in diuersas traxit sententias, vt de LVCA *cit. l.* obseruat, quod hæc noua iuris ratio vltra, quam per erat, ab iis sit extensa & propagata. LVCII III. sententiam in *cit. c. 6.* hoc modo excusandam esse censet de LVCA *cit. l. n. 19. in f.*, quod etiamsi raptus verus cum *violentia* accesserit, adhuc tamen, si puella, dum fuit in manibus raptoris, ex libero & perfecto consensu superueniente, cum eo matrimonium contrahere determinauerit, illud ex sacrorum canonum sensu validum iudicandum sit, non obstante initio vitioso; *quoniam*, ait, *sufficit, vt vitium cesset de tempore contractus, quando consensus sit liber & perfectus.* Parum tamen proderit hæc declaratio rationibus

Quam varie excusant interpretes.

Sed sine solido fundamento.

bus decidendi pontificis, inde petitis, quod verus raptus in *volentem* haud committatur, quodque reclamantibus parentibus raptam sibi desponsauerit raptor. Quæ cum ita sint, recte, spreta LVCII III. sententia, CAROLVS V. *iuris Romani* dogma approbauit, verum raptum committi etiam in *volentem*, quæ consentire non potuit, quod potestati parentum esset subiecta.

Volens consensu parentum abducta pro rapta non habetur.

§. CXLV. Inde vero fluit, raptum non committi in puellam *volentem*, quæ, *consentientibus* etiam *parentibus*, abducta in alium locum, vt recte censet BROVWERVS *de iure connub. lib. II. c. 23. n. 6.* *Ast*, pergit, *si inuita abducatur, consensus parentum raptorem non excusat, cum illis ius non sit, vel inuitam ad stuprum exponere filiam, vel matrimonio collocare & tradere viro.* Multo magis ergo raptus committitur, si volentibus iis, quorum custodiæ tradita est, abducitur per vim & reclamans; *non enim*, ait IDEM *cit. l. eorum curæ concreditur virgo, vt vel matrimonii futuri causa inuitam stuprari sinant.* Videlicet alterutrum necessarium est, vt aut *volens*, inuitis parentibus: aut his conniuentibus seu consentientibus *inuita* abducatur. *c. 6. c. 8. C. 36. q. 2.* Posterius aperte *vim* inuoluit: prius vero *§. antec.* secundum *ius Carolinum* contra LVCII III. dogma asserui, & ita hoc iure in Germania vtendum.

Bene tamen inuita.

Iudex est secularis, si laicus raptum committit.

§. CXLVI. Reliqua quæ de *raptu* supersunt, vt quod fiat (a) per abductionem de loco in locum: (b) personæ honestæ: (c) libidinis gratia, non tangam, cum de his nihil in iure canonico *singulariter* cautum sit. Ad *pœnam* ergo transeo, quam decernit iudex *secularis*, si laicus raptum commisit. Quodsi prælati etiam *iurisdictione seculari* in subditos suos erant præditi (id quod pedetentim inualuit, vt supra *p. 65. seq.* obseruaui) olim raptum committentes tantum *pœna pecuniaria* mulctare, vel etiam *flagellis* adficere poterant, dummodo flagella in vindictam sanguinis haud transirent, vt ALEXANDER III. *in c. 4. X. h. t.* adhuc decernit. Neque enim prælati olim ante BONIFACII VIII. tempora iudicia sanguinis, nequidem per *officiales suos*, exercere poterant, vt *cit. l. p. 66.* ex hoc textu notabili obseruaui. Verum a moribus & iuribus antiquis abiit BONIFACIVS VIII. *in c. f. ne cleric. vel mon. secul. negot. in 6.* vt *p. 62. seq. cit. l.* monstraui, voluitque, vt prælati *iurisdictione temporali* præditi causas sanguinis aliis delegare debeant, & sic etiam hodie in Germania *pœnas capitales* in hos delinquentes, de quibus agimus, per delegatos magi-

Quid si prælati iurisdictionem secularem habeant?

magiſtratus ſeculares exercent, vt nec *c. 4. h. t.* vſus inter catholicos ſuperſit.

Pœna eſt capitalis.

§. CXLVII. Pœna criminalis *iure ciuili* & *hodierno* eſt *capitalis* tum intuitu *principalium*, tum *cooperantium*, & raptoribus auxilium præbentium, vt etiam hos in flagranti deprehenſos impune occidere permiſſum ſit, *l 56. C. de epiſc. & cleric. l. vn. C. de rapt. virg. nou. 143.* vt plenius illuſtrat BROWERVS *de iur. connub. lib. II. c. 25. n. 11. ſeq.* Neque hoc crimen inultum erat in *foro eccleſiaſtico*, ad quod olim quæuis crimina pertinebant, vt ſupra *p. 2. ſeqq.* oſtenſum, adeoque pauca tantum hic addam de *pœnis eccleſiaſticis.* Videlicet (I) atrocitas facinoris non permittebaet, vt raptores communione eccleſiæ vel gradu clericali amplius frui poſſent, ſed clerici proprio gradu decidebant, laici vero anathemati ſubiiciebantur, ſi vel maxime tantum cooperatores huius criminis erant. *c. 1. 4. 5. 6. C. 36. q. 2. c. 4. de purgat. canon.* Ceterum in vltimo mortis articulo conſtitutis, & deuote poſtulantibus abſolutio & ſacræ communionis viaticum *pro miſericordia* non denegabatur, vt decernit *Synodus Pegiaticina de anno 850. c. 10.* apud HARDVIN. *tom. V. concil. p. 28.* (II) Secundum *concil. Aurel. I.* relatum in *c. 3. C. 36. q. 1.* raptor in *ſeruitutem* addicebatur parentibus aut raptæ, vt tamen libertatem redimendi poteſtatem haberet. (III) Merito quoque his raptoribus denegari debuiſſet *ius aſyli*, ſi ad eccleſiam vel monaſterium cum rapta confugerint; palam tamen eſt, eos non eſſe exceptos, nequidem in GREGORII XIV. conſtitutione *tom. III. p. 1040.* relata, quin potius per *c. 3. C. 36. q. 1.* demum extraduntur, *conceſſa mortis vel pœnarum impunitate*, quod *de pœnis corporis afflictiuis* accipiendum. Prudentius imperatores hac in re egerunt, quamdiu ipſis adhuc integrum erat, *iura aſylis* præſcribere & eorum terminos limitare, qua in re IVSTINIANVS in *Nou. 17. c. 7.* adhuc veſtigia anteceſſorum ſuorum preſſit, & expreſſe raptoribus virginum *ius aſyli* denegauit, voluitque, vt ex templis extraherentur & ſupplicio debito adficerentur, vt *cit. l. p. 1036. in f.* oſtendi. Non defuerunt ex antiquis ICtis, qui hanc ſententiam in terris imperii ſeruandum eſſe cenſuerunt, quos redarguit MICHAEL ANGELVS DONATVS *de Aſylia. reſol. 75.* exiſtimatque, in materia *immunitatis eccleſiaſticæ* vnice ſequendum *ius canonicum*, quem ſuo ſenſu abundare facile permitto. Interim optandum foret, vt imperantes, quibus gladium vltricem diuina iuſtitia dedit, ſeſe his conatibus oppo-

Diuerſa eſt pœna eccleſiaſtica. Quæ eſt excommunicatio & depoſitio in clericis, & ſeruitutis.

Sed ius aſyli iis non denegatum.

opponerent maſcule, & antiquorum imperatorum exempla intuentes *poteſtatis ſuæ ſupremæ* exercitium in templa & monaſteria in vſum revocarent, morem Proteſtantium ſecuti, ne tot ſacrilega maleficia invlta manerent, quorum malitiam *ius canonicum* promouet augetque per *aſylorum* abuſum inſignem & intolerabilem.

Omnis ſpes matrimonii cum raptu ademta raptoribus.

§. CXLVIII. Speciatim vero (IV) raptoribus omnis ſpes matrimonii ineundi cum rapta ademta olim fuit, quod eius intuitu plerumque raptus perpetrari ſoleret, adeoque ſpes omnis matrimonii præſcindenda, & occaſio raptus ita eradicanda eſſet. In hoc leges *ciuiles* cum *eccleſiaſticis* conſpirarunt, vt *conciliorum* iuris *canonici ciuilisque* decreta loquuntur. GRATIANVS in *c. 4. C. 36. qu. 2.* ex *Cabilonenſi Synodo* hanc ſententiam confirmat, aſſeritque *iuxta canonicam autoritatem ad coniugia legitima raptas ſibi iure vindicare nullatenus poſſe.* Diſtinctius de horum coniugiis diſponit *concilium Meldenſe* ſub CAROLO CALVO celebratum *anno 845.* vnde quædam traxit GRATIANVS. Diſcernit varios caſus, quorum primus eſt, ſi raptores *voluntate parentum* poſt raptum raptas duxerunt, qui publicæ pœnitentiæ ſubigendi & interim ſeparandi per *c. 64. cit. concil.* apud HARDVIN. *tom. IV. p. 1494.* *Poſt publicam pœnitentiam*, pergunt patres, *prout præuiderit epiſcopus, peractam, ne in peius corruant iterum conuenientes, de cetero eleemoſynis & ceteris quibusque religioſæ ſaluificæ conuerſationis actionibus inſeruire procurent, vsque quo ab opere coniugali ex conſenſu ſe valeant abſtinere.* Liberis vero *ante coniugium* natis præcluditur omnis aditus ad eccleſiaſticos ordines, *niſi forte eos aut maxima eccleſiæ vtilitas, aut euidens meritorum prærogatiua commendet*, quam ſententiam etiam recitat GRATIANVS in *c. 17. C. 1. q. 7.*

Quod per varios caſus declaratum.

Alter caſus eſt eorum, qui *ſine voluntate parentum* cum raptis matrimonium inierunt, quibus in *c. 65.* relato in *c. 10. C. 36. q. 2.*, hæc lex imponitur, *vt ab eorum coniunctione ſeparentur, pœnitentiæ ſubiecti, raptæ autem parentibus legaliter reſtituantur. Poſt peractam vero publicam pœnitentiam, ſi ætas & incontinentia exegerit, legitimo & ex vtrisque partibus placito coniugio ſocientur. Nam in his*, aiunt patres, *non regulam conſtituimus, ſed vt verbis magni* LEONIS *vtamur, quid ſit tolerabilius, æſtimamus. Quodſi vnus ex coniugatis obierit, is qui publicam pœnitentiam egit, & ſuperſtes exſtiterit, iterare coniugium non præſumat: niſi forte epiſcopus præuiderit aliquam concedere indulgentiam, vt grauiorem poſſet amouere offenſam.* Hæc de caſibus *præteritis*, h. e. iis, qui *cum* vel *ſine voluntate*

te parentum ſeſe ſociauerant fœdere connubiali, conſtituta ſunt. Quid in futurum obtinere debeat, in *c. 66. ibid.* traditur his verbis: *quicunque vero* DEINCEPS *rapere virgines vel viduas præſumſerint, ſecundum ſynodalem* B. GREGORII *diffinitionem ipſi & complices eorum anathematizentur, & raptores ſine ſpe coniugii perpetuo maneant.* GREGORII II. definitionem in *c. 10. & 11.* in *concilio Romano anno 721.* habito intelligunt patres, qui anathemate raptores percuſſit. vid. HARDVINVS *tom. III. concilior. p. 1865.* & GRATIANVS *in c. 5. C. 36. q. 2.* Recitat præterea GRATIANVS aliud decretum in *c. 11. C. 36. q. 2.* ex *concilio Aquisgranenſi*, quod tamen deſumtum eſt ex *lib. VII. capitul. 595.* apud BALVZ. *tom. I. capit. p. 1111. Placuit, vt hi, qui rapiunt feminas vel furantur, aut ſeducunt* (ad conſentiendum,) *vt eas nullatenus habeant vxores, quamuis eis poſtmodum conueniat, aut eas dotauerint, vel nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum acceperint.* In Synodo *anno 850.* in vrbe regia Ticino habita *c. 10.* apud HARDVIN. *tom. V. concil. p. 28.* diſtinguitur inter raptores, qui ſponſas alienas virginesque non deſponſatas rapiunt, vt illæ, licet corruptæ, abſtrahi a raptoribus, & ſponſis reſtitui debeant; hæ vero *parentibus & propinquis reſtituantur,* & *aliis, ſi voluerint, nubant:* nam, additur, *ipſis, a quibus raptæ ſunt, legitimæ demum vxores nullatenus eſſe poſſunt.*

Conſenſus capitularium.

Prius iam in *concilio Ancyrano* cautum erat, quod adducit ISAAC *epiſcopus Lingonenſis tit. V. c. 4.* apud BALVZ. *tom. I. capit. p. 1262.* Imo ipſum ius *Regum Francorum* amice cum iure eccleſiaſtico antiquo conſpirat, vt *capitularia* docent, quorſum ſententiam in compendium contraxit ISAAC prælaudatus apud BALVZ. *cit. l. p. 1278.* & *tom. V. concil. p. 446.*

& iuris ciuilis.

De *iure ciuili* nequidem hæc moueri poterat quæſtio, quod hoc ſcelus indiſtincte *capitis ſupplicio* coercitum fuerit, addita confiſcatione bonorum *l. 54. C. de epiſc. & cler. l. vn. C. de rapt. virg. N. 143. & 150.* Nihilominus tamen in *cit. l. vn. §. 1.* his nuptiis etiam expreſſe impedimentum ab Imperatore poſitum his verbis: *nec ſit facultas raptæ virgini vel viduæ vel cuilibet mulieri, ſibi maritum expoſcere; ſed cui parentes voluerint (excepto rapore) eam legitimo copulent matrimonio, quoniam nullo modo nulloque tempore datur a noſtra ſerenitate licentia eis conſentire, qui hoſtili more in noſtra republica ſtudent matrimonia ſibi coniungere.* Lata eſt hæc lex eo tempore, quo imperatoribus adhuc cauſæ matrimoniales ſubiectæ erant, eisque licuit, matrimonio dirimentia, more antiquo, impedimenta ponere, vt recte obſeruat IO. LAVNOIVS *de reg. in matrim. poteſt. P. I. art.*

III.

in. c. 8. p. 235. edit. Parif. (in *nouiff. edit. tom. I. P. II. p. 733.*) Nec enim eo tempore aut *concilio Chalcedonensi* aut *alia lege ecclesiastica* matrimonium tale interdictum fuit, sed postea potius patres scita secularia secuti sunt.

§. CXLIX. His tamen non obstantibus INNOCENTIVS III. mitiora consilia praeferenda esse, imprudenter quamuis, censuit in *c. f. X. h. t.* interrogatus: *vtrum, si rapta puella & in alienam delata diœcesin, in ecclesiæ facie consenserit in raptorem, matrimonium huiusmodi legitimum sit habendum?* Respondet enim: *rapta puella legitime contrahit cum raptore, si prior dissensio transeat postea in consensum: & quod ante displicuerit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum sint legitimæ personæ.* Non dubium est, quin *fauore matrimonii*, in quo *magnum sacramentum* latere credidit, hæc matrimonia, olim in *conciliis particularibus* prohibita, admiserit, vt ne quidem GRATIANI collectionem hac in re secutus fuerit, quam alias magni habere solet. Infelices sine dubio habuit exitus hæc constitutio, æque vt LVCII III. decretum, de quo *§. 144.* actum, quod his sententiis raptus promoti, & raptori spes certa data oblataque, matrimonio sibi hoc modo iungendi puellam, cuius aliter compos fieri non potuit. Rapta enim *ex post facto*, vbi est in potestate raptoris, facile induci potest, vt in fœdus connubiale post hanc iniuriam perpessam consentiat. Inprimis vero hoc ipso raptus cum *volente* & *seducta* ea magis promotus est, quod puella rapta nuptias raptoris ambiat, & hoc medium ad illud conciliandum eligat in fraudem legis, quales euentus tristes leges antiquæ cautissime præcauere intenderunt. Hisce quodammodo obicem posuerunt, atque & LVCII III. & INNOCENTII III. decisiones coangustarunt *patres Tridentini sess. XXIV. de reform. c. 6.* optime perspicientes mala, quæ inuexerant. Aiunt: *Decernit sancta synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quodsi rapta a raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat.* Non ergo valide contrahitur matrimonium cum rapta, quamdiu adhuc in potestate raptoris est. Sine dubio vero *verum raptus* crimen supponitur, quod minime committi censent in *volentem*, vt *§. CXLIV.* plenius ex LVCII III. sententia docui, adeo vt nec matrimonium cum tali rapta improbauerit. Inde vero negauit SANCHEZ *lib. VII. de matrimon. disp. XIII. n. 13.* dispositionem *concilii Tridentini* ad hunc casum, in quo *verus*

Diuersum statuit Innocentius III.

Non sine imprudentia.

Synodo Tridentina quodammodo correctum.

Vtrum hoc etiam ad raptum

in volentem commissum pertineat? *verus* non deprehenditur *raptus*, pertinere. Late hoc dogma examinauit CARDINALIS de LVCA, supra §. *CXLIII.* laudatus, asseruitque (α) etiam in *volentem* & *seductam* raptum committi, quamuis ex pontificum indulgentia indulgentius plectatur, & ab anathemate immunis sit: (β) rarius vel nunquam doctrinam *concilii Tridentini* in vsum deduci posse, si raptus in *reclamantem* semper præsupponendus esset, sed, vt ait, *decretum hoc remanere de vento*, seu de casu rarius dabili, quod vtplurimum raptus, *consentiente puella seducta*, committi soleat: (γ) idem quoque applicari posse ad volentis raptum, cum seductio improba *voluntatis libertatem* excludat, & quamdiu est in potestate raptoris libere velle non censeatur, sed tunc demum, cum in tuto & libero restituta est loco: (δ) denique decretum concilii huius primarium vsum amittere, si ad raptum in volentem commissum referri non deberet, cum tamen Tridentinorum intentio fuerit, minus cautam tum INNOCENTII III., tum LVCII III. decisionem restringendi, prout antea obseruaui. Merito ergo etiam concilii huius decretum ad eum pertinet casum, quando *volens* abducta est. Sæpius abduci se puellæ patiuntur spe *matrimonii* ineundi cum raptore, quamvis cum eo nihil de sponsalibus actum: interim puella a nuptiis forsan illius abhorret, quem ei parentes obtrudere, vel in casu recusationis illam in monasterium detrudere conantur: medium fugæ eligit: sollicitat iuuenem, quem amat, ad raptum committendum: eo perpetrato, ad sponsalia progreditur, & matrimonium cum raptore init. Tales casus frequentissimi & vbiuis fere obuii, qui merito decisioni *concilii Tridentini* in foris Catholicorum subiici debent, ne alias elusoria fiat, ex doctrina SANCHEZII, qui, vt plurimum, ex indole genii sui hirquitallientis eas opiniones præfert, quibus mala aluntur, & carnales affectus dilatantur, excusantur, & patrocinium habent.

Sententia Protestantium. §. CL. Explicui *iuris canonici antiqui* & *noui*, imo & *Tridentinorum* de matrimonio cum rapta placita. Equidem Tridentinorum decretum in decidendo non agnoscunt Protestantes, prouocant tamen in *matrimonialibus* ad iuris canonici placita vt plurimum, adeo vt, si credendum CARPZOVIO *in pr. crimin. qu. 75. n. 68. sq.* ob *subsequens matrimonium* pœna capitis raptori remittenda sit, mutanda in relegationem. Verum, prout sæpius iam obseruaui, hoc cum grano salis & ita accipiendum, ne impingat in principia a Protestantibus agnita, approbata, & recepta, imo etiam in leges imperii. Vnde (α) repeto ex *iure Carolino*, raptum proprie dictum in Germania committi

VtCarpzouii, quæ refellitur.

etiam

etiam in *volentem*, contra voluntatem parentum eorumque, quorum cura regitur puella, abductam. Ergo in hac quæstione nihil interesse videtur, siue *volens* siue *inuita* abducta sit, atque ita discrimen iuris canonici repudiamus. (β) Supra *tom. III. p. 1237. seqq.* adstruxi, inter Protestantes matrimonia clandestina, sine parentum consensu inita, recipienda non esse; vnde conficitur, vt matrimonium, quod inter raptorem & raptam volentem initum est, parentum consensu vero destitutum, validum non sit, & raptori haud prosit ad pœnam mitigandam capitalem, quod agnoscit B. STRYK. *in tr. de consens. sponsal. sect. V. §. 43.* cum LYNCKERO *resp. 143. n. 14.* Superest (γ) tertius casus, si post raptæ restitutionem parentes, vel hi, quorum consensus desideratur, consentiant in matrimonium; quo casu pœnam capitalem remittendam censent Protestantes, idque *in honorem matrimonii*, si credimus B. de BERGER. *in œcon. iur. p. 115.* MENCKENIO *in synops. Pand. tit. ad L. Iul. de adult. §. 37.* CARPZOVIO *cit. l. & P. IV. C. 4. def. 7.* B. de LYNCKER *resp. 143. n. 13.* (vbi diserte ait: und eben auch in terris Protestantium, wo ein anderes nicht ausdrücklich verordnet, eine solche Ehe statt findet,) FINCKELTHVSIO *obs. 114. n. 8. seq.* HAHNIO *ad Wesenb. tit. ad L. Iul. de adult. n. 21.* BRVNNEMANNO *ad l. 1. D. de extraord. crim. n. 4. 5. & ad l. vn. C. de rapt. virg. n. 18.* vt alios consentientes non tangam, qui omnes in eo conueniunt, iuris canonici misericordiam præferendam seueritati iuris ciuilis in terris Protestantium, quod *in dubio* quoque in matrimonialibus eius placita a Protestantibus retenta sint. In alia omnia eundum esse censuit BROVWERVS *de iur. connub. lib. II. c. 23. n. 28.* arbitratus, libero a papatu populo contrariam sententiam, vt ciuili prudentiæ magis congruam, amplectendam esse. Publicæ tranquillitatis interesse, vt tanta scelera atrocioribus plectantur suppliciis, eam tutam esse non posse, nisi exquisitarum pœnarum formidine, præcisa omni impunitatis spe, ab atrocioribus committendis criminibus deterreantur homines: priuatorum commiserationi non committendum, vt priuatis pactis se reus possit subducere pœnis legitimis: magis considerandum esse raptus odium, quam raptæ puellæ & vitiatæ infortunium, nec tanti æstimari debere eius pudicitiæ per stuprum ereptæ per matrimonium qualemcunque restitutionem, vt propterea vindicta publica intermitti debeat: *Et certe*, tandem addit, *quis vnquam raptor ad supplicium rapietur, si huic præposteræ clementiæ daretur locus? Nonne scimus, faciles esse puellarum motus? easque facile amantis blanditiis, persuasoriis verbis*

Quid si rapta restituta, & legitimus consensus in matrimonium postea accesserit?

Brouweri decisio.

bis, obteſtationibus, obſecrationibus ad commiſerationem flecti? præcipue cum agitur de conſeruanda ab infami morte illius vita, qui licet inconſiderate, ex abundantia tamen amoris (vti ſemper hic prætextus capitur) vt virgine amata potiretur, ſe in tantum periculum coniecit. Clementiæ, licet præpoſteræ, laudem ſemper magis affectat ſequior ſexus, quam ſeuerioris vindictæ. Rationes hæ pondus habent inſigne, quibus ſi *iuris Romani* autoritatem adiungas, quod principii loco adſumit *ius Carolinum in art. 118.* in verbis: nach Satzung unſerer und unſer Käyſerlichen Rechte, nouum robur accipiunt. Ad minimum hæ euincunt rationes, non parcendum eſſe raptori, *volentem* & *ſeductam* abducenti, quæ & ipſa in leges delinquit, omni fauore indigna. Si quid raptæ precibus, interceſſionibusque ſub conditione ineundi matrimonii cum raptore, dandum, eam *innocentem*, & ſine participatione criminis eſſe oportet. Aeque delinquit puella, quæ *volens* & *ſeducta* ſtuprum patitur, ac qui eam violauit corrupitque. Quidni idem dicendum de conſentientibus in raptum? Nec *honor matrimonii* tanti nobis eſſe debet, (quem ſacramenti opinio peperit) vt tranquillitatem publicam eius intuitu negligamus. Sepoſuit *ius Carolinum* deciſionem iuris canonici in caſu, ſi quis *volentem* abduxit: *ius Iuſtinianeum* potius laudauit, & pro *lege imperii* habendum cenſuit. Hoc vero *per indirectum* euertis eneruasque, ſi in tantum deſiderio raptæ ambientis connubiale fœdus cum raptore ſtandum eſſe credis, vt in honorem coniugii pœnam capitalem remittendam eſſe exiſtimes. Quem mihi enim tunc dabis caſum, ad quem *ius Carolinum*, lex illa publica imperii, applicari poſſit? quæ ſemel in raptum conſentit, non poteſt non adſpirare ad nuptias cum raptore ineundas, cuius intuitu raptum elegit, voluitque rapi. Omni reuera virtute effectuque carent verba: ohnangeſehen ob die Ehe-Frau oder Jungfrau ihren Willen dazu giebet, ſi *iuris canonici* de matrimonio cum raptore ineundo dogma admittis, quod potiſſimum in eo ſe fundat, quod proprie dictus raptus in *volentem* non perpetretur, ergo matrimonium quoque tale admitti poſſit. Si vero ex *iure Carolino*, prout decet, *proprie dictum raptum* etiam in *volentem* admittis, non poteris non deſiderium raptæ, quo connubium cum raptore petit, damnare, reprobare, reiicere. Quid ergo ſi *per vim* innocens abducta, & ſalua atque incolumis reſtituta atque manibus raptoris erepta? quid ſi poſt liberationem a vinculis eius, & ita ex poſtfacto præoptat eius coniugium quam mortem? Ne ſi quidem audienda ex *iure Carolino*, cui ſua

Quæ ſuo modo approbatur.

ſua indulgentia & miſericordia intempeſtiua derogare nequit, niſi princeps, ſingulari gratia puellæ motus, raptori gratiam fecerit. Autoritati ICtorum diſſentientium parum fidendum eſt in hac cauſa, ſi *ius Carolinum* prodere & conculcare nolumus. Iam ſupra *§. CXXXVI. in f.* ex *iure camerali* obſeruaui, non pronunciandum eſſe ſecundum *interpretum opinionem*, prætenſam æquitatem, aut *conſcientiam propriam*. Quid enim proderunt *leges imperii ſcriptæ*, ſi his præferendæ ICtorum ſententiæ diſſonantes, vagæ, errantes, modo huc modo illuc fluctuantes, & ex his noua iurisprudentia *pragmatica*, quam vulgo laudant, exſtruenda, cuius fulcra inania in *præfatione ad tom. II. conſult. & deciſ.* plenius deſtruxi atque dirui. Sanior ſine dubio eſt ſententia, quæ legibus & rationi *iuris certi*, & pro *lege imperii* aſſumti, conueniens eſt.

Opinionibus nudis interpretum in hoc argumento haud ſtandum.

§. CLI. Hæc vero de *iure communi* ſeu *regula* accipienda, quod non impedit, quominus *lege prouinciali* matrimonio cum rapta idem vel ſimilis effectus tribui poſſit, quem *ius canonicum recentius* eidem dedit. Etenim *iure Lubecenſi lib. IV. tit. 7. art. 2.* mitior ſententia electa hoc modo: Wird einem Manne ſeine Tochter, Schweſter, oder Freundinn **mit ihrem Willen** entführet, da ſie anders kein Guth mit ſich nimmt, dann ihre tägliche Kleider, nimmet der Entführer ſie zur Ehe, iſt ſie 16. Jahr alt, und darüber, ſo können ſie an Leib und Leben nicht geſtraffet werden. Iſt ſie aber unter 16. Jahren, ſoll der Thäter mit dem Schwerdt gerichtet werden: die entführte Perſon aber hat ſich in beyden Fällen dadurch ihrer Erbſchafft von Eltern und Freunden unfähig gemachet, ſie wolten ihr denn etwas aus gutem Willen geben, ſoll aber in der Stadt nicht geduldet werden. Plura ad illuſtrationem huius ſtatuti notatu digna adfert B. de LYNCKER. *reſp. 143.* atque inſimul tum mentem *iuris canonici*, tum eius *vſum limitatum* in *foris Proteſtantium* optime explicat illuſtratque. Ratio diuerſitatis vero vnice ideo eſt habita inter *puberes*, annum XVI. excedentes, & *impuberes*, quod hæ ob *fragilitatem ætatis teneræ* facilius ſeduci poſſint ad conſenſum in raptum dandum, id quod raptori prodeſſe non debuit ad pœnam mitigandam, imo hoc potius eius malitiam auget, quod puellæ deceptui facili inſidias ſtruxerit, eamque in tam tenera ætate ſeduxerit. Vid. LYNCKER. *cit. l. n. 31. in f.* *Iure Hamburgenſi per edictum de anno 1676.* matrimonium inter raptorem & raptum eſt nullum atque illegitimum, nec diſtinguitur (a) cuius ætatis fuerit rapta: (b) vtrum

Legum prouincialium ſententia pro tali matrimonio.

1) Iuris Lubecenſis.

2) Hamburgenſis.

vtrum libidinis an matrimonii gratia abducta: (c) vtrum matrimonium copula sacerdotali contractum nec ne? (d) vtrum rapta in raptum consenserit nec ne? Quodsi consensit, dotem petere nequit, ab omnibus bonis in perpetuum excludenda, raptore vltimo supplicio affecto. Edictum hoc D. RVMPFIVS, ciuis Hamburgensis *diss. de crimin. rapt. c. 5.* vberrime illustrat, eiusque rationes intimas sistit.

3) Wurtembergici.

Pariter Lauterbach *dissert. de differ. iur. comm. & Würtemberg. §. 23.* obseruat, in *ducatu Würtembergico* circa crimen raptus nihil diuersi esse constitutum, *vt, quamuis iure canonico rapta raptori nubere possit, in hoc ducatu tamen dispositio iuris ciuilis etiam hac ratione approbata reperiatur* in der Würtemb. Kirch. Ord. *tit.* von Ehesachen *cap.* von Sipp = und Magschafft *§. vlt. p. 187. Raptor siquidem indignus censetur matrimonio illius, quam in pacata republica, more hostili, matrimonio sibi voluit iungere.* Prudenter hæc constituta sunt, quod animaduerterent legislatores, interpretes vtplurimum *sine iudicio* inhærere *iuris canonici* infrunitis sententiis.

TIT. XVIII.

DE

FVRTIS.

§. I.

Quæ de *furtis*, *rapinisque in iure canonico* adferuntur, *foro criminali* parum inseruiunt, plenius ex *iure ciuili* & *Carolino* haurienda. Præmissis *communibus*, selectiores quasdam colligamus obseruationes. Ad illas spectat (1) quod furtum committatur vel in sensu *ciuili* vel *theologico*. Illud committitur contrectatione dolosa rei alienæ, qualiscunque etiam, si vel maxime minima sit, *c. f. C. 14. qu. 6.*, inuito domino lucri faciendi animo; hoc vero per quamlibet *iniustitiam*, vel etiam quemlibet *prætextum iuris* alienum aut concupiscendo aut retinendo iniquo lucro cum damno alterius, aut acquirendo, quod licet in *foro criminali* vt furtum non puniatur, in *foro conscientiæ*

Furtum in sensu ciuili differt a furto in sensu theologico.

ſcientiæ tamen tale eſſe cenſetur, id quod *ius canonicum*, in quælibet peccata ſibi cenſuram vindicans, non prætermittit. Huc pertinet: (α) furtum cordis, quod *concupiſcentia* & *mente* fit, peccatumque coram Deo eſt. *c. 29. de pœnit. D. 1.* (β) Fur quoque dicitur, qui retinet beneficia, quæ ad ipſum non ſpectabant, cum poſt receptionem alterius priora vacent *ipſo iure.* Talis enim contrectaſſe rem alienam *per conſequens*, & *ſic quodammodo furtum vel rapinam commiſiſſe* dicitur ex ſententia pontificis in *c. 54. X. de elect.* Quam facile vero hæc inculpatio in iis, qui plura poſſident beneficia, aboleri & abſtergi poſſit, plus quam notum eſt. Gratia & indulgentia Prælati ſupremi omnem furti labem tollit & delet, ſi diſpenſat: ſi vnit ex multis vnum faciendo: ſi titulo *commendæ* plura primo beneficia per fucum manifeſtum quidem, ſed irrationabilem addit, & prætextu *conſuetudinis*, quæ corruptela potius cenſenda & reprobanda, *c. 7. in f. X. de conſuet.*, excuſat. (γ) Furtum eleemoſynarum committere dicitur, qui id, quod pauperibus erogandum & debetur, ſibi retinet, quod adeo extendit HIERONYMVS, teſte GRATIANO ad *c. 1. D. 42.*, vt *aliena rapere conuincatur, qui vltra neceſſaria ſibi retinere probatur.* Hoc potiſſimum de epiſcopis clericisque intelligit, qui vltra vitæ neceſſaria ex *bonis* olim *communibus* eccleſiæ, quod *patrimonium pauperum* eſt, opes corradunt, cum tamen rebus eccleſiæ, tanquam *commendatis*, non tanquam *propriis* vti debeant, vt paſſim canones decernunt. Ex hoc principio, quod *patrimonium eccleſiæ* pauperum ſit, facile collegerunt, inuaſores rerum eccleſiaſticarum eſſe fures ſacrilegos, vt *praeced. tit.* obſeruaui. *Vaſenſe concilium* anno 442. celebratum *c. 4.* ſatis appoſite ait: *Amico quippiam rapere, furtum eſt: eccleſiam fraudare, ſacrilegium eſt.* Quia vero etiam HIERONYMVS *in epiſt. ad Pammachium* ait: *pars ſacrilegii eſt, rem pauperum non dare pauperibus*, hoc ſibi quoque dictum eſſe *clerici beneficiati* credant, qui nequidem *quartam pauperum* intactam reliquerunt, ſed, ea abrogata, omnia in ſuum commodum transtulerunt. Quod *laicis*, eccleſiaſtica inuadentibus, ſacrilegum eſt, non poteſt hac labe carere quoad eos, qui ex *quarta pauperum* ſeſe paſcunt. *Accepiſſe enim*, teſte HIERONYMO *epiſt. ad Nepotianum*, *quod pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus plurimis vel cautum eſſe velle vel timidum, aut, quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid inde ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat.* Speciatim hoc *tom. III. p. 396.* applicatum eſt ad adminiſtratores rerum ad hoſpitales domus pertinentium, & reſponſo ſubiuncto illuſtratum. Verum patres

Huius variæ ſpecies receuſentur.

Prætextus propalliando furto beneficiorum.

Furtum eleemoſynarum.

tres quidam hanc furti ſpeciem etiam applicuerunt ad eos, qui, *auaritia* illaqueati, neceſſitatibus pauperum ex bonis propriis non ſuccurrunt. Ita olim docuit AMBROSIVS in *c. 8. D. 47.* aiens: *proprium nemo dicat, quod eſt commune: quod plus, quam ſufficeret, ſumtum, etiam violenter obtentum eſt.* Pergit poſt pauca: *neque enim minus eſt criminis, habenti tollere, quam cum poſſis, & abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines: nudorum indumentum eſt, quod tu recludis, & miſerorum redemtio eſt & abſolutio pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo ſcias inuadere bona, quot poſſis praſtare, quod velis.* Hoc conclamatum eſt, furtorum fontem quærendum eſſe in *auaritia*, omnium malorum radice, vnde etiam inhumanitas erga pauperes promanat. Diſpenſatores bonorum nos Deus conſtituit, quod officium ſi intermittimus; ſi opes duntaxat corradimus habendi cauſa: ſubtrahimus indigentibus ea, quæ in eos diſpenſanda erant. Quot vero in orbe chriſtiano hoc ſenſu fures futuri! quot prædones! Veritas hæc ingrata, ſed ſolido fundamento ſubnixa, quod perſpicue demonſtrat B. IAC. BRVNNEMANNVS *de furtis non agnitis c. IV.* Denique (δ) etiam *fures* & *latrones* in ſacris dicuntur, qui non per *oſtium* h. e. CHRISTI tractum vocationemque ouile ingrediuntur. *Io. X, 1. 2. 7. 9. 10. 11.* Applicuerunt hoc patres pontificesque fere præcipue ad eos, qui *inordinate* ſeſe intrudunt officio ſacro, & quidem (a) per *ſimoniam: qui taliter ordinantur, non per oſtium, i. e. per Chriſtum intrant, ſed, vt ipſa veritas teſtatur, fures ſunt & latrones. c. 113. C. 1. q. 1.* (b) Qui per *aliam viam*, quam a legibus eccleſiaſticis approbatam, ad officium ſacrum ſeu paſtoratum ruit; ſicuti enim fur per aliam partem, quam ordinariam portam ædes inuadit, ita etiam illicito more irruens in eccleſiam. *c. 12. C. 23. q. 4.* (c) Qui viuentis locum vſurpat. *c. 10. C. 7. q. 1.* (d) Qui ex *laica recognitione* beneficia vindicat ſine autoritate epiſcopali, *c. 21. X. de iur. patron.*, quod contra *collationes*, quas *ex iure patronatus* patroni ſibi merito aſſeruerunt, ius canonicum recentius conſtituit; quo laicos longiſſime a ſuis præſepibus, ſicuti imperatores ab inueſtitura per annulum & baculum, arceret. Quid autem proprie in *iure patronatus* a patronis agi exiſtimauerint pontifices, diſtinctius *t. III. tit. de iure patron.* explicatum eſt. Enim vero in foris iuridicis vel aliud crimen tales committunt, vel plane non delinquunt externe, licet a *peccato* non ſint immunes.

Fures reſpectu officiorum ſacrorum,

vt Simoniaci,

Illicito more in eccleſiam irruentes,

Sine epiſcopi autoritate.

§. II.

§. II. Præsupponit vero furtum & rapina *dolum* atque *animum lucrifaciendi:* hoc deficiente, crimen ipsum quidem deest, nihilominus tamen *factum illicitum*, vtpote si quis rem tanquam suam possessori inuito auferendo, ius sibi dicere sine iudice conatur, id quod reipublicæ systema non permittit. *l. 176. de R. J. l. 14. C. de Iudais l. 13. §. 3. de vsufr.* Proinde hanc ob causam leges priuandum eum iure suo constituerunt, qui *sine iudice* ius sibi dicit, tum in genere in *l. pen. D. ad L. Iul. de vi priu. l. 13. quod met. causa. l. 13. C. Theod. vnde vi. l. 7. C. vnde vi. §. 1. J. de vi bon. rapt.* tum in specie per applicationem iuris generalis ad casus varios propositos in *l. 10. C. vnde vi. l. 4. C. fin. reg.* iuncta *l. 2. C. Theod. eod. Nou. 52. c. 1. Nou. 60. c. 1.* Imo nequidem in *causa propria* sibi ius dicere debet iudex, ne *partis* & *iudicis* vices simul subire videatur, *l. vn. C. ne quis in sua causa*, nisi forsan causam magis *publicam* quam *priuatam* & *propriam* agat. De *iniuria* enim sibimet intuitu *officii* illata, quatenus ex actis statim euidens est, iudicare non prohibetur, quod magis *causam publicam* quam *priuatam* agere videatur, illæsam officii sui autoritatem obseruando. *l. 19. de officio præs.* ibi: *contemni se non patiatur.* Hanc vindictam violati officii etiam *ius canonicum* iudicibus ecclesiasticis, certo modo demandasse videtur, vt docet *c. 1. de pæn. in 6.* his verbis: *Licet Rhemens. Archiepiscopo suam prouinciam visitanti eos, qui sibi vel suæ familiæ, aut aliis, quos propter hoc per eandem prouinciam dirigit, & etiam quando concilium conuocat, eos, qui nunciis suis, quos pro illo vel aliis per prouinciam ipsam sua debita iurisdictione vtendo transmittit, iniuriari præsumunt, si hac occasione sua in his impediatur iurisdictio, pro iniuria huiusmodi, dummodo existat notoria, propria autoritate punire.* Post pauca adiungit: *sibi etiam & metropolitanis aliis in suis prouinciis (dum sic in illis iurisdictionem exercent) puniendi* MANIFESTAS & NOTORIAS OFFENSAS, *tunc iisdem illatas, vel suis, etiamsi exinde impediri iurisdictionem huiusmodi non contingat, libera sit de nostra speciali concessione facultas.* Hæc generalis clausula & papalis decisio proprias & peculiares suas rationes habet. Primario enim *autoritati ecclesiasticæ* & *sacro imperio* consulit, & pro hoc augendo, firmando, dilatando hæc dispositio est excogitata, vt eo grauior incutiatur terror laicis, imperiosis iussibus horum magistratuum resistere volentibus; quid? quod non omni magistratui ecclesiastico sed tantum *maiori* in illustriori dignitate constituto, & quidem *speciali concessione pontificia*, cuius plenitudini pote-

In furto desideratur dolus.

Qui abest in iis, qui ius sine iudice sibi dicunt.

Nec iudex sibi ius dicere potest.

Nisi de iniuria sibi intuitu officii illata.

 statis

ſtatis nihil reſiſtere poteſt, hæc prærogatiua data, vt generaliter obſervatio adducta inde probari & deduci non debuerit a CARPZOVIO *P. I. C. 26. def. 28. n. 6. & in pr. crim. qu. 95. n. 84. ſqq.* & GAILIO *lib. 1. obſ. 39. n. 1. ſqq.* Præterea hæc deciſio conformata videtur fuiſſe ad rationes reipublicæ Romanæ, quæ itidem *magiſtratibus maioribus* ſecundum ius poteſtatis indulſerant, vt *iurisdictionem ſuam pœnali iudicio* defendere, *l. vn. pr., ſi quis ius dicenti non obtemp.*, & *contemtam maieſtatem ſuam vindicare* poſſent; palam tamen eſt, diſtinctionem inter *magiſtratus maiores* & *minores*, reipublicæ Romanæ propriam, ad noſtros magiſtratus applicari non potuiſſe, atque inde factum fuiſſe, vt, quæ ſoli *magiſtratui maiori* attributa, in foris Germaniæ *iurisdictioni* generatim adſcripta fuerint, vt dilucide obſeruavi in *diſſert. de maieſt. imper. magiſtrat. maior. c. II. §. 2. p. 37. in not.*

Priuati ius ſibi dicentes ſine iudice, iure ſuo cadunt.

§. III. Quod igitur iudici ſingulariter datum, vt offenſam intuitu officii, vt *iudex competens*, ſtatim punire poſſit atque vindicare, id ipſum aliis regulariter prohibitum ſub pœna *priuationis iuris*, quod quis *ſine iudice* ſibi aſſerit adiudicatque. De vſu huius pœnæ in diuerſas abeunt partes interpretes, quibusdam illum plane negantibus; aliis vero ſtrenue defendentibus. Si vſum, aiunt illi, haberet, potiſſimum eius ratio habenda in *ſpoliis*, quibus quis euidenter ſibi ius dicit ſine iudice. Enimuero, ſi GEORGIO EVERHARDO *vol. II. conſ. 7. n. 8.* credimus, in ſpoliis non amplius obtinere pœnam legis, *ſi quis in tantam*, iam pridem *diuturnus vſus* & *obſeruantia* declarauit, *ita vt ad aliam declarationem non ſit confugiendum.* In propatulo vtique eſt, hodie doctrinam *de ſpolio* potiſſimum ad *iuris canonici* principia conformatam eſſe, quæ contra tertium b. f. poſſeſſorem remedium ſpolii non admittit; *c. 18. X. de reſtit. ſpoliat.* quod ſine dubio ad hunc quoque extenſum fuiſſet, ſi ſpolians iure ſuo cecidiſſet, atque ita nullum ius in tertium b. f. poſſeſſorem transferre potuiſſet. Equidem non mirandum eſt, MEVIVM *P. I. deciſ. 95. n. 2. ſq.* & *P. IV. deciſ. 217. 218. 219. 220. item P. V. deciſ. 156. 301.* pro vſu huius pœnæ admodum pugnaſſe, quod etiam remedium ſpolii ex decreto *iuris canonici* extenſum credat aduerſus *tertium b. f. poſſeſſorem.* Vnde *cit. def. 95*, rationes hoc ſubducit modo: *Verum quando nec reperitur textus iuris canonici, qui eam ſanctionem tollit, nec, etſi talis eſſet, certum foret, quod iſti hac in re potius quam iuri ciuili ſtandum eſſet, præſtat inſiſtere perſpicue conſtitutis, maxime cum in pœnalibus ius ciuile ſequi*

Cuius vſum quidam negant ex doctrina de ſpolio.

qui soleamus. Vbi non constat de correctione vel abrogatione per statutum vel consuetudinem, sequi oportet legem, donec istius probatio fit. Sicuti vero dogma Meuianum, remedium spolii etiam aduersus tertium b. f. possessorem dari de iure canonico, oppido falsum est, vt *tom. I. Lib. II. tit. 13. §. 10. seqq.* demonstratum est; ita non deesse videtur ratio dubitandi ex *iure canonico*, quæ huius pœnæ vsum prosternat. Enimuero negando, remedium spolii locum habere aduersus tertium b. f. possessorem, minime asseritur, alio remedio eum compelli haud posse. In eo videlicet latitat cardo controuersiæ, vtrum spoliator *ipso iure* dominio cadat, an vero demum per *sententiam* iudicis *priuatoriam?* posterius si asseritur cum MENOCHIO *remed. V. recuper. possess. n. 66.* denegatur omnis alia actio contra tertium possessorem, quod spoliator eo tempore, quo alienauit rem spolii vitio affectam, adhuc dominium eius habuerit, illudque transferre potuerit. Contrarium vero asserendum priori casu, si *ipso iure*, spolio commisso, iuris sui iacturam passus est, quod nullum ius eo tempore amplius habuit, quo eam alienauit, atque ita *reali actione* contra tertium possessorem agere possit is, aduersus quem spolium commissum. Loquuntur leges adlatæ in hoc argumento admodum ambigue, tum spoliatorem *iure suo priuari:* tum *iure suo cadere* asserentes, vt humanior sententia, quæ *priuatoriam* iudicis *sententiam* desiderat, cum MENOCHIO amplectenda sit.

Ex quo tertius b. f. possessor non tenetur.

§. IV. Salua itaque hac thesi, vsus huius pœnæ nihilominus contra oppugnatores asseri potest, si alia argumenta desunt. Talia vero non deesse censent, qui contra vsum prædictum militant, prouocantes ad alia tela ex *iure canonico* petita. ZOANNETTVS *de differ. iur. ciu. & canon. n. 163.* præsidium singulare petit pro non-vsu huius pœnæ ex *c. 1. X. de dolo & contum.* quod ALEXANDRVM III. habet autorem, ita edisserentem: *ad hæc cum contingat, actorem multoties mittendum esse in possessionem causa rei seruandæ, propter absentiam partis aduersæ, & per eius dolum siue potentiam non possit rem custodiendam nancisci, ac imminente fine anni reus (ne possessionem amittat) debitam offerat cautionem, cuiusmodi sit pœna mulctandus, qui iussioni non paruit iudicis? a nobis tua fraternitas requisiuit.* De *iure ciuili* qui dolo malo faciebat, quo minus missus rei seruandæ causa possessionem impetraret, tenebatur ad interesse; *t. t. ne vis fiat ei, qui in possess.* quin etiam *manu militari* prætor interdictum suum executioni dare poterat; denique arbitraria tenebatur pœna, qui *extremum*

Noua argumenta negantium.

Ex c. 1. de dolo & contumac.

 iuris:

iurisdictionis non faciebat, h. e. executionem quouis modo impediebat. Respondit vero pontifex: *ad quod dicimus, quod in ecclesiasticis personis & negotiis rigor & DISTRICTIO IVRIS non requiritur: sed (cum iustitia propter hoc non periclitetur) patienter admitti debet, cum reus per cautionem standi in iudicio se adstringit.* Censuit GLOSSATOR *ad cit. c. 1. verb. rigor.* pœnam *l. 7. C. vnde vi.* a pontifice designatam, assertumque fuisse, *clericos vel ecclesias violenter inuadentes possessionem rei suæ non incidere in constitutionem l. si quis in tantam C. vnde vi*, quod etiam in rem suam trahit ANDREAS TIRAQVELLVS *de priuil. piar. caus. priu. 144.* cum ZOANNETTO *cit. l.* Admodum vero fefellit glossator hos iuris antistites, cum palam sit, non de eo, qui *rem suam* propria auctoritate *per spolium* occupauit, sed de *contumacia*, in non admittendo missum, & executionem ita impediendo admissa, decisionem formatam fuisse. Longe diuersa sunt, inuadere rem ab alio possessam sine iudice mediante spolio, & executionem dolo malo impedire: posterius leges Romanæ *priuatione iuris* non coercent, sed tantum prius, interim *contumaciam* aliter puniunt. Denique si *per rigorem* & *districtionem iuris* pœnam *l. 7. C. vnde vi* designasset, non absolute eius vsus correctus asseri posset, sed tantum *secundum quid*, in *caussis* scilicet *ecclesiasticis*, ne violentia prælati ecclesiæ præiudicium ac detrimentum inferret, quod rationem habet, & recte obseruatum est a MENOCHIO *remed. IX. recup. possess. n. 118.* & BARBOSA *ad c. vlt. C. 16. qu. 6.* Notat atro carbone huius farinæ prælatos GREGORIVS I. in *c. 1. C. 16. q. 6. qui quod pauperibus competere existimant, non iudicio sed manibus defendunt & cum per prædicatores suos veritas dicat: nihil per contentionem &c. etiam ipsum litigiosæ contentionis malum transcenditur, & res qualibet, cum æstimatur ecclesiæ posse competere, per vim tenetur*, quales prælatos per anathema feriendos esse iudicauit.

Cuius decisio traditur.

§. V. Præterea vero *directo* vsum huius pœnæ adstruit magis *ius canonicum*, quam destruit. Etenim 1) patres Africani *anno 418. c. 21.* apud HARDVINVM *tom. I. coll. concil. p. 1220.* & GRATIANVM in *c. 2. C. 16. qu. 6.* (qui *concilio Mileuitano* textum cit. adsignat, cuius contrarium recte obseruauit SCHELSTRATE *in eccles. Afric. p. 247.*) hac de re ita censuere: *placuit, vt quicunque episcopi quascunque ecclesias vel plebes, quas ad suam ecclesiam existimant pertinere, non ita repetierint, vt caussas suas episcopis iudicantibus agant, sed alio retinente irruerint; siue volentibus, siue nolentibus plebibus*, CAVSAE

Ius canonicum tamen vsum huius adstruit 1) in c. 2. C. 16. qu. 6.

SVAE

SVAE DETRIMENTVM PATIANTVR. *Et quicunque hoc iam fecerint, si nondum est inter episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendunt, ille inde discedat, quem constiterit, prætermissis iudicibus ecclesiasticis, irruisse.* Non sine ratione nec inique patres ita censuere. Qui formam viuendi exemplo suo aliis tradere debent, nulla digni sunt venia, si vim faciunt, spreta iudicis autoritate, sed merito *iure suo* priuandi, quamuis hæc iniuria non etiam in ipsam redundare debeat ecclesiam. Iure Romano eo tempore adhuc vtebantur Africani, cuius placita etiam assumta & agnita a patribus. Pariter 2) BONIFACIVS VIII. ea in hoc argumento suscepit, applicuitque in *c. 18. de præb. in 6.* ad *intrusos* aiens: *eum qui beneficium, cui animarum cura imminet, vi occupat, seu se scienter iniuste intrudit in eo: decernimus* IPSO IVRE *fore priuatum beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat: non enim decet, vt stultus melioris quam peritus conditionis existat, vel quod inuasor eo, qui iuste ingreditur, priuilegio gaudeat potiori. Insuper vt violenti, qui* AVTORITATE *(vel verius temeritate)* PROPRIA *occupare dignitates, personatus aut alia quaecunque ecclesiastica beneficia non verentur, & si non virtutis amore, pœnæ saltim formidine a suæ temeritatis audacia refrenentur: eo ipso ius, si quod in dignitatibus, personatibus, & beneficiis occupatis taliter vel ad ea ipsis forsitan competebat, amittunt.* Inde vero liquet, (α) beneficiorum ecclesiasticorum intrusionem ac occupationem *extra ordinem* operari *ipso iure* priuationem iuris vel beneficii, vt sententia, quæ desuper ferenda, magis sit *declaratoria* quam *priuatoria*. In *caussis secularibus* aliud antea obseruaui, nec ab hac sententia ex adducta ratione recedo, quod ad has a *caussis ecclesiasticis* non valeat consequentia, & damnabilior iure canonico censeatur talis inuasio, quam rerum aliarum occupatio. (β) *Violentam occupationem* vel etiam *inordinatam*, sine *canonica institutione*, sine qua licite beneficium non possidetur, *c. 1. de R. I. in 6.* dici ac esse *intrusionem damnabilem*, vt *§. 1.* dictum, atque cum *sacrilegio* & *rapina* conferendam, per *c. 54. X. de elect.* adeo vt prælatus, qui sine *confirmatione* sese exercitio iurium episcopalium immiscet, pro *intruso*, & iure suo ex electione quæsito priuato, habeatur *c. 5. de elect. in 6. c. 18. X. de prebend.* Pariter *intrusis* annumerantur, qui præter autoritatem eius, qui ius conferendi habet, beneficium impetrarunt: *c. 5. X. de concess. præb. & eccl. non vac.* qui illegitime electi sunt: *c. 2. de restit. in integr.* qui beneficia ecclesiastica sine consensu episcopi diœcesani vel officialium recipiunt. *c. 3. X. de instit. c. 3. X. de recess. prælat.* conf. MELCHIOR LOBTARIVS de

2) In c. 18. de præb. in 6.

Vnde consectaria formantur.

Circa intrusos speciatim.

Eorumque censuras.

de re benefic. lib. II. q. 20. n. 82. sqq. (γ) Præter priuationem iuris adhuc censuris constringuntur ecclesiasticis, *cit. c. 3. de excess. prael.* incurruntque excommunicationem. *c. 3. X. de instit.*, quæ alias clericos difficilius quam laicos ferit.

Vtriusque iuris harmonia ex recta ratione illustratur,

§. VI. Hæc documenta aperte loquuntur, amicum hoc in argumento esse inter vtrumque ius consortium, cui etiam *recta ratio*, & *ciuilis status* fundamentum fauent. Qui sibi ius dicit sine iudice, cuius copiam habere poterat, in ipsam rempublicam eiusque intimum systema peccat: autoritatem magistratus lædit: legum vinculum soluit: denique rem ad *statum naturalem*, vnde ad *ciuilem* securitatis publicæ causa itum, reducit, atque in extremum iuris sui, quod sibi asserit, *abusum* incidit. Meretur autem iure suo priuari, qui eo grauiter abutitur, vt conuenientior pœna in hunc abusum constitui haud potuerit.

Et decreto D. Marci,

Hanc amplexus est D. MARCVS imperator pariter sapiens ac philosophus summus, qui ex *natura rei* hanc desumsit pœnam. Frustra rigorem iuris quidam crepant, qui facinoris grauitatem debita haud ponderant prudentia. Sunt homines ad *vindictam priuatam* admodum procliues: iudices esse amant in *propria causa*, ad ea ruentes media, quæ *statui naturali* propria, a *ciuili* vero prorsus aliena. Talis furor vero, qui ipsi statui ciuili bellum indicit, vt *ius manuarium* docuit, aliter aboleri & eradicari nequit, quam per pœnæ rigorem. Ius, quod *manu* geritur, magis belluinum quam humanum est ipso CICERONI *lib. I. de offic.* iudice, atque docente, *duo esse genera decertandi: vnum per disceptationem; alterum per vim: illud proprium esse hominum; hoc belluarum.*

Atque ad doctrinam de spolio applicatur.

Sicuti vero is, qui vim passus est, non cogitur iure suo vti; ita non dubium est, quin ei, qui de *spolio* agit, *si consentiat*, exceptio dominii obiici, & de hac decerni queat; *c. 1. X. de restit. spoliat.* quamuis sibi duplici via præiudicet, (α) quod suo consensu paratissimæ executioni moram iniiciat: (β) quod priuationis pœnam remittat, quæ inuito non obtruditur. Inde vero minime colligendum, in commisso & probato *spolio* non imminere *pœnam priuationis*, si hanc iniuriam deuorare nolit. Si suo iure vti mauult, reiecta exceptione dominii, spoliatus statim restituitur, eique postea de *petitorio* conuento exceptio *amissi iuris* vel *dominii* parata est. Denique id quoque certum est, restitutione spolii facta, spoliatori ad *petitorium* viam reseruari, *c. 7. 10. X. de restit. spol.* quod argumentum rursus contra vsum huius pœnæ vrgere solent dissentientes. Enim vero hoc, *salua exceptione* spoliati, intelligendum est, cuius ab arbitrio

trio pendet, vtrum hac vti, an vero *petitorio* simpliciter disceptationem causæ permittere malit.

§. VII. Eo magis autem pro vsu huius pœnæ asserendo pugnandum, quo magis ipsum *ius Germanicum* tam *antiquum* quam *recentius* iuris ciuilis & canonici placita, in recta ratione fundata, sequi non erubuit. Scio, in alia omnia fuisse quondam BERLICHIVM, CARPZOVIVM, COLERVM, ceteros, quorum vestigia fideliter legit SIGISMVNDVS FINCKELTHAVS *obs. 24.* Verum scio quoque, ICtos prælaudatos, quorum meritis ceteroquin nihil derogo, sæpe in *iure patrio* h. e. *Germanico* hospites fuisse. Frigida sunt, quæ FINCKELTHAVSIVS in scenam producit, pro *non-vsu* huius pœnæ & pugna eius cum iure Germanico. Ait, ius *prouinc. Sax. lib. 3. art. 43.* disertis verbis edicere: Was sich ein Mann mit unrechter Gewalt unterwindet, das ihm denn mit Recht abgenommen wird, er muß es mit Wette und Busse ihm wiedergeben. Recte vero ita censuere maiores nostri, qui tamen supposuere casum, si quis per iniuriam *rem alterius* occupauerit, obseruante SCHILTERO *ex. XI. §. 14.* Ea in specie ius Romanum præter rem *æstimationem* rei præstandam esse iussit in *pœnam violentiæ*: ius Germanicum itidem, Buß und Wette, vt & *iudici* & *actori*, cui iniuria illata, satisfiat. Ita vero ius vtrumque magis conspirat quam sibi contradicit. Neque vero *deliria glossæ* ius faciunt, aut vim decidendi habent. Audiamus vero glossatorem ad *ius Weichbildicum art. 29. n. 10.* Welcher Mann eines Gutes sich unterwindet mit unrechter Gewalt, der soll es mit Wett und Buß wieder geben, je wem in seine Gewalt, da es vor war. Und ob er wohl nach Käyserl. Recht, hernach nicht darzu klagen mag, so kan er doch nach Sächsischen Rechten, wenn er die Busse gegeben, wohl wieder dazu kommen. Sit ita, hunc textum de eo casu disponere, quo quis temerario ausu, *sine iudice*, rem *suam* inuadit, possessore expulso, supponit tamen glossator conditionem, quæ abesse & adesse potest. Ait, wenn er die Busse gegeben, ei haud imminere *pœnam priuationis*; est enim Busse, *multa*, *quæ penditur parti læsæ*, qua accepta, *iniuriæ* nomine actori satisfactum, qui postea ad aliam *pœnam* prouocare amplius nequit. Quid vero si huic mulctæ haud inhiauit, spe prædæ pinguioris sese lactans, quis repelleret læsum, *priuationem dominii similisue iuris* ambientem? Superesset vero, vt euidentissimis probatum darem argumentis, ius *Germanicum* egregie cum iure *Romano* conspirare, nisi hac in causa mihi iam otium fecisset

Iuris Germanici consensus circa pœnam priuationis.

Huc tamen non pertinet lib. 3. art. 43. iur. Sax prov.

Multo minus ineptus glossator audiendus.

præstantissimus SCHILTER. *in pr. iur. Rom. ex. II. §. 14. seqq.* quem etiam secutus est B. a BERGER *in elect. discept. for. p. 152.* Eo magis vero ab illustratione vlteriori abstinendum censui, quod ante aliquot annos *Facultas iurid. huius loci* veram mentem *iuris Saxonici* seu *Germanici* egregio responso, ab illustri eius ordinis membro confecto, denudauerit, in quo præterea praxis imperii grauissimis asserta est fundamentis, quod proinde in rem meam vertendum esse, iudicaui. Ita vero illustris ordo censuit:

Responso illustratur iuris Germanici sententia.

Rationes dubitandi.

Ob es wohl das Ansehen gewinnen will, als wenn der *l. 7. C. unde vi*, ingleichen andere Römische Gesetze von gleichem Inhalt, und ins besondere der *l. 13. quod metus causa* in der gantzen Christenheit niemahls in vsum gekommen, wie die Marpurgische und Rostockische Iuristen bey dem BICCIO

in aureis excerpt. sect. 4. p. 588.

bezeugen, und deswegen GROENEWEGEN

de LL. abrogatis ad §. 1. I. de vi bon. rapt.

wie auch CHRISTINAEVS

Vol. III. decis. 15. n. 10.

weder in denen Niederlanden noch Franckreich dergleichen Härtigkeit in vsu zu seyn vorgeben, hiernechst die heutigen Sächsischen Lehrer fast meistentheils der Meinung sind, daß sothane Römische Gesetze in suo rigore in ihren Landen in der Ubung nicht wären,

CARPZOV. *I. F. part. IV. const. 30. def. 11. n. 7.*

BERLICH. *conclus. 21. part. I. n. 6.*

MENCKE *ad D. tit. de vi & vi arm. pag. 1275.*

sondern nur eine Busse und Bestraffung zulassen, welche wohl nach Beschaffenheit der Umstände auf eine Landes-Verweisung extendiret werden möchte;

SCHILTER. *exerc. ad D. XI. n. 16.*

in übrigen aber sich festiglich bereden, daß der Verlust der Sache, welche eigenmächtig occupiret, oder auch des crediti, so mit Gewalt erpresset werden wollen, allzustrenge, und der proportion des delicti nicht gemäß sey, welches in gegenwärtigem Fall um so viel gewisser zu seyn scheinet, da der Herr Quærente nicht in Abrede seyn kan, daß denen K. Erben im Kauff-Briefe bis zu ihrer völligen Befriedigung in dem verkaufften Lehen-Guthe eine würckliche hypothec, oder Unterpfand cum constituto possessorio & pacto executiuo verschrieben, und eine Stube zu des Creditoris Wohnung bis auf Martini

des-

deswegen bedungen worden, damit er allda einen freyen Abtritt haben möchte, mithin fast zu schliessen seyn dürffte, daß, weil die von K. einiger massen iustam causam für sich gehabt, sie wohl das ihnen versetzte Guth cum constituto possessorio eigemächtig occupiren mögen, oder zum wenigsten deshalb nicht zu befürchten hätten, daß nach dem Rigueur der Römischen Gesetze mit ihnen verfahren werden solte, cum si vel leuem habuerit caussam possessionem occupans, seueritate dictæ legis non credatur teneri,

MENOCHIVS *remed. recup. V. n. 48. & seq.*

um so vielmehr, als es unläugbar ist, daß der debitor naturaliter zur Zahlung verbunden, und also der creditor seines Rechtens nicht beraubet werden mag, welche raison den Compilatorem Decreti, das ist, Gratianum, vermuthlich bewogen, von solcher Härtigkeit abzugehen,

SCHILTER. *exercit. ad pand. XI. §. XII.*

Rationes decidendi.

Jedennoch aber und dieweil nicht nur allein das Römische Recht und die daraus angeführte Gesetze nichts unbilliges in sich halten, sondern auch der gesunden Vernunft gemäß ist, daß wer einer Obrigkeit unterwürffig, diese vor seinen Richter erkennet, durch dessen Beyhülffe zu seinem Rechte gelange;

GROTIVS *de I. B. & P. lib. I. cap. 7. n. 12.*

hingegen unzweiffelhaft, daß eine eigenmächtige occupation unbewegliche Güther und Erpressung des schuldigen Quanti eine Verachtung des Obrigkeitlichen Amtes nach sich ziehet, woraus allerhand Unordnung, Mord, Verleumdung und andere gefährliche Unruhe entstehen kan, mithin das crimen so gleich in die Augen fället, welches dahero eine ernstliche Bestraffung verdienet, und immittelst, nach genauer Betrachtung der Sache selbst, die vorgeschützte disproportion der Ubertretung quæstionis gegen die Straffe eine pure abstraction ist, indem dieselbe nicht, nach den Gedancken der *Juristen*, sondern nach denen Gesetzen und Verboten, auch nach dem Maaß der Verachtung des Obrigkeitlichen Amtes und des Gesetzgebers selbsten angesehen werden muß, anbey die gescheuteste Rechts-Lehrer solche cerebrinam proportionem in Bestraffung der Missethaten aus gegründeten Ursachen verwerffen,

PVFFENDORF. *de I. N. & G. lib. VIII. cap. III. §. 16. seq.*

HOCHSTETTER *de pœn. sect. IX. §. 3.*

 hier-

præstantissimus SCHILTER. *in pr. iur. Rom. ex. II. §. 14. seqq.* quem etiam secutus est B. a BERGER *in elect. discept. for. p. 152.* Eo magis vero ab illustratione vlteriori abstinendum censui, quod ante aliquot annos *Facultas iurid. huius loci* veram mentem *iuris Saxonici* seu *Germanici* egregio responso, ab illustri eius ordinis membro confecto, denudauerit, in quo præterea praxis imperii grauissimis asserta est fundamentis, quod proinde in rem meam vertendum esse, iudicaui. Ita vero illustris ordo censuit:

Responso illustratur iuris Germanici sententia.

Rationes dubitandi.

Ob es wohl das Ansehen gewinnen will, als wenn der *l. 7. C. unde vi*, ingleichen andere Römische Gesetze von gleichem Inhalt, und ins besondere der *l. 13. quod metus causa* in der gantzen Christenheit niemahls in vsum gekommen, wie die Marpurgische und Rostockische Iuristen bey dem BICCIO

in aureis excerpt. sect. 4. p. 588.

bezeugen, und deswegen GROENEWEGEN

de LL. abrogatis ad §. 1. I. de vi bon. rapt.

wie auch CHRISTINAEUS

Vol. III. decis. 15. n. 10.

weder in denen Niederlanden noch Franckreich dergleichen Härtigkeit in vsu zu seyn vorgeben, hiernechst die heutigen Sächsischen Lehrer fast meistentheils der Meinung sind, daß sothane Römische Gesetze in suo rigore in ihren Landen in der Ubung nicht wären,

CARPZOV. *I. F. part. IV. const. 30. def. 11. n. 7.*

BERLICH. *conclus. 21. part. I. n. 6.*

MENCKE *ad D. tit. de vi & vi arm. pag. 1275.*

sondern nur eine Busse und Bestraffung zulassen, welche wohl nach Beschaffenheit der Umstände auf eine Landes-Verweisung extendiret werden möchte;

SCHILTER. *exerc. ad D. XI. n. 16.*

in übrigen aber sich festiglich bereden, daß der Verlust der Sache, welche eigenmächtig occupiret, oder auch des crediti, so mit Gewalt erpresset werden wollen, allzustrenge, und der proportion des delicti nicht gemäß sey, welches in gegenwärtigem Fall um so viel gewisser zu seyn scheinet, da der Herr Quærente nicht in Abrede seyn kan, daß denen K. Erben im Kauff-Briefe bis zu ihrer völligen Befriedigung in dem verkaufften Lehen-Guthe eine würckliche hypothec, oder Unterpfand cum constituto possessorio & pacto executiuo verschrieben, und eine Stube zu des Creditoris Wohnung bis auf Martini

Des-

deswegen bedungen worden, damit er allda einen freyen Abtritt haben möchte, mithin fast zu schliessen seyn dürffte, daß, weil die von K. einiger massen iustam causam für sich gehabt, sie wohl das ihnen versetzte Guth cum constituto possessorio eigemächtig occupiren mögen, oder zum wenigsten deshalb nicht zu befürchten hätten, daß nach dem Rigueur der Römischen Gesetze mit ihnen verfahren werden solte, cum si vel leuem habuerit caussam possessionem occupans, seueritate dictæ legis non credatur teneri,

MENOCHIVS *remed. recup. V. n. 48. & seq.*

um so vielmehr, als es unläugbar ist, daß der debitor naturaliter zur Zahlung verbunden, und also der creditor seines Rechtens nicht beraubet werden mag, welche raison den Compilatorem Decreti, das ist, Gratianum, vermuthlich bewogen, von solcher Härtigkeit abzugehen,

SCHILTER. *exercit. ad pand. XI. §. XII.*

Rationes decidendi.

Jedennoch aber und dieweil nicht nur allein das Römische Recht und die daraus angeführte Gesetze nichts unbilliges in sich halten, sondern auch der gesunden Vernunft gemäß ist, daß wer einer Obrigkeit unterwürffig, diese vor seinen Richter erkennet, durch dessen Beyhülffe zu seinem Rechte gelange;

GROTIVS *de I. B. & P. lib. I. cap. 7. n. 12.*

hingegen unzweiffelhaft, daß eine eigenmächtige occupation unbewegliche Güther und Erpressung des schuldigen Quanti eine Verachtung des Obrigkeitlichen Amtes nach sich ziehet, woraus allerhand Unordnung, Mord, Verleumdung und andere gefährliche Unruhe entstehen kan, mithin das crimen so gleich in die Augen fället, welches dahero eine ernstliche Bestraffung verdienet, und immittelst, nach genauer Betrachtung der Sache selbst, die vorgeschützte disproportion der Ubertretung quæstionis gegen die Straffe eine pure abstraction ist, indem dieselbe nicht, nach den Gedancken der *Juristen*, sondern nach denen Gesetzen und Verboten, auch nach dem Maaß der Verachtung des Obrigkeitlichen Amtes und des Gesetzgebers selbsten angesehen werden muß, anbey die gescheuteste Rechts-Lehrer solche cerebrinam proportionem in Bestraffung der Missethaten aus gegründeten Ursachen verwerffen,

PVFFENDORF. *de I. N. & G. lib. VIII. cap. III. §. 16. seq.*

HOCHSTETTER *de pœn. sect. IX. §. 3.*

Nn 2 hier-

hiernechst die Marpurgische und Rostockische Iuris-consulti allzumilde und nicht ohne Ubereilung bejahet, daß sothane harte Bestraffung in der gantzen Christenheit nicht in die Ubung gekommen, gestalt so wohl in der Reichs-Cammer darauf beständig erkannt worden,

LAUTERBACH *in collegio D. de vi & vi armata §. XX.*

als auch dem Reichs-Abschied de a. 1521. §. und ob sich. auf dergleichen eigenmächtige occupation und wiederrechtliche Erpressung die in dem Römischen Rechte gesetzte Straffe theils approbiret, theils auch was in den Teutschen Gewohnheiten und Rechten bereits obtiniret, bedencklich wiederholet, allermassen SCHILTERUS sehr deutlich gezeiget, daß so wohl nach dem alten Sachßen- als auch Schwäbischen Land-Recht offt bemeldte Bestraffung und Verlust der Klage, auch andere Befugnisse längstens im rechtlichen Gebrauch gewesen,

SCHILTERUS *exerc. ad D. XI. §. XIV. seq.*

deme auch die Sächßische Schöppen- und Rechts-Lehrer in pronunciando ehedessen gefolget, welches die von SCHILTERO allegirte præiudicia noch klährer erweisen; im übrigen aber COLERUS, CARPZOVIUS, BERLICHIUS und andere, so diesen beypflichten, durch eine falsche Erklährung des Sächßischen Land-Rechtes, und insonderheit durch die ungeschickte Glossatores desselben, welche die alte Teutsche Worte nicht recht verstanden, auf Abwege gerathen, wohl erwogen, daß sie folgende Worte des Land-Rechtes

lib. III. artic. XLIII.

Was sich der Mann unterwindet mit Unrecht, das ihm mit Recht abgewunnen ward, er muß es mit Busse lassen, auf solche Fälle gezogen, wo der unterwindende Mann Recht daran gehabt, da doch ermeldeter Articul von einem gantz andern casu redet, nemlich, si is alienam rem occupavit, welche freylich der occupans mit Busse zurück geben muß,

SCHILTER. *l. all. §. 14.*

im Gegentheil aber ein gantz anderer Text im erwehnten Land-Recht

lib. I. art. 51. n. 2.

wie auch Lehn-Recht *art. LXIX. n. 15. 16.* erscheinet, welcher den eigenmächtigen Unterwinder derjenigen Stücke, ob er schon Recht daran hat, nicht nur allein zur restitution verdammet, sondern auch dem-

emselben sein etwa daran habendes Recht gäntzlich benimmet und ab- pricht, also, daß sich zu verwundern, wie gedachte neue Sächsische ehrer davon abweichen, oder auch ihrer Vorfahren und viel älterer Sächsischen Schöppen nnd Rechts-Lehrer decisa, in specie der Leipzi- er und Wittenberger Urtheile hindan setzen können,

SCHILTER. *l. c. §. 16.*

GOEDDEN. *consilio LXVIII.*

nithin noch sehr zweifelhaft, ob dann die heutige Sächsische Lehrer, da e die Sache besser einsehen, bey solcher neuerlicher Lehre CARPZOVII, OLERI, BERLICHII zu verbleiben verbunden, bevorab da nicht un- ekandt, wie der GRATIANVS die decreta der alten conciliorum erfälschet

SCHILTER. *l. c. §. 13.*

igleichen der Reichs-Hoff-Rath VON BERGER

in elect. discept. forensium p. 152. seq.

en vsum solches Straff-Gesetzes mit tüchtigen argumentis vertheidi- et, auch die Ienenses nach dem Zeugniß BRVNNEMANNI

ad l. 13. quod metus causa & leg. 7. C. unde vi

lso gesprochen, auch denselben

MEVIVS *part. I. decis. 95.*

STRYKIVS *in vsu D. moderno §. XI. ad tit. quod metus causa.*

BEYERVS *ad eundem tit. D.*

eytreten, und noch viele andere Doctores ausser Sachsen die Billig- eit und vsum benandter Gesetze, absonderlich

LAVTERBACH *in colleg. l. c.*

vie auch die von ihm in guter Anzahl angeführte Auctores, als

HARPRECHT *ad §. 1. I. de vi bon. rapt. n. 4.*

FRANZKIVS *ad eund. t. n. 9.*

BARDILI *ad l. 7. C. unde vi in pecul. dissert.*

bewähren; worzu noch kommt, daß, wann auch schon in Meissen und den übrigen Sächsischen Chur-Ländern die gegenseitige Meinung ap- probiret werden solte, jedennoch in der Nieder-Lausitz, allwo des Herrn Quærentens Ritter-Guth gelegen, ein anders zu hoffen seyn dürffte, zumalen da obbelobter von Berger von dem Land-Gericht in der Nieder-Lausitz præiudicia in contrarium anführet, und sich auf der Wittenbergischen Iuristen-Facultät beyfällige Urtheil berufet,

Elect. disceptat. forens. p. 183.
IDEM *de vsu action. forens. p. 95.*
mithin zu schliessen, daß die ohnedem ungegründete sententia Carpzoviana und Berlichiana allda keinen ingress finden werde, daferne anders in der Klage specifice auf den Verlust der K. action geklaget werden solte, welches nothwendig geschehen muß,
BEYER *ad D. quod metus causa.*
und ob schon die Gebrüdere von K. ihre hypothec und constitutum possessorium vorschützen dürften, so ist doch diese ihre exception nicht sonderlich zu fürchten, in fernerer Betrachtung, daß dergleichen pactum und constitutum possessorium in gewisser Maasse unzuläßig, und also niemand, wer der auch seyn möchte, ein ius ingrediendi propria auctoritate & cum vi in possessionem rei sibi deuinctæ inuito debitore geben kan, etiamsi possessor caussam habeat ab ipso constituente,
MEVIUS *part. V. decis. 351. n. 6.*
PETRUS MULLER. *de constit. possess. cap. V. §. VII. & VIII.*
und demnach unzweiffelhaft, daß auch der constitutus, weil er iudex in propria causa seyn will, sein Recht verliehren müsse,
P. MULLER. *l. cit. §. 8.*
MEVIUS *P. IV. decis. 217.*
um so viel mehr, als gewiß es ist, daß im gegenwärtigen Fall possessio nicht vacua gewesen,
A. FABER *in cod. lib. VII. tit. 7. defin. 18.*
sondern vielmehr die von K. Herrn Quærentens Fräulein Schwester aus dem Hause unverantwortlich ausgeworffen, die Schaafe weggetrieben, das Vieh crepiren lassen, auch anders mehr verübet, welches nicht zu rechtfertigen ist, wie das sub lit. F. uns communicirte attestatum deutlich besaget, einfolglich mit gutem Grund zu inferiren, daß die K. Gebrüdere durch dieses ihr Verbrechen, da ohnedem lis pendens gewesen, auch, Inhalts der speciei facti, der Herr Quærente von Seiner Königl. Majestät in Pohlen rechtlich in der possession seines Guthes, wegen vieler wichtigen exceptionen, beschützet, und gar deshalb ein protectorium ertheilet worden, ihre gantze Schuld-Post nebst Interesse und Unkosten verlohren; und ob gleich in Ansehung der schon erhobenen 5000. Thlr. und 100. Ducaten Schlüssel-Geld einiger Zweiffel daher entstehen möchte, weil dasjenige, was Sie bereits empfangen, keine Schuld mehr gewesen, und sie also

davon

davon nichts weiter verlieren konten, so ist es doch an dem, daß das Guth quæstionis G. D. ratione des Eigenthums denen von K. nicht mehr zugehöret, auch die Stube samt dem freyen Abtritt ihnen nur bis auf 1702. vergönnet gewesen, mithin nothwendig gefolget, daß sie rem alienam gewaltsamer Weise occupiret, auf welchen Fall die Entsetzer den Werth desselben dem Entsetzten zu geben schuldig seyn,

Recess. imper. de a. 1521. l. cit. supra.

welcher Werth aber nicht nur die rückständige Kauff-Gelder in sich fasset, sondern auch das übrige, was schon erweißlich bezahlet worden, obschon ohne Zinsen, indem die pœn erst von der Zeit des delicti und darauf erfolgten iudicati anfänget; wormit sich der Herr Obrist-Lieutenant billig zu vergnügen hat, und dahero auch keine weitere und mehrere als diese in den Römischen und Teutschen Gesetzen verordnete Strafe zu vrgiren berechtiget ist.

(4) Nec leges imperii generales resistunt, quin eam confirmant.

§. VIII. Multo minus ergo *leges imperii* ab vsu huius pœnæ abhorrent, quam obseruationem iam tetigit ordo noster in responso memorato, & plenius instruit BARDILI *ad l. 7. C. vnde vi §. 6.* Tres omnino sunt textus cardinales in *constitutionibus imperii*, qui vsum huius pœnæ euincunt, inculcant, iubent. Primus est *in ord. cameræ de anno 1521. tit.* wie es in Irrungen der *possession*, qui edictum D. Marci prorsus secutus est: So soll der Entsetzer dadurch directum dominium, das Eigenthum oder Hauptgerechtigkeit der Güther oder Gerechtigkeit, um die der Streit gewesen, verlohren haben. So aber dieselbe Güther oder Gerechtigkeit gedachter Entsetzer mit ihrem Eigenthum nicht zugehören, soll er deren Werth dem Entsetzten nach Ordnung gemeiner Rechte zu geben schuldig seyn. Pariter in *ordinatione de pace publica Wormatiensi de anno 1521. circa fin.* pœna iuris communis generatim approbatur. Rubrica est: **Dieser Land-Friede soll denen andern Rechten nichts abbrechen.** Textus vero: und sollen diese Gebothe den Land-Frieden und desselben pœn betreffend, gemeinen unsern und des Reichs Rechten auch andern Ordnungen und Gebothen, derhalben vormahls ausgangen, so viel des durch die vorige nicht aufgehoben, nichts abbrechen, sondern das mehren, &c. Quia vero in præcedentibus articulis *d. constit.* pœna *iuris communis*, quæ *priuatione* inuasores coercet, haud sublata est, per indirectum his verbis confirmata & corroborata est. Postea *anno 1532. in recessu Imp. Ratisbonensi tit.* Kammergericht betreffend.

fend. §. *item* als sich offt 15. repetita est *sanctio cameralis* antea relata his verbis: Nachdem aber in unserer Cammergerichts-Ordnung, zu Wormbs aufgericht, unter der Rubriken: Wie es in Irrung der *possession* und derselben Entsetzung halben gehalten werden soll &c. hierum genugsam Versehung geschehen, soll es bey solcher Wormbsischer Ordnung bleiben, und dieselbige gehalten werden; ergo quoque *pœna priuationis* inuasoribus dictanda est, quippe quæ expresse in *ordin. criminali cit. l.* est repetita. His addo etiam *art. 105. constit. crimin. Carol.* vnde generalis regula fluit, in omnibus delictis, in dicta sanctione haud tactis, iudicandum esse nach den Käyserl. Rechten.

Imo & leges prouinciales hanc pœnam non tollunt.

§. IX. Quæ cum ita sint, quis crederet, *leges prouinciales* ab hac doctrina, quieti publicæ tam egregie inseruiente, recessisse? quæ potius, quatenus disertis verbis ab hac non deflectunt, eandem, vt *iuris communis* sententiam, præsupponunt. Neque enim hæ admittunt aut admittere possunt, vt quis sibi, sine iudice, ius dicat, prout optime prouisum in *iure prouinc. Boruss. lib. III. art. 3. §. 1.* En verba: Wir wollen auch allhier aus den Käyserl. Rechten die Straff introduciret haben, daß, wo einer hohes oder niedriges Standes den andern spoliret und entsetzet, und des mit Recht überwunden wäre, in Sachen, die den Fried-Bruch mit belangen: So soll der spoliator und Entsetzer dadurch directum dominium, das Eigenthum oder die Haupt-Gerechtigkeit der Güther, oder Gerechtigkeit, darum Streit gewesen, verlohren haben. Wo aber dieselben Güther oder Gerechtigkeit gedachtem spoliatori oder Entsetzer mit ihrem Eigenthum nicht zugehören, so soll er derselben Werth oder æstimation dem spoliato oder Entsetzten, nach Ordnung vorgedachter gemeiner Rechte, zu geben schuldig seyn, wornach man sich hinführo zu richten. Præterea iam olim in Electorali Saxonia inter emendanda circa processum hoc caput quoque relatum fuit de pœna, a Diuo Marco constituta contra eos, qui sibi ius dixerunt sine iudice, sedulo in vsum deducenda, quod indicat *Titulus V. ordinat. recogn.* apud B. BERGERVM *in elect. discept. forens. p. 126.* his verbis: Hierüber soll auch einen Kläger, nach Gelegenheit derer Fälle, sich derer actionum pœnalium in duplum & quadruplum und dergleichen, so weit dieselben der Verfassung unserer Lande nicht zuwider, wie nicht weniger des remedii ex decreto D. Marci in *l. 13. D. quod met. caus. & l. 7. C. vnde vi* zumahl selbiges in denen Reichs-Abschieden de anno 1521. rubr. wie

Pœna hæc approbata iure Borussico prouinciali.

Ordinatione Saxonica recognita.

vie es in Irrung der possession &c. §. und ob sich. Item de anno 1532. ubr. Cammer-Gericht §. 15. ausdrücklich bestätiget, gebührend zu gebrauchen nachgelassen seyn. Pariter *in iure prouinciali Bauarico tit. XX. art. 11.* hac de re ita cautum est: Sizet jemand seiner varenden Haab, wie die genannt ist, im Nutz und Gewehr, dazu ein anderer zu sprechen hat, der soll sein Ansprach derhalben suchen wie recht ist. Entwert er ihn aber derselben varenden Haab, ohne Recht, mag der Kläger alsdenn solches wahr machen, wie recht ist, das soll er geniessen, und ihm daß der Antworter mit der zwygüllt wiedergelten und dem Gericht die Bueß verfallen seyn. Denique in *iure Dithmarsensi Prouinc. art. 90.* idem repetitum deprehendi. Verba eius hæc sunt: Niemand schall ahne vörgahnde rechtlyke Erkentniß den andern mit der daht syner hebbenden Gewehr und Besittes entsetten by Bröke des dubbelden Fredens. Und so der Entsetter an dem Gude, darvon he den andern mit Gewalt entsettet, egendohmlyke Gerechtigcheit hadde, de hefft he dardörch, dat he den andern entsettet hefft, verlahren, de fallt up denjennen, de entsettet ys. Wennehr of sodahne Entsettinge vor Recht gebracht, und geklaget worde, und de Entsetter wolde vorwenden, dat he an dem Gude egendohmlyke Gerechtigcheit hedde, so schall he doch darmede nicht gehöret werden, sondern de Kläger schall erst und thovörn in synen Besitt weddernm werden ingesettet, darnach mach de Beklagte synen Egendohm searcken.

Iure Bauarico.

& Dithmarsiensi.

§. X. Hanc ob causam etiam pactum de *vi priuata* exercenda in casu contrauentionis merito reprobandum, cum quod iudicis munus ingreditur, *priuato pacto* non subiaceat. *l. 38. l. 42. D. de pactis.* Hoc recte & prudenter cautum in der Königl. Preußl. Cammer-Gerichts-Ordnung *de anno 1709. tit. 54. §. 3. & 4.* his verbis: Es seynd aber die executiones bey dem ordentlichen Richter zu suchen, und mag keiner für sich, unter was prætext solches auch sey, wider seinen Gegentheil verfahren, noch das ihm etwa zustehende, propria autoritate occupiren. Welches auch statt haben soll, obgleich der Gegner per pactum beliebet, daß die Sache eigenmächtig, und sonder Eintretung des Richters, in Besitz genommen werden möchte, damit aller besorgende Tumult und Unruhe vermieden werde. Hac de causa quoque pacti de *ingrediendo* vis extraiudicialis omnis detracta est in der Königl. Preußl. *Hypothequen-* und Concurs-Ordnung *de anno 1727. §. 35.* his verbis: Daß der Gläubiger, im Fall unterbleiben-

Non valet pactum de vi priuata exercenda.

der Zahlung, die verschriebene Pfand-Stücke eigenmächtig, mit eigener Gewalt, unverfolgten Rechtens, einnehmen, und sich in deren Besitz setzen möge, hat so wenig, wenn es in den Pfand-Verschreibungen gesetzet, nach dem gemeinen Recht den effect, daß es der Gläubiger thun kan; als wenig solches in diesen unseren Landen zugelassen seyn soll; Und ist dannenhero solches Geding auch unter dem Nahmen des Pacti de ingrediendo als unnützlich, denen Pfand-Verschreibungen und Constituirung der Hypothequen nicht beyzufügen, noch, da solches sich irgendwo fünde, zu attendiren. Wolten aber die Contrahenten sich dessen vergleichen, daß bey nicht erfolgender Zahlung der Creditor sofort vom Gericht in die possession gesetzet werden solte, hat solches statt, mit dem effect, daß auf blosse Vorzeigung der obligation, wenn nicht ein instrumentum publicum, so keiner recognition bedarff, vorhanden, nach vorheriger recognition, der Gläubiger in das ihm dergestalt verschriebene Guth von der Obrigkeit eingesetzet, und der Schuldner mit seinen etwa habenden dilatorischen und peremtorischen exceptionen zur besondern Ausführung verwiesen, und allein exceptio solutionis vel compensationis, wenn sie so fort erweislich, attendiret werden soll.

Quod nouo responso illustratur.

§. XI. Quodsi itaque per leges regni Borussiæ omnis vis & via *de facto* sine iudice procedendi reprobata est, pœna quoque *iuris communis* per *indirectum* approbata, dum nihil in contrarium cautum fuit. Sic in casu, quo creditor solutionis causa crumenam nummis repletam per vim debitori eripuisse, arguebatur, & eidem super hoc *violentiæ facto* iuramentum delatum erat, iudex primæ instantiæ *d. 12. Aug. 1722* iuramentum hoc præstandum esse censuit per sententiam huius tenoris: Daß der Kläger das von Beklagten deferirte Iurament, so wie solches deferiret worden, binnen gehöriger Frist zu acceptiren oder zu referiren schuldig sey, wann solches geschehen, soll ferner erkant werden. Appellatione interposita sententia hæc quidem *d. 2. Nov. 1722.* reformata; per sententiam sequentem: qua materialia aber sententia a qua vom 12. Aug. c. dahin zu reformiren, daß es des erkanten Eydes nicht bedörffe, sondern dem Bekl. obliege, den Kl. wegen des Vorschusses und Frachts, weshalb sie sich vorher zu berechnen haben, zu befriedigen. Sed denuo ad potentissimum regem Borussiæ adpellatione interposita, prior *d. 23. Jul. 1723.* confirmata est, transmissis actis ad Scabinos Mindenses. Sententia hæc cum *rationibus decidendi* de nouo vsum huius pœnæ illustrat, vnde eandem

dem

dem subiiciendam esse censui. Auf interponirte appellation, dawider eingewandte exception und andere Gesätze in Sachen Christopher Gantzers, Beklagten jetzo appellantens an einem, entgegen und wider Matthias Ludewig, Klägern jetzo appellaten am andern Theil; erkennen Wir Friedrich Wilhelm, von GOttes Gnaden König in Preussen ꝛc. auf gepflogenen Rath Unserer Rechtsgelehrten allen in actis befindlichen Umständen nach für Recht. Daß die appellatio ihrer formalien halber beständig, auch quoad materialia nunmehro aus den actis so viel zu befinden sey, daß die sentenz erster instanz wieder herzustellen und zu confirmiren sey, compensatis expensis. V. R. W.

Rationes decidendi fuere sequentes:

Gleichwie (1) Christopher Gantzer, von dem fol. 8. act. appellat. befindlich und am 2ten Nouembr. a. p. publicirten Bescheide, laut dessen fol. 9. befindlichen Schrift am 12ten eiusd. appelliret, solche appellatio auch (2) angenommen, und (3) der appellate test. fol. 13. den appellations-Eyd abgestattet, also sind die formalia für beständig erkant worden.

Materialia demnechst anreichend, so vermeinet zwar appellate des appellantens grauamina unerheblich zu seyn, weil Er (4) die LL. iuris Romani, auf welche Er seine anfängliche exception fundiret, und auf welche (5) der magistratus zu Rathenau in seiner sentenz reflectiret haben mag, in Teutschland und in specie in der Churmarck Brandenburg recipiret zu seyn, nicht erwiesen, es ist auch (6) an dem, daß nicht alleine viele sonst Rechtsbewehrte ICti, in specie

GIPHAN. *ad l. 7. C. vnde vi.*
SCHARSCHMID. *ad nou. 60. c. 2.*
CARPZ. *P. 4. const. 35. def. 11.*
BERLICH. *P. 1. concl. 21. n. 6.*
COLER. *Dec. 125. & ab his allegati plures.*

solcher Meinung sind, sondern es schreibet auch (7)

COVARRVVIAS *l. 3. var. resol. 16. n. 7.*
IO. DEL CASTILLO *tr. de vsufr. C. 6. num. 22.*

Quod rigor illarum LL. totius orbis Christiani vsu atque praxi antiquatus sit,

ein gleiches statuiret (g)

quoad Galliam P. REBVFFVS *in comment. ad constit. Reg. 9. 5. in præfat. n. 76.*

nec non quoad Hispanos

Fr. de SARMIENT *l. 2. select. interpret. C. 13. n. 7.*

& quoad Belgas,

CHRISTIN. *v. 2. Decis. 148. n. 6. iunct. v. 3. Decis. 15. num. 10.*

VINN. *ad §. ult. de vi bon. rapt.*

PEREZ *ad C. tit. vnde vi.*

BARDILI *Differt. ad l. 7. C. vnde vi §. 2. & 3.*

Dem dann (9) quoad factum hoc casu hinbey kommt, daß der appellate durchgehends und beständig abnegiret, dem appellanten einige Gewalt gethan, und den Geld-Beutel mit violenz ihm extorquiret und weggenommen zu haben, sondern daß derselbe solchen gutwillig fahren lassen, da doch

ad actionem ex allegat. LL. 12. & 13. D. quod met. caus. & L. 7. C. vnde vi.

requiriret wird, vt res vi ablata sit; vis autem dicitur maioris mali impetus, cui resisti non potest.

L. 3. D. quod. met. causa.

Welche aber (10) h. c. nicht vorhanden zu seyn, mithin (11) aus andern Umständen so viel erscheinet, daß appellatus keine irraisonable Ursache gehabt habe, sich des Geld-Beutels und folglich seiner Bezahlung halber zu versichern, weil, wie er (12) passim in actis und beständig sustiniret, appellante nicht allein ihn auf das zu Hamburg aus dem verkaufften Holtz lösende Geld vertröstet, sondern auch dasselbe theils zum Pferde-Kauff angewandt, theils ihn mit inexigiblen assignationen frustriren wollen, mithin also obæriret sey, daß er ihm gar de fuga suspect worden, wie dann auch seine eigene Frau nicht einmal für ihn cauiren wollen: aus welchen und andern mehr in actis angeführten Umständen dann (13) es das Ansehen gewinnet, daß es keiner Eydesdelation super violentia bedürffe, und folglich die Grauamina für unerheblich zu achten, cum a pœna l. 7. C. vnde vi iusta causa excuset.

BARDILI *d. differt. §. fin.*

Dergleichen dann unter andern auch diese zu seyn erachtet wird, si quis (wie h. c. appellate auch vorgiebt) copiam iudicis habere non potuit,

arg.

arg. t. t. C. quando lic. vnicuique sine iud.
GRAKE *de autor. priuat. in proœmio n. 3.*
MENOCH *remed. 9. recup. n. 191. apud* BARDILI *d. l.*

Dem dann ferner nicht allein (14) beytritt, daß appellatus die Rechte nicht verstanden zu haben vorwendet, und die ignorantia iuris auch eine excuse bey Personen, welche die iura nicht verstehen, abgiebet, sonderlich wann sie keine peritos consuliren können,

HYNSING. *6. obs. 47. pr. & n. 4.*

sondern auch (15) noch dieses dem appellanten zu obstiren scheinet, daß appellantens Forderung quoad rem ipsam liquid, und hergegen sein des appellantens exceptio priuationis ex

L. 13. quod metus causa &
L. 7. C. vnde vi.

illiquid ist, folglich diese mit jener nicht wohl compensiret werden kan,

L. fin. C. de compensat.
MEV. *p. 5. Dec. 227. n. 8.*

und also dem Ansehen nach appellante damit ab und ad separatum iudicium præuia solutione crediti verwiesen werden müste. Alldieweil aber dennoch nicht allein (1) in genere Rechtens ist, quod si quis in Imperio Romano-Germanico lege nititur Iustinianea, licet eiusdem obseruantiam non probet, tamen causam tamdiu fundatam habeat, donec aduersarius ius posterius monstret contrarium.

Rationes decidendi.

per tit. ordinat. cam. & iud. imp. alici nec non.
Rec. I. nouiss. §. 27. & 99. & allegat. Locamer.
CARPZOV. TABOR. MEV. & REINK. LAUTERBACH.
ex. 1. conclus. for. 1.

sondern auch (2) in specie viele andere und Rechtsbewehrte ICti, als

HARPRECHT. MEV. BRUNNEM. REBHAHN. und mehr apud BARDILI *d. dissert. §. 4. & 5.*

bezeugen, daß der l. 7. C. vnde vi in Teutschland noch in vsu, und ausser Sachsen, wovon doch auch andere von dem Carpzou. Berlich. &c. dissentiren, nicht abrogiret sey, wie dann

BARDILI *d. dissert. §. 6. & 7.*

darthut, daß keine constitutio imperii d. legi contraria, sondern vielmehr darin confirmiret, auch in Camera darnach gesprochen zu seyn sich finde, übrigens (3) ad actionem ex d. l. nicht eben dolus & vio-

lentia magna requiriret wird, sondern gnug ist; si quis sine voluntate domini vel possessoris rem occupat, *arg. l. 5. D. de acquir. & amitt. possess.* & eorum quæ tradunt

FABER *L. 7. Cod. t. 7. Def. 18. n. 4.*
MEV. *P. 4. Decis 220. in fin.*
MENOCH, *remed rec. 9. n. 264.*
vt & BARDIL. *d. dissert. §. 16.*

welches dann (4) auch einem Creditori nicht eins zugelassen, sondern derselbe sich der pœnæ amissionis crediti schuldig machet, wenn gleich per pactum zwischen ihm und dem Schuldner ein anders stipuliret, oder auch die clausula constituti demselben adiiciret worden,

post MEV. BRVNNEM. CARPZ. aliosque
BARDILI *d. dissert. §. 35.*

Und dann (5) der appellant sich nicht allein darin fundiret, daß appellante ihm den Geld-Beutel eigenrichterlich wider seinen Willen und also mit Gewalt aus den Händen gerissen, und sich bezahlet machen wollen, und zwar ohne eins vorher sich mit ihm zu berechnen, und ein debitum liquidum zu constituiren, da er doch dieses vor allen Dingen zu thun, und wenn er sich der Zahlung geweigert, deshalber in foro ordinario, oder, wenn er ihn gar de fuga suspect zu seyn vermeinet, wenigstens zu Hamburg, allwo er so wohl copiam peritorum als iudicium gehabt, gerichtlich zu klagen schuldig gewesen, bevorab da (6) appellant ein Mitbürger von appellato, auch wie er beständig vorgiebet, und nicht anders zu præsumiren stehet, weil appellatus ihm creditiret, und seinen fidem gefolget, possessioniret ist, welchenfalls auch arresta vermöge der Rechte und in actis allegirten constitutionen und Ordnungen dergestalt verbothen, daß auch die actio iniuriarum solchenfalls statt hat,

HARPRECHT. *ad §. 1. J. de iniur. n. 8. ibique citat.*

folglich (7) bey solchen und andern in actis angeführten Umständen nicht wohl zu sustiniren ist, daß appellante dem appellaten über irrelevante Puncten, welche ad probandum nicht zuläßig, indebite den Haupt-Eyd deferiret, oder dessen relation ihm zu iniungiren gebethen, weil Rechtens ist, quod non solum actor reo tale iuramentum in omnibus causis non exceptis personalibus & realibus possessoriis & petitoriis itemque pœnalibus deferre per tit. & Dd.

LAVTERBACH *in collegio de iure iur. §. 65.*

sed

ſed etiam reus in criminalibus ſuas exceptiones conſcientiæ accuſatoris committere poſſit,

BERLICH. *Deciſ. 297.*

CARPZOV. *lib. 3. reſp. 45.*

als haben wir bey ſolchen Umſtånden, und da auch (8) der error ſeu ignorantia iuris ihn ab actione ex

L. 7. C. vnde vi & ſimil. iuris tit.

nicht liberiren kan, weil auch ſolche in hoc caſu keine milites, ruſticos & mulieres excuſiret,

BARDILI *d. diſſert. §. 22. 23. & 24. ibique cit.*

übrigens auch (9) bekandt iſt, quod paria ſint liquidum eſſe & in continenti h. e. per iuramenti delationem, liquidum reddi poſſe,

MEV. *P. 5. Dec. 134. n. 3.*

quodque iudici omnino incumbat litium abbreuiatio,

MEV. *P. 2. Dec. 164. n. 4. & ſeqq.*

einhalts der Urtheil erkennen müſſen, die Unkoſten aber, weil appellate die letztere Urtheil vor ſich hat, compenſiret. Signatum Minden, den 23ſten Iul. 1723.

Königl. Preußl. zum Schöppen-Stuhl des Fürſtenthums Minden verordnete Director und Aſſeſſores.

§. XII. Sed ad *furti* iura, quæ ei ſingulariter hoc iure data ſunt, accedo, circa quæ præmitto, furtum *hoc iure* dici *manifeſtum*, quatenus de criminis autore conſtat, vel per *confeſſionem*, vel *probationem*, vel *euidentiam rei*, quæ nulla tergiuerſatione celari poteſt: *c. 24. X. de verb. ſignif.* vel *occultum*, quatenus ille omnium notitiam fugit, & iudex, omni licet adhibita inquiſitione & induſtria, in eius notitiam venire nequit. Cum vero interſit reipublicæ vtriusque, tam *eccleſiaſticæ* quam *ſecularis*, inprimis in furto *magni momenti* & ſingulariter *qualificato*, vt tum furtum reſtituatur, tum autor eius manifeſtetur, IOANNES XXII. extraordinarium remedium in *c. vn. extrau. commun. h. t.* pro reuelando autore criminis & facienda reſtitutione præſcripſit, virtute cuius (1) qui res furtiuas poſſident, vel criminis ſcientiam

Furtum manifeſtum de iure canonico.

Non manifeſtum ſeu occultum.

Modus extraordinarius furtum occultum eruendi.

Per monitoria de reuelando.

tiam habent, per *monitoria publica* monentur, vt intra quatuor mensium spatium, a die publicationis numerandum, ei, qui *monitorium* publicat, rem furtiuam cum integritate restituant, ac omnes & singulos scientes, vbi ac penes quos aliquid de ipso furto existat, indicare studeant; alioquin (II) in omnes & singulos monitionis huiusmodi contemtores, cuiuscunque dignitatis, status vel conditionis extiterint, *excommunicationis* sententia promulganda, & per rectores ecclesiarum paroecialium ciuitatum & dioecesium earundem singulis *dominicis diebus* & *festiuis*, pulsatis campanis & candelis extinctis excommunicati publice nunciandi. Hanc methodum repetierunt Tridentini *sess. XXV. de reformat. c. 3.* eamque limitibus quibusdam incluserunt, vt quod *extra ordinem* pontifex IOANNES XXII. in casu plane singulari constituit, in aliis similibus casibus vsum præbere posset. *Quapropter*, aiunt, *excommunicationes illæ, quæ, monitionibus præmissis, ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus, præterquam ab episcopo decernantur, & tunc non alias, quam ex re non vulgari causaque diligenter ac magna maturitate per episcopum examinata, quæ eius animum moueat, nec ad eas concedendas cuiusuis secularis etiam magistratus autoritate adducatur: sed totum hoc in eius arbitrio & conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse iudicauerit.* Amplissimum hoc argumentum interpretibus præbuit campum, in quo vires ingenii sui experiri potuerunt, quorum in numero præ ceteris referendi sunt ANTONIVS LAZARIVS *in quæstion. canon. de monitoriis seu excommunicatione ad effectum reuelandi:* THEOPHILVS RAYNAVDVS *de monitoriis ecclesiasticis ad extorquendam restitutionem aut reuelationem:* IACOBVS EVEILLON in tr. gallice scripto de *excommunicationibus & monitoriis tom. I. c. XIX.* quo agitur *des monitoires a fin de revelation: c. XXI. sqq.* quibus obligationem ad reuelandum vel restituendum exponit: *tom. II. p. 26. sqq.* quo formulæ monitorii adiiciuntur & *p. 50. sqq.* explicantur. Casus quosdam notabiles de his monitoriis collegit resoluitque IO. PONTAS *in diction. casuum conscientiæ tom. II. art. excommunicatio cas. 11. 12. 18. 19. 54.* item *sub art. monitorium cas. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & sqq.* vsque ad finem articuli, cui etiam adiungendi sunt IO. de DICASTILIO *de censur. & pœn. ecclesiast. sect. IV. dub. 41. sqq.* IO. GIBALINVS *de S. iurisdict. in ferendis pœn. & cens. eccles. disquis. II qu. 3. sqq.* aliique, qui excommunicationis neruum scriptis illustrarunt.

Et comminationem excommunicationis.

Hæc methodus concilio Tridentino approbata.

Autores de hac methodo.

XIII.

§. XIII. *Remedium* hoc *extraordinarium* eruendi auctorem criminis & extorquendi a possessoribus restitutionem rerum deperditarum ac direptarum, aut reuelationem rerum, quæ occultantur, natales suos debet immenso pontificis & episcoporum imperio, cuius vsurpandi occasionem illis peperit latissimum huius *gladii spiritualis* exercitium. Disciplina purioris ecclesiæ tantum nouerat eiectionem & exclusionem eorum, qui *manifestis criminibus* sese inquinauerant, ne pars sincera traheretur, vt infra dicendi locus erit. Nec a solis *episcopis*, sed cum *ecclesia* ipsius *consensu* hæc relegatio ex cœtu fidelium decernebatur. Verum postquam excommunicandi facultas in ius proprium episcoporum pedetentim transiit, aditum iis aperuit ad supremum & infinitum imperium occupandum in quoscunque, quod non tantum pro grauissimis criminibus commissis infligeretur, sed etiam ad *contumaciam* coercendam vsurparetur. Hanc quærunt in *inobedientia* eorum, qui *mandatis* iussibusque *papalibus* & *episcopalibus* sese submittere recusarunt, quamcunque iustam contradicendi causam habuerint. Hoc modo grassatum est ad imperium illud vastissimum, quo laici in *cæca* & *absoluta obedientia* sub metu excommunicationis captiui per plura secula ducti sunt, vt semet in omnibus ad voluntatem nutumque prælatorum componere debuerint. Hunc in finem etiam vires huius *nervi spiritualis* augendæ, & ampliandæ, vt horrore grauissimo hoc spectro horrido percuterentur creduli, & fulmine hoc tacti quæuis sacerdotum imperata facerent, alioquin persuasissimum haberent, non tantum se communione ecclesiæ, sed etiam omnibus *beneficiis* & *gratiis*, quibus *thesaurus ecclesiæ* abundat, priuatos, & suffragiis communibus tam monasticis quam vulgaribus per orationes in ecclesia fusas destitutos atque ab omni protectione speciali diuina, quæ ecclesiam, & qui in ea sunt, fouet & tuetur, exclusos esse. Hoc sub rerum statu ecclesiæ claues in proprie dictum significatum tractæ sunt, quod hac methodo quæuis *abscondita*, *occulta*, & quæ intra cuiusuis creduli mentem latitant, aperire possint prælati, æque vt confessionarii per *clauem* sibi concreditam cuiuscunque pœnitentis intima cordis aperiunt, & in cuiusuis animum penetrant. Hoc genere artificii artifices quosuis superarunt pontifices, vt nihil verius dici queat, quam *claues* plane *miraculosas* tum prælatos, tum sacerdotes reliquos tenere, quibus ea aperiunt, quæ a nemine aperiri possunt.

Natales huius remedii, ex abusu excommunicationis

ad inobedientes tractæ.

Vnde imperium sacrum enatum

Et verum ius clauium,

Intima quæuis aperiendi.

§. XIV. Sicuti vero de *claue*, qua confessionarii quæuis *occulta*, & sub corde sepulta recludunt aperiuntque, infra dicendi locus est

Latus huius remedii ambitus.

est, ita paucis hac occasione ostendam, quam late pateat hæc aperiendi secreta & occulta methodus, quæ se haud continet intra limites in *cit. c. vn.* designatos. Generatim asserit RAYNAVDVS *cit. tr. P. I. c. 1. qu. 6.* decerni posse *monitoria* tam in caussis *ciuilibus* quam *criminalibus*, vt in his quoque veritas patefiat, nec crimina, quibus respublica & priuati turbantur, impunita maneant. Irregularitas quidem metuenda videbatur iudici ecclesiastico, quod ita cooperetur ad sanguinis effusionem, delinquenti manifestato imminentem; sed hæc ratio iudices ecclesiasticos ab hoc remedio deterrere non debuit, quod, vt ait GIBALINVS *cit. l. disqu. II. qu. 3. n. 10. non nisi admodum remote concurrat ad sanguinis humani effusionem*, cum tamen ad contrahendam irregularitatem ex homicidio desideretur, vt quis *caussa* eius *proxima* sit. Hac de caussa nec iudex ecclesiasticus fit irregularis, qui condemnatum de hæresi vel degradatum brachio seculari tradit, quod in hoc argumento plenius illustrat EVEILLON *cit. l. c. 19. §. 2. p. 412. sqq.* Ita palliant caussam hanc, cum tamen expresse RAYNAVDVS *cit. l.* asserat, ideo monitoria in criminibus occultis proponi, *ne hæc maneant impunita*, sicuti traditio condemnatorum brachio seculari in hunc finem fit, non vt eis gratiam faciat, (nam nequidem hæretico parcere potest) sed vt eos debitis afficiat pœnis. Nec mihi satisfacit vulgaris excusatio, quod nec monitoria proponantur, nec condemnati tradantur brachio seculari, vt *pœna mortis* afficiantur, sed alia mitiori; etenim (α) in hæretico condemnato & tradito ea est vnica tradentium intentio, vt nequidem iudex laicus misericordiam exercere possit citra formidinem incurrendæ excommunicationis per *c. 18. de hæret. in 6.* de quo *tom. IV. tit. de hæret. §. 161.* actum, adeoque non remote sed *proxime* ad vltimum supplicium concurrunt, mandando executionem iudici seculari: (β) præterea in grauioribus criminibus iudex non potest esse mitior lege, præsertim subalternus, cui traditio fit, & ad cuius requisitionem monitoria proponuntur.

Sine metu irregularitatis.

§. XV. Atque hæc praxis in Gallia est dubitationis expers; vtrum etiam Romæ & in Italia ex mente pontificis in *caussis criminalibus* locum habeat, grauioribus inuolutum est scopulis. Etenim 1) bulla PII V., *§. XVII.* tradenda, tantum *caussas ciuiles* in hoc argumento tangit. 2) Concilium Mediolanense IV. *de anno 1576.* curiæ Romanæ mentem retulisse videtur *P. III. cap. 8.* vbi referuntur casus, in quibus hæ excommunicationum litteræ non conceduntur, illisque accensentur *res criminosæ* & *quæ infamiæ notam inurunt.* 3) Stylus

Vtrum ad caussas criminales etiam recte adhibeatur, dubitatum.

curiæ

curiæ Romanæ in literis ſub forma: *ſignificauit*, exaratis, & ab EVEILLONIO *cit. l. c. 20. p. 427.* recitatis & explicatis, id aperte corroborare videtur, quarum clauſula in fine poſita hæc eſt: *volumus autem, quod ex reuelatione huiusmodi, ſi eam fieri contingat, non poſſit niſi pro ciuili intereſſe & ciuiliter tantum agi; & aliter reuelatio neque in iuditio, neque extra illud fidem faciat.* Addit EVEILLON. *p. 405. monitoria Romana* hac clauſula munita eſſe: *decernentes tamen & expreſſe declarantes, quod dicti inſtantes nullo vnquam tempore ex reuelationibus huiusmodi, ſi illas fieri contingat, valeant agere, aut illis vti, niſi* PRO INTERESSE CIVILI *& ciuiliter tantum; & quod alias in nihil reuelationes præfatæ eisdem ſuffragentur in iudicio vel extra, nullam prorſus fidem faciant, quem quamue afficiant.* Regerit quidem EVEILLON. *p. 418.* non generalem regulam in Bulla PII V. omnibus præſcribi monitoriis, ſed eam tantum determinari, quæ in literis, in forma *ſignificauit* expeditis, adhibetur, vt *verba initialia* indigitant. Sed vtrum præterea in alia forma etiam expediantur, vt ad *cauſas criminales* trahi queant, non addit, imo expreſſe adiungit, bullam PII V. in Gallia non eſſe receptam & reſcripta apoſtolica in forma *ſignificauit* in Gallia *abuſibus* accenſeri, a quibus datur prouocatio ad ſuprema tribunalia, quod ob clauſulas illis ſubiectas fieri exiſtimandum, quibus monitoriorum vſus in *criminalibus*, in Gallia frequentiſſimus, impeditur. Neque enim alius harum clauſularum finis oſtendi poteſt, quam quod curia Romana ad *criminalia* ea trahere recuſet, ne *iudicia eccleſiaſtica* ad iudicia capitalia exercenda, a quibus abhorrere debent, cooperari videantur.

Vſus Galliæ.

§. XVI. Speciatim vero vſus eius laudatur & ampliſſimus eſt 1) in *cauſa furti* facti, quod occultatur, quod ſpecifice deſignandum in *monitorio*, quoniam ob res minimas ablatas non patet recurſus ad hoc auxilium eccleſiaſticum. 2) In rebus iniuſte ſeu contra leges poſſeſſis; qua de cauſa heredes, mortuo teſtatore, hoc remedio vti poſſunt pro indicandis & reſtituendis bonis ad hereditatem pertinentibus, adeo vt vxor quoque ligetur monitorio, cui donatio a marito morti vicino facta, quæque per legem localem *abſolute* prohibita eſt. 3) In *concurſu creditorum*, debitore per fugam elapſo, vt bona hinc inde a debitore amicis commendata indicent vel locum oſtendant, in quo forſan partem maximam bonorum ſepoſuit occuluitque in fraudem creditorum. PONTAS *cit. l. art. monitorium caſ. 13.* RAYNAVDVS *cit. l. P. I. c. 2. qu. 13. p. 130. ſq.* 4) In caſu *confiſcationis bonorum* imminentis

Vſum habet 1) in furtis, 2) in rebus iniuſte poſſeſſis, 3) in concurſu creditorum, 4) in confiſcatione bonorum,

nentis ob commissum crimen, si bona in fraudem fisci occultantur vel nomina eius ignota sunt. 5) In rebus *depositis* vrgente calamitate imminente, quia iustæ ignorantiæ causa esse potest, vt penes quem depositæ fuerint, ignoretur. Et in genere, vt ait FEVRETVS *tr. de abusib. lib. 7. c. 2. n. 30. in causis ciuilibus, circa quas quis litem infert & persequitur, monitorium peti potest, in probationem distractionum & spoliationum, vt asserunt, bonorum & chartarum hereditatis, mobilium, tabularum, & chartarum hereditatis vel societatis litigiosæ.* Pariter in compendio vsum monitoriorum latissimum docet LVDOVICVS de HERICOVRT *dans les loix ecclesiastiques de France dans leur ordre naturel P. 1. c. 22. art. 29. le but des monitoires est, de decouvrir des faits secrets, pour parvenir à la decision d' vne affaire civile ou criminelle, en obligeant sous peine d' excommunication ceux, qui en ont quelque connoisance, à reveler à la justice ce qu'ils sçavent; on ne doit employer les monitoires, que pour des affaires importantes, & que quand on à de la peine a decouvrir par une autre voye les faits, dont on cherche l' eclaircissement.* Inprimis ergo vsum habet 6) *in criminalibus*, si autor criminis commissi latitat & cuius notitia aliter haberi nequit, veluti commisso homicidio similiue facinore.

5) in deposito,

6) in criminalibus.

Requisita ex constitutione Pii V.

§. XVII. Tria autem potissimum desiderat PIVS V. *in bulla 150. relata tom. II. bullar. p. 358.* 1) vt mandata pro restitutione seu reuelatione dentur ad eorum duntaxat instantiam, quorum *ciuiliter* interest: 2) vt supplicationes rem ipsam reique valorem *nominatim* & *specifice* exprimant, nisi forte sint pro ecclesiis, locis piis, communitatibus, vniuersitatibus, collegiis, aut vniuersalibus successoribus, quos verisimile est, certam veram notitiam non habere; tunc enim, hac ipsa qualitate personarum expressa, ita demum fieri potest quædam *in genere designatio rerum*, si designatio neque nimis vaga, & incerta atque adeo inuerisimilis sit, & tamen ostendat, res minime vulgares esse: 3) vt causa diligenter & magna maturitate per ordinarium loci vel eius vicarium in spiritualibus generalem pro *rei*, *loci*, *temporis*, & *personæ qualitatibus* examinetur, quæ optime cum concilii Tridentini decreto conspirant, & repetita sunt in *concil. Mediolanensi IV. de anno 1576. P. III. c. 8.* apud HARDVIN. *tom. X. p. 929.* In Gallia, in qua huius remedii vsus frequentissimus est, magis cognitio, an decernenda sint monitoria? pertinet ad *iudicem secularem*, ad cuius instantiam illud decernere & publicare debent officiales, teste HERICVRTIO *cit. l. art. 30. Quand les juges seculieurs ont permis la publication d' un moni-*

In Gallia cognitio ad secularem iudicem spectat,

monitoire, l' official est obligé de l' accorder à peine de saisie de son temporel, sans qv' il lui soit permis d' entrer dans l' examen des raisons, qui ont déterminé le juge à donner cette permission. Les officiaux doivent même en cas de duël decerner des monitoires sur la simple requisition des procureurs Generaux ou des leurs substituts sur les lieux, sans attendre l' ordonnance de juges. Non diffitetur tamen FLEVRIVS *in instit. iur. eccles. P. III. c.* 7. hoc ipsum cum *decreto concilii Tridentini* pugnare, cuius dispositiones Galli respuunt in iis, quæ contra praxin ecclesiarum Gallicanarum constituta sunt. Ipsa ordinatio regia LVDOVICI XIV. exhibetur a PHILIPPO BORNIERIO *tom. II. des conferentes des ordonnances de Louis XIV. avec les anciennes ordonnances tit. VII. art. 2. 5.* Cauendum quoque est, ne personæ quomodocunque designentur aut ita depingantur, vt fere digito demonstrentur, quæ suspectæ sunt, quod prouisum *art. IV.* apud BORNIERIVM *cit. l. p. 91.* & illustratum a PAPONIO *in corpore iuris Francici lib. XVIII. tit. 7. in append.* sed vt *in genere* monitoria expediantur, alioquin in Gallia locus est *appellationi ab abusu*, quod tantum in casibus, *quando delinquentes prorsus ignorantur*, adhiberi debeant; si enim persona de crimine suspecta est, contra eam via ordinaria agendum, ne dicam, per eiusmodi monitoria existimationem eorum, qui ita notantur, admodum lædi, vt declarat ANTONIVS D' ESPEISSES *tom. II. oper. tit. 10. sect. 2. art. 2. §. 26. p. 498.* Excipit tamen casum BORNIERIVS *ad cit. art. 4. in f.* nisi delictum sua natura ita comparatum sit, vt persona accusata certa designari debeat, veluti si maritus accusat vxorem adulterii, & *conscios criminis* ignorat, quos hoc modo indagari curat.

Contra concilium Tridentinum.

Personæ tamen haud designandæ in monitorio.

§. XVIII. Monitoria tamen non obligant quemcunque, sed eum duntaxat, qui, salua salute sua, vel conscientia reuelare, quique ad testimonium ferendum cogi potest, ita vt reuelatio possit habere effectum speratum. Nam (1) eum excusandum censet EVEILLON *cit. tr. c. XXIII. art. 2. §. 2.* qui non potest ea, quæ resciuit, reuelare, sine grauissimo vitæ bonorumque dispendio, vtpote si potentiorem, qui ad vindictam exercendam & animum & vires sufficienter habeat, concernat factum reuelandum; quod conseruatio sui ipsius cuiuis a natura commendata esse debeat, nisi forsan publicam reipublicæ salutem & tranquillitatem concernat, quam priuatæ saluti quilibet anteponere debet, vt obseruat PONTAS *tom. 2. diction. cas. conscient. art. excommunicatio cas. XII.* Multo minus itaque semet ipsum prodere compellitur

Monitoria non obligant eos, 1) qui non possunt reuelare, sine vitæ periculo,

2) quibus fides arcani sancta esse debet,

tur virtute monitorii. (II) A necessitate reuelandi eximunt, quibus *fides arcani* sancta esse debet, quorsum pertinent aduocati: ICti, quorum consilio quis vsus est: Medici, chirurgi, obstetrices, quibus quis in corporis infirmitatibus sese credidit. PONTAS *cit. l. voce monitorium cas. 8.* EVEILLON. *cit. l. §. 1.* De horum *sigillo silentii* actum est *tit. de accusat. §. 99.* adiecta exceptione, si virtute iuramenti generaliter præstiti obligantur ad manifestandas vulnerationes vel partus occultos. Denique nec *fides arcani* obligat scientem, si graue detrimentum reipublicæ imminet, ad quod auertendum quilibet sollicitus

3) sacerdotes,

esse debet ex vinculo subiectionis. Inprimis vero (III) monitoria non tangunt *sacerdotes* ratione eorum, quæ iis concredita sunt sub *sigillo confessionis* vel in *confessione auriculari* manifestata, quippe qui ne quidem reuelare possunt, quæ sub hoc sigillo sunt eis concredita *c. 2. de pænit. D. 6.* adeo vt reuelantes deponantur, & ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudantur in arctum monasterium. *c. 12. X. de pænit. & remiss.*

4) vinculo sanguinis iuncti,

(IV) Pariter a necessitate reuelandi liberati sunt, qui ad testimonium dicendum ex *vinculo sanguinis* haud adstringuntur; neque enim credendum est, tam duram necessitatem esse iis per *monitoria* impositam, quos leges a testimonio ferendo liberarunt, vt sunt parentes, liberi, fratres, consobrini, sobrini, & ex sobrino natus: item coniuges & coniugum parentes atque liberi ex priori matrimonio nati. *l. 4. D. de testibus.* Quatenus tamen *extra ordinem* cogi possunt ad testimonium dicendum, eatenus eosdem quoque ligari *monitorio* di-

4) qui inter omnes tantum factum nouit.

cendum est. Denique etiam (V) hunc casum excipiendum esse credit IO. PONTAS *cit. l. art. monitorium cas. 19.* si præter scientis notitiam omnis alia deficiat probatio & suspicio contra eum, qui homicidium forsan commisit, quod nemo ex vnius testis testimonio possit condemnari, quodque inquisitio tantum locum habeat super illis, de quibus infamia præcessit. *c. 17. & 21. X. de accusat. inquis. & denunciat.*

Sed posterior exceptio reiicitur.

Enimuero hæ rationes parum stringunt. Nam licet 1) nemo possit condemnari ex vnius testis testimonio, adeo tamen inde suspectus redditur, vt vel tortura contra eum decerni, vel vbi hæc locum non habet, iuramentum purgatorium ei imponi queat. 2) Ad *monitoria* tunc demum deuenitur, si *corpus delicti* adest, & de homine occiso constat, atque ita ipsum factum non est occultum, sed de autore non constat, adeoque *clamosa insinuatio* ratione facti nunquam deficit, quod sufficit ad fundandam inquisitionem.

§. XIX.

§. XIX. Non hic subsistunt interpretes: plures alios casus conglomerant, in quibus a metu excommunicationis instantis absolvunt scientem & non reuelantem, quos referre & examinare, modum præscriptum excederet. Plures grauibus scopulis subiecti: plerique ita comparati, vt a paucioribus intelligantur. Vnde 1) necesse est, vt, antequam *reuelatio* vel *denunciatio* a quoquam fiat, ante omnia a *peritioribus* informationem instructionemque petat, vtrum sub his vel illis circumstantiis monitorium ipsum liget? Et quia 2) etiam hoc *scrutinium priuatum* non caret periculis, vix aliud superest remedium, quam vt sciens consulat confessionarium suum sub *sigillo confessionis*, & *in genere* tantum formet quæstionem: vtrum concurrentibus his vel illis circumstantiis denunciatio, ad præceptum monitorii, facienda sit? Quodsi nec confessionarius nodo huic soluendo sufficit, 3) hic deinceps suppresso nomine *prudentiores casuistas*, vt loquuntur, in consilium vocat eorumque decisionem petit, quam communiter formare solent ex doctrinis eorum, qui *casus conscientiæ* collegerunt atque sub examen reuocarunt, inter quos nouissime inclaruit IO. PONTAS *in diction. casuum conscient.* in tribus tomis distincto, quem passim in hoc argumento laudaui. Denique 4) tot subterfugia in hac doctrina a RAYNAVDO, GIBALINO aliisque exhibentur, sub quibus plerumque scientes latere, & rem alienam retinere possunt. Refert huc RAYNAVDVS *P. I. c. 2. q. 4.* casum, quando possessor rei alienæ *se iuste compensauit*, h. e. si ob debitum, quo ei obstrictus erat is, ad cuius instantiam *monitorium* publicatum est, sibimet ipsi per retentionem rei alienæ satisfecit soluitque, quod a debitore sibi solutum iri desperabat. *Tametsi enim*, pergit *cit. l. p. 105. is, qui se compensauit, peccasset in eo actu, aliter quam contra iustitiam erga debitorem v. g. quia sibi ius dixit, & vsurpauit rem debitoris, quam facile potuisset obtinere interuentu iudicis; aut quia quomodolibet aliter transgressus est ordinem statutum: tamen si ob huiusmodi defectus non violasset ius debitoris in re sibi accipienda, ita non teneretur ad rei illius restitutionem, ac proinde non feriretur monitorio restitutionem indicente.* Mira est hæc philosophia multiplici errori subiecta. Falsum enim est, debitum compensari posse cum re alterius retenta citra voluntatem eius, qui eam in solutum dare quidem potest, sed creditor sub specie *crediti* eam sibimet ipsi, inuito debitore, attribuere nequit. Falsum præterea est, ius debitoris hoc ipso non violari, quo inuito res retinetur, & in solutum accipitur. Falsum denique est, quod eo ipso, dum sibimet ipsi sine

Peritiores ante omnia ante reuelationem consulendi,

Imo etiam aliquando confessionarius,

Qui prudentiorum consilia itidem expetit,

Subterfugia casuistarum.

Veluti vt titulo compensationis rem retineat,

fine iudice ius dicit, non lædat ius debitoris, cuius iuri omnino multum detrahit, poſtquam ius ſibi dicentibus ſine iudice pœna priuationis etiam imminet, nec talem rem vnquam vſucapere poſſunt, quia bona fide deſtituuntur. Huius farinæ plura occurrunt apud RAYNAVDVM, quæ examinare non vacat.

Excommunicatio in non-reuelantes quomodo & quando facienda.

§. XX. Tribus *monitoriis* in parochiis determinatis factis, effluxo vltimo termino, qui eſt ſex dierum vtplurimum, ſeptimo die, qui rurſus in *diem dominicum* incidit, publice non-reuelantes aut non-reſtituentes vt *excommunicati* denunciantur iuxta formulam reſcripti: *Eosdem malefactores, conſcios, & participantes ſcientesque debite non reuelantes in his ſcriptis excommunicamus, iubemusque, vt eosdem ſic a nobis excommunicatos palam & publice denuncietis;* prout plenius declarat IAC. EVEILLON *tom. III. cit. tr. c. 27.* Ita vero fertur ſententia excommunicationis in ſubiectum plane nobis ignotum, cui *communionem externam* denegare nemo poteſt, quamdiu latet. Aiunt enim, licet nobis lateat, excommunicatum Deo ſcrutatori cordium non latere, adeoque ſtringere etiam quemcunque *virtute diuina*, vt *in conſcientia* ſua tamdiu huic vinculo ſe ſubiectum credat, donec legitime ab eo ſolutus fuerit. Hæc methodus excommunicandi praxi primitiuæ eccleſiæ, eiusque fini repugnat. Non alii, quam *publice noti*, ob *crimina publica*, hanc ſubire cenſuram cogebantur. De *occultis* tum ratione ipſius *facti*, tum ratione *perſonarum*, non iudicabat eccleſia, vel teſte AVGVSTINO *homil. 50. c. 4.* dicente: *Nos vero a communione prohibere quemquam non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſiue ſeculari ſiue eccleſiaſtico iudicio nominatum atque* CONVICTVM. *Quis enim vtrumque ſibi audeat aſſumere, vt cuiquam ipſe ſit & accuſator & iudex?*

Iudicium de excommunicatione ignoti.

Non huc pertinet exemplum Pauli generatim euangelium corrumpentes perſtringentis.

Nec audiendi ſunt, qui ad exemplum PAVLI prouocant, *ad Gal. I, 8. 9.* anathemate eos generatim perſtringentis, qui veram euangelii doctrinam corrumpebant, atque aientis: *licet nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Et ſicuti prædiximus, & nunc iterum dico: ſi quis vobis euangelizauerit, præter id, quod accepiſtis, anathema ſit,* h. e. vt quidam explicant, ſit *excommunicatus;* quorſum etiam referri debet eiusdem Apoſtoli aſſertum *1 Cor. XVI, 22.* Tales enim formulæ magis ſunt *execratoriæ*, quæ generatim contra quoscunque delinquentes vſurpatæ fuerunt, paſſimque canonibus poſtea ſubiectæ. Atque hanc ipſam formulam *pro excommunicatione comminatoria* in chriſtianiſmo primitiuo receptam fuiſſe, notanter SELDENVS *de Synedr. lib. I. c. 8.*

Quod tantum deſignat comminatoriam excommunicationem.

I. c. 8. afferit, hoc fenfu, vt quilibet, qui in tali fcelere poftea deprehenfus fuerit, certo fcire potuerit, fe ab ecclefia excommunicatum iri, quamquam, vbi apparebat, *eiectionis decretum* in eum ferendum fuerit, cum quandoque obftacula interuenire potuerint, quæ diffimulandum hoc facinus in certo fubiecto iuberent, vt cenfuit AVGVSTINVS in *c. 25. in f. D. 50. tom. IV. in differt. prælimin. §. 37. fq.* illuftratum. Ceffante ergo *decreto eiectionis*, deerat effectus excommunicationis, nec communio delinquenti denegari poterat. Hoc etiam finis huius cenfuræ defignabat, in eo vnice quærendus, vt malis hominibus ecclefia purgaretur, qui *latentium* & *ignotorum* intuitu obtineri non potuit, & plane inanis erat. Sed pedetentim nouæ funt acceffiones factæ ad fulminis huius efficaciam: noui & antea ignoti effectus ei attributi ex iudicio eorum, quorum intererat, laicos in obedientia mere paffiua detineri: excogitati funt plures cafus, quibus quis *ipfo iure*, citra fententiam iudicis, incurrere poffit excommunicationem, licet in occulto deliquerit, & criminis confcio prorfus deftitutus fuerit, vt neceffe habeat credulus, femetipfum prodere in *confeffione auriculari*, *&* *abfolutionem* impetrare. Hæc noua & infolita inuentio nouum articulum fidei produxit, videlicet etiam latentes & omnibus plane ignotos excommunicatione percelli poffe, & virtutem fuam hoc fulmen in animas eorum exferere; quo pofito, indubium eft, latentes quoque iudicis fententia expreffa & publice enunciata conftringi potuiffe.

Piæ artes & fraudes excommunicationi additæ.

§. XXI. Veritatem huius doctrinæ admifit agnouitque vir eruditionis rarioris & iudicii egregii DVPINIVS *de antiq. ecclef. difcipl. diff. III. p. 270. feqq.* Ait: *Primum enim conftat, excommunicationem ferri non poffe in occultos aut hæreticos peccatores. Quod etiamfi non doceret traditio, ratio ipfa euincit. Nam excommunicatio eft feparatio e fidelium conuentu & focietate, feu actus clauium & in foro exteriori. Nam interius homo non ligatur ab ecclefia, fed fe ipfum per peccatum ligat coram Deo, non coram ecclefia, ergo ab ecclefia exterius ligari non poteft, nifi exterior fit innodationis caufa & ab hominibus nota.* His præmiffis, dubiis quibusdam occurrit, quorum primum eft, olim etiam ob *occulta delicta* fuiffe impofitam *pœnitentiam publicam.* Non aliis tamen, vt recte refpondet, hæc impofita, quam qui *fecreta confeffione fpontanea* illa facerdotibus aperuerant, & ita facerdotibus nota cognitaque erant, ad quam confeffionem tamen in *foro exteriori* cogi non poterant. Alterum dubium defumtum eft tum ab *excommunicatione*, quam vocant, *latæ fententiæ*, quæ *ipfo facto* in-

Confenfus Dupinii adducitur.

Dubiis fimul remotis.

incurritur a delinquente, plane omnibus ignoto, quia etiam occultos peccatores ea innodari posse censent: tum ab *anathemate in canonibus* generatim in delinquentes inflicto. Verum recte obseruat quoad posterius, hac formula id vnice agi, vt qui istud, quod *canonibus* prohibitum est, egisse conuicti fuerint, *excommunicandi* sint, non autem reuera *excommunicati* censeri debeant, quod tamen intendunt hi, qui ad *effectum reuelandi* excommunicationem infligunt. Quoad prius regerit, sententiam de excommunicatione *latæ sententiæ* olim ignotam, optime tamen defendi posse, *si dicamus, per excommunicationem latæ sententiæ hominem re ipsa non excommunicari, sed excommunicandum decerni, statim atque conuictus fuerit eius rei, propter quam excommunicatio fertur a iure sine vllo præuio iudicio.* Vno verbo: est tantum hæc formula *excommunicatio comminatoria*, non tamen *realis excommunicatio*, prout supra laudatus SELDENVS censuit, & DVPINIVS *cit. l. p. 273. in f.* ex GERSONE illustrat, atque *p. 278.* vlterius confirmat. Quamuis vero hæc optime cohæreant, magnopere tamen recedunt a dogmate, quod antea ex *iuris canonici & fori ecclesiastici vsu* in argumento de excommunicatione ad effectum reuelandi aut restituendi tradidi. Hac quippe doctrina non sola *comminatio*, sed plus omnino intenditur, credulisque inculcatur, excommunicationem in prorsus ignotum factum *efficaciam suam spiritualem* operari in anima eius, qui non reuelat aut restituit. Neque enim eum, quem intendit ecclesia Romana, effectum producere, nec sola *comminatio* cogere posset conscium ad reuelandum & semet ipsum prodendum, nisi crederet, se hoc fulmine iam reuera tactum esse. Cui tantum malum imminet, si semetipsum prodit; a proditione sui ipsius prudenter abstinet, ne malum incurrat. Ast qui credula mente existimat, se eo malo iam reuera perculsum & affectum esse, facilius de eius *liberatione* cogitat, & semetipsum prodit, vt a putatiuo fulmine, quo se tactum credit, liberetur. Atque id ipsum, quamuis sine omni ratione, formulæ huius generis excommunicationum in *ignotum* & *latentem* latarum intendunt, ceu antea obseruaui.

Citra hoc vinculum nemo obligatur ad se prodendum iure canonico.

§. XXII. Ceterum non tantum hoc modo conscios quorumcunque criminum constringi posse ad reuelandum & denunciandum, sed etiam citra hoc vinculum quemlibet ex sententia iuris canonici ad hoc obligari *in conscientia* olim censuit B. STRYKIVS *de salute publ. c. 5. n. 33.* Euincunt id ipsum cum eo facientes ex *c. 4. X. h. t.* in quo HIERONYMI dogma traditur: *qui cum fure partitur, occidit*

ani-

animam suam. Non fur solum, sed ille reus tenetur, qui furti conscius quærente possessore non indicat. Quis vero non intelligit, hoc assertum verum esse de eo, qui *lucri gratia*, ne id amittat, reuelationem omittit, vel de furto participat, imo etiam qui rem furtiuam tenet, & domino licet requirente abscondit. Ast inde colligi nequit, *generaliter* conscium non tamen in crimen consentientem obligari ad denunciandum & reuelanda *quæuis* delicta; cum ab eo plures rationes grauissimæ absterrere possint scientem, si modo exceperis atrociora crimina, quibus salus reipublicæ in ambiguum discrimen deducitur. Multo minus patrocinium sententiæ contrariæ quæri potest ex *c. 47. C. 2. qu. 7.* quo clericis iniunctum, vt excessus episcoporum, presbyterorum vel diaconorum pontifici Romano deferant: *ordinis* enim *sui & honoris elisores censentur, si cuiquam clericorum vel ecclesiæ totius auditui hæc putauerint supprimenda.* Enimuero hæc obligatio tantum imponitur *clericis*, non *laicis*, qui nequidem clericum deferre possunt, vt ad *tit. de accusat. §. 15.* dictum. Præterea hæc obligatio tantum pertinet ad *excessus grauiores*, scandalum publicum offensionemque aliorum producentes; imo ea tempora duntaxat concernit, quibus adhuc ignota erat *inquisitio*, nec absque *accusatore* aliquis deferri poterat, vt nec ex hoc canone generale argumentum strui queat. Ceterum nec patres adeo deposuisse omnem humanitatem, vt quemuis ad prodendum inducerent cogerentque, euidenter comprobatur sententia AVGVSTINI relata in *c. 14. C. 22. q. 2. Ne quis arbitretur, perfectum & spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cuius morte non occiditur siue sua siue alterius anima, debere mentiri. Quoniam aliud est mentiri, aliud est verum occultare, siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere, vt si quis forte vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet, verum occultare, non falsum dicere, vt neque prodat, neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius.* Primario quidem in verbis adductis patres dehortati sunt christianos, ne proderent delinquentem in crimine, in quo *mortis supplicium* ei imminebat, quod *supplicium capitis* quouis modo declinandum esset; ad minimum tamen simul inde liquet, non necessario prodenda esse *facinora occulta*, nisi talis proditio fiat episcopo occulte, vt ad frugem reuertatur delinquens, quod illustratum in *c. 19. C. 2. q. 1.* & *tit. 1. §. 91. huius libri* declaratum explicatumque.

§ XXIII. Quæ præterea de *furto* in iure canonico incidenter occurrunt, primario ad *forum criminale* spectant, pauciora ad *forum eccle-*

Fures occisi in ipso delicto sepul-

tura ecclesiastica privantur.

ecclesiasticum. Huc refero 1) quod fures & latrones in ipso delicto occisi honesta sepultura & communione precum priuentur, quæ eis demum conceditur, si post deprehensionem ante mortem confessi fuerint, *c. 2. X. h. t.* de quo *tit. de sepult. tom. II. §. 53.* actum. Ex *confessione* eliciunt *pœnitentiam cordis*: hanc sequitur *absolutio* præstita satisfactione possibili, quo facto *in communione mori* dicitur.

Mitigatur pœna furti, in necessitate peracti.

2) Leuior pœnitentia, ad tres hebdomadas restricta, infligitur propter *necessitatem famis* vel *nuditatis* furanti vestes vel cibaria. *c. 3. X. h.* Leuius corriguntur, qui ex inopia delinquunt, *c. 11. C. 12. qu. 2.* quod etiam in foro criminali attendendum per *art. 166. const. crim. Car.*

Furtum non obstat ordinibus,

3) Qui furtum perpetrauit, potest nihilominus ad sacros ordines promoueri, si α) læso satisfecerit: β) super hoc crimine nulla nota vel infamia manifesta aspersus est, *c. f. h. t.* proinde de *furto occulto* hoc intelligendum.

nisi furtum sit manifestum.

Ceteri clerici, qui in latrociniis vel furtis deprehensi *manifestis*, a suis ordinibus degradati detrudendi in arctis monasteriis ad pœnitentiam peragendam. *c. 6. X. de pœn.* Secularis potestas de clerico fure non aliter decernere potest, quam si *incorrigibilis*, & *degradatus* seculari potestati traditus fuerit. *c. 10. X. de iudic.* In hoc differunt Protestantium principia a more Catholicorum. Illi enim de hoc similiue crimine clericorum criminaliter inquirunt per *iudicem secularem*, vtplurimum vero commissarium, & ante executionem vltimi supplicii demum degradationem adhibent.

TIT. XIX.

DE

VSVRIS.

§. I.

Furti species censetur vsura.

Cum *furti* & *rapinæ* crimine sororio vinculo coniungendum esse *vsurarum vsum*, temere arbitrati sunt patres constituentes cum AMBROSIO in *c. 10. C. 12. qu. 5.* *si quis vsuram acceperit, rapinam facit, vita non viuit.* Quærit AVGVSTINVS in *c. 11. eod.* vtrum cru-

crudelior sit, qui subtrahit aliquid vel eripit diuiti, quam qui trucidat fœnore pauperem? Vtrumque male possideri censet, optatque, vt restituatur vtrumque, quod vtrumque *alienum* sit. Aeque itaque vt *furtum* & *rapina* damnatur in iure canonico *vsura*, adeo vt qui negaverit, vsuras percipere peccatum esse, *hæreticus* haberi debeat per *clem. vn. §. f. de hæret.* Hoc intuitu delictis & criminibus accensetur *vsurarum commercium*, & proxime *furto* adiungitur, vt eadem labes in eo latitare credatur, quod per modum *articuli fidei* cautum est. Revera tamen canonistas patresque duntaxat defendit *numerus*, non *causa*, quod hoc titulo monstrandum, iter, quod proposui, ita instituturus, vt (I) *fundamenta vsurarum* sub examen reuocem: (II) pœnarum vsurariis indictarum grauitatem, omnem excedentem modum, expendam: (III) palliatas vsuras in emtione *annuorum redituum* denudem: (IV) tandem quoque *montium pietatis* rationem, vsum & iustitiam euoluam eruamque.

(I)
De fundamentis vsurarum spuriis & genuinis.

Diuersa iuris canonici & ciuilis sententia circa fundamentum vsurarum.

§. II. Ad *primum caput* quod attinet, perspicuum est, de vsurarum *iustitia* vel *iniustitia* iudicari aliter non posse, quam si perspectum cognitumque fuerit, vtrum vsuris insit *fundamentum legitimum*, seu iusta eas exigendi causa, quæ tum in *recta ratione*, tum in *ciuili principio* fundata sit? Hoc ipso vero destitutas esse vsuras clamant *patres*, decernit *pontifex*, & *ius canonicum* conclamat, atque confirmat. Diuersum suadent docentque rationes *ciuiles* a Romanis aliisque populis ab antiquo assumtæ & approbatæ, imo nec a *iure diuino* reprobatæ: diuersum itidem inculcat traditque ratio, cordibus hominum inscripta, quam primario in conflictu de argumenti *moralitate* intuemur. Quamobrem *canonistæ*, qui iuris canonici doctrinam adorant, talem *vsurarum* efformant *definitionem*, quæ ad præiudicium semel admissum assumtumque composita est, vsurasque *qualitate deformi* adumbrat & repræsentat. Interpretes vero saniori philosophia imbuti ex vero rem æstimant, atque vsuras ita definiunt, vt natura earum postulat, & gentium vsus, in *commerciis* fundatus, admittit. Quis ergo mirabitur, vsurarum tot diuersa fata, easque tot diuersis interpretum iudiciis sententiisque subiectas fuisse? Ad mentem canonistarum tractatum *de vsuris & contractibus vsurariis coercendis* concinnauit HONORATVS LEO-

Autores celebriores in hoc argumento.

LEOTARDVS senator Niciensis, maiori cum apparatu, quam iudicio, quod ex collectaneis canonistarum conflatus sit. Hnnc in censum etiam referendus est IO. BAPTISTA LVPVS *de vsuris & commerciis illicitis*, & quotquot vnice iuris canonici admiserunt illustraruntque placita, vt VILLAGVTIVS, qui vna cum PETRO GREGORIO Tholosano *de vsuris* Francofurti coniunctim editus est, MARTINVS ab AZPILCVETA, CANISIVS, GVIDO PAPA pluresque alii, quos referre parum iuuabit, quod nil nisi obsoleta, ieiuna, & parum cohærentia consarcinauerint. Solidiora in hoc argumento sistit CAROLVS MOLINAEVS *de commerciis & vsuris*, etiam ipsis hostibus in deliciis Licet enim hoc nomen adeo damnent rigidiores pontificii, vt a designatione eius olim abstinuerint, cuius rationem tradidi *tit. de haret. §. 119. inf.* eius scripta iuridica tamen in pretio habuerunt, MOLINAEI nomine abstinentes, & MODERNI PARISIENSIS, FACHINAEI exemplo *lib. II. c. 9.*, DAMNATI PARISIENSIS laudatione vtentes. Quid? quod prædictus *de vsuris* tractatus mutato *per falsum* nomine sub tit. CASPARI CABALLINI in terris Catholicorum editus sit, quem per imperitiam multi a MOLINAEI tractatu distinxere.

Tantum relligio potuit suadere malorum.

Et quia *eius quod interest* ratio sæpe cum *vsuris* confunditur, hoc quoque argumentum nitide exposuit idem MOLINAEVS. Iuris ciuilis nodos in hoc themate feliciter soluit GERARDVS NOODT *de fœnore & vsur.* patrumque lapsus *lib. I.* & notauit & emendauit. Omnium vero industriam in euoluendis vsurarum antiquitatibus materiisque affinibus superauit CLAVDIVS SALMASIVS in triplici tractatu, quorum prior est *de vsuris:* secundus *de modo vsurarum:* tertius *de fœnore trapezitico.* Contra posteriorem edidit dissertationem MARTINVS SCHOOCKIVS *de vsura Trapezitica contra Salmasium*, quin etiam DIONYSIVS HARALDVS in quibusdam argumentis incidentibus eum grauiter oppugnauit. Denique *fata vsurarum* in Germania earumque vsum per antiqua secula exposuit egregie Dn. IOANNES GODOFREDVS DE MEYERN in tr. vom sechsten Zinß-Thaler, magna eruditione conscripto. Sed etiam variæ artes excogitatæ sunt, quibus olim ceu inuolucris quibusdam hypocriticis tectæ sunt vsuræ, a iure tamen merito reprobatæ, de quibus egit MEVIVS von Wucherlichen *Contracten*. Quosdam tamen *ius canonicum* laudauit, admisitque, vt *census* & *montes* PIETATIS. CENSVVM iura diffusiori

fiori tractatu exhibuit LEONARDVS DVARDVS *de forma creandi census*; nec minori apparatu illa instruxit HONORATVS LEOTARDVS *de vsur. c. 41. seqq. vsq. ad c. 69.* bullas papales, in quibus censuum iura definita, plenius illustrantes. Inprimis vero laudandus est FRIDERICVS MARTINI *de iure censuum seu annuorum redituum*, & ex antiquis FELICIANVS DE SOLIS *in commentar. de censibus.* Nolo addere eos, qui disputationibus hoc argumentum illustrarunt, nisi quod FROMMANNVM *de annuorum redituum, & mutui vsurarii differentiis* inter omnes memorem. MONTIS PIETATIS conditiones & historiam prolixe recensuit, atque illustrauit DOROTHEVS ASCIANVS SS. Theol. D. in tract. quem inscribit: *montes pietatis Romanensis.* Præmisit iustum tractatum *de neruis rerum gerendarum Romanæ ecclesiæ & p. 709. sqq.* ad iura *montium pietatis* progreditur. In fine adiungit NICOLAI BARIANI Augustiniani *montes impietatis*, & MICHAELIS PAPAFAVAE *decisionem contra montes pietatis.* Plurimis enim inter Romanæ ecclesiæ asseclas haud arrisit hoc institutum, adeoque latam præbuit iis ansam, illud impugnandi, vt docet LEOTARDVS *de vsur. qu. 22.* vbi etiam succincte eius rationes recenset, variasque species annectit. Vtilitatem & variam rationem adornandi *montes pietatis* in Germania docet & eruditis obseruationibus exornat vir rerum ad commercia pertinentium peritia instructissimus PAVLVS IACOBVS MARPERGER in tractatu, cuius titulus: *Montes pietatis*, oder Leyh-*Assistenz*-und Hülffs-Häuser, Lehn-*Banquen* und *Lombards*, wie solche in einer ieden Republic, der gemeinen Bürgerschafft und auch andern Leuthen, sonderlich aber dem nothleidenden Armuth zum Besten höchstnöthig und nützlich anzulegen.

Scriptores de censibus.

Scriptores de montibus pietatis.

§. III. Vsurarum commercium latissime patet, & per omnes contractus, in quibus inprimis *pecunia* in obligatione est, sese diffundit, inprimis autem in *pecunia mutuaticia* vsum habet amplissimum. Imo canonistæ, quatenus vsuras damnant, fere eas tantum in *mutuo* supponunt, & ex natura huius negotii eas repudiant reprobantque. Aliter autem conceptus *vsurarum* formandus ex rei veritate; aliter ex mente *iuris canonici.* Priori modo vsura est nihil aliud, quam *accessio* (vt vocatur in *l. 12. C. de vsur.*) vel *merces pro vsu pecuniæ ex iusta causa debitæ.* Equidem *merces* proprie loquendo pro *rerum nonfungibilium* vsu præstatur: nihil tamen impedit, quo minus id, quod pro *vsu pecuniæ creditæ* datur, & quæ *in genere* restituitur, *merces* dici

Definitio vsurarum pecuniæ mutuaticiæ.

ci queat, quia id agitur in *vſurarum* præſtatione, ne vſus pecuniæ ſit *gratuitus*, ſed *præſtatione* quadam *pecuniaria*, in qua proprie dicta *merces* conſiſtit, compenſetur, adeoque in *l. 58. §. 6. ad SCt. Trebell. fructus vſuræ & mercedes prædiorum* æquiparantur, & in *§. 6. cit. l.* additur, *ſortium vſuras propter vſum earum* percipi. Qui vero cum *canoniſtis* faciunt, illas tradunt eſſe *lucrum ſupra ſortem exactum tantum propter officium mutuationis*, in qua definitione duplex error eſt, tum ratione *generis*, tum ratione *finis*. Equidem adlatum *genus* vel ideo eligunt, vt cauſæ ſuæ, quam defendunt, ſeruiant, de quo infra, quod recte reprobat SALMASIVS *de vſur. c. 5. p. 95.* *Lucrum* proprie loquendo in eo non eſt, quod ob *compenſationem vſus* vel *rei* ſoluitur, adoque *mercedem* qui capit, *lucrum* facere non dicitur, cum potius *æquipollens* pro *vſu* rei accipiat, qui æque compenſari poteſt per æquipollens, vt cæteræ res quæcunque. Quemadmodum vero illi, qui res ſuas permutant, qui *pretium iuſtum* pro re vel *vſu eius* accipiunt, *lucrum* non accipiunt, ſed rem ſuam cum re alterius commutant, niſi vltra *iuſtum valorem rei* quid forſan ceperint; ita pariter qui *vſuras* pro *vſu pecuniæ* probatas accipit, *lucrum* non percipit; ſed id quod pro *compenſatione vſus* debetur, niſi modum legitimarum vſurarum exceſſerit, quod demum *mero lucro* accenſendum, quia modum compenſandi lege determinatum excedit. Recte omnino SALMASIVS *cit. l. p. 96. Locatur pecunia, quæ fænori datur, non alio modo, quam ædes aut ager aut opera, pro quibus merces exigitur ab his, qui ea conduxerunt.* In ſenſu *grammatico* non *iuridico* hæc accipienda eſſe palam eſt, cum conſtet, in ſenſu iuris proprie *res fungibiles* non locari. Analogia tamen & paritas quædam adeſt inter vſum rei *nonfungibilis* locatum, & vſum *pecuniæ* conceſſum pro *vſura*, quæ eam denominationem ſenſu forenſi obtinuit, quod pro *vſu pecuniæ* ſolui debeat. Conf. NOODT. *de vſur. & fænor. lib. I. c. 2.* Præterea etiam *in fine* errant. *Quis enim vnquam*, ait CAROLVS MOLINAEVS *de commerc. & vſur. q. 2. n. 75. p. 73. edit. Pariſ. propter ipſum mutuationis officium duntaxat vſuram ſtipulatus eſt? & non in compenſationem vel damni incurrendi vel vtilitatis ceſſaturæ, vel participationem lucri, quod facturus eſt debitor? putasne tot ICtos &* νομοθέτας *iuris ciuilis in hoc ſolum laboraſſe, vt metam præfigerent vſuris, quæ propter ipſum mutuationis officium exhibitum duntaxat ſtipularentur, & non potius, imo duntaxat his, quæ in compenſationem eius, quod creditoris intereſt vel quoad ſors reddatur, intereſſe poterit, ſtipulantur?*

Definitio canoniſtarum reprobatur.

Vſuræ non ſunt lucrum,

vſura non datur pro officio mutuationis.

tur? Eadem abſurditate dicere poſſes, mercedem in *locatione* accipi propter *officium conceſſionis rei*, non in compenſationem vſus, quem conceptum etiam in mutuo MOLINAEVS *cit. l. p. 74.* recte vocat *phantaſticum*, *merito veluti ſomnium & deliramentum reiiciendum.*

§. IV. Hiſce prælibatis, fundamentum ſoluendarum *vſurarum pecuniæ* inprimis *mutuaticiæ* ex *iure ciuili* prius tradendum atque eruendum, antequam ad *iuris canonici* ſententiam me conferam. Vulgatum eſt, vſuras *pecuniæ mutuaticiæ* non deberi, niſi *ſtipulatione* peculiariter promiſſæ fuerint. Id loquuntur leges Romanæ: idem pariter reguſtant ICti interpretes. PAPINIANVS *in l. 21. de V. S.* ita iuris ciuilis ſenſum exprimit: *vſura pecuniæ, quam percipimus, in fructu non eſt: quia non ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſa eſt*, *i. e.* NOVA OBLIGATIONE, h. e. ex *ſeparato contractu ſtipulationis.* Fructus quidem ex terra naſcuntur, & hoc intuitu *naturales* dicuntur; non item *vſuræ*, quæ ex *pecunia* non naſcuntur, ſed deberi dicuntur ex *peculiari* & *noua obligatione.* Erat hæc obligatio vel *ſtipulatio* vel *pactum.* Huius nulla iure Romano efficacia, ad petendum id, quod promiſſum erat; proderat tamen ad *exceptionem* producendam, adeoque vſuræ ſolo pacto debitæ peti non poterant. *Stipulatio* interpoſita efficax producebat ius ad petendas vſuras, cuius in hac materia vt plurimum iniicitur mentio. In *l. 1. C. de vſur.* ANTONINVS PIVS edixit: *Si interrogatione præcedente promiſſio vſurarum recte facta probetur, optimo iure debentur.* Quod *optimo iure* debetur, efficaciter peti poteſt. SEVERVS & ANTONINVS in *l. 3. C. eod.* plenius vniuerſam exhauriunt cauſam, aientes: *Quamuis vſuræ fænebris pecuniæ citra* VINCVLVM STIPVLATIONIS *peti non poſſint* (non ex pacto debitæ) *tamen ex pacti conuentione ſolutæ neque vt indebitæ repetuntur, neque in ſortem acceptæ ferendæ ſunt.* Poſſunt ergo ex pacto retineri, & per *exceptionem* ſeruari vſuræ, quod condicenti obſtet exceptio *retentionis*, ideo conceſſa, quod *naturale debitum* ad *indebita* referri nequeat: quo poſito, nec in ſortem imputari queunt. Hac de cauſa quoque iidem imperatores hanc doctrinam in *l. 4. C. de vſur.* nouo illuſtrant exemplo: *per retentionem pignoris vſuras ſeruari poſſe, de quibus præſtandis conuenit, licet ſtipulatio interpoſita non ſit, merito conſtitutum eſt, & rationem habet: cum pignora conuentione pacti etiam vſuris obſtricta ſint.* Duplex decidendi ratio in hac deciſione occurrere videtur: 1) quod per *exceptionem retentionis* ſeruari queant, ad quam producendam *iure prætorio* efficax pactum erat: 2) quod conuentio de vſuris in continenti

Fundamentum harum vſurarum de iure Romano in ſtipulatione quærendum,

non in pacto,

niſi quod ſolutæ condici haud potuerint,

& pignus earum nomine retineri queat,

pignori eiusque traditioni adiecta insit *contractui pignoratitio*, operetur que, vt pignora quoque vsuris obstricta sint. *l.* 48. *de pact.* An ergo etiam numerationi *pecuniæ mutuaticiæ* in continenti adiecta conventio de vsuris idem præstat? Negandum hoc videtur, quod AFRICANVS in *l.* 24. *de præsc. verb.* generaliter hanc tradat regulam: *pecuniæ creditæ vsuras, nisi in stipulationem deductas, non deberi.* Id præterea inde quoque liquet, quod tantum certi casus paulo post tradendi excepti fuerint *iure singulari*, in quibus etiam ex *pacto* debitæ fuerunt vsuræ *pecuniæ mutuaticiæ*, quæ exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Huc denique redire videtur sensus *l.* 7. *C. de vsuris: Creditor instrumentis suis probare debet, quæ intendit, & vsuras se stipulatum, si potest; non enim si aliquando* (h. e. per tractum quendam temporis) *ex consensu* (seu nuda conuentione numerationi adiecta) *præstitæ sunt, obligationem constituunt*, talem scilicet, vt *in futurum* quoque peti queant. Dicebantur ea de causa *indebitæ*, sicuti stipulatione promissæ *debitæ*, ex sententia VLPIANI *in l.* 5. §. 2. *de solut.* docentis: *id quod soluitur in vsuras, ad vtramque causam vsurarum tam* DEBITARVM *quam* INDEBITARVM *pertinet, puta: quædam ex stipulatione, quædam ex pacto* NATVRALITER *debebantur.* Quæ ergo *ex pacto* debentur, *naturaliter* tantum deberi dicuntur: quæ ex *stipulatu*, *ciuiliter*, & maiorem habent efficaciam. Eiusdem sententiæ quoque PAVLVS *lib. II. sent. tit.* 14. §. 1. fuit: *Si pactum nudum de præstandis vsuris interpositum sit, nullius est momenti: ex nudo enim pacto inter ciues Romanos actio non nascitur.*

Ast pactum de vsuris numerationi adiectum ineffi cax erat.

§. V. Satis, ni fallor, liquet, *pecuniæ mutuaticiæ vsuras* non aliter iure Romano fuisse debitas, quam *stipulatione* promissas, adeo vt *pactum* haud sufficeret. Nec aliud videtur admissum fundamentum. In negotiis *bonæ fidei* alias citra *stipulationem* etiam ex *mora* sola debentur vsuræ, *officio iudicis. l.* 17. §. 4. *de vsur. l.* 32. §. 2. *l.* 34. *eod. l.* 54. *locat.* Notum enim est, *in bonæ fidei iudiciis tantundem valere officium, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio. l.* 7. *de negot. gest.* Vnde in his duplex constituendum fundamentum: 1) *expressa conuentio de vsuris:* 2) *officium iudicis*, quo, æquitate suadente, vsuræ etiam non promissæ adiudicari possunt. Aequitas vero rursus ad duo capita reduci potest: (α) si debitor in mora est: *l.* 49. §. 1. *de act. emt. vendit.* (β) si extra moram alias mea pecunia alter vsus est, quam *gratis* ei concedere non teneor, sed in eius compensationem vsuras exigo. Vsuræ enim, ait VLPIANVS *l.* 34. *de vsur. vicem*

In aliis negotiis vsuræ etiam debentur citra conuentionem officio iudicis,

vel ob moram vel ob vsum,

fru-

fructuum obtinent, & merito non debent a fructibus separari, & ita in legatis & fideicommissis & in tutelæ actione & in ceteris bonæ fidei iudiciis seruatur; quo ex fundamento debitæ sunt vsuræ pretii, fide etiam de eo habita. *l. 13. §. 20. de act. emt. vendit.* Atque hoc demum constitutionibus principum inductum videtur, si credimus PAPINIANO *in l. 24. depos. est quidem constitutum, in bonæ fidei iudiciis, quod ad vsuras attinet, vt tantundem possit officium arbitri, quantum stipulatio.* Quid vero est, quod in *vsuris pecuniæ mutuaticiæ* non idem præstet officium iudicis, ac quidem stipulatio? Qui rationem diuersitatis ostendere conantur, vt plurimum docent, mutuum esse contractum *stricti iuris*, non *bonæ fidei iudiciis* accensendum, adeoque quicquid in his admissum, ad *mutuum* seu *pecuniam mutuaticiam* trahi non posse; in negotiis *stricti iuris* autem nihil deberi, nisi quod expresse verbis & ore nuncupatum; ideo autem *stricti iuris* esse, quod *vnilateralem* habeat *præstationem*, & nunquam auditum in iure ciuili fuerit, vt hoc negotium b. f. dici queat. Ita censet NOODT *ad tit. de reb. credit.* aitque, mutuum ideo esse *contractum stricti iuris, quod ab vno latere sit obligatorius, qualis nusquam,* vt addit, *vocatur bonæ fidei.* Inde vero duo colligit: primum est, ne quidem *pactum* de vsuris soluendis mutuo inesse, idque SEVERVM & ANTONINVM *in l. 3. C. de vsur.* indigitare, *quia pacta,* ait, *etiam in continenti adiecta contractui stricti iuris, cum eum augent, ei non insunt, neque actionem formant: licet si detrahunt, fere hoc iure vtamur aduersus iuris regulas, vt ex parte rei insint, & ideo actionem ipso iure tollunt,* prout ex *l. 40. de rebus credit.* declarat in *tract. de fænoribus & vsuris lib. III. c. 1.* Alterum est, quod ne quidem *ex mora* debeantur vsuræ *officio iudicis,* quod tradit, *ad tit. de reb. cred. in fin.* aitque: *Sed quid si mora accusetur? adhuc idem ius est: angusta iudicis potestate, vtique, si nihil de vsuris pactum. Imo & si sit: nam ne sic quidem debentur, quia pactum, quamuis in continenti adiectum contractui stricti iuris, cum eum auget, ei non inest. Quid ergo est? solum debentur ex mutuo vsuræ, si sint stipulatione promissæ; nec iam mutuum, sed fænus appellatur.* Eandem cantilenam ingeminant DOMINICVS AVLISIVS *ad tit. de verb. oblig. pag. 277.* vbi prouocat ad AFRICANI sententiam supra relatam in *l. Titius 24. D. de præscript. verb.* additque: *cur ita? nempe quia sumus in pecunia credita, i. e. in mutuo, qui est contractus stricti iuris, & pactum de vsuris nequit creditori tribuere actionem, vt ipsæ tibi præstentur, quare pactum illud, licet in continenti adiectum, nihil operatur, non inest.* Ita censent docent-

non in mutuo.

Quod si stricti iuris.

que alii plerique iuris interpretes, qui pro indubitabili principio assumunt, mutuum esse contractum *stricti iuris*, præsertim cum eius non faciat mentionem IVSTINIANVS in *§. 28. Inst. de action.* inter negotia *bonæ fidei*, quæ tamen ὁριστικῶς ibidem relata fuisse videntur. Accedit, quod vbi mutua pecunia sic data fuerit, vt certo loco redderetur, *arbitraria actio de eo quod certo loco* moueri debeat, si alibi pecunia petitur; *l. 6. de eo quod certo loco*, quod necesse haud fuisset, si mutuum *bonæ fidei* negotiis accenseri deberet, vt PAVLVS obseruat in *l. 7. eodem.*

Hæc sententia tamen non adeo expedita est.

§. VI. Atque hanc quidem diuersitatis rationem suppeditant traduntque iuris Romani interpretes; non item ipsi ICti Romani, a quibus mutuum inter negotia *stricti iuris* nullibi disertis verbis relatum est. Illi autem vel ideo hoc statuendum esse docuerunt, vt difficultatibus adductis satisfacerent, scopulosque superarent. Enimvero haud est necesse, in has se conferre angustias, & contra *naturam rei* quid assumere, quod maioribus adhuc nodis inuolutum est.

Cum potius bonæ fidei sit.

Ideo etiam, antequam ad alia progrediar, duo euincam: primum est, mutuum re vera esse *bonæ fidei* negotiis annumerandum: secundum, nihilominus tamen decisiones de *vsuris pecuniæ mutuaticiæ* aliaque, hac thesi salua, de iure Romano tutas verasque, aliunde tamen

Quid negotia b. f. dicenda.

rationes petendas esse. Primum membrum quod concernit, conclamatum est, illa negotia dici *bonæ fidei*, in quibus non tantum obligamur ad id, quod *disertis verbis* expressum atque ore inter partes nuncupatum, sed quod præterea *æquum* & *bonum* est, cum *bonæ fidei* appellatio *summam æquitatem* denotet, *l. 31. deposit.* & *iuri stricto* opponatur. Sicuti autem *ius strictum*, *durum*, & *asperum*, potissimum inde nascitur, si tantum *verbis* inhæremus, parum de eo solliciti, quid re-

Quid stricti iuris.

cta suadeat ratio; ita negotia *stricti iuris* dicta fuerunt, in quibus, quod nec *verbis* expressum, nec *litteris* consignatum, minime attenditur, nec in obligationem deductum censetur, sed potius pro omisso habendum. *l. 99. de V. oblig.* Obseruaui autem in *tr. de action. sect. I. c. 3. §. 20. seqq.* contractus & obligationes fuisse vel *naturales* seu *iuris gentium*, vti vocantur *in l. 7. pr. de pact.* quod omnibus gentibus essent communes, & in commerciorum vsu quotidiano positi: vel *ciuiles*, Romanis proprii, & *solennitate verborum* aut *scripturæ* concepti, iuxta *l. 5. de iust. & iur.* eodem fere modo, quo quædam *naturaliter*, quædam *ciuiliter* acquiri dicuntur in *l. 53. de acquir. rerum domin.* quæ res satis decantata est, vt nulla declaratione indigeat. De eo non dubium est, quin

quin *ciuiles contractus stricti iuris* sint, vt *stipulationes*, *contractusque litterarum*, quod omnes concedunt, & quidem non alia de causa, quam quod in stipulatione, ex *verborum conceptione*, nasceretur obligatio immediate & proxime, & ita huius solius ratio habenda esset, *l. 99. de V. obligat.* quod aperte fatetur PAVLVS *in l. 126. §. 2. in ff. de V. O. in stipulationibus* VERBA, EX QVIBVS OBLIGATIO *oritur*, *inspicienda sunt.* Eodem modo rationes ducebant Romani in *litterarum obligatione*, in qua *fundamentum proximum obligandi* quærebant in *litteris*, vt quod scriptum non esset, partem obligationis haud constitueret, vtut vel maxime, id quod omissum, bonum æquumue esset. *Dolo* deceptus in his negotiis nihilominus in nexu erat, si de *dolo* haud committendo nihil actum *expresse* fuisset, vtut recta ratio doceat, neminem obligari, qui *dolo* deceptus fuerit, vel *metu* inductus, vel *errore* lapsus; qua de causa ex *æquitate* in stipulationibus prætor postea dedit exceptionem *doli*, *metus* vel *erroris*, seu in factum, quæ naturæ ipsius obligationis, a Romanis specialiter efformatæ, non inerat. Id clare demonstrat IMPERATOR in *§. 1. Inst. de except.* *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus*, STIPVLANTI *Titio promisisti, quod non debueras promittere*, (nec tamen aliquid de *dolo*, *metu*, aut *errore*, in ea stipulatione cautum) *palam est, iure ciuili te obligatum esse, & actio, qua intenditur, dare te oportere, efficax est.* De *stipulatione* hic agitur, quæ *stricti iuris* est, quæ ne quidem *iure ciuili*, seu *ex sententia ICtorum antiqua & forensi*, vsu approbata, in se comprehendebat, quod summa æquitas postulabat. Si *interpretationi ex æquitate* hic locus fuisset, sine dubio verba stipulationis ita declaranda & accipienda fuissent, vt deceptus, coactus, & errore lapsus, haud obligari deberet, æque vt in *bonæ fidei* iudiciis. At *verborum conceptio* id non permittebat in stipulatione; permittebat vero in *emtione venditione*, quæ *consensu* solo, etiam inter absentes, contrahebatur, non formula quadam; licet quandoque ICti in scriptis *formulam* quandam (nullis tamen adstrictam verborum solennitatibus,) huius contractus conciperent, quod erat indifferens, vt tamen ipsa obligatio haud alteraretur. Aliud enim erat ex *certa verborum conceptione* semet obligare, quod fiebat in *stipulatione*: aliud ex solo *consensu*, quod in emtione, in qua nulla desiderabatur verborum conceptio, *§. vn. Instit. de oblig. ex cons.* contingit, & si quid in ea scriptum est, solius *probationis* non *obligationis inducendæ* causa factum, adeoque inde non æstimanda vis obligandi.

Ciuiles contractus erant stricti iuris,

quod illustratur.

Contractus naturales non possunt esse stricti iuris.

§. VII. Id ergo tantum in quaestione est, an dentur obligationes *iuris gentium* seu *naturales* stricti iuris, seu quae non admittunt praestationes ex *aequitate*, vel *ex aequo & bono*, quatenus id natura eius admittit, si hae verbis haud sint determinatae? Id vero puto, admodum contradictorium esse, & naturae negotiorum, quae secundum *ius gentium* vnice aestimantur, prorsus aduersari. Hanc assumserunt Romani ex *vsu gentium* communi, eamque secundum *ius naturae* & *rectam rationem* vnice aestimarunt. Constat vero ex recta ratione, in omnibus negotiis quaedam *expresse* determinari: quaedam *tacite* subintelligi, quatenus *natura contractus* non repugnat, quia contrahentes sese in omne id obstrinxisse videntur, quod *bonum*, *aequum*, atque *rationabile* est. Hac de causa contractus iuris gentium *naturalem praestationem* habere, & *ex bona fide* descendere dicuntur in *l. 7. de capite minut. l. 57. in ff. de cont. emt. vend.* Itaque de *dote actio* in *bonum* & *aequum* concepta fuisse dicitur, quod de *rei vxoriae actione* capiendum. Haec erat *bonae fidei*, quia ex *ipso matrimonio* fluebat, & in eo fundata, quod eius intuitu data esset, & quia matrimonium negotium *naturalissimum* & *iuris gentium* erat, non poterat non actio *in bonum & aequum* concipi. Idque indigitare videtur ICtus in *l. 31. D. depos.* vbi ita: *bona fides, quae in contractibus exigitur, aequitatem summam desiderat*, id quod de *contractibus iuris gentium ex substrata materia*, de qua agit ICtus, accipiendum, quia haec regula in negotiis *stricti iuris* palam exulat. Quod si enim eius in his vsus fuisset, qui fieri potuisset, vt *dolo* deceptus & *metu* coactus obligatus dicendus esset, cum *summa aequitas* seu *recta ratio*, ex principio solido per conclusiones deducta, his aduersetur? *l. 116. de R. I.* Atque ita planum est, ideo haec negotia dici *bonae fidei*, quod ex solo *iure gentium* & *naturali* aestimanda sint. Quocirca rem minime exhauriunt, qui ad *obligationem bilateralem* vnice confugiunt, & inde fundamentum huius qualitatis petunt, quod facile *ex condictionibus* destrui potest, vt paulo post ostendam.

Quod in cit. l. 7. Cod. illustratur.

Applicantur dicta ad mutuum, & per rationes ostenditur, illud b. f. esse,

§. VIII. Ad *mutuum* speciatim progredior, cuius gratia adducta praemissa sunt, quod secundum propriam suam indolem *bonae fidei* existimandum est. Etenim 1) palam est, hunc contractum esse *iuris gentium*, & sic quoque ex eo aestimandum. Id indigitat IMPERATOR *in §. 2. Inst. de iur. nat. gent. & ciuil.* aitque; *ex hoc iure gentium omnes pene contractus introducti sunt, vt emtio & venditio, locatio & conductio, societas, depositum*, MVTVVM, *& alii innumerabiles.* Id pariter obseruat

seruat PAVLVS in *l. 162. §. 2. de verb. obligat.*, vbi obligationem *mutui* vocat *naturalem* in oppositione *stipulationis*, quæ ibidem occurrit, quæ est *ciuilis* ratione causæ efficientis, & *stricti iuris.* 2) In *mutuo* non præcise ad *verba* & quod *scriptura* expressum, respiciendum, sed quod *recta ratio*, seu *bonum* & *æquum* postulat. Id declarat POMPONIVS in *l. 3. de rebus cred. cum quid mutuum dederimus, etsi non* CAVIMVS, *vt æque bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriorem, quæ ex eodem genere sit, reddere: veluti vinum nouum pro vetere; nam in contrahendo, quod agitur, pro* CAVTO *habendum est; id autem agi intelligitur, vt eiusdem generis & eadem bonitate soluatur, qua datum est.* Cur vero id *tacite* actum intelligitur? quia contra *bonum* & *æquum* ageret debitor, si rem deteriorem redderet, quod *recta ratio* non permittit. Pariter in negotiis b. f. id actum in genere intelligitur, ne alter alterum decipiat, sed bona fide agat, adeoque etiam *cautum* intelligi debet, qua philosophia tamen non vtimur in *negotiis stricti iuris.* 3) Hac de causa quoque compensatio *ipso iure* locum habebat in mutuo *ex eo tempore, ex quo ab vtraque parte debetur, quoad concurrentes quantitates; l. 4. & 21. D. & l. 4. C. de compens.* quod iudiciis *bonæ fidei* proprium erat, non item *stricti iuris*, vt obseruat IVSTINIANVS in *§. 30. I. de action.* Diuus MARCVS enim in his compensationem *induxisse*, h. e. nouiter admisisse dicitur, *opposita doli mali exceptione*, quo *ius nouum* indigitat, iuris veteris correctorium. Neque vero ex vllo indicio apparet, ante D. MARCVM in negotiis stricti iuris compensationem *ipso iure* admissam fuisse, quod ratio negotiorum horum non patiebatur. Nec qui hanc sententiam NERATIO PRISCO, qui sub TRAIANO vixit, tribuunt, aliquod præsidium habent in *l. 4. de compens.* Non agit NERATIVS in *cit. l. 4.* de ea quæstione: an *in omni contractu*, etiam *stricti iuris*, compensatio *ipso iure* tollat debitum? sed potius de *fideiussore* format quæstionem: vtrum hic quoque in omnibus contractibus, in quibus ipso iure debitor liberatur, ipso iure liberatus dicendus sit? Ita enim PAVLVS: *Verum est, quod & Neratio placebat, & Pomponius ait, ipso iure eo minus fideiussorem ex omni contractu debere, quod ex compensatione reus retinere potest; sicut enim cum totum a reo peto, male peto, ita vt fideiussor non tenetur ipso iure in maiorem quantitatem, quam reus condemnari potest.* Palam est & extra omnem controuersiam, ICtum hic non designare & determinare contractus, in quibus *ipso iure* debitum per com-

Atque compensationem admisit ipso iure,

non etiam ante D. Marci constitutionem, nec Neratius olim in diuersa fuit sententia.

compensationem tollitur, sed id vnice intendere, compensationem debitoris quoque prodesse fideiussori, vt *ex omni contractu*, in quo *ipso iure* a parte debitoris sublatum est debitum, *ipso iure* quoque fideiussor censeri debeat liberatus; id quod rationem habet, quia fideiussio erat *obligatio accessoria*, quæ subsistere non poterat sublato principali. Equidem etiam *fideiussio*, stipulatione concepta, *stricti iuris* erat, in qua tamen ex sententia NERATII admissa compensatio. Verum *proprie* & *principaliter* compensatio id debitum, quo *reus* obstrictus erat, ipso iure tollit; quia inter eos proprie est *compensatio*, inter quos mutuum est debitum & creditum, *l. 1. de compens.* hoc est, inter *creditorem* & *debitorem principalem*: huius debitum proprie *ipso iure* & per *iuris ciuilis* dispositionem sublatum, exstinctumque erat: quo facto, non poterat non quoque *per consequentiam* exstingui fideiussio, sicuti cum *solutum* erat debitum, *solutio* proderat fideiussori. Vnde satis notanter *compensatio* tribuitur *debitori* in his verbis: *ipso iure eo minus fideiussorem ex omni contractu debere, quod ex compensatione* REVS *retinere potest.* In *stricti iuris* negotiis, ex quibus *principaliter* reus quid debebat, compensatio vel ideo locum non habebat, quod de ea nihil actum cautumque esset, quod tamen correxit MARCVS ANTONINVS, nouumque ius introduxit, vt compensatio non quidem *ipso iure* tolleret debitum *stricti iuris*, sed demum *ope exceptionis*. Quod si NERATIO diuersa placuisset sententia, PAVLVM assentientem non habuisset, qui rescripti D. MARCI memor, quo ius *certum* & *liquidum* iam constitutum erat, in sententiam reprobatam & *rescripto imperiali* aliter decisam, non transire, aut statuere potuisset, in *contractibus stricti iuris ipso iure* debitum sublatum censeri. Neque credendum est, ALEXANDRVM, cuius æuo PAVLVS vixit, huius sententiæ assertorem fuisse in *l. 4. & 6. C. de compens.*, qui *in mutuo* compensationem *ipso iure* fieri recte censuit, quod hoc negotium b. f. esset, quamuis SCHVLTING. *ad sent. Pauli lib. 2. tit. 5. §. 3.* qui mutuum *stricti iuris* fuisse statuit, id ideo factum fuisse asserat, quod eo tempore in *negotiis stricti iuris* compensatio *ipso iure* facta sit, quod præconceptæ eius opinioni, de *qualitate mutui*, attribuendum, & veritati facti repugnat. IVSTINIANVS enim demum nouum hunc effectum compensationibus in *negotiis stricti iuris* dedit, non vero ius iam in foro vsitatum tantum declarauit, vt scilicet *ipso iure* tollerent, vel minuerent debita, quod eius verba indicant *in cit. §. 30. Sed nostra constitutio easdem compensationes*,

quæ

quæ iure aperto nituntur, LATIVS *introduxit* &c. conf. *l. fin. C. de compens.* Vnde facile liquet, qua ratione PAVLVS *cit. l.* in *mutuo* simpliciter admittere potuerit compensationem, vt *ipso iure* tolleret debitum, hac adiecta clausula: *Si totum petas, plus petendo causa cadis.* In negotiis *stricti iuris* id fieri non poterat, in quibus tantum exceptione *doli* opposita compensatio inducebatur, adeoque *stricto iure* plus non petebat, licet per modum *exceptionis* compensatio admitteretur, adeoque eo tempore pœna plus petitionis cessare debuit. 4) Neque ab hac sententia alienus videtur CICERO *lib. III. offic. c. 17.* aiens: *Scæuola fidei bonæ nomen existimabat manere* LATISSIME, *idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emtis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ societas continetur.* Non omnes SCAEVOLA recensuit species contractuum b. f., sed quasdam tantum adduxit; indigitauit tamen, eos huc referendos esse, qui sunt *iuris gentium*, quippe quibus *vitæ societas* continetur, quæ inprimis ad *æquum* & *bonum* debet esse composita. Eorum numero quoque est *mutuum, quo communis omnium vita indiget*, vt ait GELLIVS *lib. XX. c. 1. pag. 669.* & quod nulla ratione a ceteris *iuris gentium* contractibus secerni potest, adeoque in eo quoque *bonæ fidei* nomen versari debet. 5) Addo & hoc, *condictionem indebiti* instar *mutui* censeri, quatenus res fungibilis indebite soluta, vt docet IMPERATOR *in §. 1. I. quibus mod. re cont. oblig.* Hæc vero condictio *ex bono* & *æquo* introducta esse dicitur *in l. 66. de condict. indeb.* & æque *naturalis* est iuxta *l. 15. Cod.* vti *mutuum* iuxta *l. 126. in ff. de V. obl.* Vnde quoque easdem qualitates vtrumque negotium habere debet. Quod si species, indebite soluta, instar *commodati* censetur, & cum hoc omnium confessione b. f. sit, condictio indebiti etiam in casu adducto debet b. f. esse. Equidem vsuræ in *condictionem indebiti* non veniunt, *l. 1. C. de cond. indeb.* non tamen ideo, quod sit *stricti iuris*, quia ne quidem in eo tale negotium adest, in quo aliquid expresse inter partes agitur, cui stricte insisti posset; sed quod *ex bono & æquo* id tantum restituat debitor, quod accepit, quia in eo demum locupletior factus intelligitur, quod secundum *l. 14. de cond. indeb.* vnice in hac actione considerandum ponderandumque est. Deniqne 6) argumentum quoque, quod mutuum sit *bonæ fidei* negotiis a ICtis annumeratum, præbet *l. 22. D. de reb. credit.*, vnde liquet, rerum aliarum fungibilium mutuo datarum æstimationem ex ipso contractu peti potuisse, quæ in negotiis *stricti iuris* ex ipso contractu peti non potuit, si de ea expresse nihil actum fuisset. Et ideo introducta fuisse videtur

Declaratur id vlterius sententia Ciceronis,

& ex condictione indebiti.

actio Triticaria, vt ex alio fundamento peti posset æstimatio, cuius nomine ex contractu *stricti iuris* non poterat moueri actio.

Actione de eo quod certo loco, cui locus erat in fœnebri,

non in omni mutuo.

§. IX. Duo vero omnino sunt, quæ interpretes iuris ad propagationem communis sententiæ induxerunt, quorum alterum ab *vsuris* non aliter, quam ex *stipulatu* in mutuo debitis: alterum a natura *actionis de eo quod certo loco* petitur. A posteriori incipiam, ostensurus, non de omni *mutuo*, sed de *fœnebri* id potissimum intelligendum. Constat videlicet *ex l. 6. de eo quod certo loco*, etiam *arbitrariæ* actioni locum esse *posse* in *mutuo*, quæ alias in bonæ fidei iudiciis exulabat per *l. 7. de eo quod certo loco.* Apertum vero est, *mutuum* fuisse duplex, vel *vsurarium* vel *non vsurarium*: hoc quidem *rarius* in commerciis Romanorum; illud *frequentius* obtinebat, & quidem maxime tunc, si pecunia mutuo sic data, vt *certo loco redderetur*, quale mutuum in *cit. l. 6.* desideratur. Hoc enim inprimis *negotiationibus* conuenientissimum erat, vt alibi pecunia redderetur, quam quo data erat, prout etiam hodie inter mercatores vsitatum est. Tale mutuum autem vix concipi poterat sine *vsuris*, adeo, vt quia apud Romanos mutuum regulariter *vsurarium* erat, fere *vt plurimum*, vbi mutui fit mentio, *fœnebre* intelligatur, cum vox absolute posita intelligatur in eo significatu, qui vsitatissimus & frequentissimus in commerciis hominum est, prout etiam obseruat SALMASIVS de *vsuris c. 5. p. 100. seqq.* Quia vero si *certo loco*, si *cum vsuris* pecunia mutuaticia reddenda, conuentione opus erat speciali, eueniebat, vt vel *stipulatione* vel *litterarum obligatione*, totum negotium perficeretur, vt *l. 40. de reb. cred. l. 126. §. 2. de V. obl.* docent, tum vt *vsuræ* recte peti possent, quæ demum ex *stipulatione* debebantur; tum vt de *loco* euidentissime constaret, vnde creditor insigne captare poterat commodum. Hoc quoque obseruat SALMASIVS *cit. l. p. 115.* aitque: *vbi stipulatio erat necessaria ad vsuras petendas, tum quoque mutuum dantes idem stipulari solebant cum vsuris, vna quidem stipulatione, in qua tamen duæ essent, quia duæ summæ in stipulatum deductæ*, cuius duplicis stipulationis fit mentio in *l. 8. de eo quod certo loco*, quæ tamen, ratione *modi*, *vna obligatio* dici potest, ex mente *l. 126. §. 2. de V. obl.* Denique exemplum ab AFRICANO in *cit. l. 8.* propositum docet, secundum *communem forensem vsum*, vbi mutuum *certo loco* soluendum erat, *stipulatione* opus fuisse, quæ nihilominus ex *causa* sua, cui accedebat, *mutui* vel *pecuniæ creditæ* appellationem retinebat, vt ipse AFRICANVS *cit. l.* indigitat. Facile ergo liquet, ita ex *accidente* factum fuisse, vt mutuum *stricti iuris* naturam

ram indueret, quod in contractum *nominis* vel *stipulationis* deductum, & ita *arbitraria actione* opus esset. Equidem non diffiteor, potuisse etiam citra *stipulationem* locum adiici numerationi, vt indigitat *l. 7. de rebus credit.* id vero, quia periculosum, minus vsitatum erat, imo vbi *stipulatio* interueniebat, adhuc *cautio* accedere solebat, ob difficultatem probandi, vt tot iurium Romanorum loca indigitabant. Par ergo est credere, non de omni, sed de tali *mutuo*, *certo loco* soluendo, POMPONIVM locutum fuisse, prout ex more Romanorum iniri solebat, h. e. si ob *stipulationem* vel contractum *nominis* stricti iuris esset factum.

§. X. Ad alterum progredior, quod primario huius loci & considerationis est. Obseruarunt videlicet ICti solidioris doctrinæ, *mutuum* cum *commodato* in hoc conuenire, quod sua natura *gratuitum* fuerit, indeque factum, vt *vsuræ* non aliter, quam ex *noua obligatione* peti potuerint. Id plurimis argumentis exornat SALMASIVS *de vsur. c. 1. §. 5.* simulque indigitat, mutuum in hoc accipi & dici, vt mutuum in restituendo fiat a voce Sicula μοῖτον, quod *gratis* denotat, vnde latini antiqui suum *metare* sumserunt, pedetentim in *mutare* & *mutuare* transmutatum. Aeque enim est officium amicitiæ *mutuum*, ac quidem *commodatum*, & vtrumque *gratuitum*. Id indigitat NONIVS, antiquus grammaticus: *mutuum a fœnore in hoc distat, quod mutuum sine vsuris, fœnus cum vsuris sumitur, & est accepti fœtus: vnde & fœnus dictum est, vt græce τόκος, quasi partus mutui sumti.* PLAVTVS *Asinar. nam si mutuo non potero, certum est, sumam fœnore. Vnde honestius mutuum est, quod sub amico affectu fiat, tamen vsu temporis necessarii fœnore sumere decet.* Vnde liquet 1) *ad officia amicitiæ* ab antiquis relatam *mutui* ab amico dationem, & sic sua natura *gratuitam* fuisse, adeo, vt vsuris a quocunque alio promissis præstitisque magis nomen *fœnoris* induerit. Huc PAVLVS collineat in *l. 8. in quibus caus. pign. vel hypot. tac. contr.* vbi *pecuniam* dicit esse *gratuitam*, si de vsuris nihil fuit actum, prout *natura mutui* postulabat. 2) Ex hoc principio colligebant Romani, decem datis, non posse conueniri vt viginti mihi debeantur, adeoque vltra decem non nasci actionem: *re enim*, ait ICTVS in *l. 17. pr. non potest obligatio contrahi, nisi quatenus datum sit.* Idem repetitum lego in *l. 11. §. 1. de rebus credit.* quæ ne quidem leuissimum in mutuo qua tali admittit augmentum: *Si tibi decem dedero sic, vt nouem debeas, Proculus ait, & recte, non amplius te IPSO IVRE debere, quam nouem. Sed si dedero, vt vndecim debeas, putat*

Vsuræ in mutuum non veniebant, quod esset negotium gratuitum.

Proculus, amplius, quam decem, condici non posse. Ratio diuersitatis erat, quod primo casu *mutui* naturam haud mutaret pactum, *vt minus redderetur*, sed augeret, & *maius gratuitum* negotium efficeret; altero vero substantiam eius prorsus mutaret, & ex negotio *gratuito* efficeret *onerosum* atque *non gratuitum*, quod iura haud permittebant. Sicuti enim essentiæ rerum *naturalium*, ita & *moralium* instar numeri sunt, cui si aliquid addas aut demas, non manet idem numerus, sed alius fit. Pariter & *contractus* inter gentes determinatam suam naturam atque substantiam acceperunt, quam pactis immutare non licuit, vt *idem negotium* maneret, sed vel *aliud* inducebatur, vel pacto vis omnis deerat. Cape exemplum ex eo, quod *mutuo* affine est. Si tibi commodauero ædes, vt post annum easdem mihi reddas cum centum aureis, asseri nequit, me *commodatum* iniisse cum *pacto adiecto* centum aureorum, quippe quod naturam commodati prorsus destruit, efficitque, vt *commodatum*, quod aliter concipi nequit, nisi *gratuitum* fuerit, esse nequeat. Ista conuentio vero indigitat, falso contractus nomine negotium designatum, & non *commodatum*, sed *locationem* initam fuisse, quæ *onerosam causam* constituit.

Pactum, vt vsuræ in mutuo præstarentur, inefficax erat,

§. XI. De *mutuo*, quod pariter *gratuitam* acceperat *naturam*, idem iudicium ferendum, licet diuerso cum effectu. Si enim in *numeratione pecuniæ* hoc actum erat, vt plus redderetur, quam acceptum erat, pactum hoc inutile erat, quamuis alias in *traditionibus* rerum, quodcunque pactum sit, valuerit per *l. 48. de pact.* quippe quod de iis intelligendum, quæ *naturam negotii* non destruunt, vt si *tempus*, *locus*, vel *conditio* numerationi addatur. *l. 7. D. de reb. cred.* Inutile vero prorsus erat, quia illud, quod *pacto* adiectum erat, ex natura *mutui* peti non poterat, quod non admittebat augmentum; nec in *alium contractum* incidebat, qui deerat, cum *locatio* rebus fungibilibus minime conueniret, adeoque tale pactum inefficax manebat, vnde non datur actio. Inde nata regula forensis: ex *pacto adiecto* non deberi *pecuniæ mutuaticiæ* vsuras. Aliam, & quidem hanc, suppeditat rationem NOODTIVS *de pact. & transact. c. 12.* quod mutuum sit negotium *stricti iuris*, cui a parte actoris pactum haud inesse creditur ad effectum, vt inde agi queat. Ait: *pactum mutuo in continenti adiectum, si quid addat obligationi, non valet ex parte actoris, itaque nudum manet, & nullius momenti est.* Ita quoque AVLISIVS *cit. l.* & cum eo plerique interpretum. Neque tamen hæc ratio inconcussa & sine omni contradictione est. Generaliter PAVLVS *in l. 40. de reb. cred.* ait: *pacta in conti-*

Ratio Noodtii reiicitur.

continenti facta stipulationi inesse creduntur, quæ verba quidem restringere conantur ad *pacta detrahentia*, exemplo *ex cit. l. §. f. de pacto* adducto, vt reus inde excipere queat, non vero *augentia* sub illis comprehendi censent, vt etiam inde agi queat. Præuidit doctissimus NOODT *cit. l.* tamen nodos, qui huic distinctioni resistunt, quod verba illa laxiora sint, quam vt patiantur se restringi ad *pacta detrahentia*. Quid enim si *modus*, si *locus*, si *tempus* adiecta stipulationi, annon inest tale pactum stipulationi? stipulatus creditor est, sibi dari centum aureos, & statim pacto placuit, *vt Capuæ soluerentur;* sine dubio ex hoc pacto Capuæ agi potest, æque ac si locus stipulationi insertus esset. In *mutuo* id multo magis obtinere debuit, quod ne quidem stricti iuris dicendum, adeoque pactum, vt *certo loco* redderetur, mutuo vel ideo inerat, quod naturam eius haud destrueret. *l. 4. de eo quod certo loco. l. 7. de reb. cred.* E contrario si *pactum* destruebat stipulationem præcedentem, inesse ei non poterat, vtpote si decem aureis in stipulationem deductis, in continenti placuit pacto, vt vel *viginti*, vel *sedecim* deberentur, quia tali pacto prior stipulatio in decem concepta prorsus corruit, & alia prorsus fit conuentio, quæ tamen cum *nuda* sit, nihil operatur. Id indigitat VLPIANVS in *l. 1. §. 3. de verb. obl. Cum adiicit aliquid vel detrahit obligationi, probandum est, vitiatam esse obligationem: nisi stipulatori diuersitas responsionis illico placuerit*, quod inde liquet, si de noua illa quantitate interrogauerit debitorem, *tunc enim alia stipulatio contracta esse videtur.*

Ratio dubitandi remouetur, quod in deposito vsuræ ex pacto debeantur, non tamen in mutuo.

§. XII. Enimuero ne sic quidem omnes scopuli superati sunt. Depositum sua natura *gratuitum* est, & tamen vsuræ in eo, per *pactum adiectum* promissæ, debentur, quod non tantum ICtus *in l. 24. D. depositi*, sed adhuc euidentius *in l. 26. §. 1. Cod.* confirmat adstruitque. Præmittit *cit. l.* conuentionem de *vsuris* ex pecunia deposita promissis, & addit: *Paulus respondit: cum contractum, de quo quæritur, depositæ pecuniæ modum excedere, & ideo secundum conuentionem, vsuræ quoque actione depositi peti possunt.* Quid ergo? annon etiam *vsuræ pecuniæ mutuaticiæ* peti possunt, si hæc lex *numerationi* data est? Id negarunt ICti Romani, & quidem meo iudicio rectissime negarunt. Ratio diuersitatis est, quod vtrumque negotium sit quidem *gratuitum*, sed *diuerso respectu*. *Mutuum gratuitum* est, intuitu *accipientis*, *depositum* respectu *dantis*. Cuius gratia ergo *gratuitum* est, eius intuitu contractus immutari nequit. Fac, me deposuisse apud Caium cistam hac conuentione inita, vt pro custodia acciperet decem aureos: non

 am-

amplius est *depositum*, cum conuentio hæc aliud prorsus negotium inducat, *locationem* scilicet & *conductionem*, *l. 1. §. 8. & 9. depos.* licet vel maxime contrahentes per abusum vtantur appellatione *depositi*, qua *depositi* natura, quæ respectu *dantis* debet esse *gratuita*, prorsus destruitur. Cæterum si *accipiens*, ex post facto vtplurimum, vsuras promittit in deposita *pecunia*, facilius hæc conuentio sustinebitur, vt maneat *depositum*, cum, respectu *dantis*, negotium nihilominus maneat *gratuitum*, licet respectu *accipientis*, vltra naturam depositi quid præstandum sit, qua non æque natura *depositi* prorsus destruitur. Longe diuersum iudicium ferendum de *mutuo*, quod respectu *accipientis* esse debet *gratuitum*, vtpote cui *gratia* & *beneficium* præstatur. Vnde si placuit, vt *minus* reddatur, valet conuentio, quia respectu *accipientis* adhuc manet beneficium & negotium plusquam *gratuitum*, licet intuitu *dantis* quid mutatum fuerit: si vero conuentum est, vt *plus* redderetur, non subsistit ea conuentio, quatenus plus reddi debeat, quia ea ipsa substantiæ mutui vis infertur, quam rationem diuersitatis haud obseruauit NOODT. *cit. l.* vbi hoc dubium mouit, sed non remouit, quin potius in rem suam, ex præconcepta opinione, traxit. Ita vero satis liquet, quam ob causam pactum de *vsuris*, aliis negotiis inesse queat, non æque *mutuo*, cuius naturæ repugnat, adeoque ei inesse nequit. Si non inest, *seorsim* & *extra mutuum* considerandum est, quo respectu *nudum* semper manet, vnde iure Romano inter ciues Romanos non data fuit actio.

Inde necesse erat, vt vsurarum nomine, specialis obligatio contraheretur.

§. XIII. Hac iuris ciuilis philosophia supposita, palam erat, vsuris non aliter in *mutuo* locum fuisse, quam vbi *stipulatio* de vsuris soluendis *seorsim & principaliter* inita, vel de vtroque negotio h. e. *mutuo* & *vsuris* concepta fuisset. Et hoc est, quod POMPONIVS in *l. 121. de V. S.* ait, vsuras *ex alia causa* deberi, id est, *ex noua obligatione*, quæ est ipsa *stipulatio*. Defuit enim aliud *speciale negotium*, ad quod *mutuum vsurarium* referri potuit, postquam rei Romanæ haud conueniens visum fuit, *fœnus*, quatenus *mutuum cum vsuris* designat, in *peculiarem contractum* trahere, & nouum aliquod negotium inde conflare, quippe quod *odiosum* & minus *populare* fuit. Si in *commodato* & *deposito* merces præstabatur, aliud in promtu erat negotium, in quod non gratuitus *vsus* & *custodia* caderet. Ergo *mutuum* per se subsistere poterat, & *vsurarium debitum* itidem suum peculiarem nexum habebat. Distinguebant tamen Romani, vtrum super *mutuo* & *vsuris* simul interponeretur stipulatio, subsecuta numeratione, quo casu intuitu

Vel mutuum vsurarium in

tuitu *cauſæ debendi* vna erat obligatio, *verborum ſcilicet;* *l.* 126. *§.* 2. *de V. O.* licet duæ eſſent ſtipulationes. *l.* 8. *de eo quod cert. loco.* Si præcedebat *numeratio*, ſequebatur *ſtipulatio* de vſuris ſoluendis, non recedebatur a *naturali obligatione*, ſed ſors debebatur ex *mutuo*, vſuræ ex *ſtipulatu. cit. l.* 126. Ratio diuerſitatis in aprico erat, quod priori caſu *numeratio* præcedentis ſtipulationis *implementum* eſſet, quæ poſteriori negotium mutui ipſo numerationis actu perficiebat. conf. *l.* 23. *de except. rei iudic.*

stipulationem conii-ceretur.

§. XIV. Vnicum adhuc ſupereſt telum, quo grauiſſime peti & impugnari ſolet doctrina hactenus expoſita, qua euictum, mutuum eſſe *contractum b. f.* In contractibus b. f. vſuræ ex *mora* citra vllum debentur pactum, *officio iudicis;* *l.* 17. *§.* 4. *de vſur. l.* 32. *§.* 2. *l.* 34. *eod. l.* 2. *C. depoſ.* non item in *mutuo*, certiſſimo, vt volunt, indicio, illud eſſe *ſtricti iuris*. Equidem doctrina adducta eſt omnino vera, ſed conſequentia fallit, vt ſtatim indicabo. Ante omnia hic commendari meretur ſolida obſeruatio NOODTII *de vſur. c.* 6. vbi obſeruat, conſtitutionibus imperatorum id demum effectum fuiſſe, vt *ex mora* etiam deberentur vſuræ in *negotiis b. f.*, vt vel *l.* 24. *D. depoſ.* demonſtrat, quamuis LABEO forſan primus fuerit, qui hanc *innouationem* introduxerit, non tamen ab omnibus approbatam. *l.* 60. *pro ſoc.* Hæc tamen doctrina non potuit trahi ad *mutuum*, quod cum ne quidem ex *pacto*, quod alias bonæ fidei negotiis ineſt, recipere vſuras, multo minus easdem recipere ex *mora* potuit, quia natura *mutui* hoc modo prorſus deſtructa fuiſſet. In cæteris negotiis b. f. vſuræ *ex mora* præſtari & adiudicari poterant, *ſaluo negotio*, vt in *depoſito* & *mandato*, quod nihilominus vtrumque reſpectu *deponentis* & *mandantis* maneret gratuitum. Aſt mutuum non manſiſſet *gratuitum*, ſi debitor ex *mora* vſuras præſtare debuiſſet, & ſic ſubſtantiam ſuam æque amiſiſſet: ac quidem *depoſitum* & *mandatum*, ſi deponens & mandans ſe adſtrinxit ad *mercedem* ſoluendam, quacum conueniunt prorſus vſuræ, quæ ſunt *merces pecuniæ*. Nec muto ſententiam, ſi quis obiiciat, quod mandans etiam teneatur ad *vſuras* ex mora ob impendia in expeditionem mandati facta, cum tamen mandatum, reſpectu mandantis, ſit *gratuitum*. *l.* 12 *§.* 9. *mandat.* Nam in mandato *duplex* eſt obligatio, vnde etiam *duæ* emergunt *actiones*. Principaliter obligatio concernit *mandatarium*, qui ſi accipit *mercedem* a mandante, non amplius eſt *mandatum*, ſed aliud negotium. *Secundaria* obligatio concernit *mandantem*, qui generatim ad *indemnitatem* tenetur; ne alioquin officium man-

Ex mora non debentur vſuræ in mutuo,

cuius ratio decidendi traditur.

mandatario damnosum sit. Id vero euidentissime fieret, si nummos suos in administrationem domini verteret mandatarius, nec tamen, vel ob *moram*, vel ob *vsum* ei deberentur vsuræ. Non ergo desinit *mandatum* esse *gratuitum*, quia *pro officio*, quod præstat, nihil recipit, interim tamen, æquitate suadente, indemnis seruandus. Ast in mutuo duntaxat *una* est *obligatio*, qua totum absoluitur *negotium gratuitum*, quæ si *vsuras* ex *mora*, vel propter *vsum* reciperet, prorsus desineret esse *gratuita*, & aliam induceret naturam, quod admittere noluerunt Romani, admodum in finibus contractuum seruandis solliciti. Neque vero ideo *stricti iuris* dici potest, quod stricte natura huius contractus custodita fuerit; id enim æque stricte in *commodato* etiam factum est, & *deposito*, cautumque, ne ex pacto quidem reciperent *mercedem*, quæ tamen sunt *bonæ fidei*. Qui stricte *fines negotiorum* in iure determinatos obseruandos constituit, propterea haud adstruit negotium *stricti iuris* esse.

Ex mora debentur vsuræ in antichresi.

§. XV. Ex *accidenti* tamen contingere poterat, vt ex *mora* etiam deberentur vsuræ in *mutuo*, quemadmodum in certis quoque casibus exceptis, ex *pacto* præstandæ erant. Vtrumque paucis declarabo. Prius eueniebat in *antichresi*, vel *expressa* vel *tacita*, quatenus pactum vel *expressum* vel *tacitum* pignori accessit, de fructibus ex *pignore* percipiendis, in vicem vsurarum. Hoc pactum *pignori* inesse supra dixi, adeo, vt si pignus non sit frugiferum, nihilominus tamen, per modum *retentionis*, vsuræ pacto promissæ, seruari queant. *l.* 4. *C. de vsur.* Quid ergo, si fundus pignori traditus, & debitor in mora soluendi debiti fuerit? Fac, debitorem fundum, postquam satus & rastro subactus, h. e. mense Octobris, ad quatuor tantum menses pignori dedisse atque promisisse, elapso horum mensium spatio, se mutuaticiam pecuniam restituturum esse. Ast, debitor in *mora* est: vltra sex annos differt solutionem: fundum interim pignoratum creditor retinet, fructusque, de quibus nihil *expresse* actum, percipit: interim vsuræ nullæ promissæ, adeoque vrget debitor, vt fructus quoscunque perceptos restituat creditor; quæritur: quid de *fructibus* censendum? Respondet PAVLVS in *l. 8. D. in quibus caus. pign. vel hypot. tac. Cum debitor* GRATVITA PECVNIA *vtatur, potest creditor de fructibus rei sibi pignoratæ ad modum legitimum vsuras retinere.* Postquam enim debitor in *moram* consentit, consentire videtur in *fructuum* ex pignore *perceptionem*, quamuis ab initio *pecunia gratuita* data fuerit, & ad id tempus fundus pignoratus, intra quod nulli ex

eo

eo percipi poterant fructus. Multo magis ergo hoc dicendum, si expresse conuentum, *vt fructus in vicem vsurarum creditor perciperet.* *l. 14. l. 17. C. de vsur.* Vtroque casu pactum inest *contractui pignoratitio*, & operatur *exceptionem retentionis*, quamuis quodammodo indoles pignoris eo ipso alteretur. Debentur vero hoc casu rursus vsuræ ex *noua obligatione*, h. e. non ex *mutuo*, quod gratuitum est: sed ex *pacto*, *contractui pignoratitio adiecto*, quod eius naturam & substantiam non destruit.

vt etiam ex mora.

§. XVI. Alterum superest membrum, de vsuris in *mutuo* singulari iure ex *pacto* debitis. Huc pertinent 1) *ciuitates*, iuxta PAVLI sententiam *in l. 30. de vsur. Etiam ex nudo pacto debentur ciuitatibus vsuræ creditarum ab eis pecuniarum.* Pactum hoc non tam *adiectum* censeri poterat, quam *nudum*, quia *obligatio* vsurarum *extra mutuum* erat, ipsi autem mutuo inesse non poterat, adeoque manebat *nudum*, lege tamen specialiter confirmatum. 2) *Mutuum frumenti & tritici*, ALEXANDRO teste *in l. 12. C. de vsur. frumenti vel hordei mutuo dati accessio etiam ex nudo pacto præstanda;* quod in agriculturæ vsum *extra ordinem* receptum est. 3) *Nauticum fœnus* iuxta *l. 7. de naut. fœnor.* vbi SCAEVOLA ita: *in quibusdam contractibus etiam* (ex pacto) *vsuræ debentur, quemadmodum per stipulationem. Nam si dedero decem traiectitia, vt salua naue sortem cum certis vsuris recipiam, dicendum est, posse me sortem cum vsuris recipere.* Hoc casu vsuræ magis *periculi pretium* sunt, quod, pereunte naue, sors amissa sit, cuius periculum creditor in se recipit. *l. 3. & 5. D. eod.* Vnde in aliis speciebus idem obtinet, vbi creditor periculum *pecuniæ mutuaticiæ* suscipit, vt rursus SCAEVOLA obseruat in *cit. l. 5.* 4) *Fœnus argentariorum*, quod iuxta *nou. 136. cap. 4.* sine stipulatione ex *pacto* debetur.

Præterea ex pacto in mutuo debentur vsuræ 1) ciuitatibus, 2) creditoribus frumenti, 3) vel pecuniæ traiectitiæ, argentariis.

§. XVII. Atque hæc quidem fuit doctrina *iuris ciuilis*, de vsuris *pecuniæ mutuaticiæ. Ad ius canonicum* transitum facio, quo vsuræ in MVTVO non tantum prorsus damnatæ, sed seuerissimis censuris prohibitæ fuerunt. Nec defuerunt inter gentiles philosophos, qui eas atro carbone notarunt, aliis tamen eas probantibus, inter quos fuit CICERO, teste LACTANTIO *lib. 1. de fals. relig.* vbi ita: *Nam de legibus, quo in opere Platonem secutus est, leges ponere voluit, quibus putaret, vsuram esse iustam.* Hac probatione atque demonstratione haud opus fuisset, si omnium philosophorum eadem mens fuisset. CATONEM, ARISTOTELEM, SENECAMQVE vsuras reprobasse,

Diuersa est iuris canonici doctrina, vsuras prorsus improbans,

Quod etiam a quibusdam philosophis factum,

certum est, quorum loca adduxit NOODT de *vsur. & fœn. lib. I. c. 4.* CICERO quoque *lib. II. offic. c. 25.* CATONIS sententiam enarrat atque: *Ex quo genere comparationis illud est Catonis senis: a quo cum quæreretur, quid maxime in re familiari expediret, respondit, bene pascere. Quid secundum? satis bene pascere. Quid tertium? male pascere. Quid quartum? arare. Et cum ille, qui quæsierat, dixisset, quid fœnerari? tum Cato, quid hominem, inquit, occidere.* Ita censuit CATO, fœnori admodum deditus & auaritia sordida æstuans, adeoque ipsa praxi a sua doctrina alienissimus, more plurimorum, qui aliter viuunt: aliter docent. Interim leges ipsas, circa vsuras latas in *foro ciuili*, non impugnabant, sed eas tantum *officio boni viri* & *amici* haud conuenire credebant.

Patres prorsus damnarunt vsuras sub pœnis,

inprimis quoad clericos,

§. XVIII. Patres vero, postquam in *comitiis sacris* leges condere, censurasque prohibitis negotiis imponere cœperunt, in sola *doctrina*, qua vsuras improbarunt, non substiterunt, sed *vim externam* ei in *foro suo* addiderunt, primo quidem intuitu *clericorum*, mox etiam *laicorum*. Iam seculo III. CYPRIANVS *de lapsis*, vitio dedit sacerdotibus, *quod argentum largiter habere, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsurisque multiplicantibus fœnus augere* studerent, & eo ipso publica auaritiæ suæ argumenta ederent. Quocirca passim clericis sub pœna depositionis interdictæ fuerunt. In *canon. Apost. c. 36.* ita cautum: *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui vsuras exigit ab iis, qui mutuo accipiunt, vel cesset, vel deponatur,* vnde antiquioris disciplinæ praxis colligi potest, licet certum sit, hos canones post *concilium Nicænum* demum collectos fuisse. conf. *c. 1. D. 47.* Enimuero in *concilio Eliberitano* anno 313. in Bætica habito *c. 20.* apud HARDVINVM *tom. I. concil. p. 252.* & GRATIANVM *c. 5. D. 47.* latius, etiam ad *laicos*, extensa prohibitio de vsuris non accipiendis: *Si quis* CLERICORVM *detectus fuerit vsuras accipere, placuit eum degradari & abstinere. Si quis etiam* LAICVS *accepisse probatur vsuras & promiserit correctus, iam se cessaturum, nec vlterius exacturum; placuit, ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate durauerit, ab ecclesia esse proiiciendum.* Ita generatim *vsurarum exactio & promissio* delictis ecclesiasticis annumerata, saluo *vsu forensi*, qui vsuras approbat, quamuis tantum intuitu *Bæticæ; generalis lex ecclesiastica* defuit, adeo, vt ne quidem in *concil. Nicæno c. 17.* anno 325. vltra *clericos* prohibitio fuerit extensa. Vid. *c. 2. D. 47. c. 8. c. 14. qu. 4.* Aiunt patres: *quoniam multi sub regula constituti auaritiam & turpia lucra sectantur, oblitique diuinæ scripturæ*

in concil. Eliberit. & quoad laicos,

sed reliqua concilia in prohibitione, quoad clericos substiterunt, vt Nicænum,

ptura, dicentis: qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram; *mutuum dantes* CENTESIMAS *exigunt: iuſte cenſuit ſancta & magna ſynodus, vt ſi quis inuentus fuerit, poſt hanc definitionem vſuras accipiens, aut ex adinuentione aliqua, vel quolibet modo negotium tranſigens, aut hemiolia, id eſt, ſeſcupla exigens, vel aliquid tale prorſus excogitans turpis lucri gratia, deiiciatur a clero & alienus exiſtat a regula.* De ſpecie vſurarum *Hemiolia* dicta, pluribus agit SALMASIVS *de modo vſur. pag. 313. ſeqq.* Quamuis vero aperte liqueat, *clericis* duntaxat *vſuras centeſimas* fuiſſe interdictas, faciles tamen ſunt iniquiſſimi vſurarum cenſores, vt legem vniuerſalem inde eruant. In hac ſententia fuiſſe videtur ANTONIVS CONTIVS, *lib. 11. lect. ſubſeciuar. c. 2.* vbi mouet quæſtionem, *an vſuræ ſint iuſtæ?* redarguitque eos, qui eas defendunt, hisce verbis: *qui ſane dum in mutuo ſecundum modum Iuſtinianea lege datum eam permittunt, & eo locos omnes ſacroſanctæ legis, quibus id diſertiſſime inhibetur, detorquent; verendum eſt, ne non ſatis cum Nicæna ſynodo & vetere tota eccleſia conſentiant.* Qui autem cum eccleſia non conſentiunt, *haeretici* dicendi, quorum in numerum CONTIVS retuliſſe videtur, qui vſuras probant. Ad minimum tamen ex *Nicæna ſynodo* exſculpere haud potuit *generalem prohibitionem*, patribus Nicænis adhuc abſtinentibus ab eo, quod *meri iuris ciuilis* erat, & *ad forum ſpectabat.* Etiam *in concil. Arelat.* anno 314. & ſic ante Nicænum celebrato *cap. 12.* apud HARDVIN. *tom. I. p. 265.* tantum *clericis* interdictæ fuerunt vſuræ. *De miniſtris, qui fœnerant, placuit eos iuxta formam diuinitus datam, a communione abſtineri.* Idem repetitum in *concil. Carthaginenſ. III.* anno 397. celebrato apud HARDVIN. *tom. I. p. 369.* & GRATIANVM *c. 6. C. 14. qu. 1. vt nullus clericorum amplius recipiat, quam cuiquam quod accommodauerit: ſi pecuniam, pecuniam accipiat: ſi ſpeciem, eandem ſpeciem, quantam dederit, accipiat; & quicquid aliud tantum, quantum dederit.* Ita vero locatio quoque prohibita cenſeri debet, quia in ſpecie non plus accipere licet, quam quantum datum, quod a rigore non eſt alienum, quamuis *clericos* tantum concernat.

Arelatenſe.

Carthag. III.

§. XIX. Patres vero huius ſeculi, qui per modum *doctrinæ moralis* de vſuris ſcripſerunt, *in genere* vſuras damnarunt ſine *perſonarum diſcrimine*, eiusmodi argumentis vſi, quæ *vitio inſanabili* vſuras infectas repræſentant, vtut patres in comitiis ſacris cenſuram tantum *clericis*, vſuram exercentibus, dictauerint, ſi *Eliberinum* exceperis. TERTVLLIANVM iam ante CYPRIANVM eas improbaſſe, liquet *ex lib. IV. adu. Marcian. c. 17.* AMBROSIVS vero *in c. 10. C. 14.*

Patres tamen in ſuis priuatis ſcriptis vſuras in genere damnarunt.

qu. 4. si quis, ait; *vsuram acceperit, rapinam facit, vita non viuit.* IDEM *in c. 3. C. 14. qu. 3.* ex *Deut. XXIII.* vsurarum illicitam exactionem trahit, ostenditque, quomodo *per indirectum* vsuræ accipiantur, quod etiam *lib. de Tobia c. 3. & in c. 8. D. 47.* vlterius illustrat; ast *in c. 12. C. 14. qu. 4.* ab *hoste*, quem occidere licet, vsuras licite accipi posse censet. Eandem doctrinam ecclesiæ regustauit CHRYSOSTOMVS *in Matth. c. XVII. homil. 56.* cuius sententiam retulit GRATIANVS in *c. 11. D. 88.* & repetiit NOODT *de vsur. lib. 1. c. 4.* Pariter seculo V. eadem doctrina a patribus inculcata est, vt liquet ex AVGVSTINI locis a GRATIANO excerptis *in c. 2. C. 14. qu. 1. c. 1. C. 14. qu. 3. c. 11. C. 14. qu. 4.* & HIERONYMI doctrina, tradita in *c. 2. C. 14. qu. 3.* LEO papa vero *in c. 7. C. 14. qu. 4.* & apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 1753.* expressius prohibitionem vsurarum designat, &, *nec hoc quoque*, ait, *prætereundum esse duximus, quosdam* TVRPIS LVCRI *cupiditate captos, vsurariam exercere pecuniam, & fœnore ditescere velle. Quod nos, non dicam in eos, qui sunt in clericali officio constituti, sed & in* LAICOS *cadere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acrius in eos, qui fuerint confutati, decernimus, vt omnis peccandi opportunitas adimatur.* Ita pedetentim vsuræ adeo improbatæ sunt, vt etiam *laici* illas accipientes *censuræ* in *foro ecclesiastico* subiecti fuerint. Interim patres eodem modo, vt *ad tit. de diuort. §. 7. p. 333. tom. IV. iur. eccles.* in materia *diuortii* docui, *leges ciuiles*, vsuras permittentes, non impugnarunt *directo*, quod orbis Romanus gentilium copia adhuc abundaret, & *fori ciuilis* ratio haud permitteret, vt *vsuræ* ex vsu *commerciorum* eliminarentur: Enimuero in *foro ecclesiastico* vsuras accipientes sub censuram reuocarunt, modestia sua longe superantes pontifices sequentium seculorum, qui ipsis *legibus ciuilibus* directo vim intulerunt, eisque dicam scripserunt, vt paulo post explanabitur.

[Marginalia: quod seculo V. quoque propagatum, saluis legibus ciuilibus.]

§. XX. Sexto seculo vlterius hæc doctrina propagata passim; in conciliis tamen intuitu *clericorum* tantum inculcata, vt docent *concil. Tarraconensis* scita *in c. 3. & 5. C. 14. qu. 4.* Neque sequentibus seculis aliquid in ea laxatum, sed prohibitio ipsa magis quotidie creuit, vt tot conciliorum canones euincunt, ex quibus præcipuos referam. In *concilio Constant. de anno 814.* apud HARDVIN. *tom. IV. p. 1054.* cauetur, *ne vsuram accipientibus sacramenta elargiantur, nec cum perseuerantibus in iniquitate communiter cibus sumatur.* In AHYTONIS episcopi Basileensis capitulis *cit. l. p. 1243. c. 17.* sacerdotibus iniunctum, vt

[Marginalia: Doctrina seculi VI. seculi IX.]

vt prædicarent, ne quis vſuras accipiat, *quia*, pergit, *valde infidelis & rebellis DEI iuſſionibus eſt, qui hoc agit: quod omnibus Chriſtianis aeque interdictum eſſe dignoſcitur, maxime tamen ſacerdotibus, qui forma & exemplum fidei omnibus eſſe debent.* In *concil. Pariſ. 17. de anno 829. c. 53. cit. l. p. 1328.* magno verborum & argumentorum apparatu hæc *eccleſiae* doctrina denuo inculcatur, & exactio vſurarum *execrabile DEOque deteſtabile auaritiae genus* vocatur, argumentis deductis *ex Exod. XXII. Leuit. XXV. Deut. XV. Ezechiel. XVIII. XXII. Amoſ. II. Pſ. XIV.* Conſtitutio vero RICVLFI epiſcopi de anno 889. apud HARDVIN. *tom. VI. p. 418. c. 17.* argumentum inde petit, quod *in Chriſto ſimus fratres.* Sanctus EDVARDVS *in LL. Eccleſ. c. 22. ibid. p. 990.* ſub pœna *confiſcationis* vſuras prohibuit, voluitque, vt qui fœnus exigeret, *pro exlege haberetur.* Neque tantum *directo* vſuras exigere vetitum, ſed præterea ipſa *antichreſis* quoque damnata *in concil. Turonenſ. de anno 1163. c. 2.* apud EVND. *cit. l. p. 1597.* ſub ALEXANDRO III., quem textum etiam recenſuit RAYMVNDVS *in c. 1. X. h. t.* quo poſito fructus in ſortem imputari debuerunt iuxta *c. 8. X. h. t.* Pariter *in concil. Lateranenſ. III. de anno 1179. c. 25.* relata ab HARDVINO *cit. l. p. 1683.* & a RAYMVNDO *in c. 2. X. h. t.*, auctore eodem pontifice, cautum, 1) ne vſurarii ad *communionem* admitterentur, nec 2) *eccleſiaſticam* acciperent *ſepulturam*, nec 3) *oblationes* facere poſſent. Huic concilio adiecta eſt *appendix*, nouam collectionem ſcitorum eccleſiaſticorum habens, in qua *pars XVI. de vſuris* agit, & plures ALEXANDRI III. epiſtolas refert, quarum nonnullas etiam refert RAYMVNDVS in *c. 4. ſeqq. X. h. t.* Etenim in *c. 4. cit. l.* pontifex cenſet, *cum vſurarum crimen vtriusque teſtamenti pagina deteſtetur*, diſpenſationem aliquam ſuper eo fieri non poſſe. Idem in *c. 5. X. h. t.* conſtituit α) vſuras his, quibus creditores eas extorſerunt, vel eorum heredibus, vel his deficientibus, pauperibus erogandas: β) eos tamen, qui non habent in facultatibus, vnde vſuras reſtituere valeant, nulla mulctandos eſſe pœna, *cum eos nota paupertatis euidenter excuſet*: γ) poſſeſſiones de vſuris comparatas eſſe vendendas, et ipſarum pretia his reſtituenda, quibus vſuræ extortæ. Ne quidem δ) hoc permiſſum, vt ob fidem habitam de pretio res carius vendi queat, prout IDEM decernit in *c. 6. X. h. t.* & VRBANVS III. repetit in *c. 10. X. eod.* Ceterum vſurario defuncto, heredes, etiam extranei, vſuras reddere coguntur, per *c. 9. X. h. t.* quod noua iuris ratione ſanxit ALEXANDER III. cum alias obligatio *ex delicto* ſit perſonaliſſima, nec heredes ſtringat, niſi in quantum

ſeculi X.

ſeculi XII.
1) quod antichreſis illicita ſit,

2) vſurarii eccleſiaſtice non ſepeliendi,

3) nec diſpenſationem admittant,
4) ſed ſimpliciter refundendæ,
5) diuenditis etiam rebus vſuræ comparatis,
6) heredes quoque obligentur,

7) si vel maxime sponte solutæ,

ex delicto locupletiores redditi fuerint. Ne quidem sponte solutas vsuras, etiam omni conuentione cessante, retineri posse censuit VRBANVS *in c. 10. X. h. t.* si eo proposito mutuam dedit pecuniam, vt plus forte reciperet, cum CHRISTVS dixerit: *mutuum date, nihil inde sperantes.*

Doctrina seculi XIII.

§. XXI. Seculum XIII. plures sistit prohibitiones, certo indicio, eo tempore vsuras fere vbique in vsu adhuc fuisse. In *concilio Auenionensi* anno 1209. *c. 3.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 1987.* denuo excommunicatio in creditores vsuras accipientes decernitur, & *c. 4.* Iudæi vsurarii ab vsurarum exactionibus hoc modo compescuntur, vt Christiani per *excommunicationem* prohibeantur, eis in commerciis vel alio modo participare, donec ab vsuris abstinuerint, quod INNOCENTIVS III. *in c. 12. X. h. t.* etiam sanxit. Hic enim inprimis sollicitus fuit in eradicandis vsuris, ceu *c. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. X. h. t.* testantur, et quia in morem abierat, vt creditores, vsuras sibi stipulantes, iuramentum exigerent de vsuris soluendis, ac de solutis non condicendis, *in cit. c. 13.* constituit, vt per excommunicationis censuram compellerentur creditores, ab earum exactione desistere, & solutas refundere, *ne dolo & fraude contingat eos commodum reportare*, quo ipso *per indirectum* vis iuramento subtracta est. Præterea creditores sortem repetentes antea haud sunt audiendi, quam restitutis vsuris secundum *cap. 14. & 17. cit.* vnde liquet, instar cuiusdam *spolii* censeri exactionem vsurarum. Neque tantum per viam *accusationis*, sed etiam *inquisitionis* contra *manifestos vsurarios* procedi posse decernit INNOCENTIVS III. *in c. 15. cit.* si *clamor publicus* contra eos adsit, quo ex fundamento inquisitiones hic demum primus instituit. Nequidem *nauticum fœnus* ob *susceptionem periculi* probandum esse censuit GREGORIVS IX. *in c. f. X. h. t.* quod tamen nulla ratione defendi potest. Concilium Lugdunense I. de *anno 1243. c. 13.* apud HARDVIN. *tom. VII. p. 388. circa debita ecclesiastica* plenius disponit, ordinatque, ne vnquam debita vsuraria contrahantur, præsertim in *nundinis* & *mercatibus* publicis. Nec Germania hoc æuo ab vsuris abstinuit, ceu docet *concil. Viennense de anno 1267. c. 8. cit. l. p. 583.* vbi refertur, per *Salzburgensem prouinciam* rigorose vsuras exactas fuisse; quem in finem cautum, vt *laici* excommunicarentur, *clerici* vero suis beneficiis spoliarentur. Addam adhuc alia huius seculi monumenta. Anno 1274. *concilium Lugdunense II. c. 26.* apud EVNDEM *cit. l. p. 717. vsurarum voraginem, quæ animas deuorat, & facultates exhaurit, compescuit*, statuendo, vt si vniuersitas

1) quod nec Iudæis permittendæ vsuræ;

2) nec ex iuramento debeantur,

3) ad instar spolii exactio earum haberi debeat,

4) in vsurarios inquiri possit,

5) nauticum fœnus etiam reiiciendum,

6) quod laici vsurarii excommunicandi, clerici deponendi,

itas quædam, hoc eſt, reſpublica vel ciuitas vſuras permiſerit, *interdicti* pœnam mox ſubeat, vſurarii vero manifeſti, *teſtamenti factionem* non habeant. Pariter *concil. Auenionenſe anno 1282. c. 1. ibid. p. 879.* infelice *commercium vſurariæ prauitatis, quæ quaſi paſſim colitur a nonnullis diuitibus & aliis, qui ſe ſolo nomine aſſerunt mercatores*, atro carbone notatum, & ſub grauiſſima cenſura prohibitum. Idem etiam eodem anno *Turonenſe concilium cit. l. p. 887. c. 6.* fecit. In *viſitatione prouinciæ Burdegalenſis*, anno 1282. inſtituta, hi qui vſuras accepiſſe conuicti erant, eas abiurare coacti ſunt, vt plenius docet HARDVIN. *tom. VII. p. 1018. ſeqq.* conf. MABILLON. *analect. p. 346. nouiſſ. edit.*

7) nec ciuitates eas permittere poſſint, ſub pœna interdicti, 8) vſurarii teſtamenti factione deſtituti, 9) quod vſuræ abiurandæ.

§. XXII. Pariter *ſeculo XIV. concilium Rauennatenſe IV. rubr. 15. ibid. p. 1443. anno 1317.* pœnas eccleſiaſticas renouauit contra vſuras, voluitque, vt *cautio* reciperetur ab vſurariis, de vſuris in poſterum non recipiendis, id quod plena manu *cit. l.* determinatur. Anno 1355. *conſtitutiones Nicoſienſes c. 29. ibid. p. 1705.* plures palliatas conuentiones, quæ *vſuras* tegere videntur, recenſent, easque compeſcunt, manifeſto indicio, ſitim vſurarum non potuiſſe extingui, ſed pleros-que variis artibus conſtitutiones eccleſiaſticas eludere ſueuiſſe. Sic etiam in *concilio Vaurenſi de anno 1368. c. 120.* apud EVNDEM *cit. l. pag. 1853.* iudices vinculo *excommunicationis* ſubiiciuntur, qui ad ſoluendum vſuras debitores adſtringunt, vel easdem repetere prohibent; quod rurſus argumentum præbet, *iudices ciuiles* de vſuris ius dixiſſe, nec rationem *conſtitutionum eccleſiaſticarum* habuiſſe. Idem antea anno 1312. in *concilio Viennenſi* edixerat CLEMENS V. vt liquet *ex clem. vn. h. t.* innuitque, ſtatuta paſſim a ciuitatibus de vſuris ſoluendis fuiſſe condita, quorum applicatio ſub pœna excommunicationis his prohibetur verbis: *Statuimus, vt quicunque communitatum ipſarum poteſtates, capitanei, rectores, conſules, iudices, conſiliarii & alii quiuis officiales ſtatuta huiusmodi de cetero facere, ſcribere vel dictare, aut quod ſoluantur vſuræ, vel quod ſolutæ, cum repetuntur, non reſtituantur plene ac libere, ſcienter iudicare præſumſerint, ſententiam excommunicationis incurrant.* Infra tamen demonſtrabo, magiſtratus ſeculares, non obſtante hac prohibitione, talia ſtatuta ex ratione *ſtatus ciuilis* edidiſſe, & ſecundum illa ius dixiſſe. Præterea quoque ſuo addidit ſingularia ſcita: 1) quod creditores codices ſuos rationum contra ſe reis edere teneantur, cum tamen, ſuppoſito, quod vſuras accipere, *crimen* ſit, actor reo documenta edere non teneatur: BRVN-

Doctrina ſeculi XIV. 1) quod cautio ab vſurariis præſtanda, 2) palliatæ vſuræ non tolerandæ, 3) indices ſub excommunicationis metu ad vſuras ſoluendas debitores cogere nequeant, 4) creditores codices rationum edere teneantur debitoribus,

NEM.

5) negans vsuras accipere, esse peccatum, hæreticus dici debeat

NEM. *ad l. 1. D. de edendo n. 8.* BERLICH. *P. I. concl. 45. n. 17.* 2) quod pertinaciter affirmans, *exercere vsuras*, *non esse peccatum*, velut *hæreticus* puniendus sit, quo ipso doctrina iuris ecclesiastici inter *articulos fidei* relata est, vt papa eo promtius executionem legum ecclesiasticarum promouere posset, quamuis ne quidem hæc cautela cursum vsurarum sistere potuerit. Nam subsequentibus seculis in conciliis passim repetitæ sunt leges ecclesiasticæ contra creditores, vsuras accipientes, quod arguit, vsuras in foro ciuili vinculum suum non amisisse, vt liquet ex *concilio Frisingensi* de anno 1440. apud HARDVIN. *tom. IX. p. 1289.*, *Cameracensi* de anno 1586. *ibid. p. 2168. & 2180.*, *Mediolanensi* de anno 1565. apud EVNDEM *tom. X. p. 720.* (vbi omnes species, quibus vsura inducitur, referuntur,) & *p. 738. seqq.* (vbi GREGORII X. constitutio occurrit): *Mechlinensi* de anno 1570. *ibid. p. 1204.*, *Remensi* de anno 1583. *ibid. p. 1301.* vbi *Simoniæ* æquiparatur: *Burdegalensi* eodem anno celebrato, *ibid. p. 1370. seqq.* vbi æquiparatur vsurarum exactio *homicidio*, & fundamentum in eo ponitur, quod ex præcepto diuino mutuum debeat esse gratuitum. Denique ex *Mexicano* de anno 1585. *ibid. p. 1716.* &c. Edidit etiam LEO X. anno 1517. constitutionem contra Iudæos vsurarios apud HVNDIVM *in metropol. Salisb. P. I. p. 183. nouissimæ edit.* vt alias ordinationes ecclesiasticas non referam.

doctrina seculi XV. seculi XVI.

Leges ecclesiasticæ tamen vsuras tollere non potuere, nec debuerunt,

§. XXIII. Retuli in compendio prohibitiones ecclesiasticas, earumque fata, quæ docent, vsuras ex *commercio publico* eliminari non potuisse, simulque pontificem cum episcopis sibi eo ipso asseruisse potestatem, iura gentium, quæ maxime in *publico commercio* continentur, dirigendi atque, quid in iis iustum sit, determinandi. Sicuti vero *commerciorum* iura *ecclesiastica* non sunt, sed magistratui seculari subiecta; ita vitio ei verti non potuit, quod huiusmodi attentatis mascule restiterit, &, quantum fieri potuit, ius suum conseruauerit. Id quod eo iustius fuit, quod imperantes facile perspexerint, præconceptam opinionem de *illicita vsurarum exactione*, omni destitui fundamento, ac antiquiora concilia *clericos* duntaxat vel ideo ab hoc commercio exclusisse, quod illis in genere *commerciorum vsus* cum *negotiationibus* cæteris interdictus, atque in illos ex imperantium indultu conciliorum potestas fundata fuerit, prout ostendi. *tom. III. iur. eccles tit. ne clerici vel monach. secul. negot. se immisc.* Postquam vero episcopi cum pontifice in *communionem imperii* assumti sunt, in id vnice incubuerunt, vt principatum suum magis magisque extenderent, iura imperii legitima minue-

ob defectum fundamenti prohibitionis,

& pontificis attentata contra status ciuiles,

minuerent, ac eo prætextu vterentur, quod iudicum ecclesiasticorum esset, præcauere, ne *peccatum* in *negotiis secularibus* committeretur, quem abusum grauiter taxarunt status imperii anno 1523 in *comitiis Noricis*, oblatis oratori pontificio centum grauaminibus, in quibus *art. 9. & 10.* hoc attentatum notatum est. Inde vero facile colligebant imperantes, pontificem episcoposque id vnice agere, vt, prohibendo sub seuerissimis pœnis vsuras, *secularibus negotiis* sese immiscerent, & callido consilio sese in possessione vel quasi *imperii vniuersalis*, quam tamen *vi*, *clam*, vel *precario* obtinuerant, sese defenderent, licet facile præuiderent, fulmina sua frustranea fore. Sicuti enim *commerciorum* vsus iuris gentium est, nec inter homines eliminari debet; ita *vsurarum* praxis, sine quibus *commercia* concipi nequeunt, per fulmina ecclesiastica tolli haud potuit, quia commercia huc non tendunt, vt quis *gratis*, & ex legibus *amoris* suum in alterum transferat, sed potius vt *mutuis præstationibus* alter alterius indigentiæ succurrat, id quod etiam fit per *vsuras* debitæ pecuniæ præstandas.

denique ob commerciorum necessitatem.

§. XXIV. Euentus etiam docuit, ipsos clericos varia subterfugia atque vias monstrasse, quibus quilibet, stante etiam *vsurarum* prohibitione, fructum pecuniæ suæ quærere queat, quorum quædam difficultate non carent, quædam *meram cauillationem* habent, & *vsuras palliatas* continent. Posterius apparet (I) in emtione *annuorum reddituum*, qui inspecta rei veritate nihil aliud sunt, quam vsuræ ex pecunia perceptæ. Nomina tantum in hoc negotio mutata sunt, non res. Quia enim crediderunt, *mutuum* tantum, & quod eius rationem sapit, ab *vsuris* liberum esse debere, in locum illius substituerunt *venditionem*: in harum vero appellationem *annuorum redituum*, quod negotium tamen, quatenus *onus reale* continet, plus nocuit commercio, quam exactio vsurarum, vt *disp. de præscript. ann. redituum* atque etiam infra in *membro* huius tituli III. obseruaui. conf. SCHILT. *de bonis laudemial. §. 28. sqq.* Hoc tamen non obstante MARTINVS V. in *c. 1. Extrauag. de comm. de emt. vend.* huiusmodi contractum licitum & iuri communi conformem esse docuit. Praeterea quoque (II) idem liquet ex magica & subtili ingenio excogitata verborum structura, quibus omne scelus ab vsuris deleri & abstergi posse, censet ESCOBARIVS Iesuita, cuius sententia relata est a PASCALIO sub nomine ficto MONTALTII *in literis prouinc. epist. 8. p. m. 186.* de quo autore BAYLIVS *in diction. crit. & histor. sub artic. Pascal. lit. k.* commendandus est. Præmittit ESCOBAR: *Non paruam gratiam a secularibus inierit, qui*

Id tamen effecerunt iura canonica, vt palliatæ vsuræ repertæ, 1) in annuis reditibus,

2) in ficta societate,

quod in fœnore noxium, illud reſecans, rationem tamen aliquam excogitarit pecuniæ quadam collocatione, non minus augendæ, quam augetur fœnore. Hanc gratiam ſe iniiſſe putat a ſecularibus, hac cautela illis præſcripta: *is, a quo mutuo petitur pecunia, ſic reſpondebit: non eſt mihi pecunia, quam mutuo dem: eſt tamen, quam licita ratione collocem, vt ex ea legitimum mihi redeat lucrum: quamobrem ſi pecuniam ea conditione velis accipere, vt ex ea in commune negotieris, fortaſſe adduci poſſum, vt iſto pacto dem: verum tamen quia de lucro faciendo difficile conuenitur, ſi tu mihi certum aliquid aſſignare volueris, facilius inter nos contrahemus, ac tibi ſtatim pecuniam numerabo.* Ita verbis lex ſcripta, non rebus. Nauſeant *lucrum* aliquod, vel *augmentum* in *mutuo*: non nauſeant in reliquis contractibus, modo *titulo* vel nomine *vſurarum* non deſignetur. Nam ne quidem in aliis contractibus vſuras admittunt ex iuſta cauſa, veluti ob *fidem* habitam de pretio, vel ob *moram* in ſoluenda mercede vel pretio commiſſam; *c. 10. c. ſ. X. h. t.* quod ita *quaſi mutuum* contractum videatur, ad quod omnes *contractus* reducunt, in quibus *vſuræ pecuniæ* aliunde *debitæ* petuntur, vt eo felicius CHRISTI dogma, *mutuum date, nihil inde ſperantes*, extendere poſſint. *c. 4. h. t. c. 5. X. de emt. vend.* Denique (III) vſuras tegunt in *montibus pietatis*, menſis trapeziticis analogis, qui in multis Italiæ ciuitatibus ad pauperes ſubleuandos conſtituti eſſe dicuntur, ab ipſo pontifice SIXTO IV. approbati. Reuera tamen in pleriſque *montibus* id agitur, vt debitores, pecunia ſub vſuris ſumta, ab inopia temporaria ſubleuentur. conſ. SALMASIVS de *trapezit. fœn. p. 586.* DOROTHEVS ASCIANVS *de montibus pietatis.* NICOLAVS BARRIANVS *de montibus impietatis*, & MICHAEL PAPAFAVA *in deciſ. contra montes pietatis*, quos duos poſtremos tractatus ASCIANVS ſuo operi ſubiunxit. Accedo ad alteram methodum, quæ *difficultate* non caret, quæ deprehenditur in exactione *eius, quod intereſt*, quod probant pontifices *in c. 9. X. de arbitr. c. vn. X. de plus petit. c. 48. de ſent. excomm.* Inde factum, vt creditores vſuras ſibi promiſſas, ſub nomine *eius quod intereſt*, petierint, quod facile allegare poſſent, ſe tantum hoc modo æſtimare *lucrum ceſſans* & *damnum emergens.* Qui enim pecuniæ ſuæ vſu priuatur, id quod in *mutuo* contingit, caret lucro, quod pecunia ſua in *commercio quotidiano* facere poterat, & ita *intereſſe* recte petere dicitur. Cape exemplum ab ipſo CARPZOVIO *lib. II. in iurisprud. conſiſtor. def. 319.* ex ſententia canoniſtarum approbatum. Mutuo dat eccleſia decuniam ſub vſuris. Quæritur, an licite? affir-

3) in montibus pietatis.

4) in eo quod intereſt,

quo fuco vtitur Carpz. in

mat

mat hoc CARPZOV. *in iurisp. consist. cit. l. n. 15.* & ait: *Nec quicquam iniquitatis tandem imputari potest ecclesiæ vsuras petenti, quippe quod eas non vt vsuras, sed tanquam interesse exigere præsumatur*, pro cuius probatione prouocat ad PANORMIT. *ad c. 8. X. h. t.* Mirandum est, CARPZOVIVM hoc fuco vsum fuisse, cum ipsemet *vsuras*, qua tales, probauerit *cit. l. n. 1.* quibus probatis, nil iniqui ecclesia committit in exigendis vsuris, *qua talibus*, reiecta larua, qua eas in adductis verbis inuoluit. Vnde non potuit non in Scyllam incidere, volens vitare Charybdin. Etenim *lib. IV. resp. 46.* contendit, in Saxonia ecclesiis aliisque piis locis, in concursu creditorum, prælationem præ aliis creditoribus deberi, tum ratione *sortis*, tum *vsurarum*, addita hac ratione, *n. 8.* quod *hospitalia & ecclesiæ nunquam proprie vsuras, sed interesse petere præsumantur;* quæ ratio admodum infirma est, cum apertum sit, ipso fatente CARPZOVIO dicta *def. 319. n. 18. & 19. & lib. IV. resp. 50.* multum differre *vsuras* & *interesse*. Nec ratio adferri potest, cur *laicis* prohibitum esse debeat eadem vti larua, si ecclesiis hæc indulta est, qui tamen in Saxonia vsuras simul cum sorte petere nequeunt. Hac eadem larua vtitur rursus *lib. IV. resp. 49.* qua probat, ecclesiis deberi vsuras vltra *alterum tantum*, addita hac *n. 7.* ratione, quod *pia causa vsuras, quamquam de iis conuenerit, non vt vsuras, sed vt interesse petere videatur.* Ita quod *piis causis* licitum est, aliis nefas ex erronea hypothesi esse iudicatur. Interim quia plerique vsuras stipulantes hoc fundamento vsi sunt, in morem tandem abiit, qui adhuc hodie in iudiciis seruatur, vsuras nomine *eius, quod interest*, insignire, & ita pronunciare: Daß Bekl. das Capital cum interesse moræ zu bezahlen schuldig. Rationem huius *styli* infra ex R. I. de an. 1600. declarabo.

Mutuo ecclesiæ.

Inde ecclesiæ sortem, cum vsuris simul in Saxonia deberi, contendit,

imo vltra alterum tantum.

§. XXV. Sicuti vero grauem cladem commerciis intulerunt pontifices & concilia, vsuras sub pœna *excommunicationis* prohibendo; ita hoc factum eo iniquius censendum, quod rationes, quæ pro *turpitudine vsurarum* allegantur, partim friuolæ & inanes sint, partim etiam sapiant rationem politicam hierarchiæ, quæ etiam sub hac hypothesi nouum munimentum accipit. Notum est, Iudæis, in *vna republica ciuili* coadunatis, interdictum fuisse, ne *inter se* vsuras exercerent; quamuis ab *extraneis*, iure gentium, eas petere potuerint, ob commerciorum cum gentibus vsum. Hoc in vsus suos traxit curia Romana, constituitque, ecclesiam etiam esse rempublicam, seu *christocratiam* ex omnibus christianis coadunatam & conflatam, cuius *ca-*

Interim rationes iuris canonici, vsuras damnantes, partim politicæ sunt,

put supremum pontifex esse censetur. Quod ergo nefas iudicatum fuit in *republica iudaica theocratica*, illud etiam nefas habitum est in *republica ecclesiastica christocratica*, quæ sub illa, tanquam typo, adumbrata fuit. Vt ergo etiam hoc argumento sententiam de *republica ecclesiastica* stabiliret, e re illius fuit, seueris pœnis vsuras prohibere, nec ab hac doctrina vllo recedere modo, quæ facile linqui potuisset, si ratio *status ecclesiastici* defuisset. Ceteras rationes non referam, nec examini subiiciam, quod ab aliis iam plena manu factum est, inprimis a SALMASIO *de vsur. c. 8. seqq.* NOODTIO *de vsur. lib. I. c. 6. seqq.* & CAROLO MOLINAEO *tr. de commerc. & vsur.* qui dubiis quibusuis satisfecerunt, idque eo facilius præstare potuerunt, quia nonnulla adduci solent, quæ ne quidem responsione indigent. Lepida sane & ridicula sunt argumenta, quibus vtitur VACONIVS A VACVNA *lib. I. nou. declar. iur. ciu. c. 14.* & his ostendere conatur, vsuras *contra naturam* exigi, & *furti* instar esse. Ait: *Sola animantia sibi similia, natura ipsa, generant: artificiosa vero minime. At homo pecuniarum cupidus efficit, vt nummus, qui animam non habet, nec vegetationem quidem, fœnus, i. e. fœtum procreet: fœnus autem se ipsum maius facit, in fœnore enim nummus contra naturam nummum parit, merito igitur reprobatur . . vsura est contra naturam & hac est ratio, quamobrem est reprobata.* Huic ridiculæ rationi hæc quoque subiicitur: *quod pecunia mutuo data, non amplius eius, qui dedit, sed facta accipientis fuerit. Qui igitur, ait, ex illa pecunia fructum, veluti nummos, seu aliquid aliud accipit, ex re non sua accipit, & est perinde ac si furaretur.* Plures alias huius furfuris rationes quoque habet HONORATVS LEOTARDVS in *tr. de vsur. qu. 2.* quas non tangam. Ieiuna pariter sunt ratiocinia, quibus vtitur CHRYSOSTOMVS in *c. 11. D. 88.* quæ NOODT. *cit. l.* examinat. Si pro *vsu ædium* licite accipitur merces ab eo, qui meo beneficio non indiget, cur non accipere liceret mercedem pro vsu pecuniæ, vnde lucrum capit, maxime ab eo, qui beneficio a me affici non desiderat. Indigentibus etiam gratuita habitatio concedenda, non tantum pecunia, ex *regulis amoris*: his christiani succurrere iubentur, sine spe accipiendæ mercedis, a Saluatore, qui *regulas amoris* inculcauit, leges autem forenses non tradidit. Peccat contra *regulas amoris*, qui *indigentibus* non succurrit, eos cibando, vestiendo, recipiendo intra ædes, & pecuniam mutuando gratis. Hæc regula tamen non pertinet ad omnes indistincte, quia alioquin omnes contractus onerosi eliminandi forent.

partim inanes.

§. XXVI.

§. XXVI. Quamuis vero ita euidens ac manifestum sit, *vsurarum* prohibitioni omne fundamentum deesse secundum ius canonicum, non item *palliatis*; fieri tamen non potuit, vt vsuræ prorsus ex vsu hominum eliminarentur, postquam commercia, hominum saluti maxime inseruientia, deleri funditus atque euerti haud potuerunt, quæ vsuris carere non possunt. De fatis vsurarum in Germania nunc quidem duntaxat sollicitus ero, ostensurus *seculo XIII. & XIV.*, quibus concilia inprimis vsuras damnarunt, earum vsum superfuisse, & passim legibus statutariis probatum; præterea vero, quod ius canonicum vsuras quascunque reprobasset, ius Romanum autem *vniuersaliter* haud receptum esset, inde factum fuisse, vt modus vsurarum plerumque *incertus* fuerit, nisi statuta particularia peculiariter eundem determinassent. Equidem in *iure prouinc. Sueuic. c. 342.* apud GOLDASTVM in **Reichs-Satzungen** *P. I. p. 100.*, *in Meischneriana editione* vero *c. 340.* apud Dn. BERGER *in cod. iuris Alemannici p. 89.* iuris canonici doctrina fere ad vnguem repetita, vnde *vsus iuris canonici* colligi posse videtur. Quis vero nescit, quam imperite & sine iudicio sæpe huius speculi collector quiduis ex quouis consarcinauerit, adeo vt etiam in materia fideiussionis prouocauerit ad rescriptum D. HADRIANI, eumque ex summa ignorantia vocauerit: **Einen Meister, der** *Hadrian* **heisset**, quasi litera D. non *diuum*, sed *doctorem* vel *magistrum* designaret, vnde non quæuis ineptiæ in hoc *speculo* relatæ vsum forensem arguunt. In materia *vsurarum* idem euenisse, persuasissimum ex tot publicis documentis habeo, quæ *vsum forensem* illius temporis monstrant. Equidem in capitul. CAROLI M. de anno 789. repetuntur canones conciliorum, *clericis* vsuras interdicentes apud BALVZ. *tom. I. concil. p. 215. 531. 705. 893. 958. 1125.* Porro *lib. 2. capitul. c. 38. ibid. p. 749.* sacerdotes vsuris abstinere iubentur, simulque admonentur, *vt plebes sibi subditas ab eis abstinere instruant*, quod res *doctrinæ*, non *legis* erat. Sic etiam *lib. IV. capitul. c 17. ibid. pag. 796.* duntaxat *excessus in vsuris*, ne scilicet *duplum* vel *triplum* recipiatur (quod ex formulis MARCVLFI infra §. *sq.* declarari potest), prohibetur; quanquam generalius vsuræ damnentur *lib. V. c. 38. ibid. p. 833. lib. VI. c. 50. p. 931. lib. VII. c. 53. p. 1038.* item in *capitul.* LOTHARII *c. 19.* apud EVNDEM *tom. II. p. 323. seqq.* Neque hoc adeo mirandum, quia *capitularia*, quoad maximam partem, collecta sunt ex scitis ecclesiasticis. Enimuero in legibus *Salicis*, *Ripuariis*, *Alemannorum*, *Boiobariorum*, *Saxonum*, *Anglorum*, *Frisionum*, *Burgundionum*, *Longobardorum & Normanno-*

Nec eliminare potuerunt penitus vsuras,

quorum vsus seculo XIII. & XIV. docetur in Germania,

Non obstante iure Alemannico veteri,

capitularia tantum clericis vsuras prohibuerunt.

 manno-

mannorum veſtigia vſurarum prohibitarum non adeo deprehendi, vt probabile ſit, his populis vſuras accipere permiſſum fuiſſe.

Praxis vſurarum ſeculi XIII. & XIV.

§. XXVII. Verum propius accedo ad tempora ſeculi XIII. & XIV. oſtenſurus, iuris canonici placita in foris ciuilibus Germaniæ parum fuiſſe admiſſa. Prohibitum hoc tempore fuit, ne Iudæis vſurarum exactio lege publica permitteretur. *c. 12. 18. X. h. t.* Hoc tamen non obſtante Argentoratenſes in *ordinat. Iudaeor. de anno 1375.* hæc edixerunt: Item ſie mögen auch von allen unſern Bürgern und Bürgerinnen, die unter unſerem Stabe ſitzen, wöchentlich zu Wucher nehmen, von ieglichen Pfunde zweene Pfennig, von 10. Schilling einen Pfennig, und von 5. Schilling einen Helbeling und nicht mehr. It. Sie ſullent auch niemanne verſagen, der unter unſerem Stabe geſeſſen iſt, Pfennige auf Pfande zu lehende, umb ſo viel Wuchers ane Geverde, als dafür iſt. Ad manus eſt charta obligationis ſub *oſtagii* clauſula, Argentorati conſcripta IX. kal. Martii 1382. cui in fine hæc adiecta clauſula: *Et licebit etiam ipſis creditoribus vel eorum heredibus, ſtatim poſt lapſum dicti menſis huiusmodi, ſummam pecuniæ apud Iudaeos ſeu cawertſchinos* (h. e. creditores vſurarios, vid. CANGIVS *in gloſſ. voc. Caorcini*) *ſuper ipſorum debitorum vel eorum heredum ac ſucceſſorum ſuorum prædictorum dampnis,* VSVRIS *& intereſſe, iuxta* IVS *&* CONSVETVDINEM *ciuitatis Argentoratenſis accommodare & mutuo recipere. Huiusmodi dampna* VSVRIS *& intereſſe per ipſos debitores & eorum heredes ac ſucceſſores prædictos, in ſolidum vna cum ſorte principali ſoluendas & refundendas* &c. Anno 1376. ciuitates maxime Sueuiæ in *fœdus* illud *magnum*, quod vocarunt den groſſen Bund, coiuerunt, cui etiam paulo poſt Eſlinga certis conditionibus acceſſit, inter quas etiam hæc memoratur: Daß die Statte den von Eßlingen ſullent aufbringen und entlehen 5000. Guldin, daz ſu die habin nutz uff unſer Frowen tag Kertzwihen, der nun nechgſt kumpt, und was man Schadens oder Verzinſes von denſelben 5000. Gulden gebent wirdt, von demſelben unſer Frowen tag, der nu negſt kumpt aim gantzes Jahr, denſelben ſchaden ſullent alle Stette, die in dieſem Bunde ſeyndt, gemeiniglich haben. DATT *de pac. publ. lib. 1. c. 6.* Vtplurimum *vſuras* appellatione *damnorum* deſignarunt, vt oſtenderent, ſe *iuſte* & ex *cauſa optima* vſuras ſoluiſſe. Hac de cauſa pignorationes, hoc ſeculo adhuc permiſſæ & licitæ, non tantum ex cauſa *fortis*, ſed etiam *vſurarum*, licite fieri potuerunt, quod multis teſtimoniis chartisque huius ſeculi

h. e.

h. e. de anno 1301. probatum dedit DATTIVS *de pac. publ. lib. 1. c. 16. n. 97. seqq.*

§. XXVIII. Euidentiora vestigia occurrunt in *contractu antichretico*, etiam Germanis ante receptum ius Romanum vsitato, vi cuius creditori pignus frugiferum datum, cum facultate tamdiu fructus omnes ex illo percipiendi, donec solutum fuerit debitum. Iure *canonico* hoc negotium etiam reprobatum, quod fructus loco *vsurarum* percipiantur, *c. 4. & 6. X. de pignor. c. 32. X. de iurei. c. 1. 2. 8. 16. X. h. t.* quo non obstante, ab antiquis temporibus hoc negotium vsitatum & approbatum fuit. Id docet formula MARCVLFI apud BALVZ. *tom. II. capitul. form. 50. p. 463.* vbi agitur 1) *de pignore rei frugiferæ*, quod designat hæc formula: *propterea oppignoro tibi vineam proprietatis meæ in pago illo*, & 2) *de fructuum perceptione*, donec debitum fuerit redditum, his verbis significata: *& quomodo ipse fructus tantos annos transactos habueris & debito tuo tibi reddidero, cautionem meam per manibus recipiam, stipulatione subnixa.* Similis fere tenoris occurrit inter *formulas Sirmondicas num. 13. ibid. p. 475. Et pro huius merito beneficii oppignoro tibi locellum, rem proprietatis meæ, nuncupantem illum, situm in pago illo cum omni sua integritate vel soliditate. Ea vero ratione, vt quomodo iam dicti anni adimpleti fuerint, & tu fructus ipsius terræ per quinque annos tantos exinde collegeris, ego supra dictum debitum tuum tibi desoluam, & rebus meis vna cum cautione mea, de manibus tuis recipiam.* Quandoque loco *vsurarum* operas promittebant, per certos dies in singulis hebdomadibus præstandas, vt monstrat formula MARCVLFI *lib. II. form. 27. ibid. p. 421.* Quandoque etiam *in casu moræ* sese adstringebant debitores ad *duplum* reddendum, quo nimium modus vsurarum excedebatur *per form. 25. & 26. cit. l.* Atque hæ oppignorationum literæ, vulgo Pfandbrieffe, seculis maxime illis, quibus pontifices pro eradicando hoc contractu laborarunt, in viridi obseruantia fuerunt, tum a cæsare & statibus frequenti vsu approbatæ, vt indicant STRAVCH. *de oppignor. imper.* & I. GVNDLING *de iure territ. oppign.* tum etiam in priuatorum causis adhibitæ. Ne quidem ciuitates imperii ab hoc nexu liberæ erant, nisi speciali priuilegio munitæ. Tali rebus suis prospexit Francofurtum ad Mœnum per literas CAROLI IV. de anno 136.. apud LIMNAEVM *lib. VII. iur. publ. c. 16. n. 14.* Daß sie vor uns und des Reichs niemand Pfandbahr seyn sollen um einerley Sache, und wollen und sollen auch wir und das Reich keine Pfandbrieffe über sie geben, und ob wir Pfand-

Antichresis hoc tempore maxime vsitata.

Imo in casu moræ pœna dupli.

Exempla antichresium seculi XIII. & XIV.

Pfandbrieffe über sie geben, so sollen sie keine Krafft haben. CAROLVM IV. enim non tantum vectigalia, sed etiam ciuitates imperii oppignorasse, docent ALBERTVS ARGENTINENSIS apud VRSTISIVM *tom. II. p. 161.* & MVTIVS *lib. XXI. chron. p. 155.* Ante hæc tempora marchioni Iuliacensi ab Imperatoribus oppida nonnulla oppignorata fuisse, docet AVBERTVS MIRAEVS *in diplom. Belgic. lib. I. pag. 204. nouiss. edit. in fol. tom. I. pag. 220.* videlicet 1) oppidum Durense pro 50000. florenis, 2) castrum Werden, vulgo Käyserswerth, & telonium ibidem pro 39000. florenis. 3) Sculteria ciuitatis Aquensis pro 12000. floren. 4) oppidum Sinzeghe pro 15000. floren. cum omnibus & singulis eorum iuribus, honoribus & pertinentiis. Confirmauit has oppignorationes prædecessorum suorum CAROLVS IV. anno 1348. *cit. l.* his verbis: *spondentes & firmiter promittentes pro nobis nostrisque in regno & imperio successoribus, quod præscripta pignora præfato marchioni Iuliacensi ac suis heredibus non auferemus, nec ea cuicunque alii personæ obligabimus vel absoluendum vllatenus committimus, imo ea nos vel nostri successores, cum poterimus, debebimus absoluere, & pro nostra & imperii* PROPRIA PECVNIA *liberare.* Posterior clausula ideo adiecta, ne imperatores aliis facultatem reluendi dare possent. Idem quoque prospectum in CAROLI IV. literis oppignorationum de anno 1356. apud TOLNER. *in histor. palat. in append. diplom. pag. 110.* quæ simul indicant, possessores horum pignorum ab omni rationum de fructibus redditione liberatos fuisse. Alia *oppignorationum* exempla circa tempora indicata sistunt STRAVCH. *de oppign. imper. §. 28.* AVCTOR *act. Lindau. p. 485. 491. seqq.* BROVWER. *in annal. Treuir. ad annum 1321.* ANTON. MATTHAEI *de nobilit. lib. 2. c. 12.* SCHATEN. *in annalib. Paderborn. ad ann. 1350. 1355. 1366. 1377. 1391.* Priuatos etiam idem ius exercuisse, multis documentis de ann. 1385. seqq. probant AVCTOR *act. Lindaw. p. 694.* & Dn. de MEYERN in tr. vom sechsten Zinßthaler, quod eo minus in dubium vocari poterat, quia praxis publica imperii id permittebat. Præterea etiam hoc vsitatum fuit, vt creditori, qui sortem mutuo dederat, præstarentur vsuræ, etiam dextantes, iure *feudi*, quo creditor inuestiebatur a debitore tamdiu, donec sors reddita fuerit, quod SCHILTERVS *ad ius feudale Alemann. p. 135. sqq.* duobus documentis illustrat. Denique quandoque fructus fundi oppignorari tantum quoad certam quantitatem concedebantur creditori, quo ipso rationibus reddendis obnoxius erat. Sic comites Helfensteinenses ciuitati Vlmæ dynastiam suam oppignarunt ann. 1382.

hac

hac formula: verſetzen auch mit dieſem Brieff mit rechter nütz-
licher Pfandsgewehr unſere Herrſchafft ꝛc. Eodem anno aliis
iteris reſtricta eſt fructuum perceptio ad 12 pro 100, vt hæc formula
ndicat: Daß aber wir und unſere Erben deſto förderlich wieder zu der
vorgenennten unſerer Erbſchafft kommen, und die deſto baß geledigen
nögen, ſo haben uns die vorgenanten Bürgermeiſter, Rath und Bür-
ger gemeiniglich der Stadt zu Ulm mit guten Willen und mit wohlbe-
dachten Synen und Muth für uns und ſie und ihre Nachkommen, ſol-
che beſondere theure Freundſchafft und Liebe erzeigt und ge-
than, alſo daß Ihn und ihren Nachkommen von den ehe geſchriebenen
17000. fl. guter Ungar und Bohem aller jährlich nicht mehr zu beding-
ter Müntz werden und gefallen ſoll denn ie von 100 fl. beſondere der
vorgeſchriebenen Summen alle Jahr 12. fl. guter Ungar und Bohem
und dieſelben Gülden des jährlichen Zinſes und Nutzes ſollen auch eines
eden Jahres beſondere gefallen und verfallen ſeyn. Hæc conuentio
eo tempore eo magis iuſtificari poterat, tum quod limites vſuris non
eſſent præſcripti, iure *canonico* in totum reprobante *vſuras*, iure *ciuili*
autem nondum vbique recepto: tum quod creditori antichretico
omnes reditus deberentur, multo magis ergo ad certum modum re-
ſtricti; id quod debitores inſtar *beneficii* habuerunt, vt prædicta for-
mula indicat, de qua prolixius ex antiquitatibus actum eſt *tom. I. con-
ſult. & deciſ. P. II. arg. 36.* inſignem lucem huic cauſæ præbente.

Fundatæ ergo olim vſuræ fuerunt in conuentione.

§. XXIX. Hæc vſurarum fata per Germaniam effecerunt 1) vt
vſuræ non aliter exigi potuerint, quam *promiſſæ*, ſiue *palam* ſiue *oc-
culte* id fieret, veluti per *antichreſin*, *annuos reditus*, *ſecundum* emtio-
nem *ſub pacto de retrouendendo* vel *id quod intereſt*. In quo quidem
praxis Germaniæ antiqua cum iure Romano quoad *fundamentum* con-
venire videtur, vt tamen eius longe diuerſæ cauſæ ſtatuendæ ſint. *Iu-
ris canonici* diſpoſitio contra *vſuras*, quod eas penitus per Germaniam
eliminare non potuit, id præſtitit, vt demum *fide data* exigerentur,
maxime *iureiurando* corroboratæ, id quod olim vtplurimum fieri ſo-
lebat, vt eo arctius debitor conſtringeretur. Neque enim concilia
deſinebant, metu fulminis eccleſiaſtici laicos deterrere ab hoc com-
mercio, in Germania admodum vſitato, adeo vt in *concilio Vlmenſi de
anno 1267.* inprimis prouinciæ *Salzburgenſi* hoc vitio datum fuerit, quod
tam clerici, quam laici vſuras acciperent. Conf. *ſtatuta Salzburg.* de
anno prædicto apud LVNICH. *in cont. 3. ſpicil. eccleſ. p. 769. c. 4.* item

de anno 1490. ibid. p. 774. vbi adhuc antichresis, verum sine effectu, prohibita est. II) Inde quoque factum, vt vsuræ ad *certam quantitatem* publice haud potuerint restringi, si exceperis quædam statuta particularia, temporibus designatis condita. Maluerunt enim magistratus ab huiusmodi legibus abstinere, ne crabrones irritarent, interim tamen *ex commerciorum necessitate* vsuras permittere, & secundum illas iudicare, ceu per temporum diuersitatem demonstratum fuit de MEYERN *cit. tr.* III) Quia vero graues abusus eo ipso committebantur, quod vsuræ essent indefinitæ, & tamen e re Germaniæ esse, deprehensum fuit, publicis imperii legibus eas potius permittere, quam inani conatu eradicare, vtrique remedio publico prospectum est.

sed lege publica non determinatæ.

§. XXX. Etenim (1) *in rec. imp. de anno 1530. tit. 26. §. 8. & de anno 1577. tit. 17. annui reditus*, qui sunt palliatæ vsuræ, ad quincunces restricti sunt, contra *iuris canonici* dispositionem, quo illi maiori libertate gaudebant. (2) Præterea *in Recessu Imperii de anno 1600. §.* So viel num. *152.* cautum, vt in *mutuo* ob *moram* vsuræ *quincunces* peti possent sub colore eius quod interest, daß nemlich in dem vorgefallenen Streit, ob nicht in contractibus mutui, damit die Partheyen in puncto liquidationis an unsere Käyserl. Cammergerichte des langweiligen Processes enthaben seyn möchten, auch ietztgemeldte Cammergericht damit nicht überladen, ein gewisses loco interesse *a tempore moræ* zu statuiren und zu setzen, für billig erachtet, wenn der Schuldner *in mora restituendi* pecuniam mutuam ist, daß er seinen Gläubiger von derselben zeithero (der Vermuthung halber, daß der Creditor sein Geld von solcher Zeit anlegen, und zugelassener Weise zum wenigsten von hundert fünff wohl haben möge) das interesse zu entrichten und guth zu machen schuldig, welches wir uns auch also gnädigst gefallen lassen; so ordnen und wollen wir nochmals, daß solch interesse a tempore moræ erstattet, und derentwegen dem creditori 5. fl. von hundert bezahlet werden, oder aber dem creditori solche 5. fl. nicht annehmlich, sondern er vermeinen wolte, tam ex lucro cessante, quam damno emergente, ein mehrers zu fordern, daß ihm alsdenn sein gantzes interesse zu deduciren, gebührlich zu liquidiren und zu beschemen, und der richterlichen Bekäntniß darüber zu gewarten, unbenommen seyn soll. Hæc constitutio vsuras *pecuniæ mutuaticiæ* in casu *moræ* permisit contra *iuris Romani* dispositionem. Rationem huius nouæ legis in eo collocarunt proceres, quod verum interesse in *quincuncibus* deprehendi censeretur,

Tandem annui reditus ad 5. pro 100. restricti, & in mutuo quincunces permissæ in casu moræ,

tur, & præſumtio eſſet, creditorem poſt moram potuiſſe *quincunces* ex pecunia ſua lucrari, annuos reditus, tunc ad quincunces reſtrictos, emendo. Hoc modo *fundamentum vſurarum pecuniæ mutuaticiæ* vnice collocatum in *mora* videtur, quod *ius ciuile* non admittebat, eius fundamenti vero, quod *ius ciuile* aſſumſit, nulla fit mentio in conſtitutione prædicta. Vnde denuo lis orta fuit: Vtrum vſuræ etiam ex *pacto* ſeu *promiſſione* peti poſſint? Equidem BLVMIVS *in proceſſ. cameral. tit. 34. n. 105.* cenſet, nunquam vſuras aliter in Camera creditoribus adiudicari, niſi a tempore *moræ*, non etiam ſi expreſſæ promiſſæ ſint; id quod tamen rationem non habet. Eadem enim ratio, ob quam in caſu *moræ* vſuræ vſuræ permiſſæ ſunt, ſub titulo eius *quod intereſt*, easdem etiam admittit, ſi *pacto* expreſſe promiſſæ. Aeque creditor hoc in caſu, vt in *mora*, allegare poteſt, receptis approbatisque *annuis reditibus*, ſe potuiſſe *quincunces* quotannis lucrari ex quantitate centum thalerorum, ſi eam mutuo non dediſſet, adeoque eodem titulo, h. e. eius quod *intereſt*, ſibi illas deberi. conf. RVLAND. *de commiſſ. P. IV. lib. 6. c. 6. n. 14.* Imo iam ante R. I. de anno 1600. ſub titulo eius *quod intereſt*, maxime a temporibus MARTINI V., *annuos reditus* probantis, vſuras promiſerunt debitores, & inde iuſtificarunt creditores, quod, mutuo non dato, potuiſſent nummos ſuos ſub *annuis reditibus* elocare, & inde quincunces quotannis lucrari, quamuis de eo in iudiciis ex diverſis principiis litigatum fuerit, adeoque hoc vſurarum fundamentum varia fata habuerit, vt modo oſtendam.

vt fundamentum vſurarum primario in mora collocatum fuerit legibus imperii.

Imo etiam in conuentione.

§. XXXI. Ad minimum inde liquet, primum fundamentum vſurarum *ex pecunia mutuaticia* debitarum legibus imperii in *mora* conſtitutum fuiſſe. Alterum fundamentum, quod in *conuentione* conſtitui, infinitis obnoxium fuit ſcopulis in iudiciis imperii ſupremis. Quamvis enim in iudiciis Germaniæ inferioribus *vſuræ conuentionales*, non obſtantibus iuris canonici conatibus contrariis, in vſu manſerint; experientia tamen docuit, cameram Imperii a MAXIMILIANO I. erectam iuris Romani canonicique ſententiis, tamquam *iuris communis* normis, adeo ſeſe ſubmiſiſſe, vt ab iis ſeſe diuelli non pateretur, iuri canonico tamen in doctrinis, quæ *conſcientiam* tangere viderentur, primas detulerint partes, & hac de cauſa contra *vſuras conuentionales* pronunciauerint, vt ipſis cameralibus ſententiis adductis probatum dedit Dn. de MEYERN *cit. tr. §. 31. p. 112. ſqq.* Vſuras *moræ* vel ideo admiſerant, quod eis *iuris canonici* rationes non officere prorſus arbitrarentur,

Poſterius illuſtratur ex R. I. de anno 1654.

Quamuis camera de eo antea diuerſam ſententiam ſecuta.

 tur,

tur, ſed magis *verum intereſſe damni emergentis* & *lucri ceſſantis* continerent, prout iam ante obſeruatum, quod per receſſus prædictos confirmatum eſt. Quoniam vero vſuræ ex *ſtipulatu* debitæ in his intactæ relictæ, quas *ius canonicum* citra iuris fundamentum damnauerat, paulo tamen timidiores fuiſſe videntur in iis adiudicandis cameræ aſſeſſores, quamuis non ſimpliciter iis dicam ſcripſerint, ſed inter *dubia cameralia* easdem retulerint, vt literæ Epiſcopi Spirenſis MARQVARDI iudicis cameræ imperialis apud COTHMANNVM *vol. II. conſ. 52. n. 88. p. 19.* quas nouiſſime repetiit Dn. de MEYERN *cit. tr. p. 116.* teſtatum faciunt, ex quibus hæc adferre lubuit: Alſo haben wir auch nochmahls Bedencken gehabt, ohne der Röm. Käyſerl. Maj. und gemeiner Stände fernerer Erklährung in ſolchen und der Sachen Urtheil zu eröffnen und ergehen zu laſſen, ſonderlich in denen Fällen, da (wie gemeldet) auf der ſolution verſchriebener, gewöhnlicher Landläuffiger fünf von hundert oder auf die reſtitution vorlängſt erlegter ſolch fünff von hundert geklaget werden ſolte ꝛc. In ſequentibus fatetur prælaudatus iudex cameralis, vſuras *conuentas* non euidenter damnari in *receſſ. I. de anno 1530. & anno 1548.*, ſed tantum mordaces vſuras unziemlicher, ungewöhnlicher und unchriſtlicher Wucher. Imo ſatis prudenter addit, etiam contra ſanctiones iuris canonici conuentas vſuras *lege imperiali* approbari poſſe his verbis: Und ob nun gleich ſolcher Reichs-Abſchied in dem Verſtande denen geiſtlichen Rechten in etwas zuwieder ſeyn möchte, welche Rechte alle Zinſen und vſuras auch 5. von 100. zu nehmen verbiethen ꝛc. ſo iſt im Reich Teutſcher Nation nicht neu noch ſeltſam, daß aus erheblichen und beweglichen Uhrſachen auch zur Erhaltung Fried und Ruhe im Reich, etwas wieder die geiſtliche Rechte ſtatuiret und geordnet worden wäre: derohalben dann auch in dieſem Fall ein ſolches, als 5. von 100. zu nehmen, wieder gedachte geiſtliche Rechte auf ebenmäſſigen Uhrſachen im Reiche ſtatuiret und eingeführet werden kan. Quamuis vero pro vſuris conuentis decernere auſi haud fuerint ICti camerales, ſimul tamen actionem pro repetendis vſuris conuentis ſed ſemel ſolutis denegarunt, quamuis ius canonicum creditorem ad eas refundendas itidem compellat, cuius rei cauſas ſpeciales aperuerunt *in append.* apud Dn. MEYERN *cit. tr. N. 1.* Potuiſſent, me iudice, ſine vlla formidine & hæſitatione, *vſuras conuentas* admittere camerales, niſi auctoritas *iuris canonici*, commerciis infeſtiſſimi, obſtitiſſet, cum idem fundamentum *æquitatis*, quo vſuræ ex *mora* debitæ

bitæ in legibus imperii legitimatæ sunt, in *conuentis* vsuris occurrat, nec leges imperii consuetas vsitatasque vsuras vnquam damnauerint, sed tantum modum excedentes.

Sed hæc dubia sublata per R. I. de anno 1654.

§. XXXII. Hæc sine dubio causa fuit, quod in *Recessu Imperii de anno 1654. §. 174. vsurarum conuentarum* speciatim mentio iniici debuerit, vt omnis tolleretur dubitandi ratio his verbis: Anreichend die künftige Zinß und interesse, sollen von nun an dieselbige, sie seyn aus wiederkäuflichen Zinsen, oder vorgestreckten Anlehn herrührig und versprochen, iedoch nach Anweisung der Reichs-Constitutionen und weiter nicht als 5. pro 100. alle und iede Jahre in verglichenen Terminen ohnfehlbahr bezahlet, und im Fall des Saumsals auf blosse Vorzeigung der obligation per paratam executionem wieder den Schuldiger verfahren werden. Quis vero crederet, nodum in scirpo nihilominus quæsitum, & vsuris conuentis status controuersiam fuisse motam? Mox enim post publicatum recessum noui motus suborti, allegatumque, nihil hoc recessu noui iuris statutum, vetera potius retenta, vocemque Zinß de annuis reditibus capiendam, & alteram versprochen cum annuis reditibus combinandam, atque de *reditibus annuis* cum *pacto de retrouendendo* venditis intelligendam, ceu docent literæ apud Dn. de MEYERN *cit. l. p. 134.* quæ interpretatio tamen admodum contorta & plus quam captiosa est. Ad vtramque speciem enim pertinet prædicatum herrührig und versprochen, sicut hoc æque ad *annuos reditus venditos* ac ad *mutuum* quadrat, vnde non mirandum, hanc interpretationem duram asperamque in camera imperii reiectam, & ius *conuentis vsuris* dictum fuisse. Pariter leuidensis & nullius momenti sunt dubia, quæ mouit TEXTOR *in diss. XIV. ad dict. rec. §. vlt.* censuitque, non simpliciter *vsuras conuentionales* in verbis adductis probatas fuisse, quod textus loquatur *de mutuo non aliter, quam quatenus ex conuentione contrahentium certus statutus est solutioni terminus, quo lapso, quia debitor in mora est, mirum videri non debeat, si hinc obligetur ad vsuras, cum id quadret constitutioni de anno 1600.* Addit præterea: *quod si promissæ quidem sint vsuræ, non tamen certo aliquo solutionis termino, ibi putamus inspiciendo ius constitutionum imperii non currere vsuras, nisi a tempore moræ personalis, siue ex quo debitor congrue admonitus est de solutione.* Idque inde erui posse censet, quod dictus §. 147. necessitatem soluendarum *vsurarum conuentionalium* expresse restringat ad tenorem constitutionum imperii per verba: iedoch nach Anweisung der Reichs-Constitutio-

Remouentur dubia nouiter mota.

Dubia a Textore circa R. I. de anno 1654. mora removentur.

tutionum &c. Enimuero (I) *cit. §. 174.* generatim loquitur *de vsuris conuentionalibus*, quæ vsuris ex *mora* opponuntur, in qua nulla *conuentione* opus est. (II) Ex nullo indicio apparet, *cit. textum* disponere tantum de mutuo, cuius solutioni *certus terminus* præfixus est, quia huius circumstantiæ nulla iniicitur mentio. (III) Prouocatur quidem *in cit. tex.* ad *constitutiones imperii*, sed tantum quoad *quantitatem vsurarum*, vt verba ipsa declarant: Jedoch nach Anweisung der Reichs-Constitutionen und weiter nichts als 5. pro cent, alle und iede Jahre in verglichenen terminen, unfehlbahr bezahlet ꝛc. Hac de causa quoque factum est, vt secundum plerasque constitutiones prouinciales vsuræ æque *ex conuentione*, ac quidem *ex mora* in *pecunia mutuaticia* peti queant, adeo vt ipse TEXTOR *cit. l.* fateatur, moribus nostris vsuras deberi a tempore *conuentionis*, non tantum a tempore *moræ*. Alia fundamenta petendarum vsurarum hodie deficere videntur, æque ac iure Romano, adeo vt, cessante *mora* & *conuentione*, illæ nequidem ob *compensationem vsus pecuniæ mutuaticiæ* peti queant, quod *mutuum* sua natura gratuitum sit a parte *accipientis;* quamuis in aliis bonæ f. contractibus ex hoc fundamento vsuræ debeantur, vt in mandato, societate &c. quod mutuum simpliciter alicui dans officium humanitatis exercuisse credendus sit. vid. STRYK. *in Vsu mod. ad tit. de reb. cred. §. 10.* Exceptio tamen formanda est in eo creditore, qui ex munere publico, quod sustinet, geritque, veluti rei argentariæ præfectus, vel etiam negotiator, mutuam pecuniam dare; qui enim a tali nummos accipit, *tacite* vsuras consuetas promisisse præsumitur, vt recte ex *tacito* vel *præsumto pacto* peti possint.

(II.)

De vsuraria prauitate eiusque pœnis.

Legitimæ vsuræ. fœnus illicitum inter crimina refertur maiora, ex præiudicio iuris canonici,

§. XXXIII. Iustitiam *vsurarum legitimarum* exposui, quales sunt, quæ *intra modum* legibus præscriptum sese continent. His opponitur *fœnus illegitimum*, quod a legum tramite aberrat, & *crimen* peculiare constituit, in quo exaggerando interpretes magnopere excedere solent. In causa vtplurimum est, quod omnem huius criminis rationem secundum sesquipedalia verba & sententiarum ampullas, quibus *ius canonicum* vsurarum turpitudinem *in genere* depingit, æstimandam credant, quod *latrocinii* & *furti* nouas species his affinxit, vt nullæ intra legitimum modum percipi potuerint sine crimine, haud consideran-

ando, furtum in *volentem* non committi, nec *rapinam* ab eo fieri, qui *sciente* & *volente* accipit. Quidam etiam philoſophi olim *turpitudinem* quandam *moralem* in vſuris quæſiuerunt, ex fonte auaritiæ extremæ propullulantem. His annumero SENECAM *lib. VII. de benefic. c. 10.* rationes ita ſubducentem: *Video iſtic diplomata & ſyngraphas & cautiones, vacua habendi ſimulacra, vmbras quasdam auaritiæ laborantis, per quas decipiant animum, inanium opinione gaudentem. Quid enim iſta ſunt? quid fœnus & Kalendarium & vſura, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina? poſſum de rerum natura queri, quod aurum argentumque non interius abſconderit, quod non illis maius, quam quod detrahi poſſet, pondus iniecerit; quid ſunt iſtæ tabulæ, quid computationes, & venale tempus, & ſanguinolentæ centeſimæ? voluntaria mala, ex conſtitutione noſtra pendentia, in quibus nihil eſt, quod ſubiici oculis, quod teneri manu poſſit, inanis auaritiæ ſomnia.* Si his dictis ſubtrahis verba fucata & phalerata, mens eorum huc redit, α) vſuras naturæ iuri incognitas: β) ex auaritia natas: γ) voluntaria mala eſſe. Enimuero an hæc iniuſtitiam arguunt aut crimen? multa iuri naturæ incognita ſunt, quæ tamen ex *neceſſitate* inter homines introducta nec illi ſunt contraria. Si negotia, ex *auaritia* producta, damnanda ſunt, nullum commercium nec rerum dominia crimine carebunt. Denique ſunt quædam nobis ingrata, quædam acerba & amara videntur, vſu tamen non carent, præſtatque ea retinere, quam eradicare, quod incommoda penſentur vtilitate, quæ in *rem communem* redundat. ARISTOTELES vitium vſuris ineſſe credidit, ideo, quod eſſent contra *naturam*; nummus enim ad hoc minime inuentus, vt ſemet ipſum augeat, ſed vt aliarum rerum acquiſitioni inſeruiat. Merito tamen SALMASIVS *de vſur. p. 282.* explodit hoc argumentum, quod multa eſſent exterminanda, quæ præter vſum ordinarium ad alium adhibentur, commerciis eque inſeruientem. Veſtimentorum vſus ordinarius conſiſtit in tegumento corporis; quis autem tam ieiunus foret, vt negaret, hac de cauſa veſtimenta non poſſe in commercium deduci, & negotiatorum quæſtui inſeruire? Denique patres ex *lege diuina* & inprimis *Saluatoris* omnem vſurarum turpitudinem petunt, quos ſupra iam redargui. Nihilominus tamen PHILIPPVS MELANCHTHON tempore reformationis patres non deferendos eſſe cenſuit in reſponſo *anno 1553.* ſcripto: *vtrum vſuræ aduerſus ius diuinum ſint puniendæ, an tolerandæ in republica chriſtiana?* quod ex MSCto edidit ill. Dn. de LVDEWIG *tomo V. reliq.*

& quorundam philoſophorum, vt Senecæ,

Ariſtotelis,

& patrum, quos Philippus Melanchthon defendit,

reliq. p. 358. seqq. Iuri diuino easdem repugnare censet additque, CAROLVM V. in terris suis hereditariis edixisse, se actionem de vsuris denegaturum. In comitiis quoque de hac quæstione magnopere agitatum fuisse narrat, ob der Käyser Macht habe eine solche constitution zu machen, per quam videlicet ius de vsuris diceretur: vsuras quidem impunes, sed parum honestas esse: non omne inhonestum puniendum: aliter de *peccatis*, aliter de *pœnis* decernendum; adulterium puniri, non simplicem scortationem: vsuras peccato non carcere, sed non puniendas nisi earum excessum. His præmissis docet, quomodo *caute* edictum de *vsuris quincuncibus tolerandis* publicari queat in imperio, quæ æquitatis intra terminos essent constitutæ, legeque publica approbari possint &c. Ita ergo cum vulgo, vsuras cum *iure diuino* pugnare, credidit MELANCHTHON. Sed iuuabit eosdem quoque aperti erroris conuincere ex solida meditatione incomparabilis Theologi B. SPENERI, *P. II.* der Theol. Bedencken *c. III. art. 3. sect. u. p. 529. seqq.* vnde ad rem facientia depromam. Primo generatim iis satisfacit, qui doctrinæ noui testamenti vsurarum vsum aduersari sibi aliisque persuaserunt. Contrarium hoc demonstrat fundamento: Das Haupt-Fundament meiner Bejahung (daß Zinsen von aufgenommenen Geldern genommen werden können) ist dieses, daß wir nun kein ander Gesetze in dem N. Test., was die Pflichten gegen den Nechsten anlanget, haben, als das Gesetze der Liebe, das unser Königl. Geboth ist; und bleibet also allerdings wahr: alle Geboth seyn in diesem Worte verfasset: Du solt deinen Nechsten lieben als dich selbst, und so bleibet die Liebe des Gesetzes Erfüllung, und wer den andern liebet, der hat das Gesetz erfüllet. *Rom. XIII, 8. 9. 10.* welches wir im Neuen Testament in so viel mehrern rigor ansehen können, weil, was über dieses Geboth der Liebe in dem Alten Testament zur Regul der Jüdischen Policey weiter vorgeschrieben ist, uns nicht mehr angehet, sondern allein die Liebe übrig bleibet. Daher ist mir dieses eine beständige Regul, alles was nicht wieder die Liebe streitet, sondern vielmehr eine Uebung derselben giebet, ist uns Christen in dem Neuen Testament erlaubt. Nun unter diesem maiori lassen sich die angeführte und auf obige Arth eingeschrenckte Zinsen mit allem Recht begreiffen, und so sind sie uns nicht verbothen, sondern erlaubt. Illustrat hanc thesin his argumentis: 1) sind sie nicht wieder die Liebe, indem kein Schade iemanden dadurch zugefüget wird, sondern vielmehr, was einigen Schaden und Unbilligkeit in sich fassen

de anno 1542. vnde dubitatum in comitiis, an vsuræ tolerari queant?

Horum errores notauit iam Spenerus.

en möchte, durch obige Einschrenckungen bereits abgelehnet ist. De his conditionibus in antecedentibus plenius egerat, cum planum perspicuumque sit, quælibet negotia humana in abusum rapi posse. 2) Ist auch dieser contract so wol als andere, so in dem menschlichen Leben ohne einigen Scrupel gebraucht werden, eine Uebung der Liebe, quod fusius declarat & ex ipsis commercii publici penetralibus demonstrat. 3) Ist zu mercken, daß die Zinsen, wo man recht acht giebet, mit andern contracten in der That überein kommen, die gleichwol niemand denen Christen verbothen zu seyn oder wider die Liebe zu streiten achtet &c. 4) Diesem allen setz ich noch bey, daß diese gantze Materie, so die disposition über irdische Güter angehet, in der Obrigkeit Gewalt und Regierung gehöret. His positis, respondet ad loca ex sacris, quibus vsurarum præstatio impugnari solet. Inde vero infero, vsurarum conventioni nullum *per se* inesse vitium morale, sed ex *accidente*, per abusum, in hoc abire posse, quod etiam in aliis contractibus, quæ συνάλλαγμα habent, contingere facile potest. Sicuti vero ea, quæ *æqualitatem* in ceteris contractibus, *æquipollentem præstationem* desiderantibus, tollunt, læsionemque inducunt, non statim in *crimen* incidunt; ita mirandum est merito, quemlibet excessum statim *criminibus*, & quidem *grauioribus*, mox accenseri, quod factum nunquam fuisset, nisi *iuris canonici* intempestiuus zelus vsuris hanc maculam putatiuam & vmbratilem *in genere* aspersisset.

Conclusio pro iustitia vsurarum, & criminis exclusione.

§. XXXIV. Huic accedit nouum offendiculum, quod ius canonicum in hoc negotio duntaxat *crimen vnilaterale* constituat, docetque, *soluere* vsuras non esse crimen, sed eas *accipere*, adeo vt eas solutas debitores a creditoribus repetere possint, quod fieri non posset, si in *æquali turpitudine* versarentur contrahentes *c. 6. X. de iureI.* Sed obseruat SALMASIVS *de vsur. p. 601. seqq.* crimen, quod in *negotio vsurario* contineri creditur, vtrumque contrahentem tangere. *Profecto*, ait, *si fœneratio crimen est, ex eorum genere est criminum, quæ a duobus committuntur*, h. e. commune est inter *petentem* & *dantem*, sicuti adulterium commune est inter vtrumque. Qui petit fœnebre mutuum: qui sponte offert bessales vel centesimas vsuras, lucro insigni intentus, quod pecunia fœnebri acquirere cogitat, sollicitat alterum, vt sub vsuris mutuum det, & participet de *quæstu negotiatorio:* vterque *lucrum* intendit: hic ex *mutuo;* ille ex *negotiatione* per mutuum promota. An ergo vterque peccat? Negant; sed satis absurde, quia si lucrari ex mutuo delictum sapit; crimine non carebit,

Nam si crimen inest vsuris, æque dans ac accipiens delinquit.

qui alteri tale lucrum *ſponte* offert, ad mutuandum *ſub vſuris* ſollicitat, aureos montes promittit, & hoc modo pecuniam mutuam extorquet. Sed poſtea perfide agit, fidem frangit, & dolum, quem antea occultauerat, prodit atque manifeſtat. Sæpe debitores, qui nummos *hac eſca* quærunt, grauius peccant, quam qui vſuras accipiunt, a *ſtellionatu* haud alieni, quod creditorem, cui fidem iuratam de *vſuris ſoluendis* ſponte dederunt, ab initio decipere intenderint, ſcientes, in *foro eccleſiaſtico* creditores poſſe compelli ad vſuras ſolutas refundendas. *c. 6. X. de iurei.* Et tamen ſciens & *volens* ſoluit: *ſponte* promiſit, ſe ſoluturum, & ita damnum non ſentit, cum volenti non fiat iniuria. Qui immodice in aliis contractibus læditur, agere nequit, nec lædens plectendus, ſi læſus voluit lædi: ſi læſionem ſciuit, & nihilominus contractum iniit. Qui ſciens volensque vltra dimidium læſus eſt in emtione venditione, omni remedio deſtitutus eſt, cum *ſciens* non decipiatur ab alio, ſed a ſe ipſo; *l. 26. de R. V. l. 1. in f. de act. emt. vend.* neque vero lædens hoc caſu delinquit. Pariter iniuriam non patitur, qui alteri in ſocietate meliorem conditionem in *lucro* & *quaſtu* permiſit, nec ſocius, quia plures, quam debebat, *lucri* partes ex pacto ſocietati adiecto accipit, de iniquitate aduerſarii conqueri poteſt.

Remouetur dubium, quod debitor coactus in vſuras conſentiat,

§. XXXV. Ceterum, quod caput rei eſt, plerumque in eo vitium accipientis *vſuras inſolitas* collocant, quod debitores, qui pecunia alterius indigent, in *neceſſitate* & *indigentia* conſtituti, in quascunque conditiones conſentire & acerbiſſimas præſtationes ſubire cogantur, quibus ſubditi eneruantur, & ad incitas rediguntur, quorum conſeruatio tamen imperanti curæ cordique eſſe debet. Inde tales creditores improbi auarique piratis terreſtribus imo hirudini æquiparantur, quæ admota cutem niſi plena cruoris haud dimittit. In aliis contractibus, in quibus alter læditur, rariſſime contingit, vt ſciens volensque in læſionem conſentiat, cui minime ignoſcendum nec ſuccurrendum, ſi ſua voluntate detrimentum capiat. Aſt fœneratores *ſanguiſugæ* publice audiunt, facile inducunt debitores, nummos expetentes, vt vltra modum vſuras & promittant & ſoluant, nec tantum debitoribus, ſed etiam reipublicæ detrimentum afferant. Infinita alia ſunt, quæ fœneratoribus obiicere, & ad crimen eorum atro carbone notandum facere ſolent, quamuis pleraque a præconcepta opinione canoniſtarum deſumta; plurima etiam duntaxat *abuſum* vſurarum deſignent reipublicæ admodum noxium, ſo iederzeit im Reich groſſen Un=

abuſus a legitimo vſu ſeparandus.

Unrath und Verderben angerichtet, vt dicitur in *R. I. Spir. de anno* *1570. §. 83.* Vipelicet ſicuti neruus rerum publicarum in commerciis bene ordinatis continetur, hæc vero ſine *vſuris moderatis* finem obtinere nequeant; ita æque commodis ciuitatum officit, commerciis publicis inſignem adfert cladem, & interitum debitorum promouet, qui limites, moderatis vſuris præſcriptos, vel *directo* vel per *indirectum* excedit & ſic *in modo* peccat. Quocirca *in R. I. Ratisbon. de anno 1576.* *§. 112.* tales vſurarii contractus vocantur ein im Heil. Röm Reich hochſchädlicher umfreſſender Unrath, dadurch der arme Mann wieder göttliche und Käyſerliche beſchriebene Rechte zur äuſſerſten Armuth verurtheilet, bedrängt und gezwungen werde; item in *R. I. Francof.* de anno 1577. *tit. 20. §. 1.* dadurch das gemeine nothdürftige Volck, mehr denn jemand gnug rechnen kan, beſchweret, ausgeſogen und jämmerlich verdorben werden. Ad tales abuſus præcauendos determinatione legum ſpeciali opus eſt, pro varia tum *negotiorum* tum *perſonarum* qualitate, quam optime obſeruauit IVSTINIANVS in *l. 26. §. 1. C. de vſur.* ſuccincte & ſolide illuſtrata a CAROLO MOLINAEO *de commerc. & vſur.* *n. 54. ſeqq.* & imprimis *n. 62. ſeqq.*

Cum modus in vſuris ſeruandus, per leges determinandus.

§. XXXVI. Eſt ergo VSVRARIA PRAVITAS *factum illicitum, quo creditor modum a legibus vſuris tum ratione quantitatis tum qualitatis præſcriptum, ſiue directo ſiue per indirectum, dolo malo excedit, indebitasque accipit vſuras.* *Delicti* ſeu *facti illiciti* ſpeciem ſub *vſuraria prauitate* latitare, omnes facile concedunt, conſiderantes *pœnas* varias huic exceſſui impoſitas eſſe, mox referendas. Aſt tam *atrox crimen* minime ei affingendum, prout canoniſtæ ſomniant, qui, more phariſæorum, in *paruis* obſeruandis ad amuſſim ſolliciti, magis neceſſaria reſpuunt, & plus detrimenti adferentia prætereunt, ac negligunt. Præterea nec aſſentiendum interpretibus, ad *crimina eccleſiaſtica* hunc exceſſum referentibus. Nullum eſſe textum in toto iure pontificio, ex quo concludenter hoc colligi poſſe; aſſerit MOLINAEVS *cit. l. n. 155.* Nec ab hac ſententia recedit LEOTARDVS *de vſur. qu. 100. n. 78.* contenditque, æque de hoc crimine cognoſcere poſſe iudicem ſecularem, ac de *furto* & *rapina* cognoſcit, quamuis etiam vtrumque crimen *iuris canonici* pœnis ſubiaceat. *Mixtum* proinde hoc crimen eſſe docet CORVINVS *in aphor. iur. canon. tit. de vſur. n. 22.* vt vterque iudex de eo cognoſcere queat per *c. 1. 6. 20. X. de iurei.* *c. 2. 12. X. h t.* quamuis ſecularis *cenſuras eccleſiaſticas*, hoc in crimine præſcriptas, adhibere nequeat, quibus ſolus *eccleſiaſticus*, etiam contra

Inde demum naſcitur vſuraria prauitas, quæ tamen atrox delictum non eſt, nec eccleſiaſticum crimen, An mixtum?

tra principes & magistratus seculares, vtitur. Distinctione tamen opus est, atque tres species separandæ. Prima est, si ius vtrumque vsuras *in genere* damnat, quod exemplo patrii iuris sui illustrat LEOTARDVS *cit. l. n. 80.* quo casu *crimen mixtum* recte dicitur, quod vtroque iure pœnis subiaceat. Altera est, si *ius ciuile* regni vel prouinciæ vsuras ad *certam quantitatem* modumque permittit, & contractus secundum hanc formam initi sunt. In hac specie *delictum seculare* nullum committitur, sed duntaxat *ecclesiasticum*, inspecto *iure canonico*. Non posse principes seculares vsuras permittere, & leges ciuiles vsuras permittentes nullas esse, clamat cum curia Romana LEOTARDVS *cit. l. n. 79.* Verum inanes hos clamores post *reformationem* respuit imperium nostrum Romano-Germanicum, ceu antea tradidi, quæ etiam maiorem libertatem *per indirectum* prouinciis Catholicorum peperit. Leges imperii conditæ sunt non a solo Cæsare sed simul cum consensu statuum *ecclesiasticorum & secularium*: omnes æque in *vsuras moderatas* publice consensum dederunt, adeo vt in *foro ecclesiastico* repeti non possint, quæ ex legibus imperii perceptæ sunt. Dicuntur ergo tales vsuræ moderatæ *crimen*, reuera tamen non amplius sunt, quod etiam *status ecclesiastici*, harum solutionem vsumque permittendum esse, censuerunt. Neque facile fieri potest, vt hodie in suis prouinciis eas damnent, quas leges imperii legitimarunt, nisi *vsum commerciorum promiscuum* cum subditis suis tollere & eliminare velint. Tertia denique species vsuras *vltra modum* perceptas h. e. *illicitas* concernit, quas æque ius ciuile imperii ac ius ecclesiasticum notat, quod crimen itidem *mixtum* dici potest, cum vtrumque ius in eadem conspiret principia: restitutionem vsurarum præcipiat: in pœnis quibusdam conueniat; in nonnullis autem differat. Ast Protestantium in terris *vsurariæ prauitatis delictum* mere *seculare* est teste CARPZOVIO *in iurispr. eccles. lib. III. def. 2. n. 18.* imo teste praxi quotidiana. Quamuis enim *R. I. de anno 1530. tit. 26. §. 7.* vsurarios contractus ad mixta delicta adhuc referat in verbis: Damit allen Richtern, Geistlichen und Weltlichen gebietend, wenn solche wucherliche Contracte für sie bracht, daß sie dieselbe unwürdig, kraftloß und unbündig erklären und declariren; constat tamen, legem imperii prædictam eo tempore promulgatam, quo per totum imperium adhuc delictum, de quo edissero, *mixti fori* vbique iudicabatur, nec ita res Protestantium compositæ et sedatæ erant, vt certam de *vsu protestantium* regulam constituere licuerit, præsertim cum verba laudata tantum *supponant*, vtrumque iudicem

Licite permittuntur vsuræ in imperio,

etiam intuitu fori ecclesiastici,

illicitæ vsuræ demum fiunt per excessum vtroque foro punitæ,

inter protestantes mere seculare delictum est.

cem

cem de eo cognoſcere, non vero *iubeant*, *eccleſiaſticum* de eius cognitione haud eſſe excludendum. Hanc facilius illi adimere potuere principes Proteſtantes, non item ſeculares ſtatus Catholici, quorum in viribus haud eſt poſitum, vt eccleſiaſticorum iuriſdictionem reſtringere queant, quatenus *moderatarum vſurarum* limites exceduntur.

Corpus delicti huius conſiſtit in exceſſu.

§. XXXVII. Forma huius delicti ſeu eius *corpus*, vt ICti dicere amant, abſoluitur ipſo *exceſſu*, ſi vel in *quantitate* vel in *qualitate* peccatur. Prius contingit, ſi maiores quincuncibus creditores paciſcuntur vſuras, contra legum publicarum præſcriptum, easque indebite ſolui curant. Sola ſtipulatio non ſufficit, niſi etiam maiores ſolutæ, & a creditore exactæ fuerunt, adeo vt in dubio, quando non conſtat, vtrum illicitæ vſuræ vnquam exactæ fuerint, præſtet abſoluere quam condemnare reum, vt recte cenſet MEV. *P. 8. deciſ. 423.* & BERGERVS *in ſuppl ad elect. proc. crim. obſ. 19.* confirmat. *Perceptione* & *exactione* delinquit creditor, debitor vero & publicæ rei ratio læditur; non item *ſola promiſſione*. Pariter poſtquam moderatæ vſuræ approbatæ ſunt, non amplius delinquit, qui has exigit, quas etiam iudex adiudicare tenetur. Ipſe BENEDICTVS FINSTERWALDER *in obſeru. pract. archiducatus Auſtriæ ſuper. lib. II. obſ. 13. n. 1.* fatetur, *hodie illos demum eſſe vſurarios & fœneratores, qui vltra legitimum vſurarum modum vllo modo vel colore aliquid a debitoribus extorquent.* Neque enim tantum *vſuraria prauitas* committitur, ſi *directo* & *explicite* modus in quantitate exceditur; ſed etiam *interpretatiue*, vt MOLINAEVS *cit. l. n. 442.* loquitur, ſi vſuræ illicitæ teguntur & pallian-tur ſub alia contractus & conuentionis ſpecie, h. e. ſi in fraudem legis quid fiat, & exceſſus in vſuris accipiendis committitur, licet ille variis coloribus tegatur.

Si vltra quantitatem præſcriptam ſolutæ; etiam ſi palliatæ fuerint.

Ius canonicum mutui conceptum latiſſime extendit,

§. XXXVIII. Ante omnia tamen *ſpecies ſpuriæ* a *veris* & *genuinis* ſeparandæ ſunt. Spurias ius canonicum recenſuit, pluresque ſpecies ex errore aſſumto, quod quoduis lucrum ex *mutuo* peccatum ſit, finxit, imo, quod ridiculum eſt, *mutui* cauſam ad alios quoque contractus traxit, ex quibus nummi debentur, vt etiam vſuras ab horum præſepibus arcere poſſet. Regulam Chriſti pro norma huius doctrinæ conſtituerunt: *mutuum date, nihil inde ſperantes.* Ex hoc principio collegerunt, in ſolo *mutuo* quidem vſuras improbari, ſed *mutui* appellationem latius patere, & aliis quoque contractibus adeſſe, in quibus lucrum ex *nummis debitis* capitur, vel *mutuum* ſub aliis contractibus tegitur, quod in fraudem legum ſacrarum hoc excogi-

& applicauit ad depositum

tatum credatur. Equidem (1) *depositum pecuniæ in mutuum* degenerat, si ex postfacto *vsus* eius conceditur pro *vsuris*, quod *leges ciuiles* admittunt, iura canonica damnant, si vel *leuissima vsura* tantum percipitur, obseruante LEOTARDO *de vsur. P. 1. qu. 8. n. 19.*

ad emtionem,

(2) In *emtione venditione*, si pretium augetur ob temporis *dilationem*, emtori indultam, *mutuum vsurarium* adesse censetur, veluti si quidam merces comparant, quæ tunc vltra quinque libras non valent, & promittunt, se illis, a quibus illas merces accipiunt, sex libras soluturos esse statuto termino, venditores peccatum incurrere dicuntur, quod ob *dilationem temporis* pretium auctum sit, eique tacita insit vsura. Ita censuit pontifex in *c. 6. X. h. t.* & in genere in *c. 10. X. h.* negotiatores vsurarios esse iudicauit, qui merces suas longe maiori pretio distrahunt, *si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam si ei in continenti pretium persoluatur. Huiusmodi homines*, ait, *pro intentione lucri, quam habent (cum omnis vsura & superabundantia prohibeatur in lege) iudicandi sunt male agere, & ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum iudicio* (quod confessionarius exercet) *efficaciter inducendi.*

cum insigni efficacia,

Efficaciter seu cum *efficacia* admodum stringente inducuntur ad restituendum hoc lucrum, quod vocant, si iis denegatur absolutio, per *clauem ligantem*, maxime si iam extremum halant spiritum, qua denegatione nihil *efficacius* excogitari potest.

etiam per confessionarios exercenda.

Si enim non absolutus moritur, clauditur ei cœlum: honesta sepultura denegatur: offertorio pro anima indignus iudicatur, quæ res efficit, vt heredes facile induci queant, ad hæc lucra restituenda. Tam *imperiosa* est *potestas sacra*, qua etiam quilibet simplex *parochus*, & *monachus sacerdos* munitus est. Hoc ipso vero commerciis negotiatoriis insignem intulit cladem pontifex. Omnes norunt perspectumque habent, quid in negotiationibus præstet *pecunia parata*, quæ eius sint commoda & fructus insignes in negotiationibus. His priuatur, qui ad plures menses emtori, qui ex his mercibus rursus lucrum quærere intendit, fidem de pretio habere cogitur, in cuius compensationem augmentum aliquod addere pretio non *lucrum merum*, nec *vsuraria prauitas* est, sed *indemnitatis præstatio.*

Sed facilis hic est excusatio ab hoc crimine.

Imo interpretes quoque hoc agnoscere coguntur, & negotiatores ab hoc crimine absoluunt, si aliquod vltra iustum pretium accipitur ex ratione eius *quod interest*, vt GONZALEZIVS ad *c. 6 n. 6. h. t.* obseruat, quo ipso vero tota decisio pontificis, quæ tamen *generalis* est, corruit, quia negotiatores *semper* & *omni tempore* damnum capiunt, si ad

ad tempus de pretio fidem habere coguntur, iuxta vulgatum illud: *plus soluit, qui statim; minus vero, qui tardius soluit. l. 85. de solut. ff. 33. de act.* Secundum quid etiam GREGORIVS IX. in *c. 6. X. h. t.* hoc agnoscit aiens: *Ratione huius dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum & alias merces vendit, vt amplius, quam tunc valeant,* IN CERTO TERMINO *recipiat pro eisdem; si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.* Pretii augmentum ergo admittitur, si venditur frumentum, quod vendere dominus nolebat, quia pretii intensio, suadentibus id rerum circumstantiis, imminebat, cuius intuitu pretio addere augmentum licet. Quidni ergo idem licebit, si præsente pretio carere cogitur venditor, quod tamen in rem suam vertere potuisset? Idem nec hanc circumstantiam pontifex in adductis verbis omittit, ratus, ex *dilatione temporis* semper negotiatores damnum percipere.

§. XXXIX. Pariter (3) spuria species in *fœnore nautico* quæritur, cuius iustitia ob susceptionem periculi, quæ æstimabilis est, *l. 5. D. de fœn. naut.* omnium in oculos incurrit. Et tamen pontifex in *c. 5. X. h. t.* hoc quoque negotium damnat, aiens: *nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscepit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.* Sphalma typographicum in textu a GONZALEZIO adducto, in quo *negatiua* occurrit, commissum esse, ipsius interpretatio arguit, qua decisionem *affirmatiuam* ab iniquitate purgare studet. Me iudice legendum est: *vsurarius non est censendus,* quod arguunt verba: *eo quod suscepit in se periculum,* qua ratione omnem vsuræ labem abstergi forsan censuit pontifex. E contrario in *l. 5. D. de naut. fœn.* sensui tenebras offudit insertio *particulæ negatiuæ*: *si modo in aliæ speciem non cadit,* quæ lectio si retinetur, nullum adest *periculum* in allatis speciebus, cuius æstimationem tamen probat SCAEVOLA, vt recte obseruat SALMASIVS *de modo vsur. p. 350.* Ita vero vterque textus in eodem argumento vitium contraxit, quod in priori importune *negatiua* omittatur, in posteriori inseratur, vterque vero, lectione communi retenta, ab absurdo liberari nequeat. Admittit LEOTARDVS *P. 1. de vsur. qu. 23. n. 7.* hanc speciem, si *post perfectum mutui contractum* creditor cum debitore pactum de suscipiendo sortis periculo ineat, censetque vsuram hoc casu non adesse. An ergo vsuraria est conuentio, si ante perfectum mutuum tale pactum de susceptione periculi ineatur? quod censent ex decisione affirmatiue assumta *cit. c. 5.* cum hic casus tamen priori

Spuria species in nautico fœnore.

Teste ipso pontifice.

Lectio erronea l. 5. de naut. fœn. notatur.

Leotardi error.

priori æquipolleat, & ratio diuersitatis solida & perspicua dari nequeat. Si ergo pontifex hoc pactum *assecurationis* vsurarium censuit, nodum in scirpo quæsiuit, & commercia gentium admodum turbauit, interpretibusque ingens negotium fecit, qui *assecurationis* negotium ab hac labe purgare intendunt.

Spuria quoque species est in emtione sub pacto retrouenditionis.

§. XL. Ita vero (4) vix a censura, qua vexantur vsuras percipientes, immunis erit *venditio sub pacto de retrouendendo*, quam vtplurimum inire coacti, qui vsuras ex mutuo percipere, & in *antichresin* prædia accipere prohibiti sunt. Hoc negotium *iure gentium* permissum esse, omnes fatentur, nec ratio idonea adferri potest, quæ vitium huic conuentioni adspergat. Enimuero hoc negotium in suspicionem *vsurariæ prauitatis* & *mutui vsurarii* sub eo occultati, deduci facillime potest, si vnice audiendus est pontifex in *c. 5. X. de emt. vend.* & *c. 4. X. de pignor.* Quid enim? si *debitor* a *creditore* mutuam pecuniam rogauit, hic vero formidine pœnarum clericalium illam sub vsuris dare recusauit. Obtulit ergo debitor creditori prædium in antichresin; creditor vero, ne crabrones irritaret, etiam hanc conditionem abiecit. Obtulit denique debitor idem prædium creditori *vendendum sub pacto de retrouendendo* pro pretii quantitate, quam mutuam dare rogauerat. Accepit conditionem creditor, & prædium emit, vt quandocunque *a septennio vsque ad nouennium* redimere posset, & pretium acceptum offerre h. e. vt venditor non posset ante septennium nec post nouennium redimere, & ita per interuallum *biennii* tantum facultas pretium offerendi venditori integra esset. De integritate negotii dubitat nihilominus, quod in fraudem legis hæc conuentio fuerit inita & ad palliandas vsuras excogitata. Enimuero omnes facile largiuntur, α) *venditionem sub pacto de retrouendendo* per se improbari non posse, si *citra fraudem* negotium agitur, quod in dubio præsumitur: β) nec statim *fraudem* adesse, si recuso pecuniam sub *vsuris & pignore* mutuam roganti dare, paratus, emere rem pignori mihi oblatam sub *pacto de retrouendendo*. Illud enim inire impedior ex pontificum indiscreto zelo, adeoque prudenter ago, si hanc vito charybdim. Hoc negotium si offero roganti pecuniam mutuam, in *bona fide* sum, qui id agere intendo, quod leges permittunt. γ) Nec ex *pretii modica quantitate* negotio vitium inesse, vel *malam fidem* ementis arguere credo, cum talem læsionem admittat natura negotii, modo *dimidium pretii* non superet; quamuis etiam non desint, qui locum *legi 2. C. de rescind. vend.* in hac conuentione nequidem relinquant,

Quod ostenditur contra pontificis decretum.

quant, obseruante STRYKIO *de caut. contract. sect. II. c. 4. §. 30. in f.* cum BERLICHIO *P. II. concl. 1. n. 6.* δ) Denique nec *malam fidem* arguit restricta facultas redimendi, veluti ne *ante X. annos* pretium offerri queat vel *post vicennium* redimendi facultas ademta sit; quin enim tempus certum vel vt *terminus a quo* vel vt *terminus ad quem* adici possit, dubium nullum habet. Quin etiam ε) si vel maxime emtor vsuras consueuerit alias exercere, quod vrget pontifex in *c. 4. de pignor. in f.* non tamen emtio venditio sub tali pacto conuentio vsuraria censenda seu *simulatum mutuum vsurarium*, quia etiam huic integrum fuit, ex regulis prudentiæ aliud negotium, quod minus periculi habet, inire, & ex pecunia sua quæstum capere, quod hoc non damnent iura sacra.

§. XLI. Nihilominus tamen vbique fere talis venditio in foro in ambiguum discrimen deducitur, & sub nomine *mutui vsurarii simulati* impugnatur, quod ius canonicum ex variis signis illud in *suspicionem* deducere soleat, cui omnia intuta & suspecta, quod laicis familiare sit, vsuras ex pecunia quærere. Inde argumenta & signa conglomerare solent, ex quibus possit indicari, vtrum vera an *venditio mimica* contracta fuerit, quæ congessit sine iudicio BERLICH. *P. II. concl. 1.* In causa fuere pontifices, quod olim variæ aliæ conuentiones electæ, & mutuo vsurario prælatæ fuerint, quoniam per telum intempestiuum vsuris dicam scripserunt. Argumenta quædam saltim adducam, ex quibus BERLICHIVS venditionem talem *simulatum negotium* esse censuit. Sub *n. 10.* huc retulit casum, si probatum sit, venditorem pecuniam mutuam rogasse ab emtore, hunc vero mutuum dare noluisse, *nisi sibi reuera ille fundus pro illata quantitate, quam mutuam petit, cum pacto de retrouendendo vendatur*, quod causa originalis ad *mutuum* non *emtionem* fuerit directa. Verum admitto hoc quoad *debitorem* seu *venditorem*: quoad *emtorem* nego, qui mutuum olim ex *iusta causa* declinare poterat, vnde nil nisi meræ vexæ ipsi imminebant. Nec hodie, vsuris ex mutuo permissis, aliter iudicandum arbitror, cum etiam nulla securitas in *antichresi*, sub qua debitor mutuum rogauit. Qui enim prædium reluere intendit, plerumque rationes de *fructibus perceptis & percipiendis* exigere solet, quo ipso causa in lites inextricabiles deducitur experientia teste. Nulla ergo alia salus pro creditore superest ad debitorum malitiam auertendam, quam vt sub *pacto de retrouendendo* prædium emat, vel vt de prædio antichretico a debitore inuestiatur, quo a molestia inani red-

Hodie tamen hoc negotium suspectum est.

Ex iuris canonici principiis erroneis, & Berlichii autoritate.

Cum tamen hodie vsuræ permissæ.

dendarum rationum liberetur, quod exemplis illustrat POTTGIESER. capitaneus eruditus, in *tr. de pignore sect. II. c. 3. §. 18. seqq.* Pariter IDEM *n. 21.* fœneratitium contractum esse iudicat, si facultas redimendi *certo* circumscripta est *tempore*, ita vt in venditoris arbitrio non sit, nec ante nec post illud tempus prædium redimere, sed præcise in determinato tempore hæc facultas collocata fuerit. Fundamentum decisionis vnice in *c. 5. X. de emt. & vendit.* quærit, quod iam ante examinaui, ostendique, hanc restrictionem minime huic negotio repugnare, nec malam arguere fidem. Multo minus vsurarius contractus dici potest, cui pactum adiectum, ne intra certum tempus redemtio integra sit, veluti intra decennium. Id vero IDEM *n. 22.* aliunde non probat, quam ex *cit. c. 5.* quod tamen in ea versatur hæresi, antichresin quamcunque reprobandam esse, quam hodie per leges imperii recipimus. Idem enim pontifex in *cit. tx.* hoc negotium *simulationis* arguit, quod *antichresin* sub eo occultatam esse credat. IDEM præterea *n. 27.* vsurarium negotium censet, si facultas redimendi post certum tempus *quandocunque* venditori salua est, & res modico pretio vendita, quem casum etiam examinat MOLINAEVS *de vsur. n. 392.* atque egomet ipse antea eundem iam sub censuram reuocaui. Qui sub hoc pacto aliquid vendit pro viliori pretio, id sciens prudensque vendit, vt læsionem nullam allegare queat, quod sciat, hoc pacto adiecto, quo redimendi facultas quandocunque reseruatur, emtori necessitatem imponi, prædium post certum tempus restituendi, quod molestia & difficultatibus non caret, ob quas æquipollens pretium soluere non potuit.

Non obstante si vel maxime facultas redimendi certo circumscripta tempore.

§. XLII. Moris etiam olim fuit, facultatem redimendi restringere ad ipsos *venditores*, vt per alios, quibus illa cessa est, fieri non potuerit, vt supra *§. XXVIII.* obseruaui, quod itidem IDEM *n. 29.* vt argumentum *simulati contractus* inducit; sed sine iudicio. Cum enim dominium in hoc contractu transferatur, licet *limitatum & temporale*, interest emtoris, ne facultas redimendi, quæ molestias ingentes ipsi parit, alteri cedatur, qui facilius forsan rem reluere potest, quam ipse venditor, facultatibus destitutus. In oppignorationibus imperialibus hæc lex passim luitionibus & redemtionibus dicta est, vt monstrat POTTGIESER *de pignor. sect. III. c. 3. §. 2.* quod creditores scirent, Cæsares in concedendis huiusmodi iuribus faciles; in redimendis bonis imperii difficiles esse, quamuis, neglecta fide, quibusdam priuilegium de luendis bonis imperii dederint. Scissa per Germaniam

Nec nocet pactum, ne ab aliis quam venditoribus redimatur.

Præsertim quoad bona imperii.

niam religione in diuersas sectas, creditorum, reformato territorio, adhuc magis interfuit, ne ius redimendi aliis cederetur, quod hoc ipsum in necem introductorum sacrorum a diuersæ religionis consorte exerceri posset. Religionis magna vis, maxime penes illos, qui parum *religionis veræ & viuidæ* in corde gerunt, non salutem hominum sed *dominatum* in ea ambientes & sitientes. Præterea vero bona imperii oppignorata in magno pretio habita, vt creditores ægre ea paterentur redimi, ad minimum iuste vrgere possent, se ex *prærogatiua possessionis* extraneis redemtoribus præferendos esse. Quid? quod reluitionibus hisce a cessionariis attentatis hodie obex positus sit, tum in *capitulationibus Cæsareis* tum in *pace Westphalica*. Iam a temporibus CAROLI V. Cæsares promiserunt: Wir sollen und wollen auch Churfürsten, Fürsten und Ständen, ihre regalien ꝛc. Reichs-Pfandschaften (in *Caroli VI. capit. art. I.* additur: *secundum instrumentum pacis*) confirmiren, sie auch dabey als Römischer König handhaben und schützen, und niemand einig *priuilegium* dawider ertheilen, und da einige vor oder bey währendem Kriege ertheilet, so im Frieden-Schluß nicht approbiret, dieselbe gäntzlich cassiren und annulliren, auch hiemit *cassi*ret und *annulli*ret haben &c. Duplex clausula possessores horum bonorum imperii oppignoratorum tuetur; inprimis contra hos, qui ex *priuilegio* a Cæsaribus concesso bonis imperii reluendis studuerunt. Posterior prohibet, ne in posterum tale ius reluendi aliis vnquam concedatur; & priuilegia olim concessa rescindantur & pro rescissis habeantur; prior vero tuetur antiquos possessores secundum *mentem instrumenti pacis*, quod *art. V. §. 26. in f.* hoc de argumento ita disponit: quod ad *oppignorationes imperiales attinet, cum in capitulatione Cæsarea dispositum reperiatur, quod electus Romanorum imperator, electoribus, principibus, ceterisque statibus immediatis imperii eiusmodi oppignorationes confirmare, atque illos in eorundem tranquilla & quieta possessione defendere atque manutenere debeat: conuentum est, hanc dispositionem, donec consensu electorum, principum ac statuum aliter statutum fuerit, obseruandam esse, atque propterea ciuitati Lindav, nec non Weisenburgo in Noricis reddita sorte oppignorationes imperiales, ipsis ademtas, illico & plenarie restituendas.* Ex FERDINANDI II. cessione hæ oppignorationes ereptæ erant possessoribus ab *episcopo Eichstetensi* & HVGONE comite de MONTFORT, quæ illis rursus restitutæ, vt inde liqueat, pactum adductum magni ponderis, atque efficaciæ fuisse, vsuraria labe minime in-

Quibus hodie obex positus.

infectum; vt BERLICHIVS fibi aliisque perſuadere voluit. Addit IDEM *cit. l. n. 30.* etiam hoc indicium vſurarii contractus: *ſi ipſe venditor pendente reluitionis termino periculum in ſe ſuſcipit.* Enimvero ex hac clauſula contractus non *vſurarius* ſed *antichreticus* iudicandus, quem iura imperii non reprobant, licet rurſus *ius canonicum* eidem dicam ſcribat, quorſum plura alia eiusdem farinæ ſpectant, quæ admodum ieiuna ſunt, veluti, ſi iuramento hæc venditio confirmata: ſi verbum *reſtituere* adhibitum, veluti quod *reſtituto* pretio res ſit *reſtituenda*, quoniam hoc prædicatum *mutuo* proprium videatur. Quis vero ex his callidis interpretationibus vnquam tutus redderetur contra iniqua molimina venditorum, quæ ius canonicum & interpretes inſulſi iis ſuppeditarunt?

Quid ſi venditor periculum rei venditæ in ſe ſuſcepit?

§. XLIII. Species *genuinæ* vſurariorum contractuum, ſeu in quibus in *quanto* & *quali* peccatur occulte, enarrantur in *ordin. polit. Francoſurt. de anno 1577. tit. 17.* von Wucherl. *Contracten*, veluti (1) die acht hundert Gülden hinleihen, und doch in Kauf- oder Verſchreibungs-Brief 1000. fl. ſetzen laſſen, dadurch mehr denn 5. von 100. verzinſet werden. Non permittit mutuum, vt plus reddatur, quam quod numeratum eſt, quatenus in fraudem *legitimarum vſurarum* quantitas debiti contra veritatem aucta eſt. (2) Die um eine kleine Verſäumung der Zeit, ſo ſie der Bezahlung zu thun anſetzen, ein übermäſſig intereſſe fordern, mit der Haupt-Summe ſteigen und dieſelbige umſchlagen. Pertinet hic caſus ad priſcum morem, quo, vſuris damnatis, *intereſſe* petebant, & in caſu cuiuſcunque *moræ* illud determinabant, ſed debitorem hoc modo admodum grauabant. Ludebant in terminis, allegantes, ſe non *vſuras*, ſed *intereſſe*, petere, quod tamen (α) facti eſt, & probandum ex *lucro ceſſante* & *damno emergente*: (β) certam quantitatem quidem non habet id quod intereſt; ſed in *mutui* contractu in fraudem vſurarum adiicitur, vt decernit GORDIANVS in *l. 15. C. de vſur.* vbi damnat eiusmodi pactitium intereſſe additque: *forma iuris non patitur legem contractus iſtius vltra pœnam legitimarum vſurarum poſſe procedere.* Non nego quidem, ſpretis vſuris ordinariis, in caſu *moræ* intereſſe maius peti poſſe; non tamen aliter, quam ſi *probatum* fuerit, inſigne detrimentum moram debitoris attuliſſe creditori; aſt determinatio eius *quod intereſt* antecedenter facta, quæ alias *pœnæ* nomine venit, a labe vſuraria non eſt immunis, quod de damno emergente iudicari nequeat, antequam exſtiterit, adeoque ea determinatio, quæ tempore *numerationis* in

Species genuinæ vſurariorum contractuum enarrantur.

Si ſors augetur.

Si intereſſe in caſu moræ antea determinatur.

mutuo

mutuo fit, non poteſt non in fraudem vſurarum fieri. Vnde cum grano ſalis accipiendum eſt iudicium, quod in *ordin. polit. Magdeburg. c. LI. §. 1.* de vſuris hodiernis fertur: Daß die Zinſen von ausgeliehenen Geldern in ietzigen Zeiten nicht eigentlich wie Zinſen, (ex mente iuris canonici, quo vſuræ *merum lucrum* ex mutuo eſſe finguntur) ſondern als gebührendes *intereſſe* dem creditori gereichet werden, (quod his ipſis *indemnis* ſeruetur creditor, qui per aliquot menſes vel annos pecunia ſua carere cogitur; in eo enim quod intereſt, vera *indemnitatis præſtatio* latitat) maſſen der creditor ſein ausgeliehen Geld vor dem beſtimten Zahl-Termin von dem Schuldener nicht wieder fordern mag, ob ihm gleich eine Noth anſtieſſe, aus welcher er ſich mit dem ausgeliehenen Gelde, wenn er deſſen mächtig wäre, retten, und ſonſt ihm Nutzen und Vortheil ſchaffen könte. Non vero alia ratio etiam de iure Romano *vſurarum* fuit, mutuo ad certum tempus contracto, quam quod ante diem venientem æque vt hodie repeti & exigi non poterat; interim tamen adhuc vſuras, ab eo *quod intereſt*, ſepararunt ſedulo Romani, & hodie omnino hæc duo differunt, vt docet CARPZOV. *lib. IV. reſp. 50.* Quocirca qui aſſerunt, HODIE *vſuras non tam vt vſuras, quam intereſſe ſiue lucrum ceſſans peti deberique*, quam ſententiam colunt COTHMAN. *vol. 2. reſp. 52. n. 26.* FINCKELTHAVS *obſ. 40. n. 12. & 16.* CHRISTOPHORVS VON HAGEN *de vſu vſurar. c. 5. n. 163.* vnice capti ſunt ex *iuris canonici* figmento, quod in *vſuris* ſeſe reperiſſe, ex præiudicio autoritatis *pro patrum doctrina*, crediderunt. Somniant enim huius iuris interpretes, vſuras *merum lucrum* in mutuo, quod *gratuitum* eſſe debebat, ſpirare, non *compenſationem damni & lucri ceſſantis*, quod rectæ rationi & omni experientiæ repugnat. Qui vſuras percipit, *mercedem* pro vſu conceſſo, quo ipſemet carere debuit, & quem alter percepit, ſoluit, & ita ſemper in *compenſationem lucri ceſſantis & damni emergentis* vſuras creditor percipit. Merum lucrum ab omni *compenſatione* alienum remotumque eſt, nihilque adeſſe ſupponit, quod compenſari queat, quod tamen in *mutuo* nunquam deficit. Cum *laruis & ſpectris* itaque reuera patres pontificesque pugnarunt, aliquid impugnantes, quod deficit, illud vero admittentes, quod vbique adeſt in *mutuo*, i. e. vſuras improbarunt, ſub forma *ſpectri & apparentis monſtri:* approbarunt ſub ratione *compenſandi lucrum ceſſans & damnum emergens*, quæ ſemper adeſt. Eam vero non *vſuras*, vel *fœnus* dixere, ſed *intereſſe*; ſed ita *conceptus morales* turpiſſima confuſione corruperunt.

Vſurarum & eius quod intereſt differentia.

Vſuraria prauitas eſt quoque in mohatra.

§. XLIV. Pergo (3) ad aliam ſpeciem *vſurariæ prauitatis*: Daß etliche Getreide, Pferd, Tücher und dergleichen Wahre an ein Geld Kauff-weiſe angeſchlagen, und viel höher, denn ſolche Wahre immer mag werth ſeyn, und dadurch einen mercklichen groſſen Wucher zuwege bringen. Hiſpanico idiomate hic fucus *mohatra* vocatur, quando res pretioſa alicui venditur magno pretio, *mutui gratia*, ſeu vt inde pecuniam, qua indiget, quærat, dans vero ingens lucrum inde percipiat. In fraudem *vſurariæ prauitatis* vel prohibiti mutui, veluti ob SCtum Macedonianum, hoc negotium iniri manifeſtum eſt, quod ſub cenſuram reuocauit CASPAR ZIEGLERVS *diſſ. de contractu mohatra.* Parum autem refert, vtrum mutuum reuera contrahant, ſed loco pecuniæ numerandæ quoad maximam partem gemmas pro pretio ingenti in ſolutum dent, & nihilominus in chirographo debitorem indigentem fateri cogant, ſe duo millia mutua accepiſſe; an vero ſub velamine venditionis vſurariam prauitatem occultent, & ſcienter merces magno pretio alteri, qui *pecuniam mutuam* quærit, vendant, vt emtor inde qualecunque pretium corradere poſſit. Vtrinque intenditur ingens exceſſus in *vſuris*, qui merito in *ordin. polit.* reprobatur. Noua (4) ſpecies eſt, daß etliche ihr Geld hinweg leihen, und von hundert ein nemliches (h. e. vſuras conſuetas) und muß der Entlehner ihnen ein merckliches Dienſt-Geld, darum ſie doch zu dienen nicht ſchuldig ſind, verſchreiben, und ſolch Dienſt-Geld ohne Bezahlung der Haupt-Summe nicht auffſchreiben oder aufſagen dürffen oder mögen. Exiſtimarunt auari creditores, operas vel loco earum *pretium* vel *redemtionem operarum* exigi poſſe a debitore pro officio, quod in mutuando ſibi exhibetur, adeoque ſub hoc velamine quotannis vſurariam prauitatem exercuerunt. Parum ab his differunt, qui *honoraria* a debitoribus exigunt, vulgo Einſchreibe-Gelder: qui quotannis præter ordinarias vſuras *ex pacto* percipiunt fœnum, frumentum, aliaque ad vſum quotidianum neceſſaria. Succedit (5) hæc: Daß etliche Geld allein in Müntz (klein Geld) hinweg leihen, laſſen doch die Verſchreibung auf Gold ſtellen, vel quod hodie frequens eſt, qui numerant pecuniam in *qualitate deteriori* & ſibi ſtipulantur eandem in *qualitate meliori*, veluti an ſtatt Frantz-Geld oder Louis d'or Zwey-Drittel gut Geld, quæ magnopere ratione *qualitatis* differunt. Præterea (6) occulte his cuniculis fœnus improbum & mordax quæritur, wenn iemand eine nähmliche Summe Geldes vergeblich (hoc eſt gratis, vſuris haud ſtipulatis) hinleihen,

Si præter vſuras operæ promittuntur,

vel honoraria.

Si ſors reddenda in meliori moneta.

Si datio in ſolutum promittitur.

hen, aber dagegen der Entlehner ihm etwa eine grosse Wahr, und gantz in einem geringen Werth zustellen, darin sie ihre Haupt-Summe und einen grossen Genieß wol doppelt und dreyfach gewinnen. Ita per *dationem in solutum*, quæ ab initio in stipulationem deducta, id agitur, vt pro leuissimo pretio rem magni pretii acquirat, & vltra duplum pretio suo lucretur. Denique (7) etiam hoc pactum labe vsuraria laborat, wann einige ihr Geld verleihen mit diesem verbotenen Gedinge, daß der Entlehner zu vier Märckten (in quatuor nundinis successiue siue in vno siue in diuersis locis euenientibus) so sie ihm ernennen, ein nahmhafftes, (v. c. singulis nundinis 5. pro centum) darin verzinsen, oder Aufgeld geben muß. Sed infinitæ sunt imposturarum & fraudum artes, quæ ab auaris exercentur, quæ his speciebus in *ordinatione politica de anno 1577.* vel alias se constringi non patiuntur. Quid si illis *annuos reditus* venditos? quid si *montes pietatis* iis adderemus quorundam exemplo, qui tamen rem non ex vero æstimant? Sed de his speciatim agere iuuabit. Rectius forsan huc retuleris speciem in *l. 16. de vsur.* eosque, qui anatocismum *occultis artibus* exercent, h. e. in fine singulorum annorum nouas literas cambiales vel chirographum accipiunt super noua sorte, ex vsuris quoad maximam partem conflata, quod leges damnant.

Si singulis nundinis vsuræ promittuntur vltra modum.

Inprimis vero si anatocismus exercetur.

§. XLV. Licet vero ius ciuile Romanum *improbum* fœnus damnauerit, & actionem pro eo exigendo denegauerit, solutum vero condici permiserit; pœnam tamen, si *infamiam anatocismum* exercentibus impositam exceperis, vsurariis haud videtur imposuisse. De illo disponunt DIOCLETIANVS & MAXIMINVS in *l. 20. C. ex quibus causis infamia irrog.* aientes: *improbum fœnus exercentibus, & vsuras vsurarum illicite exigentibus infamiæ macula irroganda est.* Enimuero pœna olim non defuit, licet *collectio Iustinianea* eam non repetierit. In quadruplum olim eos condemnatos fuisse, testis est CATO *de re rustica ab init. Est interdum præstare mercaturis rem quærere, ne tam periculosum fiet, & item fænerari, si tam honestum fiet. Maiores enim nostri sic habuerunt & ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fæneratorem* QVADRVPLI. *Quanto peiorem ciuem existimauerint fæneratorem quam furem, hinc licet æstimare.* In *legibus* hoc posuisse maiores, CATO asserit, sine dubio leges duodecim tabularum intelligens, quibus sancitum, *ne quis vnciario fænore amplius exerceret*, teste

Ius Romanum non punit excessum in vsuris.

Nisi anatocismum infamia,

Olim etiam quadruplo.

TACI-

Iuxta LL. XII tabul.

TACITO *lib. XI. annalium c. 16.* Inde *tabulæ III.* hanc inseruit legem IACOBVS GOTHOFREDVS, *si qui vnciario fœnore amplius fœnerasit, quadruplione luito.* Accusatores horum reorum a quibusdam *quadruplatores* dictos fuisse refert ASCONIVS PEDIANVS *in diuinat. Cicer.* quod *conuicti quadrupli damnari solerent, vt aleæ aut pecuniæ grauioribus vsuris fœneratæ quam pro consuetudine.* In desuetudinem hanc legem abiisse, vel minime vsum eius incertum dubiumque fuisse, vel inde probabile est, quod VALENTINIANVS, THEODOSIVS & ARCADIVS in *l. 2. C. Theod. de vsur.* eam restituerint in futurum; ratione *præteriti* autem *pœnam dupli* sanciuerint; quamuis etiam hæc pœna IVSTINIANO displicuerit, vt huius legis compilatores in collectione sua non amplius meminerint. Grauior pœna in exercentes improbum fœnus constituta est in *ordinatione polit. de anno 1577. tit. 17.* quæ non tantum pactiones quascunque hac labe infectas annullat, sed præterea amissionem *partis quartæ sortis* decernit, diuidendam inter debitoris & creditoris magistratum, inferiorem iurisdictionem habentem.

Quæ restituta in l. 2. C. Th. de vsur.

Pœna ordin. polit. de anno 1577.

Atrocior pœna iuris canonici, quoad clericos & laicos, magistratus seculares, legislatores.

§. XLVI. Sicuti vero *iuris canonici* zelus intempestiuus in damnandis in genere vsuris omnem transgressus est modum, ita nec mensuram in pœnis decernendis iustam seruauit, cum tamen *magis offendat nimium quam parum. Clericos* ab omni officio & beneficio suspendendos esse, *laicos* vero *excommunicatione* ligandos esse iubet pontifex in *c. 7. X. h. t.* Manifestis vsurariis aditum claudit ad officia sacra & beneficia in *c. 11. de excess. prælat.* & beneficiatis pro re nata dispendium officii ecclesiastici minatur in *c. 1. X. h. t.* Magistratibus quoque & imperantibus, qui manifestos vsurarios tolerant, eisque publice fœnebrem pecuniam exercere permittunt, neque *alienigenas*, h. e. Iudæos, aliosque mox ex terris suis eiiciunt, imminet pœna interdicti, ciuitati vel reipublicæ *ipso facto* subeunda per *c. 1. h. t. in 6.* Sub pœna *excommunicationis* quoque prohibitum est, leges aut statuta de vsuris intra modum soluendis sancire, aut debitores per sententiam ad moderatas vsuras soluendas condemnare in *Clem. 1. h. t.* Pernicioso exemplo hoc modo restringere voluere pontifices legislatoriam potestatem, & leges imperantibus circa leges ferendas præscribere, qui conatus tamen in fumum abiit, & inanis fuit. Si per ambitiosos hos prælatos stetisset, *leges imperii* de moderatis vsuris soluendis latæ nullius fuissent valoris, quæ tamen, non obstante fulmine papali, vigorem suum constantem

ſtantem habuerunt. Neque vero hic *pœnæ canonicæ* ſubſiſtunt: plura mala adhuc delinquentibus deuoranda ſunt. Nam 1) in hoc luto decedentes ſepultura eccleſiaſtica tamdiu, donec de vſuris plene ſatisfecerint, priuantur, *c. 3. X. h. t. c. 2. h. t. in 6. clem. 1. de ſepult.* quod iam *tit. de ſepult. §. LV.* indicatum eſt. 2) Qui eos ſepulturæ eccleſiaſticæ tradere auſi fuerint, ab omni officio eccleſiaſtico ſuſpenduntur, *c. 3. cit.* et ſubiiciuntur pœnæ Lateranenſis concilii, contra vſurarios promulgatæ *c. 2. cit.* 3) Teſtamentis vſurariorum nemo intereſſe poteſt; imo 4) manifeſtorum vſurariorum teſtamenta *ipſo iure* irrita cenſentur *c. 2. cit.* 5) Ad *confeſſionem* non admittuntur, abſolutionis gratia indigni. 6) Omnibus interdictum eſt, *oblationes* ab iis accipere, *c. 3. cit.* ne forſan hi vltimum ducentes ſpiritum, iram ſacerdotum vel monachorum lenire attentent, et gratiam eorum expugnent; ob quam cauſam quoque teſtamentis omnis ſubtracta vis et efficacia, in quibus vt plurimum *pro anima* plura diſponere ſolent, haud accipienda, tanquam impuro quæſtu contaminata. 7) Non tantum ipſi vſurarii, ſed etiam *heredes* cogi poſſunt ad reſtitutionem, ita vt bona de vſuris comparata vendantur, et pretia eorum illis, quibus extortæ ſunt, reſtituantur. *c. 5. X. h. t. c. 9. eod.* Vnde 8) dominium earum rerum non transfertur in creditores fœneratitios, quas ob debitum vſurarum in ſolutum acceperunt, quia *titulus* deficit validus, obſeruante LEOTARDO *de vſur. qu. 35. n. 40.* 9) Scelere acquiſita dicuntur, quæ vſuris acquiſita ſunt, adeo vt, ſi quis in extremis fateatur, ſe, quicquid habet, ex vſuris quæſiuiſſe, filiis negetur iudicium familiæ herciſcundæ. *l. 4. D. famil. herc.* LEOTARD. *cit. l. n. 41.* 10) Si non extant, quibus extortæ ſunt vſuræ, vel ignorantur, *pauperibus* hic turpis quæſtus erogandus, *c. 5. X. h. t.* h. e. clericis, qui in ſenſu excellentiori pauperes cenſentur, vt *lib. III. tit. 34. §. 28.* ex confeſſione THOMASSINI obſeruaui. 11) Si de debitoribus conſtat, hi tamen *abſentes* fuerint, loci ordinario, aut eius vices gerenti, ſiue rectori parœciæ, in qua teſtator, qui de vſuris reddendis teſtamento cauit, habitat, aut ſeruo publico de ipſius ordinarii mandato idonee de reſtituendis vſuris cauendum, per quos abſentibus quæritur actio, quamuis alias nemo tertio valide paciſcatur *c. 2. h. t. in 6.* neque enim peccatum remittitur, niſi reſtituatur ablatum. 12) Quia fœneratores vt plurimum contractus vſurarios occulte ineunt, vt non facile de hoc ſcelere conuinci queant, ſuarum rationum codices edere actoribus compelluntur cenſura eccleſiaſtica; cum tamen alias rei non cogantur edere contra ſe documenta,

Denegatur ſepultura eccleſiaſtica, alioquin parochi puniuntur.

Teſtamentum non condunt, ab abſolutione et confeſſione excluſi.

Heredes ad reſtitutionem obligantur,

nec vſuris acquiſita diuidunt,

ſed reſtituenda vel pauperibus,

vel delatoribus.

Vſurarii tenentur ad rationes ſuas edendas.

Quandoque hæresin committunt.
etiam iudæi coercentur.

ta, maxime quibus de crimine conuinci queant. *clem. vn. verf. ceterum. h. t.* 13) Qui præterea, exercere vfuras, peccatum effe negauerint, vt hæretici puniuntur. *clem. cit. in f.* 14) Ad iudæos quidem hæc fupplicia applicari nequeunt, quippe qui *extra ecclefiam* funt; *per indirectum* tamen coerceri poffunt, dum chriftianorum confortium iis tamdiu fubtrahitur, donec de vfuris fatisfecerint. *c. 12. et 18. X. h. t.*

repetens vfuras tamdiu repellitur, donec ipfemet vfuras reftituerit.

15) Qui ad vfuras reftituendas agit contra fuum creditorem, quas tamen ipfe fuis debitoribus extorfit, audiendus non eft, nifi ipfemet prius reftituerit vfuras, quas ab aliis percepiffe nofcitur. *c. 14. X. h. t.* Eft ergo hæc exceptio litis ingreffum impediens, ad inftar *exceptionis fpolii*, vt refpondere reus antea non cogatur, quam actor de vfuris fatisfecerit. *c. 17. X. h. t.* 16) Etiamfi nullus accufator appareat, qui vfuras repetat, iudex ecclefiafticus tamen *ex officio* contra vfurarios procedere poteft.

(III.)

De annuis reditibus.

Annui reditus in fe ab vfuris differunt.

§. XLVII. Has fimilesque pœnas *ius canonicum* vfuris impofuit, a quibus tamen feparandos effe credidit (1) *annuos reditus* feu *cenfus:* (2) *montes pietatis.* Equidem *annui cenfus* per fe non funt *vfura*, fed variis ex caufis bonis rebusque imponi poffunt, quas illuftraui et retuli *tom. III. tit. 39. §. 108. fqq. p. 618. fqq.* Imo etiam *annui reditus* iure ciuili, et adhuc tempore IVSTINIANI, ab vfuris diftincti in *Nou. 160. c. 1.* fuere, quod indubium reddit *tit. D. de annuis legat. et fideic.* Etenim *annui cenfus* et *reditus* debentur *gratis* titulo *legati*, et legatario affignari poffunt vel ex fundo vel ex vfuris nominum. Ita contingere poterat, vt *præftatio annua* ex *nominibus* affignata, diuerfo refpectu *vfura*, alio vero *reditus annuus* effet, h. e. refpectu *debitoris* pro vfu quantitatis certæ ad teftatorem pertinentis *vfura*; refpectu *legatarii*, cui *annuus reditus* legatus, et ex his *vfuris* affignatus, *cenfus* vel *annuus reditus.* Neque enim hoc cafu ipfum *nomen*, ex cuius vfuris reditus *legatario* præftantur, ad huius proprietatem fpectat, fed *heredis* eft vtplurimum, qui curare debet, ne pereat, fed quotannis *vfuræ* præftentur, quo ex his *annuus reditus* legatario folui queat. Nihil frequentius etiam hodie eft, quam pio corpori legare *nomen*, et ex huius *vfuris* annuos reditus aliquot pauperibus affignare. Affignari etiam annui reditus per contractum poffunt de certo fundo poffefsori

ſori alterius ſundi, v. c. ſi quis promiſit de ſuo fundo *centum millia modiorum frumenti annua* præſtare prædiis Caii Seii, quæ ſpecies traditur in *l. 81. §. 1. D. de contrab. emt. vend.* ex quo promiſſo tamen duntaxat *promiſſor*, non *quilibet poſſeſſor fundi* obligabatur de iure ciuili, quod alioquin ſeruitus induceretur, iuri ciuili aduerſa. *l. 15. de ſeruit. l 12. de ann. legat.* Vnde palam eſt, *iure ciuili* annuorum redituum debitum ſeu onus *reale*, quod fundo inhæret, incognitum fuiſſe, et conſequenter *annuos cenſus redimibiles* ex prædiis præſtandos nouum prorſus eſſe inuentum, quod *ius canonicum* aſſumſit approbauitque.

Non fuere de iure ciuili onera realia.

§. XLVIII. Videlicet *tom. III. tit. de cenſibus p. 618. ſqq.* iam monſtratum iui, variis ex cauſis *cenſus perpetuos* bonis vel propriis vel alienis imponi de *iure canonico* potuiſſe, vt inſtar *ſeruitutis* iis inhærerent, quod a rationibus huius iuris non adeo abhorruit. Animaduerterunt enim; etiam iure feudali onera in *faciendo* conſiſtentia prædiis feudalibus imponi, imo etiam apud Germanos iam dudum in morem abiiſſe, vt variis præſtationibus prædia ipſa ſubiici poſſent. In *capitul. 8. de ann. 865.* apud BALVZ. *tom. II. p. 198. 214. terrarum cenſalium*, et rerum ad caſas Dei traditarum, *vnde cenſus ad partem regis exiuit antiquitus*, fit mencio. Pariter *cenſus de manſis* et rebus eccleſiaſticis ad eccleſias perſoluendis agnoſcitur in *capit. 2. de anno 853. apud Siluanum ibid. p. 64.*, item in *edicto Piſtenſi de anno 864. capitul. 2. ibid. p. 175.* et in aliis infinitis locis, diplomatibus, chartis, notitiisque, hic prætereundis, ne γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Quocirca a rationibus rei Germanicæ non abhorruit, *annuos cenſus* bonis imponere. Id vero absque *titulo* fieri non poteſt, nec quiuis ſufficit, ſed dominii ſimiliſue iuris acquiſitiuus neceſſarius eſt, vt legati, donationis &c. Ergo etiam titulo *emti* ius *percipiendi annuos cenſus* vel *reditus*, ſiue *ſimpliciter*, ſiue *ſub pacto retrouenditionis*, acquiri potuit, ſicuti eodem *titulo* ſeruitutum iura prædiis imponuntur. Hoc modo rationes ſubduxiſſe videntur, qui loco *mutui vſurarii*, in abiectiſſimam conditionem a clero deducti, *venditionem annuorum redituum* ſubſtituendam, e re ſua eſſe crediderunt. Vſuras ſibi ſtipulantes perpetuis expoſiti erant iurgiis in *foro eccleſiaſtico:* ni eas reſtituerent, fulmina episcoporum in ſe irritabant, omni ſpe honeſtæ ſepulturæ & participationis precum communium poſt mortem penitus priuati. Pariter moleſtiæ intolerabiles clericis, vſuras ex *mutuo* facientibus, impendebant, et tamen æque hi ac laici commercio pecuniam exponere rei familia-

Ad quæ relata ſunt iure canonico variis occaſionibus,

et iure Germanico.

Ex quibus principiis emtio annuorum redituum excogitata.

miliari conueniens docebant. Id vero ita suscipiendum erat, ne cuiquam suspicionem fictae contractus vsurarii initi darent. Si *antichreticum* eligerent contractum, vt fructus loco *vsurarum* perciperent, fructus quoscunque perceptos restituere debebant. Si hypothecam simplicem, in fundo radicatam, accipiebant, periculum fortunarum quidem non incurrebant, sed quaestum nullum percipiebant, quod debitor possessionem fundi retinuisset. Denique fundum ementes sub *pacto de retrouendendo*, ab omni naufragio forensi non erant immunes, suspecti potius de *mimica emtione*. Ergo aliud commercii genus excogitandum, sub quo secure, remota contradicentium caterua, pecuniam cum fortunarum suarum augmento in commercium deducere et ingeniosum quaestum inde facere liceret. Id vero commodissime tunc fieri credebant, si securitatem in re quadam, a debitore possessa, nummorum datorum nomine impetrarent, et simul quotannis reditus quosdam perciperent. Peropportune sese offerebat *ius censuum realium*, quod, titulo *emtionis* pretio idoneo soluto, comparari posse noverant, omnibus aliis modis, accessiones rerum suarum facientibus, praeferendum. Etenim hac via 1) vsuras damnatas latebris *annuorum redituum* occultabant: 2) ius illos percipiendi bonis imponebant ad instar alius oneris seu seruitutis: 3) titulum *emtionis venditionis* praetexebant, quo omnia iura acquiri solent, licito modo et iure permisso; nec enim huic negotio idem vitium, quod *mutuo vsurario* adscripserant, affingi posse credebant, iure gentium tam late patenti, vt nullo modo eradicari posset: 4) Germani praeterea eo promtius hanc viam eligebant, quod proxime ad ius pignoris pro nummis mutuatis constituti accederet. Huius interitus *iure Germanico* mutuum exstinguebat secundum *ius prouinc. Saxon. lib. II. art. 60.* pariter fundi interitus etiam iacturam annuorum redituum post se trahebat, sicuti quodlibet ius rei inhaerens per eiusdem occasum peribat. 5) Hoc commodum praeterea ex hoc negotio percipiebat debitor, quod fundi sui possessionem conseruaret, quam in *antichresi* in creditorem transferre cogebatur, aeque ac in *venditione sub pacto de retrouendendo.* Interim tamen 6) permissum erat venditori, hoc pactum etiam huic venditioni adiicere, quo bona sua ab hoc onere, restituto pretio, liberare posset. Inprimis vero 7) hoc modo ecclesiae, monasteria, et quaeuis corpora pia nummos suos quaestui exponebant, et hos annuos reditus *beneficii* nomine percipiebant clerici *maiores* et *minores*, vt excusatione *venditionis* tegerent

Ex ratione percipiendi quaestum ex pecunia.

gerent *perceptionem vſurarum*, quam reuera intendebant, et exſequebantur.

§. XLIX. In Germania hoc negotium iam dudum ante *concilium Conſtantienſe* inualuerat, ICtorum ſuggeſtionibus et commendatione aſſumtum, et pariter a clericis et laicis in vſum deductum, vt aſſeri prorſus nequeat, pontifices huius *cautelæ piæ* primos inuentores fuiſſe, licet, vbi ſemel in vſum deducta, omnem vim ſuam, quæ antea vacillauerat, a pontificum confirmationibus acceperit. Primus fuit MARTINVS V., qui anno 1420. *annuos* hos *reditus* emtos bulla ſolenni legitimauit in *c. 1. extrau. comm. de emt. vendit.* Quia enim venditores non ſine ratione emtoribus obiiciebant, ſub hac larua latere mutuum *vſurarium*, et inde redituum ſolutionem declinabant et tergiuerſabantur; cauſa hæc a clero et laicis quorumcunque ordinum diœceſeos Wratislavienſis ad pontificem delata, et ex his momentis iuſtificata fuit. Aſſerebant, (1) *a centum annis citra et ſupra et a tanto tempore et per tantum tempus, cuius contrarii memoria non exiſtit, in iisdem ciuitate et diœceſi ac partibus aliis vicinis hanc conſuetudinem rationabilem obſeruatam, præſcriptam, ac moribus vtentium approbatam, denique ad communem hominum vtilitatem introductam fuiſſe,* vt ſuper bonis ſuis vendere conſueuerint poſſeſſores *annuos cenſus, vt pro qualibet marca annui cenſus X. XI. XIII. XIV. marcæ aut plus vel minus ſecundum temporis qualitatem, prout ipſi contrahentes tunc inter ſe conuenerant,* perſoluerentur. Præterea (2) adducebant, *talem contractum emtionis venditionis per epiſcopos Wratislauienſes pro tempore exiſtentes, et eorum officiales, nec non per diuerſos dominos temporales locorum et terrarum, in quibus cenſus huiusmodi conſtituti exiſtunt, tanquam licitum et communi vtilitati deſeruientem ſæpius confirmatum pariter et approbatum fuiſſe.* In hoc altero fundamento parum ſine dubio profuiſſet implorantibus iudicum principumque approbatio, niſi etiam *epiſcoporum* et *iudicum eccleſiaſticorum* autoritas et concors ſententia acceſſiſſet. Atque hæc praxis iam vetuſta et ſeculo XIII. vſitata erat, vt ex diplomatibus oſtendit Dn. DE MEYERN in tr. vom ſechſten Zins=Thaler §. 15. *ſqq.* interim contradictionibus non carebat. Nouum (3) inde fundamentum petebatur, quod *ſuper huiusmodi cenſibus plurima beneficia eccleſiaſtica, collegia, canonicatus, prabendæ, dignitates, perſonatus et officia, vicariæ, altaria numero plus quam duo millia de expreſſo conſenſu et voluntate dominorum temporalium, ſub quorum territoriis dicta bona obligata conſiſte-*

In Germania hoc negotium iam ante concilium Conſtantienſe dudum inualuerat.

a Martino V. confirmatum,

1) ob diuturnum vſum,

2) ob epiſcoporum et magiſtratuum ſecularium approbationem.

3) ob fundationem beneficiorum,

ſiſtebant, erecta, dotata et fundata, authenticis eorundem dominorum temporalium literis, ſigillis ſigillatis et roboratis fore cognoſcerentur. Hæc ratio eo magis ſtringebat, quod annuis reditibus abolitis, de infinitis beneficiis actum fuiſſet, penitus alioquin ſupprimendis, ſi nulla huic negotio efficacia adſcripta fuiſſet. Denique 4) accedebat, quod venditores horum cenſuum ſe ad eorum ſolutionem *pœnis* et *cenſuris eccleſiaſticis* ordinariorum locorum ſe nonnunquam ſponte et libere ſubmiſiſſent, et quidam etiam his cenſuris ſubiecti fuiſſent, quod rurſus autoritati epiſcoporum grauem intuliſſet cladem, ſi huic commercio labes vſurariæ prauitatis inhæſiſſet. His de cauſis permotus pontifex contractus hos ab omni ſpurcitie vſuraria purgauit, eosque licitos et obligatorios eſſe cenſuit. Anno 1455. CALIXTVS III. eosdem nouo robore muniuit, in bulla relata in *c. 2. extrau. comm. de emt. vendit.* Paulo antea NICOLAVS V. anno 1452. ad inſtantiam ALPHONSI Arragoniæ regis in vtriusque Siciliæ peculiarem vſum et obſeruantiam bullam ediderat, quam prædictus rex in regno Siciliæ obſeruari mandauerat, relatam a LEONARDO DVARDO *in tr. de forma creandi cenſus ab init.* Inprimis celebris fuit duplex bulla PII V. de anno 1569. et 1570. et ab EODEM *cit. l.* repetita, et relata in *Bullario magno tom. II. p. 275. ſq.* in qua ſpecialius noua forma contra plures abuſus, qui irrepſerant, his cenſibus venditis data et præſcripta. Quia vero hæc in quibusdam a NICOLAI V. bulla, quæ in peculiarem regni Siciliæ vſum data erat, recedebat, GREGORIVS XIII. *anno 1574.* hanc denuo confirmauit, et PII V. conſtitutioni in hoc regno omnem vim derogauit. Tandem CLEMENS VIII. anno 1592. noua bulla, in *Bullario magno tom. III. p. 5.* relata ad exemplum PII V. cenſus ad ſeptem pro centenario nummo reduxit.

4) ob adiectam obligationem incurrendi cenſuras eccleſiaſticas.

Noua confirmatio Calixti III.

Nicolaj V.

Pii V.

Gregorii XIII.

Clementis VIII.

§. L. Mirandum eſt, pontifices hoc negotium ad ſuam reuocaſſe cenſuram; et licet vnice commercia publica et communia reſpexerit, orbem chriſtianum tamen ad hanc infantiam redactum fuiſſe, vt in ea prorſus eſſent ſententia, ſine pontificis approbatione hoc negotium licite iniri non poſſe. Facile vero apparebat, id ideo factum fuiſſe, quod plurimi *vſuras palliatas* ſub eo occultari non ſine ratione crederent, et emtores nullam ſecuritatem ſibi promittere potuiſſent, niſi curiæ Romanæ approbatio acceſſiſſet. Præterea primario clericorum commercium in emendis his reditibus conſiſtebat, quibus ſolis principum ſecularium edictis conſultum haud fuiſſet, ſi pontifex illi vim omnem ſubtraxiſſet. Neceſſaria ergo viſa fuit curiæ Romanæ deciſio,

Quænam ratio approbationem pontificis expetendi fuerit.

Quod palliatæ vſuræ ſub iis laterent.

cisio, cuius est, *ligare* et *soluere* h. e. decernere, vtrum actui peccatum adsit, an vero illaesa conscientia fieri queat. Hoc rerum omnium tumore, hac imperiosa ducuntur ambitione pontifices, vt omnium causas ex *causa peccati* ad suum reuocent arbitrium, et ita *legislatoriam potestatem supremam*, cui omnium imperantium legislatio subiecta est, per omnes terrarum tractus exerceant. Enimuero qui inter haec principia nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant, vt cum PETRONIO loquar. Nihilominus olim hae tenebrae oculos plerorumque obduxerant, vt negotia secularia etiam ab ipsis imperantibus, ALPHONSI Arragoniae regis exemplo, pedo papali subiicerentur. Audacius Germania hac in re egit, vt primo commercio horum *annuorum redituum*, deinde etiam *vsuris* ipsis, ceu dictum, leges daret, nec curiae Romanae, reformatione ingrauescente iam fractae, iram reformidaret. Illorum fundamentum non ex beneplacito papali, sed ex diuturno et communi Germaniae vsu petit, nec enormi licentia MARTINI V, in his reditibus admissa, se cogi passa est, sed quod sciret, latere anguem in herba, ad modum iustiorem eos reduxit. Ita enim in *reform. polit. de anno 1530. tit. 26. §. vlt.* ordinauit: Und nachdem die Wiederkaufs-Gülden allenthalben in Landen gemein seyn, so soll hinfürter von dem hundert nicht mehr denn fünf, wie gebräuchlich, gegeben und genommen werden. Und hinfürter die Verschreibung auf Wiederkauf, wie Wiederkaufs-Recht, beschehen, was darüber genommen, gegeben oder gehandelt, wollen wir dasselbe für wucherlich geacht und gehalten, und wie obgemeldt, gestraffet haben. Repetita haec sanctio et vlterius noua declaratione illuminata in *reform. polit. de anno 1548. tit. 17. in f. & de anno 1577. in f. tit. 17. §. 9.* Denique in *R. I. de anno 1600. §. 34.* emtori facultas data repetendi pretium datum in casu *morae*, in soluendis reditibus admissae, quae alias emtori in *reform. polit.* ademta erat penitus.

Et pontificis sit decernere de peccato.

Cum summo reipublicae detrimento.

Quamuis Germania audacius hic egit,

Et annuos reditus simpliciter approbauit,

atque noua ratione declarauit.

§. LI. Ita vero pontifices generale bellum indixerunt vsuris et quibuscunque contractibus, in quibus simulationum inuolucris tegitur foenus. Nihilominus tamen, per fucum apertum, locum relinquendum esse censuerunt *emtis annuis reditibus*, sub quibus quam festiue et lepide vsura contegitur. Honestiori nomine *emtionis* mutuum vsurarium texerunt, et colorem hunc annuis reditibus alleuerunt, quod non *vsura* sed *merx* vendita sint: non *accessorium*, sed *debitum principale*, vnde factum, vt rei communi his sub principiis fucatis

Sub his tamen vsurae teguntur.

Honestiori nomine emtionis,

Attamen grauiori sub incommodo.

catis fictisque grauissima vulnera inflicta, debitores vero non tam insigne rei familiaris naufragium ex *vsuris moderatis*, quam ex *annuis reditibus* perceperint, imo etiam tertii possessores grauissime afflicti, et hoc onere male habiti fuerint. Ne vero hæc nebula mentis perstringat oculos, sed veritati dictorum eo facilius omnes assensum præbeant, subtiliori trutina examinandæ sunt conditiones, quæ huic negotio ex natura propria vel insunt, vel ex pontificum decretis adesse debent. Bulla PII V. enim annuos reditus ab abusibus, quibus contaminati erant, reuocauit ad *æquiorem statum* conditionemque, atque eis circumdedit certos cancellos, extra quos egredi non possunt, vt illam fundamenti loco proponere necessum sit.

Quod Pius V. emendare studuit.

§. LII. Prima ergo annuorum redituum conditio est, *vt constituatur in re immobili vel quæ pro immobili habetur*; adeoque regulariter adesse debet *fundus præsens*, cui imponitur: si super *domo* demum *ædificanda*, perfectionem demum recipit contractus, ea ædificata, obseruante Cardin. de LVCA *tom. 10. tit. de censib. disc. n. 4. sqq.* Atque inde dicuntur *reales*. His opponebant *census personales*, qui constituuntur *in persona solius* censuarii seu *debitoris*, se obligantis ad censum quotannis soluendum per contractum emti venditi, quo nomine debitori iustum soluendum est pretium, FRANZKIO definiente *lib. I. resol. 1. n. 51.* Ad occultandas vsuras hoc integumento vtendum fuit, vt non *mutuum* contractum, non *vsura* in conuentionem deducta, sed *annuus reditus* pro certo pretio venditus videretur. Hi vero nimis aperte fucum, quo cooperti erant, prodebant, vt, *mutuum vsurarium*, sub hoc negotio latens, mox in oculos incurreret. Quia autem curia Romana tale *mutuum* penitus proscripsit, orcoque addixit, consequens fuit, vt tales reditus annui, licet noua induti larua, tolerari non potuerint, vt obseruat etiam DVARDVS *de forma creand. cens. §. 1. qu. 2. n. 5. sqq.* In Germania pax *vsuris* plenissime reddita, vt hoc sub inuolucro nummos elocare haud necesse sit, nisi quod clerici minores monachique in *foro conscientiæ*, vt aiunt, se non satis tutos arbitrantes, census hos nonnunquam præoptasse videantur. Equidem FRANZKIVS *lib. I. res. 1. n. 55.* inuentum hoc *iure canonico* vel *introductum* vel certe *approbatum* esse censet, quod, vsuris damnatis, auctis etiam clericorum ac monasteriorum opibus, consultum haud visum, pecunias possidere steriles, adeoque de medio cogitatum fuerit, nummos, interuentu tituli *emtionis*, in perpetuum in alterum transferre sub onere soluendarum quotannis pensionum, eosque nunquam

Census constituendo super re immobili.

Non super persona debitoris.

Personales ergo penitus proscripti.

Non iure canonico inventi.

ab

ab inuito repetere potuerint. Etenim 1) reditus hos veram *mercem* venditam, 2) penſionem vero annuam *pretium* eſſe dixerunt, imo 3) *emtionis* titulum efficere, vt pretium hoc nunquam a ſoluente repeti poſſit, quod tantum *mutuo*, quod reformidant, proprium eſt. Licet vero ius canonicum forſan occaſionem dederit, vt hunc ingenioſum quæſtum in locum *mutui* ſubſtituerent, aſſeri tamen nequit, eum *iure canonico* inuentum vel approbatum fuiſſe, quod tantum *reales cenſus* comprobauit. Etenim MARTINVS V. expreſſe mentionem facit annuorum redituum *ſuper bonis* venditorum, et hoc genus redituum etiam tantum ſuffragio ſuo confirmat CALIXTVS III. in *c. 1. et 2. extrau. comm. de emt. vendit.* PIVS V. vero expreſſius deſiderat, vt tantum *ſuper re immobili* conſtituantur, quo ipſo venditiones *annuorum redituum perſonalium* exeſſe iuſſit. In receſſibus imperii vero *ſimpliciter* et nulla facta diſtinctione disponitur von Wiederkauf=Gülden oder Zinſen, adeo vt in *R. I. de anno 1654. §. 174.* nequidem aliquod diſcrimen inducatur; quid? quod talia in illis occurrant prædicata, quæ primario *perſonalibus* conueniant, veluti in *reform. polit. de anno 1548.* es ſollen mit 100. fl. Haupt=Geld nicht mehr denn 5. fl. jährlicher Gülden, wie gebräuchlich, gekauft werden. Ipſa obligatio vocatur ibidem eine Güld=Verſchreibung: huic aliquando fideiuſſores *ſub obſtagio* ſe obligantes accedebant: ipſa *obligatio* alteri poterat cedi, non tamen imperio haud ſubiectis; exactio enim peregrinis ceſſionariis denegabatur, cedens vero ſortis dimidia mulctabatur, quæ omnia euincunt, *cenſibus perſonalibus*, creditoribus in Germania oppido familiaribus, leges datas fuiſſe. Neque ratio ſufficiens, eis dicam ſcribendi, aderat, quod *vſuræ quincunces* publica lege approbatæ, adeoque perinde videbatur, vtrum creditor ex nummis quæſtum faceret, percipiendo *vſuras mutuaticias*, an *reditus annuos emtos* perciperet, niſi quod *annuos reditus* vel ideo præferrent, quoniam *vſuris conuentionalibus* in foro vtplurimum grauiſſimum imminebat bellum, vt §. *XXXI.* notatum eſt. Quia vero *ius canonicum* vſuras abſolute orco addixit, cenſus emtos *perſonales* admittere non potuit.

Quod tantum reales cenſus probat cum Pio V.

In Germania tamen perſonales probati.

Quod vſuræ receptæ eſſent.

§. LIII. Alterum poſtulatum bulla PII V. in re *immobili frugifera* collocat, h. e. quæ fructus vel *naturales* vel *ciuiles* edit profertque, vnde cenſus depromi queant, vel in *natura* vel in *æſtimatione*, quod prolixius declarat DVARDVS *cit. l. §. 1. qu. 42. p. 250.* Etenim quia annuus reditus ex *re immobili* emitur, naturale eſt, vt ex re, quæ redi-

Cenſus etiam emendi ſuper bonis frugiferis.

reditus nullos fert, reditus quoque alteri assignari nequeant, quin potius mutuum magis velatur sub *emtione redituum* ex re, fructus ordinarios non ferente, quæ tunc instar *hypothecæ* censetur. Quocirca quoque necessum est, vt *sufficientes fructus* ferat, vnde reditus solui queant, quia hic adest obligatio *respectiua*, adeo vt, re exstincta, hæc quoque euanescat. Ceterum in quibus locis *reditus personales* non improbantur, huius requisiti non adeo habetur ratio, quod persona simul hoc casu obligari soleat. Tertium postulatum est, *vt res nominatim certis finibus designetur*, et ita *certa* sit: qui in genere ex bonis omnibus præsentibus et futuris venditur, magis *personalis* quam *realis* censetur, vt bona hypothecæ subiecta censeantur, adeoque vbi ille non toleratur, tum generalis quoque venditio inualida est. Hoc requisitum tamen nec MARTINI V. nec CALIXTI III. aut NICOLAI V. bullæ exigunt, vt obseruat DVARDVS *cit. l. §. 1. qu. 51. n. 9.* saltim eius mentionem non faciunt. Nouiter ergo PIVS V., ad præcauendos omnes contractus, qui speciem *vsurarum* et *hypothecæ generalis* præ se ferre videntur, constituit, vt eo magis formam veræ venditionis, et redituum, ex certis bonis percipiendorum, habeat negotium. Nihilô minus tamen quoad *regnum Siciliæ* bulla GREGORII XIII. permittit, vt constituto annuo reditui super certis bonis adiici possit clausula generalis *omnium bonorum*, vt hæc in subsidium teneantur, æque vt in *hypotheca mixta*, quæ partim *specialis* partim *generalis* est.

Quæ sufficientes reditus edit, et nominatim finibus designatur.

§. LIV. Quartum desideratum PII V. est, vt pretium in *pecunia numerata* constituatur, quod *venditio* sua natura desiderat: alios *titulos onerosos* excludit, veluti *permutationum*, quando loco *pecuniæ numeratæ* res pretiosæ, veluti gemmæ similesque, dantur, quod idem fucus, quem supra in *contractibus vsurariis* notaui, hic committi queat, obseruante DVARDO *cit. l. 1. §. 2. qu. 1. n. 9. seqq.* Neque sufficit, *pecuniam numeratam* in *instrumento venditionis* determinatam esse, sed præterea oportet, vt coram *Notario* et *testibus* NVMERETVR, nec antea, quam *soluto pretio determinato*, annuus reditus venditus censeatur, nec acquiratur emtori. Idem pontifex tamen in constitutione anno 1570. edita excepit casum *assignandarum dotium*, quando scilicet *annui reditus pro dote* alicui assignantur ex certis bonis, qui *numerationem realem* pecuniæ non desiderant. Præterea per se patet, hanc bullam non pertinere ad *legatos* vel *donatos annuos reditus*, qui cum his palliatis vsuris venditis nihil commune habent. Imo DVARDVS *cit. l. §. 2.*

Pretium debet constitui in pecunia numerata, et reuera numerari, Exceptis quibusdam casibus.

§. 2. *qu. 2. n. 41.* obseruat, census in iis terris, in quibus PII V. bulla non recepta, loco *pecuniae numeratae* aliam rem dari posse, quamuis tunc in *permutationem* degeneret, et vix *fraude vsuraria* negotium careat. Denique nec *datio in solutum* bona fide facta hac bulla sublata videtur, si venditor pecuniam ex quocunque alio contractu emtori soluere debuit, quae cum pretio recte compensari potest, docentibus IOANNE PONTAS *in dictionar. cas. conscient. sub artic. census cas. 2.* et DVARDO *cit. l. §. 2. qu. 8. n. 11. sqq.* atque hoc in Germania eo minus in dubium vocari potest, quod secundum *leges imperii*, non bullam PII V. decisiones formemus, illae autem *praesentem pecuniam* non praecise desiderent. Minime autem differri potest solutio pretii in aliquot annos, quod alioquin venditor annuos perciperet reditus interim *sine causa*, imo hic re vera quaestum maiorem, quam par erat, perciperet.

Pretium debet esse iustum.

§. LV. Primarium vero requisitum, quod *quintum* est, exigit *pretium iustum*, h. e. quod *lege* vel *consuetudine* cuiusque loci est determinatum, vt FRANZKIVS *lib. I. resol. 2. n. 27.* ex *l. 63. ad L. Falcid.* euincit. In Germania olim certa *legis* determinatio defuit, quin potius ex MARTINI V. bulla liquet, octo, nouem, vel decem nummos pro centum emi potuisse, quod ipse non improbat sed confirmat, vt qualitas *iusti pretii* magis illo tempore ex *conuentione partium* dependerit. GREGORIVS XIII. autem pretium iustum reduxit ad septem pro *centenario quolibet*, leges imperii ad *quinque* pro centum nummis, vt *vsuris* exacte conueniant. Hoc etiam suadet *l. 2. §. 1. D. ad L. Falcid.* vbi quidem *annuorum redituum aestimatio* reducitur ad *trientes vsuras*, seu quatuor pro centum nummis, quae *moderatae* tunc erant vsurae; sed non perpetuam legem haec decisio constituit in iis locis, vbi *vniformiter* certa lege vsurae ad certam quantitatem reductae sunt, quod factum est in Germania in *quincuncium vsurarum* determinatione. Ante illam per constitutiones imperii factam determinationem, in Germania annuorum redituum pretium pro diuersitate temporum laxabatur vel intendebatur, adeo vt ob calamitatem et difficultatem temporum, nummorum defectu laborantium, saepe pretium ad XII. pro C. excreuerit, prout chartae a Dn. a MEYERN in tract. vom sechsten Zinß-Thaler, adductae docent. Inde vero simul liquet, quam parum rei Germanicae consuluerint MARTINVS V. et CALIXTVS III., abolendo *vsuras* indistincte, et tales *reditus emtos* sine determinatione *iusti pretii* recipiendo. Hoc modo ex nummis suis bene peculati quaestum ingentem ad octo vel decem pro centum num-

quod non praecise ex triente aestimandum,

mis

mis solutis quotannis faciebant, vt tamen ne quidem *vnciarium fœnus*, in vno nummo pro centum exercere licuerit, quod insulsitate non vacat. De iusto et proportionato pretio, legis determinatione cessante, ex LESSIO optime rationes subducit LEONARDVS DVARDVS *de forma creandi census* §. 2. *qu.* 23. *n.* 11. aitque: *pretia censuum variantur pro locorum varietate habita ratione, vtrum in hac vel illa prouincia vigeat negotiatio: vtrum sit copia an inopia pecuniæ: si quidem negotiatio facit pecuniam præsentem pluris æstimare & census minoris: et inopia pecuniæ facit census vilescere.* Posterius tamen cum grano salis accipiendum. Si enim *inopia pecuniæ* vniuersalis adest, plures eam appetunt ad commerciorum vsus, census *maiores* vel offerunt, vel in eos consentire tenentur, atque inde vt plurimum contingit, vt census crescant, cum raritas *rei* vel *nummorum* pretium intendat.

Iustum pretium legis determinatione cessante.

§. LVI. Ceterum sub hac determinatione censuum, quæ legibus publicis facta est, haud comprehenditur (I) *census vitalitius*, cuius præstatio morte censuarii desinit, pretio penes venditorem manente. Hoc casu, habita ratione ætatis valetudinisque emtoris, etiam census ad 12 nummos pro 100. ascendere potest, quod susceptio periculi etiam pretium recipiat, et *emtionem spei* contineat. *l.* 7. *D. de naut. fœn.* 10. PONTAS *cit. l. cas.* 3. STRYK. *de caut. contr. Sect. II. c.* 1. §. 33. LEOTARDVS *de vsur. qu.* 49. *n.* 1. *sqq.* Assimilatur hæc *vitalitii census* venditio vsusfructus venditi rationi in iure omnino probati. *l.* 8. §. *f. de peric. et comm. rei vend.* Etenim si vsumfructum ex fundo meo tibi vendo, *incertum ius* vendo, quod ad breue exiguumque tempus durare, vel etiam longinqui temporis moram habere potest, pariterque morte interit. Nec *vitalitii census* venditi diuersa est ratio, nisi quod tantum partem redituum ex fundo, non omnes contineat fructus. Ceterum in quantitate huius census æstimanda primario ad *ætatem emtoris* respicitur, et, obseruante MARPERGERO *de montib. piet. c. XI. p.* 257. vt plurimum hac methodo vtuntur, vt infra XX annos constituti quincunces, intra XX et XL semisses, intra XL et LX bessales census accipiant; qui vero LX annum excesserunt, iuste duodecim nummos quotannis pro pretio centum nummorum petere possint. Illustrat hanc computationem specialius MARPERGERVS *cit. l. p.* 259. exemplo LVDOVICI XIV. in Gallia anno 1696. immensam hoc modo copiam pecuniæ corradentis, et emtores pro ratione diuersæ ætatis in septem classes diuidentis. Eundem fere finem habuit ordinatio FRIDERICI I, regis Borussiæ de anno 1698. ab

Sub determinato pretio non comprehenditur census vitalitius.

Quod declaratur ex vsufructu vendito.

Vbi ætatis habenda ratio.

ab EODEM *cit. l. pag. 279.* relata, quæ æque ac regis Galliæ methodus hoc ſingulare habuit, quod omnibus ex ſocietate illa mortuis cenſus demum finiatur, vno vero alteroue exſtincto cenſus eius reliquis accreſcat, et ita vltimus integrum cenſum, quem omnes antea perceperunt, ſolus capiat, ad exemplum iuris accreſcendi, in *vſu fructu* recepti et aſſumti.

§. LVII. Pariter (II) quidam ab hac determinatione eximunt *cenſum antiquum* pro pretio legali a venditore emtum, in alium pro minori pretio translatum. Finge, me pro pretio mille aureorum comparaſſe ex prædio Luciliano quinquaginta aureorum cenſum annuum: eundemque cenſum pro 800 aureis poſt plures annos Sulpitio rurſus vendidiſſe; palam eſt, emtorem vltra *ſemiſſem* cenſum lucrari. Qui in hac hæreſi ſunt, ſupponunt, venditorem non aliter læſum dici, quam ſi ne quidem dimidium iuſti acceperit pretii ex ratione, *l. 2. C. de reſcind. vend.* nec *determinationem* pretii *legalem* ad hanc antiquorum ſed tantum ad *primam venditionem* nouorum cenſuum pertinere, qua cenſus conſtituitur: per ſecundam venditionem non conſtitui, ſed iam conſtitutum cenſum duntaxat in alterum transferri. Titubat in hoc argumento quodammodo DVARDVS *cit. tr. §. 2. qu. 25.* cum tamen conclamatum ſit, rationem *l. 2. C. de reſc. vendit.* non pertinere ad rerum pretia, præciſe et *ad punctum* lege conſtituta in fauorem venditorum, eandemque rationem *vt plurimum* eſſe poſſe in emtione *cenſuum antiquorum* iam conſtitutorum, quæ deprehenditur in emtione nouorum. Accedit, quod cenſibus et vſuris in legibus imperii idem ius datum, colore quodam externo tantum inter ſe diſcriminatis, adeoque etiam in redemtionibus cenſuum *legis Anaſtaſianæ* prouiſio *ſuo modo* attendenda ſit, quæ non permittit, vt poſſit emtor nominum plus vſurarum nomine exigere, quam habita ratione pretii, quod ſoluit, ſi cenſus ſunt *liquidi*, et in tuto collocati: in *illiquidis* et periculo amittendi ſortem expoſitis ceſſat lex Anaſtaſiana, eosque propter *periculum imminens* viliori pretio emere licet, æque vt in nominibus venditis hoc permiſſum eſt. Breuiter: omnes exceptiones hoc quoque caſu recipiendæ, quæ *legi Anaſtaſianæ* obiici poſſunt. In hoc enim longe diuerſa eſt ratio cenſuum *conſtitutorum* et *conſtituendorum.* Qui nouiter cenſus pretio interueniente conſtituit, ſibi ſuisque rebus proſpicere, eosque in ſecurum locum deducere poteſt; qui cenſum vero iam olim conſtitutum ab emtore per *ceſſionem* impetrat, in ea qualitate, in qua iam eſt, illum ſuum facit, omnibus exceptionibus, quæ cedenti opponi

Nec huc referri debet cenſus antiquus viliori pretio venditus.

Quod dubiis non caret.

Ob legis Anaſtaſianæ exceptionem.

poterant, expositus. Quid itaque, si census bonis fere destructis inhæreat? quid si difficilis eorum sit exactio ob potentioris possessoris resistentiam? quid si tempore belli vel alius calamitatis publicæ prædiorum reditus decreuerint in tantum, vt census percipi nequeant? iniquum foret, emtorem census tam periculosi ad idem pretium soluendum cogere, quod ab initio pro censu in tuto collocato loco solutum est. Denique consuetudinem locorum admodum frequentem et longo vsu roboratam esse fatetur DVARDVS *cit. l. n. 27.* census *antiquos* viliori pretio acquirendi, quod venditor horum censuum vtplurimum *emtorem* et *paratam pecuniam* quærat, cuius *penuria* æque *antiquorum censuum* venditionem impeditam reddit, ac quidem ceterarum rerum, atque ita naturali ratione pretium minuit.

Si excessus in pretio, contractus non in totum annullatur.

§. LVIII. Ceterum si viliori pretio census *nouus* comparatus est, vtpote vt bessales pro pretio centum thalerorum quotannis præstentur, contractus idem vitium habet, quod in *excessu vsurarum* latitat. Inde tamen minime consequitur, vt quidam arbitrantur, contractum esse in totum nullum et pensiones perceptas in sortem esse computandas. Qui tam crude ratiocinantur cum FELIC. *de censibus tom. I. lib. 2. c. 9. n. 12.* argumentum ducunt ab *vsuris prohibitis*, et in totum damnatis iure canonico, quas in casu adducto duntaxat in venditione censuum quærunt, indeque concludunt, negotium tale esse mere vsurarium, et id, quod in *vsuris* constitutum est, hic quoque recipiendum esse. Enimuero hæc cruda consequentia haud stringit, quod (1) damnatis licet vsuris, emtio censuum tamen approbata et publicis legibus agnita, adeoque *excessus* tantum in vitio ponendus sit. Id quod legitimum censuum modum excedit, haud debetur, et hoc demum quatenus solutum est, vel ex *capite indebiti* repeti, vel censu redemto a venditore, in pretii partem imputari potest. (2) Vsuris per legem publicam probatis, res hæc faciliorem adhuc habet exitum, quoniam tunc eundem, quem vsuræ, habent modum, vt in imperio nostro. Sicuti vero in vsuris, quod illicitum est, tantum detrahitur, *l. 8. C. si certum petat. l. 26. in f. C. de vsur.* ita idem iudicium de his censibus, sub quibus vsuræ colorantur, ferendum, vt recte censent GAILIVS *lib. II. obs. 5.* GOMES *de censib. concl. 30. n. 10. sq.* FRANZK. *lib. I. res. 2. n. 67.* MARTINI *de cens. c. 5. n. 26. sq.* Id facile largior, in emtoris arbitrio hoc casu non esse, vtrum velit pretium repetere, an vero quod iusto pretio deest, supplere, aut censum ad iustum reducere pretium, quam optionem *l. 2. C. de resc. emt. vendit.* alias concedit læ-

Sed vt indebitum condicitur.

dentem

denti: etenim hic adeſt *pretium legale*, imo negotium prohibitum, in quo, quod contra leges promiſſum, nullum ipſo iure, et reductioni ad iuſtum pretium locus eſt. Aliud ſine dubio dicendum, venditore vltra *legalis pretii* determinationem ſoluente, veluti pro cenſu quatuor nummorum centum dante; pretium enim hic lege publica determinatum eſt in fauorem *venditoris*, qui reuera *debitor* eſt; ſicubi autem minores ſtipulari vſuras omni iure licet, ita quoque minores cenſus pro pretio maiori comparare integrum eſt.

Hinc anticipatio conventa cenſuum prohibita.

§. LIX. Quia vero variæ fraudes in hoc negotio quoque ad palliandum exceſſum committi poſſunt, merito PIVS V. damnauit *anticipatas ſolutiones cenſuum*, in quo *ſexta conditio* poſita eſt. Anticipatio pretii nihil vitii in ſe continet, quia in ea non læditur venditor, pretium, *ſine perceptione cenſuum*, recipiens. Aſt *anticipatio cenſuum* vitioſa eſt, in fraudem legis excogitata, quæ *in effectu* minuit iuſtum pretium, cum minus ſoluat, qui tardius ſoluit. Eſt autem *anticipatio* damnata, quæ *per pactum*, antequam dies venerit, promittitur. Cenſus regulariter debentur in *fine anni*, quamuis *legatum annuum* ab initio anni, ex quo teſtator mortuus eſt, debeatur, quod eius dies cedat a tempore mortis, quod initium cuiusuis anni conſtituit in poſterum. Hæc ratio vero ceſſat in *emtis annuis reditibus*, qui ob *pretium ſolutum* percipiuntur, adeoque æque, vt in vſuris, neceſſe eſt, vt venditor per annum eo vſus fuerit, antequam intuitu eius quid percipere liceat. Quodſi ergo ab *initio anni*, vel pro aliquot annis futuris penſiones percipiuntur, *anticipatio* committitur, æque vt in vſuris damnata. Diſtinguit tamen non ſine ratione DVARDVS *cit. tr. §. 3. qu. 5. n. 5. ſeqq.* inter cenſum *fructuarium* in *fructibus* præſtandum, et *pecuniarium* in *pecunia* percipiendum, quod regulare eſt. Ille ex voluntate præſumta contrahentium ex *fructibus collectis* conſtitutus cenſetur, adeoque ſi in *frumento* conſiſtit, *tempore triturationis*, vel *vindemiæ*, ſi in *vino*, et ita porro, ſoluendus. Aſt *pecuniarius cenſus* ſolvendus in *fine anni*, cuius terminus ex die contractus æſtimandus eſt, niſi ſolutio ad *ſemeſtre ſpatium* reſtricta fuerit, quod æque vt in vſuris recipiendum merito eſt. Pariter ſicuti huius pretium per leges ſolet determinari, ita quoque idem de *cenſu fructuario* intelligendum, cuius æſtimatio ex collatione aliquot annorum retro elapſorum colligi vtplurimum ſolet. FRANZK. *lib. I. reſ. 2. n. 52.*

Cum cenſus debeatur in fine anni.

Niſi in fructibus conſtitutus ſit, qui debetur collectis fructibus.

Improbatur pactum de ca-

§. LX. Sed, quod *ſeptimum momentum* eſt, alias præterea conuentiones, fraudis quid ſpirantes, ab hoc negotio abeſſe iuſſit pontifex,

fu ab eo præstando, ad quem is non pertinet.

Nisi casus susceptus circa fructus quorundam annorum.

tifex. Huc pertinent (1) *conuentiones directe vel indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur*, siue casus contingat in re *censui obnoxia*, siue in *fructibus*, vtpote si venditor casum rei censui suppositæ suscepit ita, vt, eo non obstante, censum præstare velit, a quo per rei interitum liberatur; nisi tantum pro vno vel pro aliquot annis circa fructus tale quid contingat. Etenim constitutio PII V. tantum directa erat ad eum casum, per quem *res in totum vel pro parte peremta aut infructuosa in totum facta*, ita vt alias vel in totum vel ad ratam periret census. Hanc declarationem ipsemet pontifex in bulla altera de *anno 1570.* addidit, adeoque censuit, tales conuentiones, quibus venditor se obligat ad censum præstandum continua serie, si vel maxime ad aliquot annos fructus ab hostibus intercepti vel iniuria tempestatis consumti fuerint, naturæ rei conformes, non reiiciendas esse.

Diruto in totum prædio censuali, perit census.

§. LXI. Præsupponi autem ante omnia debet, *censum realem* esse instar *seruitutis prædialis*, fundo frugifero inhærere, et ex *causa fructuum* præstari, adeo vt tantum frugifera et serta arua atque prædia fructuosa impositioni censuum regulariter inseruiant. Diruto ergo prædio censuali, atque funditus deleto, census ei inhærens quoque perit, quod omnibus iuribus in re commune est, et ita periculum census ad *emtorem* pertinet. Constitutio PII V. in idem principium consentit aitque §. 5. *postremo census in futurum creandos non solum re in totum vel pro parte peremta aut infructuosa in totum vel pro parte effecta volumus ad ratam perire*, imo etiam MARTINI V. et CALIXTI III. *extrauagantes* cum hac sententia conspirant. Necesse vero est

Modo res pereat sine culpa venditoris.

(1) vt res pereat sine *culpa* vel *dolo venditoris*: si eius *culpa* vel *dolo* destructa vel extincta est, perit quidem ius census: sed venditor tenetur domino census *ad interesse*, et ita ad refusionem pretii vel ad censum super alia re constituendum, vt recte ex communibus iuris principiis censent LEOTARDVS *de vsur. qu. 57. n. 57.* FRANZKIVS *lib. I. resol. 4. n. 7.*

Restitutis ædibus census reuiuiscit.

Quo posito, palam est, destructo a domino ædificio, super quo census impositus est, et ab eo restituto, censum haud perire, nec argumentum ab vsufructu tractum aut a legato in *l. 68. §. f. de leg. 1.* huc pertinere; tum quod census hic ipsam quoque aream adficiat, et ius perpetuum operetur; tum quod *facto domini* hæc mutatio contingat, quod in fraudem emtoris vergere nequit, sed ad minimum vt in ædes restitutas censum recipiat, eum obligat. Ex quibus facile satisfieri potest argumentis DVARDI *cit. l. §. 5. qu. 2.* hoc præcipue argumento

mento ducti, quod restituta domus *alia* destructa sit. (2) Desideratur, *vt res in totum vel pro parte diruta sit.* Si pro parte perit, pro rata etiam exstinguitur census iuxta PII V. constitutionem, et interpretum sententiam, relatam a FRANZKIO *cit. l. n. 9. sqq.* quod census intuitu *fructuum* impositus sit, et ex *re fructuosa* præstandus, adeoque minui debeat, re *pro parte* exstincta, ob diminutionem redituum. Nihilominus tamen *obligationem* ad integrum soluendum censum durare credunt interpretes, si ex parte, quæ superest, *reditus sufficientes* percipiuntur, ex quibus census totus præstari queat, vt docent FRANZKIVS *cit. l. n. 12.* et DVARDVS *cit. §. 5. qu. 1. n. 16 sqq.* quæ tamen ad *tertium possessorem* non extendenda. Vnde necesse, vt pars, quæ superest, oneri huic ferundo non sit sufficiens, nec tot reditus ferat, vt census integer solui queat, quod arbitrio iudicis æstimandum, simulque certum indicium præbet, quam insigni periculo et iurgiis se exponat, qui census hos acquirit. Merito tamen reuiuiscit integer census, si prædium redintegratur et in pristinum restituitur statum, vt recte censet FRANZK. *cit. l. n. 21. sq.* Idem quoque dicendum, si fundus ita *infructuosus* redditur *in totum*, vt salua substantia non amplius fructibus ferendis idonea sit vel in totum vel pro parte; quamuis res ad fructus ferendos habilis sit, eamque censuarius adhuc possideat, ob egestatem tamen vel iniuriam temporum eam colere nequeat, sed inculta iaceat. Prolixe hanc quæstionem examinat FRANZKIVS *lib. I. res. 5. n. 14 sqq.* censetque quod vnice census debeatur ex *prædio frugifero*, (quod vbi incultum iacet, pro destructo habetur,) nec *obligatio aliqua personalis* concurrat, sed *conditionem præsentem fundi* simpliciter sequatur census, in quam plura prædia tempore belli tricennalis coniecta, ne quidem hodie ad culturam reuocata. Ab hoc casu vero longe differt calamitas, quæ circa *fructus* aliquot annorum contingit, vbi adhuc prædium colitur, fructibus tamen per varios casus vel bellicos vel tempestatis sublatis; neque enim *fructus* emuntur sed *census*, et periculum fructuum est domini fundi, non eius, qui percipit censum, vt ille non possit recurrere ad *remissionem censuum* exemplo coloni, quod fundus haud sit infructuosus redditus, vt obseruat LEOTARDVS de *vsur. qu. 57. n. 6. seq.*

Modo res etiam pereat in totum.

Si pro parte perit, minuitur,

Si, quæ superest, non sufficiat oneri ferundo.

Idem dicendum si fundus infructuosus factus.

§. LXII. Qua de causa (α) re in tertium alienata, onus hoc quoque transit, et rem simpliciter sequitur ratione futurarum præstationum, adeoque tertius possessor actione reali, seu *confessoria vtili* conueniendus ad censum soluendum, non in rem scripta, vt LEOTARDVS *cit. l. n. 31. in f. sqq.* existimat, quippe quæ in *obligatione* cuiuscunque pos-

Onus hoc transit in tertium possessorem.

possessoris se fundat, et *personalis* radicaliter est, quæ hic deest, quod *obligatio* deficiat. Ante omnia tamen requiritur *realis censuum perceptio*, vt per eam ipsum ius fundo impositum sit, quæ instar *quasi traditionis* est, cum solus contractus *ius in re* efficere nequeat. vid. FRIDERIC. MARTINI *de iur. cens. c. vlt. n.* 85. *et* 88. IO. PHILIPP. LYNCKER. *de annuis reditib. disp. IV. §.* 2. (β) Idem quoque dicendum de censibus residuis seu *præteritis*, quia simpliciter fundo inhærent, non iure *obligationis* petuntur, vt FRANZK. *lib. I. ref. 3. n.* 2. *sqq.* recte censet, nisi emtor in *mora* eos exigendi fuerit, quod mora cuique sua non alteri nocere debeat, obseruante etiam LEOTARDO *cit. qu.* 57. *n.* 35. (γ) Sicuti seruitutes certo anni tempore sese duntaxat exserentes *præscriptioni exstinctiuæ* obnoxiæ sunt, ita etiam hoc *onus reale* fundo cohærens *præscriptione* exstingui potest, vt plenius euictum est *tom. I. tit. de præscript. §.* 4. *sqq. et diss. de præscript. ann. redit. real.* (δ) Fundo in plures diuiso, census quoque pro rata diuiditur, non in solidum a singulis, vt in *emphyteusi*, debetur, quia partem prædii possidens eadem ratione pro rata liberatur debitor, qua liberatur ob detrimentum rei particulare, quod etiam in *censu reseruatiuo* admisit pontifex in *c.* 6. *in f. X. de relig. domibus*, in quo maior dubitandi ratio adest. Conf. FRANZK. *lib. I. ref.* 6.

Modo census iam fundo inhæreant.

Idem dicendum de præteritis.

Vnæ præscriptione tollitur.

Fundo diuiso census pro rata diuiditur.

§. LXIII. Quia itaque (ε) pontifex PIVS V. duntaxat *censum realem* probauit, personali reiecto, vt supra *§. LII.* tradidi euicique, huius consequens necessarium fuit, pactum, quod *§. LXIX.* adlatum est, viribus plane destitui, quod alioquin, si venditor periculum rei peremtæ in se suscepisset hoc effectu, vt nihilominus ad censum præstandum in perpetuum obstrictus manere vellet, mixtus census, ex *reali* et *personali* compositus, induceretur, quam mixturam formidine vsurarum palliatarum reformidauit penitus pontifex. Quoniam vero constitutiones imperii *vsuras moderatas* tolerarunt, et hac de causa quoque *census personales* non improbarunt, quis dubitaret, tale pactum in imperii nostri iudiciis foueri, vt ex eo ius reddi, et possessor cogi possit ad censum soluendum? Neque tamen hoc pactum adeo extendendum arbitror, vt etiam *tertium possessorem* stringat, quippe quem nunquam pactum tangit, sed tantum promittentem eiusque heredes obligat, quos ex eo ligatos duntaxat esse persuasissimum habeo. Quocirca fundo censuali alienato, et postea destructo, emtori tantum recursus patet contra venditorem eiusque heredem, nisi in alienatione id actum sit, vt emtor fundi censualis in obligationem personalem venditoris quoque trans-

Ergo venditor casum fortuitum fundi suscipere nequit.

Facilius in Germania,

quoad venditorem, non tertium possessorem.

transiret, pretio ob hoc onus susceptum diminuto, ex quo pacto hodie *directo* emtori census ius perfectum acquiritur, vt monstratum sui *differt. de iure perfecto ex pacto tertii quaesito c. II.* Quamuis enim seruitutes hoc modo praediis imponi possint, vt quilibet possessor aliquid *facere* cogatur, et ita ex pacto tertii *per indirectum* ligetur; *l. 6. §. 2. si seru. vindic.* id tamen ad hunc protrahi casum nequit, vbi fundus prorsus deletus est, et tantum *obligatio* mere *personalis* superest, cui tertius possessor subiici nequit, nisi propriam voluntatem ad hanc accommodauerit.

Improbatur etiam pactum auferens et restringens ius alienandi rem censualem.

§. LXIV. In praedicta bulla PII V. etiam (II) atro carbone notatur *pactum auferens aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam.* Duplex pactum his verbis improbatur: (α) quod in totum alienandi potestatem adimit rem censui suppositam: (β) quod duntaxat eam restringit, veluti vt *non libere sed cum solutione laudemii, seu quinquagesimae vel alterius quantitatis alienetur.* Hae conditiones in dicta bulla diserte damnantur, non alia de causa, me iudice, quam ne emtor *dominium directum* hoc pacto sibi in fundum censualem acquirat, et venditorem in *conditionem emphyteutae* coniiciat, imo magis quam hunc tali pacto grauet. Enimuero (α) hac venditione census haud agitur, vt alteri *dominium directum* simul vendatur, a quo simul *ius deuolutionis* et *priuandi* in casibus certis dependet: retinet dominium rei censui subiectae in sua *integritate* venditor, a quo dependet libera *alienandi* facultas. (β) Quamuis valeat pactum cum debitore initum a creditore, ne illi hypothecae subiectas aedes vendere liceat, durante hoc reali vinculo; *l. 7. §. f. de distract. pign.* hoc tamen vel ideo in *venditione census* reiectum, ne *census realis* seu in fundo radicatus magis iure *hypothecae* deberi existimetur, qui suspicione vsurariae labis non careret. (γ) Denique pactum *de non alienando* rem propriam odiosum et nullius est momenti, *l. pen. de pact.* praesertim cum emtoris non intersit, rem non alienari, sed nihilominus, facta translatione fundi grauati in alium, census ex fundo eo a praesente possessore praestandus sit; ne dicam (δ) nouam seruitutem quasi fundo imponi, et ita vno eodemque pretio *duplex onus* tum *census* tum *iuris negatiui* ei imponi, quod aequitas non permittit in *pretio legali*, quod tantum intuitu grauaminis primi determinatum est. Non tantum vero *directo* pacto tali omnis efficacia subducta: etiam *indirectum impedimentum*, alienationi positum, reiiciendum, vtpote si actum fuisset, vt alienatione facta emtor ad rescissionem contractus agere aut ad restitu-

Ne in emphyteusin degeneret,

vel hypothecam.

Nec indirectum impedimentum alienationi positum toleratur.

ſtitutionem pretii cenſuarium cogere poſſet; quia etiam hoc impedimentum efficeret, vt ægre et non ſine magna difficultate prædium vendi poſſet, obſeruante DVARDO *cit. tr. §. 4. qu. 3. n. 9.* Addit IDEM *n. 12.* ne quidem valere pactum, quod reſiſtit alienationi non in vniuerſum, ſed tantum intuitu *certarum perſonarum*, veluti ne fiat alienatio in *milites*, *monachos*, *miniſtros eccleſiæ*, eo forſan intuitu, ne *exactio cenſus* in *difficiliori loco* conſtituatur. Hæc vero extenſio admodum exorbitans et a veroſimili pontificis mente aliena eſt. Alienatio hoc modo non impeditur, ſed emtor cenſus duntaxat præcauet, ne exactio impeditior reddatur. Denique IDEM *n. 15.* obſeruat, tale pactum vim ſuam habere illis in locis, in quibus huius bullæ obſeruantia deeſt, id quod ad imperium noſtrum applicari poteſt, in quo ſecundum *papalem diſpoſitionem* non viuitur, ſed etiam *cenſus perſonales* locum habent. Neque enim hoc pactum *naturæ negotii* aut *rationi iuris* repugnat, quod hæc illud admittat, ſi ſtipulatoris intereſt, rem non alienari. Denique ipſe PIVS V. *alienationem fundi cenſitici* certo et quidem hoc reſtringit modo: *vbi autem vendenda ſit*, *volumus*, *dominum cenſus aliis omnibus præferri*, *eique denunciari conditiones*, *quibus vendenda ſit*, *et per menſem expectari*. *Conſenſum* quidem emtoris cenſus non poſtulant hæc verba, ſed duntaxat *denunciationem* ei faciendam; interim tamen ius *protimiſeos*, quod ei indulgent, tractum eſt ex *iure emphyteutico*, cum tamen emtor cenſus *dominium directum* fundi non conſequatur, in quo *ius protimiſeos* radicatur, quod rurſus a fori noſtri vſu alienum eſt, qui ſe ad obſeruantiam huius bullæ alligari haud patitur, teſtibus WIESTNERO *ad h. t. n. 8.* PIRHING *ad h. t. n. 84.* Interim expedit, *ius protimiſeos* per pactum ſibi reſeruare, quo facto venditor fundi ad *denunciationem* obligatur.

Toleranda tamen conventio, ne in certas perſonas alienatio fiat.

Imo in genere in imperio.

Denuncianda tamen alienatio emtori cenſus.

Ob ius protimiſeos.

§. LXV. Solent etiam (III) varia pacta adiici, quæ moroſum poſſeſſorem ad ſoluendum eo magis conſtringunt, quæ non indiſtincte probata ſunt. Improbata enim in *conſtitut.* PII V. *pacta continentia*, *moroſum cenſus debitorem teneri ad intereſſe lucri ceſſantis*, *vel ad cambium*, *ſeu certas expenſas*, *medio iuramento creditoris liquidandas*, *aut rem cenſui ſubiectam ſeu aliquam eius partem amittere*, *aut aliud ius eodem contractu ſiue aliunde acquiſitum perdere*, *aut in aliquam pœnam cadere*. Varia pacta, ex vſu communi adiici ſolita emtioni cenſuum, his damnantur verbis. Nam (1) non valet pactum, vt *moroſus debitor* h. e. qui debito tempore cenſus non præſtat, *intereſſe lucri ceſſantis* ſoluat. Notum eſt, ex *iuris canonici* principiis, olim vſita-

Alia præterea pacta ſuſpecta damnantur in bulla Pii V.

Veluti vt moroſus debitor intereſſe lucri ceſſantis ſoluat.

vſitatum fuiſſe, vt loco *vſurarum* peterent *intereſſe lucri ceſſantis*, vel *vſuras* promiſſas hac appellatione incruſtarent tegerentque, allegando, ſe pecunia mutuo data caruiſſe, quam tamen deſtinauerat ad frumentum emendum, vnde ingens, aucto eius pretio, lucrum facere potuisſet; *petitionem* autem eius *quod intereſt*, iuri canonico non aduerſari. Huic pacto itaque ea de cauſa robur denegauit, quod ſub hoc inuolucro vſuræ eſſent occultatæ, vt recte cenſuit DVARDVS *cit. tr.* §. *IV. n.* 8. *in f.* Quia enim in genere *vſuras* furto et rapinæ accenſuit, non potuit tolerare illud, quod *ſpeciem* earum habuit, et ſub alio nomine tantum occultatur. Ceterum vbi *vſuræ moderatæ* lege publica vim obligandi acceperunt, pactum de vſuris a *reſiduo cenſu* ſoluendis improbari nequit, quod ideo duntaxat pacto prædicto dicam ſcripſerit pontifex, quia *vſuræ* generatim improbatæ ſunt. Verum in alium laqueum ſe induunt aſſertores huius ſententiæ, ex quo non æque facile ſe expedire queunt. *Anatociſmum* intelligo, cuius in ſuſpicionem *vſuræ* hæ *pactitiæ* veniunt, vt non diffitetur Cardinalis DE LVCA *tom. X. tit. de cenſib. diſc.* 2. *n.* 6. Cenſus enim quid aliud ſunt, quam *vſuræ* mutato nomine? pretium vero datum ipſum *mutuum* reuera ſub ſe continet, adeo, vt in *receſſib. imper.* vſuræ et cenſus vnam eandemque determinationem acceperint. Noui, vulgo tradi, *vſuras acceſſionis* vicem tenere: *cenſus* ipſum *debitum principale* eſſe, et in contractu b. f., qualis eſt emtio, deberi vſuras *ex mora*, adeoque *anatociſmum* exulare, in quam ſententiam cum aliis iuit FROMMANNVS *de vſurar. et ann. redit. different. th.* 25. Noui, etiam ex conſtitutione PII V. non reprobari pactum *damni* præſtandi *emergentis*, ſed tantum *lucri ceſſantis*, vt ſentit DVARDVS *ad cit.* §. *IV. qu.* 24. Poſterius facile admitto, quamuis ante omnia probatione indigeat, cum *in facto* conſiſtat; eo vero probato, cenſuarius ad illud refundendum tenetur, prout potiſſimum in *frumenti* cenſu contingit, ſi tempore, quo præſtandum, maioris pretii fuit, eo vero, quo *poſt moram* ſoluitur, longe minoris eſt; nam id pretium debetur, quanti res plurimi interim fuit. *l.* 3. §. 2. *commod. l.* 4. *de cond. tritic. l.* 37. *in f. mand.* Prius vero in *cenſu* mere *pecuniario* non admittendum cenſeo, qualescunque colores quæſiti fuerint. Vſuras ex *debito principali* peti poſſe, teſtatiſſimum eſt, tale vero in *cenſu pecuniario* deficit, niſi vmbram pro re accipere mauis. Hoc agnoſcunt leges imperii, adeoque *cenſibus* eandem determinationem dederunt, quam *vſuris* præfixerunt, quippe qui ſunt *palliatæ vſuræ*, adeoque quod *directo* prohibetur, *per indirectum* non tolerandum.

Quod vſuræ ſub hoc pacto latere videntur.

Vſuræ moderatæ an hoc caſu in Germania debeantur?

Quod dubium ex ratione anatociſmi.

Quæ ſententia probatur.

Non Probatur pactum, vt morosus debitor se obliget ad cambium.

§. LXVI. Improbatur 2) pactum, vt morosus debitor se obliget *ad cambium* pro residuo censu dandum, tum quod vtplurimum ei vsuræ annectantur; tum quod strictius et grauiori sub vinculo ad soluendum debitum constringantur. Talia cambia, quæ pro *debitis propriis* creditori dantur, *palliata* sunt et *sicca* vocantur, olim prohibita teste LEOTARDO *de vsur. qu. 24. n. 69.*, hodie vero vim iuris in Germania habent, adeoque nihil obstat, quominus etiam pro residuo censu dari possint, si *anatocismus* absit. Vid. STRYK: *in vs. mod. tit. de vsur. §. 29. in f.* Præterea reiicitur 3) pactum *expensarum, mediante iuramento creditoris liquidandarum*, si vel maxime in exigendis annuis reditibus fieri debuerint. Non absolute reprobauit pactum hoc pontifex, nec moderationem *a iudice* per sententiam, quæ morosum in expensas iuste condemnauit, abolendam censuit, quod ridiculum foret; sed tantum dicam scripsit pacto, vt in his præstandis *solo* emtoris *iuramento* stetur, qui auaritia ductus, et immemor salutis æternæ, admodum grauare posset venditorem seu debitorem. Aequum nihilominus est, vt debitor expensas, arbitrio iudicis determinandas, ferat, quas creditori in exigendis censibus per moram suam causauit. Vlterius 4) reiicitur *pactum commissi*, seu ad amittendam in casu moræ certam rem vel partem rei censui subiectæ, quod addere olim consueuerunt ex ratione *iuris emphyteutici*. In hoc, si canon non soluitur intra biennium vel triennium, ad priuationem totius emphyteuseos agi potest. Ast tale ius non deprehenditur in emtis annuis reditibus realibus, qui *dominium directum* fundi censualis non tribuunt emtori, ex quo demum *ius priuandi* dependet. In Hispania tamen tale pactum passim hisce contractibus apponi, nec damnari, testatur DVARDVS *cit. l. §. IV. qu. 28. n. 2.* quod insignem abusum huius negotii innuit, adeoque nec in Germania tolerandum autumo, de quo vide FRANZKIVM *lib. I. resol. 7.*

Hodie toleratur.

Reiicitur pactum expensarum iuramento liquidandarum.

Item pactum commissi.

Vel vt in pœnam aliquam cadat morosus, vel contractus rescindatur.

§. LXVII. Præterea 5) damnatur pactum, *vt ius ex contractu quæsitum perdat, aut in aliquam pœnam morosus cadat*, veluti vt rescindatur contractus, et venditor constringi possit, ad pretium restituendum. Pactum *de retrouendendo* quidem adiici posse censent, vt venditor censum redimere possit, vnde vocantur wiederkäufliche Zinsen; id vero iniquum esse putant, vt emtor possit repetere pretium et contractum rescindere, quod alias in naturam *mutui* caderet *vsurarii*, quod intolerabile visum fuit pontificibus. Idem quoque in *R. I. de anno 1548. tit.* von Wucherl. *Contracten*, cautum in genere; Soll die Loskündigung der Güld-Verschreibung auf Wiederkauf, wie Wiederkaufs-Recht, bey dem Verkäufer und nicht

Adeoque emtor pretium repetere nequit.

nicht bey dem Käufer stehen, unangesehen wie die Güld-Verschreibung gestellet, und was darüber gegeben, genommen, oder gehandelt, wollen wir, daß dasselbige, und alle andere unziemliche pacta oder Geding, für wucherlich und unkräftig geachtet, gehalten, und von dem Richter nicht darüber erkant und geurtheilet, sondern, wie gemeldet, gestraffet werden soll, quod denuo repetitum in *ordinat. polit. de anno* 1577. *tit.* 17. §. und nachdehm. Cum ergo hæc lex prohibitiua absolute sit, consequens est, vt huic constitutioni renunciari non possit. Verum in *casu moræ* a debitore commissæ lex commissoria haud improbatur in emtione venditione; cur ergo improbaretur in emtione annuorum redituum? Hanc æquitatem Imperator et status imperii secuti, pacto huic in *R. I. de anno* 1600. §. ferner ist bisanhero. merito plenum robur addiderunt his verbis: Ferner ist bisanhero im H. Röm. Reich nicht ausdrücklich versehen gewesen, da der Schuldener sich selbsten obligiret und verbunden, da er in Zahlung der jährlichen Gülden sich säumig erweisen würde, alsdann dem Gläubiger alsobald die Kauf- und Haupt-Summe neben den Gülden wieder zu geben, ob solcher Contract im H. Reich zugelassen, und auf solchen Fall stantibus aliis clausulis executiuis mandata sine clausula zu erkennen seyn möchten? Derenthalben zu Verhütung aller künftigen daraus erwachsenden Ungleichheit, haben wir auf vorgehende Vergleichung dahin geschlossen, setzen, ordnen und wollen, daß solcher Contract dem im H. Reich üblichen und zugelassenen Gebräuchen nicht ungemäß, und daß das pretium auf den Fall von dem Verkaufer per viam executionis und mandati ex illo pacto wieder erfordert werden möge. Titubasse interpretes in hoc argumento, plenius docet DVARDVS *cit. l.* §. *IV. qu.* 29., qui tamen ipsemet decisioni adductæ accedere non audet, quod pontifex generatim improbauerit pactum, quo *debitor morosus* in aliquam pœnam cadat. Id vero formidine *vsurarii contractus* factum esse, quis non animaduertit? quam iuste spernimus, postquam *vsuris* in imperio nostro ius dicitur.

Quod in imperio tamen in casu moræ permissum.

§. LXVIII. Sed etiam 6) non toleratur pactum, vt in *casu moræ* census *angeatur*, vel pro censibus, quorum dies iam cessit et venit, *nouus census creetur*, vtpote census 100 thalerorum per sexcennium debitus sortem 600 thalerorum efficit. Hanc si venditor seu debitor soluere non potuit, facile in angustiis constitutus consentit, vt creditor hac debita quantitate nouum emat censum, vel super re eadem vel diuer-

Nec valet pactum, vt census in casu moræ augeatur. Vel vt nouus census inde fiat.

diuersa. Id tolerandum non esse arbitratus est pontifex, quod pactum hoc proxime ad *anatocismum* accedat; imo nec in imperio nostro tolerandum est, quod rationes in §. *LXIII.* adductæ euincunt. Si enim non debentur ex censibus vsuræ, nec illos in sortem conuertere, et nouum inde censum vendere permittitur, cum reuera hi census sint *vsuræ tectæ*. In parem censum 7) venit pactum de soluendis *oneribus publicis* in casu moræ; alias a debitore non præstandis, vel etiam *priuatis*, vtpote si se obligat venditor census in casu moræ ad præstandas vecturas vel *operas*, quæ reuera pretio æstimabiles sunt; adeoque *per indirectum* ex censibus debitis vsuræ præstantur. Conf. DVARDVS *cit. l. qu. 93.*

Quod nec in imperio tolerandum.

Inualidum est etiam pactum de vecturis in casu moræ præstandis.

§. LXIX. Denique aliquoties monitum est, venditori vtplurimum hoc ius dari, vt pretium acceptum reddere, et prædia sua ab *onere census* liberare possit, id quod pacto *de retrouendendo* vnice acceptum ferendum. Desideratur autem 1) *vt hoc expresse contractui annectatur*, quo facto etiam inuito creditore censum redimere potest dominus; eo deficiente, census est irredimibilis, nec aliter, quam vtriusque voluntate redemtio fieri potest. 2) *Vt totus redimatur census*, quod etiam per pactum addi solet, obseruante FRANCISCO SARMIENTO *lib. VII. select. c. 1. n. 28.* per partes regulariter, inuito creditore, redemtio fieri nequit, quod ex natura *retrouenditionis* fluit. Equidem in MARTINI V. et CALIXTI III. constitutionibus refertur, quod *ipsum censum annuum vel in totum vel in parte, quandocunque vellent, libere redimere possent debitores.* Verum mos communis, eo tempore vsitatus, duntaxat pontifici enarratus fuit, iuxta quem in contractibus venditoribus hæc facultas *expresse* dari solebat, quod dubio caret. Enimuero nihil repugnat, quo minus possit lex diuersa contractui adiici, vt recte censet DVARDVS *cit. tr. §. 5. qu. 16. n. 14. seqq.* Imo si *indefinite* retrouenditio reseruata, regulariter id secundum huius pacti indolem intelligendum, vt non aliter, quam soluto *integro pretio* census redimi queat, sicuti regulariter creditor non tenetur *particularem* accipere *solutionem*. Quid enim aliud in hoc contractu agitur, quam vt sub eo *mutuum* veletur? Neque vero, quod DVARDVS *cit. l. n. 20. sqq.* vrget de *obligatione diuidua*, huc pertinet, cum potius *retrouenditio* eo facienda modo, quo venditio prima facta fuit, nisi aliud per conuentionem placuit. 3) *Vt redimatur pro eodem pretio:* pactum vt *maiori pretio* redemtio fiat, labe vsuraria non caret, præsertim in imperio nostro, in quo census ad *quantitatem vsurarum* redacti

Pactum retrouenditionis valet.

Modo totus census redimatur.

Pro eodem pretio.

acti ſunt. 4) *Vt pretium eiusdem qualitatis*, quæ fuit tempore contractus initi, *reddatur*. Ad qualitatem, quæ fuit tempore *redemtionis*, reſpiciendum eſſe cenſet DVARDVS *cit. tr.* §. 5. *qu.* 7. ita vt commodum et incommodum pecuniæ debitæ ad creditorem ſpectet, quod reuera *noua venditio* adſit, quæ ad *tempus retrouenditionis* ineunda. Admittit tamen idem, mutata *bonitate intrinſeca* ſeu materia, vnde pecunia conflata, quæ poſtea multo deterior reddita, pretium reducendum eſſe ad tempus contractus: pariter idem admittit, ſi conſuetudo contraria obtineat, vel pacto diuerſum placuit. Atqui in Germania *cenſus* hi *annui* cum *vſuris* prorſus conferuntur, vt idem in his quoque dicendum, quod in *mutuo*, in eadem *bonitate*, in qua acceptum, reddendo. 5) Addit PIVS V., *vt per bimeſtre ante redemtionem denunciatio creditori fiat*. Hæc *denunciatio* inſtar *reſignationis* eſt, quia reuera *mutuum vſurarium* ſub hoc contractu occultatur, adeoque etiam hodie reſignatione opus eſt, quæ etiam per pacta determinari poteſt et ſolet. Quod ſi (α) creditor, *reſignatione facta*, pecuniam legitime *oblatam* accipere recuſat, non aliter a cenſus præſtatione liberatur, quam facta *depoſitione*, quemadmodum *curſus vſurarum* demum hoc modo ſiſtitur. *l. 9. l. 19. C. de vſur. l. 7. C. de pact. int. emt. et vend.* E contrario id quoque (β) operatur *denunciatio* a debitore facta, vt poſt illam, intra annum creditor ab *inuito debitore* pretium petere poſſit, quod non ſine ratione iuris PIVS V. ſanxit. Secundum regulam quidem creditor, h. e. *emtor cenſus*, non poteſt repetere pretium, vt ne quidem pactum in contrarium iis in locis, in quibus *vſurarium mutuum* adhuc exul eſſe iubetur, ſubſiſtat, quod in eo anguis latere præſumatur. Aſt *denunciatio* a debitore, qui debitum ſoluere poteſt, facta, ius creditori nouum tribuit, vt ab hoc tempore ad petendum pretium ius quæſitum habeat. Breuiter: *denunciatio* obligat debitorem ad *redemtionem cenſus*, quæ antea liberæ erat *facultatis*, non *neceſſitatis*: creditori autem *ius* pretium *exigendi* intra annum indulget, quod antea non habebat, nec per *pactum* impetrabat. Quocirca (γ) omiſſa *denunciatione* per *pactum* adſtringi nequit ad redimendum, quod *retrouenditio* ſua natura in *facultate* non *obligatione* poſita ſit, et tale pactum reuera reſoluatur in pactum extra caſum *moræ* prohibitum, virtute cuius creditor pretium repetere queat. Plures tamen alios caſus conglomerat DVARDVS *cit. t.* §. *VI. qu.* 14. quibus talis exactio creditori propitio iure competit, quos examinare non vacat.

Eiusdem qualitatis.

Præuia matura denunciatione.

Tunc etiam creditor iure ſuo pecuniam exigit.

Omiſſa denunciatione fieri nequit redemtio.

(IV)

De montibus pietatis.

Montium pietatis vtilitas.

§. LXX. Denique nimia pontificum austeritas contra *mutuum vsurarium*, commerciis publicis inimica, et officio mutuandi grauissimum ponens obstaculum, peperit *montes pietatis.* A nonnullis, qui ignorant, quantum distent in negotiis hominum æra lupinis, atro carbone notati sunt, quorum nomina supra §. 2. retuli. Vitium omne iis abstergitur, si perpendimus, quantum intersit reipublicæ, in promtu adornare loca publica, ex quibus indigentes, dato pignore, sub reipublicæ directione et præsidio nummos mutuos sumere, et præcauere possunt, tum ne hoc aliis innotescat, tum etiam ne in rapacium iudæorum manus incidant incauti debitores. Sæpe expedit illis, qui ope aliorum indigent, pro *fide* sua in commerciis conseruanda, ne æs alienum a se contractum in aliorum notitiam veniat: semper hoc modo in promtu sunt nummi, quos absque expensis atque cura singulari quilibet debitor, pignore idoneo instructus, mouere potest, quos absque graui sumtu non semper ab aliis petere licet. Hoc modo prospicitur indigentiæ singulorum, et impiis debitoribus simul obex ponitur, ne per litium ambages creditoribus suis molestiam creare queant, creditoribus vero vsurariis occasio præscinditur, ne debitores miseros vsuris illicitis rodere iis integrum sit. Facile vero liquet, hæc loca publica, quod ad ea *aceruus* pecuniæ ingens vndequaque confluat, et ad instar *montis* se habeat, *montium* appellationem accepisse, vel etiam inde, quod sicuti ex montibus *thesauri* effodiuntur et depromuntur, vel aqua salutaris profluit, ita etiam ex his locis salutari modo adfluat indigentibus auxilium, vnde inopiam suam subleuare queant. *Pietatis* vero annexum accepit, quod *pauperum* et promouendi officii *mutuandi* gratia, ex intentione ad minimum pontificum, qui hoc institutum ædificarunt, montes hi erigi soleant. Ita rationes subduxit SALMASIVS *de trapezit. fœnore p. 586.* et, *non ad alium finem*, ait, *institutos liquet montes pietatis in Italia et aliis locis, quam vt pauperes pecunia inde mutua sub vsuris sumta ab inopia sua temporaria et ad inopinatos casus, qui multi ex transuerso incurrunt, subleuentur. Idque fit probante etiam summo pontifice, et plerisque canonistarum non renuentibus, quin recte atque ordine talis institutio fundata sit, et pro bono atque vtilitate pauperum cedat.* Sub *vsuris* inde pecuniam sumi credit

Deriuatio nominis.

dit SALMASIVS, idque probante etiam pontifice; quod tamen ex *bullis papalibus* non liquet, quamuis, vſuris licite et publice permiſſis, iuſtum omnino ſit, nummos *ſub vſuris* ex hoc monte petere. Vocantur Germanice Ley- Aſſiſtentz- und Hülfs-Häuſer, Lehn- Banquen und Lombards. vid. MARPERGER. *de montib. piet. c. I.* Speciatim appellatio *Lombards* inde deducta, quod *Gibellini* ex Italia ob Guelphorum furorem eiecti vel diſcedere coacti in Germania et Belgio ſedes ſuas poſuerint, et hoc inſtitutum ſub pignore credendi nummos ibi propagauerint. Atque tales trapezitæ, ex Longobardia orti, generatim poſtea vocati ſunt *Lombardi*, imo menſis publicis præfecti ab his poſtea idem nomen aſſumſerunt, die Lombards, die Lombards-Wirthe. Vid. SALMASIVS *de trapezitic. fœnore p. 578.* KLOCK. *de ærar. lib. 2. c. 22.* Quin etiam probabiliter aſſeri poteſt, hoc inſtitutum, quod *Italis* ſeu *Longobardis* accepto ferendum ſit, nomen *Lombards* accepiſſe.

Lombards etiam dicuntur.

§. LXXI. Reuocaſſe hoc modo in vſum *menſas trapeziticas*, in republica Romana olim vſitatas, videntur pontifices, quamuis non in omnibus cum eis conueniant, vt SALMASIVS *cit. tr.* paſſim monſtrat. Cum enim pontifices obſeruarent, prohibitis vſuris admodum langueſcere imo fere emortuum *mutuandi officium* eſſe, quo nec ipſimet carere poterant; ſub ſpecioſo *montis pietatis* nomine inuitarunt ditiores ad conferendos nummos in locum publicum, quem *montem* dixerunt, vt, hac collatione facta, *opus meritorium* vel quaſi exercendi ſingulis occaſio præberetur, et *officium mutuandi*, ex ſtimulo *pietatis putatiuæ*, in priſtinum vigorem reſtitueretur. Opus enim meritorium h. e. *pietatis* cenſetur, erogare pecuniam in vſus pauperum, et quidem *gratis*; (prout voluerunt pontifices) ſemper tamen nummos ſaluos habere, et vbique ex hoc monte repetitionem eorum integram eſſe. Succurri hoc modo pauperibus cenſuerunt, inter quos primum occupant locum *clerici*, ipſi etiam *cardinales*, imo et *ſummus pontifex*, qui his montibus carere nequit, quod multis erogationibus variiſque neceſſitatibus prematur atque diſtringatur. Negari tamen nequit, a pluribus publicis ſcriptis eos exagitatos atque damnatos fuiſſe, non obſtante autoritate papali, vnde præſidium capiebant, nec tot interpretum propugnatione præualente, qui horum montium cauſam egerunt. Diſceptatio hæc in cauſa fuit, vt in *concilio Lateranenſi V. anno 1515. ſeſſ. X.* rurſus ſub rigoroſum deducti examen, et de iuſtitia eorum ſub LEONE X. diſputatum fuerit. His contentionibus publico

Prouocauit hoc modo pontifex officium mutuandi.

Antea fere emortuum.

Sub quo opus meritorium latere viſum.

Probati montes in concilio Lateranenſi V.

hoc concilio tandem *finis* et contradictoribus *silentium* impositum, ipsique montes ab iniquitate omni vindicati. Plenius LEO X. in *bulla* apud HARDVINVM *tom. IX. concil. pag. 1773.* et CHERVBINVM *tom. I. bullar. magni p. 560.* lites circa eos motas præmittit, vnde potiora repetere non iniucundum erit. Ait. *Sane cum* OLIM *inter dilectos filios sacræ theologiæ magistros ac iuris vtriusque doctores controuersiam quandam non sine populorum scandalo et murmuratione exortam, et* NVPER HIS DIEBVS *innouatam esse compererimus* CIRCA PAVPERVM RELEVATIONEM, *in mutuis eis publica autoritate faciendis, qui* MONTES PIETATIS *vulgo appellantur, quique in multis Italiæ ciuitatibus ad subleuandum per huiusmodi mutuum pauperum inopiæ, ne vsurarum voragine deglutiantur, a ciuitatum magistratibus et aliis Christi fidelibus sunt instituti, atque a sanctis viris diuini verbi præconibus et laudati et persuasi, ac a nonnullis etiam summis pontificibus prædecessoribus nostris probati et confirmati sint, ne præfati montes a Christiano dogmate dissonantes, vel non, vtraque parte diuersimode sentiente atque prædicante. Nonnullis enim magistris et doctoribus dicentibus, eos montes non esse licitos, in quibus aliquid vltra sortem pro libra, decurso certo tempore, per ministros huius montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur, et propterea ab vsurarum crimine iniustitiaue, seu ab aliqua certe specie mali mundos non euadere; cum dominus noster, Luca euangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam vltra sortem sperare debeamus. Ea enim propria est vsurarum interpretatio, quando videlicet ex vsu res, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumtu, nulloue periculo lucrum fetusque conquiri studetur. Addebant etiam iidem magistri et doctores, in his montibus neque commutatiuæ neque distributiuæ iustitiæ fieri satis, cum tamen iustitiæ terminos contractus huiusmodi excedere non debeant, si debeant approbari: idque præterea probare nitebantur, quia impensæ, pro huiusmodi montium conseruatione a pluribus, vt aiunt, debitæ a solis pauperibus, quibus mutuum datur, extorqueantur: pluraque interdum vltra necessarias et moderatas impensas, non absque specie mali ac incentiuo delinquendi, quibusdam aliis personis, vt inferre videntur, exhibeantur. Aliis vero pluribus magistris et doctoribus contra asserentibus et in multis Italiæ gymnasiis verbo et scripto conclamantibus pro tanto bono, tamque reipublicæ pernecessario, modo ratione mutui nihil petatur neque speretur: pro indemnitate tamen eorundem montium, impensarum videlicet mi-*

nistro-

nistrorum eorumdem ac rerum omnium ad illorum necessariam conseruationem pertinentium, absque montium huiusmodi lucro, idque moderatum et necessarium ab his, qui ex huiusmodi lucro commodum suscipiunt, licite vltra sortem exigi et capi posse non nihil licere: cum regula iuris habeat, quod qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat, præsertim si Apostolica accedat auctoritas. Quam quidem sententiam a felicis recordationis PAVLO *secundo,* SIXTO *quarto,* INNOCENTIO *octauo,* ALEXANDRO *sexto, et* IVLIO *secundo, Romanis pontificibus prædecessoribus nostris, probatam, a sanctis quoque ac Deo devotis, et in magna ob sanctitatis opinionem existimatione habitis, euangelicæ veritatis prædicatoribus prædicatam esse ostendunt. Nos super hoc, prout nobis est ex alto concessum, opportune prouidere volentes, alterius quidem partis iustitiæ zelum, ne vorago aperiretur vsurarum, alterius pietatis et veritatis amorem, vt pauperibus subueniretur: vtriusque vero partis studium commendantes, cum hæc ad pacem et tranquillitatem totius reipublicæ Christianæ spectare videantur, sacro approbante concilio, declaramus et definimus, montes pietatis antedictos per respublicas institutos, et auctoritate sedis Apostolicæ hactenus probatos et confirmatos, in quibus pro eorum impensis et indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas et aliarum rerum ad illorum conseruationem, vt præfertur, pertinentium pro eorum indemnitate duntaxat vltra sortem absque lucro eorumdem montium accipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentiuum præstare: neque vllo pacto improbari, quinimmo* MERITORIVM *esse, ac laudari et probari debere tale mutuum, et minime vsurarium putari, licereque illorum pietatem et misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis a sancta sede Apostolica eam ob caussam concessis: ac deinceps alios etiam similes montes cum Apostolicæ sedis approbatione erigi posse: multo tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales montes gratuiti constituerentur: hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte huiusmodi montium ministrorum soluantur impensæ, vt ad leuiorem aeris soluendi portionem medio hoc pauperes grauari contingat; ad quos cum huiusmodi census assignatione, pro impensarum supportatione erigendos, Christi fideles maioribus indulgentiis inuitandos esse decernimus. Omnes autem religiosos, et ecclesiasticas ac seculares personas, qui contra præsentis declarationis et sanctionis formam de cetero prædicare seu disputare verbo aut scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ senten-*

Vt opus meritorium, et indulgentias tribuens.

sententiæ pœnam, priuilegio quocunque non obstante, incurrere volumus: non obstantibus præmissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ declarationis, definitionis, decreti et excommunicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis DEI, ac beatorum Petri ac Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Data Romæ, in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta Basilica solenniter celebrata, anno incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, decimo quinto, quarto nonas Maii, pontificatus nostri anno tertio.

Definitio montium pietatis.

§. LXXII. Sunt videlicet MONTES PIETATIS *collatio pecuniarum a ditioribus in locum publicum sub administratione certorum officialium et autoritate publica facta hunc in finem, vt indigentes, dato certo pignore, mutuum pro necessitate sua subleuanda accipere queant, vel gratis, vel dato certo pretio, pro opera officialium compensanda et conseruando monte.* Institutum hoc salutare pariter ac iustum esse, nemo facile in dubium vocabit, nisi forsan illi, quibus volupe, quæuis pontificum instituta mordaci rodere dente. Id tamen non nego, cum conferentes hoc modo ex nummis suis nullum capiant quæstum, alio hamo opus fuisse, quo ditiores inducantur ad opes suas conferendas. Prodit hunc SIXTVS IV. in bulla de anno 1497. quam ex *statutis montis pietatis*, Romæ editis, repetiit DOROTHEVS ASCIANVS *de montibus pietatis Romanensis c. 2.* quamque pontifex in patriæ suæ, Sauonæ, commodum publicauit. Præmittit, *se*, quod necessitatibus præsentibus patriæ suæ succurrere non posset, *alios Christi fideles per cælestis thesauri dispensationem ad augendam interim massam inuitare, vt sic tam pauperum necessitati, quam adiutrices ad id porrigentium manus animarum saluti consulamus.* Cedit ergo in *salutem animarum* conferentium hoc institutum, simulque *per cælestis thesauri dispensationem* his prospicitur, qui hoc hamo se capi passi sunt. Audi maiora: *decernimus - - - quod qualibet personæ ecclesiasticæ in presbyteratus ordine constitutæ - - - quibuscunque vndecunque ad eos recurrentibus et ad huiusmodi* PIVM MISERICORDIAE OPVS, *iuxta eorum arbitrium manus actualiter porrigentibus adiutrices, seu ad porrigendum se ipsos vel eorum heredes valide et efficaciter obligantibus, neque ad numerum centum et non vltra, confessione eorum diligenter audita, pro commissis pro tempore per eos excessibus et peccatis*

Promoti sub oblatione indulgentiarum.

qui-

quibuslibet, quantumcunque grauibus, etiamsi talia forent, super quibus sedes Apostolica esset merito consulenda, et a quibuscunque censuris ecclesiasticis, etiam quarum absolutio sedi præfatæ reseruata foret, exceptis casibus contentis in bulla cœnæ domini, semel in vita et in mortis articulo plenariam absolutionem impendere et pœnitentiam salutarem iniungere possint. Hoc hamo *indulgentiarum* porrigentes manus adiutrices ad hoc *pium misericordiæ opus*, vti vocatur hoc institutum, prouocandi erant, quod non poterat non *pium* videri, ex quo tam insignem et *spiritualem* accepit effectum. Sed præterea plura adiunguntur media, augendi hunc *sacrum fiscum*, quorsum hæ *piæ artes* pertinent, quod quælibet ecclesiasticæ personæ, etiam religiosæ cuiusuis ordinis, etiam mendicantium, in presbyteratu constitutæ 1) vota eorum, qui aliquid conferunt in *montem pietatis*, (exceptis quibusdam) commutare: 2) personas idoneas ad gradus Academicos promouere, *soluta tamen prius per eosdem dicto monti ea quantitate pecuniæ, quæ eis, personæ gradus & scientiæ conditionibus attentis, videbitur*: 3) Notarios publicos vsque ad prælibatum numerum, ad pia opera dicti montis suffragia erogantes, creare: 4) cum quibuscunque illegitime natis ad effectus *ecclesiasticos* et *ciuiles* dispensare: 5) in tertio et quarto gradu consanguinitatis aut affinitatis gradibus constitutis, et matrimonia ambientibus dispensare valeant. 6) Denique quod hi, qui in augmentum prouentus montis huius quid legauerint, libere confessionarium eligere queant, qui eorum confessione diligenter audita, in *articulo mortis* plenam eis absolutionem, etiam in *casibus reseruatis*, et *censuris* impendere possit. Ex his horum montium *pietas* est æstimanda, præsertim cum 7) etiam *præmium spirituale* ex thesauro immenso ecclesiæ promissum sit administratoribus et officialibus, qui *gratis* et *sine salario* hanc functionem ad certum tempus suscipere gestiunt. Atque inde SIXTVS IV. in verbis adductis constituit, *mutuum* hoc *meritorium et laudari ac probari debere*, id quod palmarium argumentum ex disciplina Romanæ ecclesiæ fuit, quo creduli facile capi potuerunt. Addit IDEM, *multo perfectius multoque sanctius fore, si omnino tales montes gratuito constituerentur*, cuius intuitu methodum commendat præscriptam, quod per *mutuum gratuitum* insigne *opus meritorium misericordiæ* exerceatur.

Vnde pietas eorum æstimanda.

Piæ artes augendi montes pietatis.

Inde mutuum hoc vocatur meritorium.

§. LXXIII. Vltra sortem quidem aliquid a mutuantibus accipere permittitur, sed tantum in administratorum salarium, aliarumque expensarum necessario faciendarum, pro *conseruatione montis*, solutio-

Vltra sortem quid solui potest in conseruationem montis.

Non pro vsuris.

lutionem impendendum. Neutiquam vero permissum est, vt conferentes pecuniam possint inde *vsuras* percipere, aut id quod interest, sub quo communiter tegitur vsura. Id prouisum est *in concilio Mediolanensi II. de anno 1569. tit. III. decr. 21.* apud HARDVIN. *tom. X. p. 755.* his verbis: *Ne quisquam pecuniam apud montes pietatis deponat, vel eidem mutuo det, vt inde aliquid, ne minimum quidem lucri, aut eius quod interest nomine percipiat.* Cum enim vsuras generatim proscripserint pontifices, impium hoc institutum euasisset, si labe hac imaginaria infectum fuisset. Vnde LEOTARDVS *de vsur. qu. 22. n. 29.* varias species horum montium enarrat, quarum prima est, si ita ex hoc aceruo pecuniarum publicarum mutuum datur, vt nihil vltra, quod acceptum est, restituatur; quale mutuandi officium etiam olim AVGVSTVS, teste SVETONIO in *vita eius c. 41. n. 3.* TIBERIVS teste TACITO *lib. VI. annal. c. 17. n. 5.* et ALEXANDER SEVERVS teste LAMPRIDIO *in vita eius c. 21.* exercuerunt. Altera species est, vt modicum quid vltra sortem ad ferenda montis onera a debitoribus certo tempore soluatur. Tertia species est eorum montium, quorum ærarium constat ex pecunia fœnore conducta vel sub census lege accepta, ita vt debitores non tantum modicum, pro ferendis montis sumtibus, sed etiam *vsuras* vel *census* soluere cogantur, de quorum montium iustitia admodum sollicitus est LEOTARDVS *cit. l. n. 37. seqq.* Parum hæc dubia nos tangunt, qui in republica, vsuras ad certam quantitatem approbante, viuimus, & ita etiam nihil prohibet, quo minus accipientes mutuum a tali monte ad vsuras consuetas obligari possint. Neque tamen sic horum vtilitas interit, quæ omnino multiplex est, vt optime docet MARPERGER. *de montibus pietatis*, et varios eiusdem modos commendat atque explicat. De aliis diuersi generis montibus agit SCACCIA *de commerc. §. 1. qu. 1. n. 482. seqq.* et LEOTARDVS *cit. l. n. 41. seqq.*

TIT. XX.

TITVLVS XX.

DE

CRIMINE FALSI.

§. I.

Falsorum in scriptis ecclesiasticis plena sunt omnia. Nullum enim crimen est, quod magis peragrauit ea, quae ad rem ecclesiasticam pertinent, quam hoc turpissimum scelus, vt crederes, hoc fuco nefando causam religionis indiguisse. Sed DEI prouidentia factum est, vt fraudes impiae falsariorum detectae sint, licet diu latuerint, quamdiu omnia densissimis tenebris obducta fuerunt. Verum hae IOANNI HARDVINO *in prolus. de nummis Herodiadum* haud debuerunt ansam dare, fere quaeuis scripta sacra et profana ante FRIDERICI II. tempora composita in dubium vocandi, et impudentissima suspicione eorum fidei detrahendi; qua de causa ipsa societas, cuius socius HARDVINVS fuit, publico scripto hanc detestata est audaciam, ipsumque ad recantationem adegit. Hominis effrenem impudentiam ex his capere licet verbis, quae habet *p. 51. sq. Afferam hoc loco, non inanis quidem semper coniectoris, sed nunc tamen plus iusto fortassis suspicacioris, ingenioque nimium indulgentis hominis coniecturam.* Tertii personam induit, ne, a semet ipso hanc vanam coniecturam esse excogitatam, lector opinetur. Ast sub hac larua haud diu latuit. Pergit vero in fabula recensenda: *Accipiet quisque vt volet: deprehendit ille, vt quidem mussitabat nuper nobiscum, coetum certorum hominum* (monachorum forsan) *ante secula, nescio quot, extitisse, qui historiae veteris concinnandae partes suscepissent, qualem nunc habemus, cum nulla tunc extaret: sibi probe notam illorum aetatem atque officinam esse: inque eam rem istis subsidio fuisse Tullium, Plinium, Maronis Georgica, Flacci sermones et epistolas: nam haec ille sola censet, quod vereor, vt cuiquam suadeat, ex omni latina antiquitate sincera esse monumenta, praeter inscriptiones admodum paucas, Fastosque nonnullos. E ceteris scriptis monumentis, qui hodie valde sudant, vt conciliatis, quanta licet ingenii vi, sententiis inter se plerumque diffidentibus, historiae corpus vnum repraesentent; eos sibi videri, aiebat, ex pluribus fabulis nouam*

Falsa infinita in scriptis ecclesiasticis.

Inde Harduino suspicio nata quaeuis in dubium vocandi.

alteram velle fabricari ac ſcite concinnare, ſecum omni ex parte aptius cohaerentem. Addebat, illis annalium architectis maiori fuiſſe adiumento magnam nummorum antiquorum, quam diligentiſſime congeſſerant, ſuppellectilem. Horum poteſtatem inprimis fuiſſe penes totius conſilii principem ac primarium totius operis architectum; cui propterea, quod vt theſaurum draco, ſic ille nummos in arca incredibili ſollicitudine cuſtodiret, nec niſi parce admodum eorundem vſum conſpectumque ceteris impertiret, iocoſe ſodales geminum SEVERI ARCHONTII *nomen fecere: alterum latinae conſuetudinis a moroſitate; graecum alterum ab eo, quem inter eos gereret, veluti magiſtratu.* Non defuerunt, qui ſuspicionem hanc male fundatam ſcriptis ſolidis prorſus eradicare ſtuderent, quorum enumerationem retulit Dn. de MEYERN *in praefat. ad tom. III. act. pac. Weſtphal. publ.*

Falſitas quoque in diplomatibus: inde bellum diplomaticum. Cuius fata varia.

§. II. Circa medium ſeculi praecedentis erupit *bellum diplomaticum*, cuius fata et hiſtoriam ſuccincte enarrant ill. Dn. de LVDEWIG *in praefat. tom. I. reliq. MSCt. §. 15. ſeqq.* et Dn. de MEYERN *cit. l.* cuius etiam mentionem iniicit GODEFRIDVS, *abbas Gottwicenſis* in *praefat. tom. I. chronici Gottwicenſis.* Cum enim GOTHEFRIDVS HENSCHENIVS duobus ſcriptis, poſtea cum ſocio DANIELE PAPEBROCHIO in *propylaeo antiquario circa veri et falſi diſcrimen in vetuſtis membranis*, praefixo *tom. II. act. SS. menſ April.* quibusdam diplomatibus fidem derogaret, maxime quae cauſam Benedictinorum concernerent, anſam hoc dedit IO. MABILLONIO, vt egregium *de re diplomatica* opus anno 1681. concinnaret. Huic anno 1703. bellum indixit, itidem ex ſocietate Ieſu ſodalis, BARTHOLOMAEVS GERMON in diſceptatione *de veteribus regum Francorum diplomatibus et arte ſecernendi antiqua diplomata certa a falſis*, quo ſcripto deinceps *bellum diplomaticum* reſuſcitatum et variis agitatum opuſculis.

Ieſuitis obnitentibus.

Aegre admodum habuit Ieſuitas, quod iudice Dn. de LVDEWIG. *cit. l.* hi *id egiſſe* arguantur, *vt omni vetuſtati indixerint bella*, atque adeo *nefario et improbo conſilio, quicquid redoluit ſacram vetuſtatem*, penitus conuellere ſtuduerint, denique *forte hoc conſilio deſcribere ſuſceperint* ACTA SANCTORVM, *vt in hoc argumento campum haberent ampliſſimum, omnia conuellendi, exaggerandi literarias impoſturas, fraudes, fabellas, commenta, cum iisque etiam plenae fidei documenta et teſtes impetendi, commiſcendi prima cum vltimis et demum ſubuertendi deſtruendique omnem vetuſtiorum ſeculorum memoriam.* Patrocinium ordinis

nis contra hanc imputationem suscepit IOANNES BAPTISTA SOLLERIVS, e Soc. Iesu in epistola ad IOANNEM FRIDERICVM SCHANNATTVM contendens, quod etsi daretur, HARDVINVM, PAPEBROCHIVM et GERMONIVM apertissimo marte in totam rem diplomaticam grassatos fuisse, non tamen horum factum ad omnes Iesuitas porrigi posse: PAPEBROCHIVM se frequentissime et sincerissime testantem audiuisse, id sese amici sui MABILLONII opera feliciter consecutum, quod conatu suo vnice intenderat: *nimirum regulae demum aliquae reperirentur, quo falsa diplomata a veris discerni possent:* Acta sanctorum ab illustri Dn. de LVDEWIG appellari *opus aeternum duraturum, vt dici et extolli satis non possit, quam immanis asseruetur diplomatum et plenae fidei documentorum apparatus*, adeoque asseri non posse, sodales huius societatis eo consilio describere suscepisse haec acta, vt quicquid redolet sacram vetustatem, subuerterent, et destruerent. Vestigia MABILLONII in tradendis regulis, quibus falsa et spuria a genuinis et veris diplomatibus discerni possent, ante triennium pressit praelaudatus *praesul Gottwicensis* in iam laudato *tom. I. chronici Gottwicensis*, quem ceu *prodromum* praemisit. Cum enim animaduerteret, MABILLONII labores intra diplomata a *Merouingicae* et *Carolingicae stirpis* regibus concessa, interque tabulas, res Gallicas duntaxat spectantes vt plurimum, substitisse, neque ad superstes adhuc in Germania verissimorum Francorum regnum, post extinctam CAROLI M. prosapiam in CONRADO I. continuatum, progressos esse, adeoque adhuc desiderari in Germania nostra *diplomaticae artis systema*, MABILLONIO simile, prouinciam hanc, quae a nemine adhuc occupata fuit, sibi vindicauit venerandus praesul, atque *tom. I. P. I. de codicibus MSCtis antiquis & de imperatorum ac regum Germaniae diplomatibus a* CONRADI I. *aeuo; P.* II. vero *de eorundem palatiis, villis et curtibus regiis atque de Germaniae medii aeui pagis*, magno cum eruditionis apparatu egit, et plusquam Herculeo labore difficultates in re diplomatica superauit. Regulis hisce criticis, quibus efformandis *bellum diplomaticum* ansam dedit, id effectum est, vt diplomata *spuria* et *falsa* a *genuinis* faciliori opera discerni queant. Testatissimum enim est, plura diplomata, quae euidentes falsitatis notas habent, a monachis olim fabricata fuisse; plura etiam proferri, quorum originalia deficiunt, iniuria temporum vel incendio consumta, quae tamen *sinceritatis* grauissimae argumenta habent, vt in his recte diiudicandis multum sine dubio situm sit.

laudatur Gottwicense chronicon.

Notæ falsitatis a pontifice relatæ.

§. III. Quocirca pontifex in *c. 12. X. de priuil. in f.* recte censuit, talia diplomata *fine reprehensione bullæ, chartæ, vel literæ* apparere debere, quæ omnia ex æuo, quo illa conscripta sunt, æstimanda sunt. Imposturarum harum notas et argumenta aliquot recenset INNOCENTIVS III. in *c. 5. X. h. t.* Harum prima nota est, si *falsa bulla falsis literis apponitur*, h. e. si in textu nihil sani habet, et sigillo communitum est supposititio, quod declarat B. HEINECCIVS *de veter. German. sigill. P. I. c. 17. §. 3.* et exemplis quibusdam illustrat MABILLON. *de re diplomat. lib. 1. c. 6. n. 6.* Meminit VRBANVS III. in *c. 3. X. h. t.* quorundam clericorum, *qui falsauerant sigillum regis Francorum* PHILIPPI, quos grauissima pœna, etiam *impressione characteris cuiusdam* atque *exilio*, mulctandos esse censuit. Secunda est, *si filum de vera bulla extrahitur ex toto et per aliud filum immissum falsis literis inscritur*, h. e. si bulla ex veris literis falsis apponitur. Filis *cannabinis* vsos pontifices, sed etiam *sericis*, obseruat HEINECCIVS *cit. l. p. 171.* Verum ratio rescriptorum habenda; rescriptis enim *gratiæ* apponitur *filum sericum;* iustitiæ vero *cannabinum*, teste ENGELIO *in colleg. iur. canon. tit. de rescript. n. 17.* adeoque literas apostolicas tam in *bulla*, FILO, et *charta*, quam in *stylo* intuendas esse, iubet papa in *c. 6. X. h. t.*, vnde liquet, ex *fili qualitate* quoque falsitatem cognosci posse. Tertia est, *si filum ab ea parte, in qua charta plicatur, incisum, cum vera bulla falsis literis immittitur, sub eadem plicatura cum filo similis cannabis restauratum.* Quarta: *si a superiori parte bullæ pars fili sub plumbo rescinditur et per id filum literis falsis inserta reducitur intra plumbum.* Quinta: *cum literis bullatis et redditis in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur.*

Ex bulla, filo charta et stylo diiudicandæ.

Rasura in loco suspecto.

Rasura intelligitur in *loco suspecto*, veluti *annotatio temporis*, in qua multum situm est, recensetur *c. 7. X. de relig. domib.* Exemplum adfert pontifex in *c. 25. X. de rescript.* de falsificatore, qui *diem* et *locum* ex literis radens in loco rasuræ aliud scripserat; item aliud in *c. 14. X. de priuil. et c. 4. X. h. t.* Ceterum paucarum literarum rasura, in loco non suspecto, quæ nequaquam sapientis animum in dubitationem vertere debet, falsitatis suspicionem non arguit. *c. 5. X. h. t.* A rasura tamen, quæ dolo vel consulto facta est, distingui debet *abrasio*, quæ *casu fortuito* fieri potest per frequentem vsum, adeoque literæ inde haud suspectæ reddi debent. *c. 3. X. de fide instrum.* conf. STRYK. *de rasura.* Euidentior falsi species est sexta: *cum scriptura literarum, quibus apposita vera bulla cum aqua et vino vniuersaliter abolita seu deleta, eadem charta*

cum

cum calce et aliis iuxta consuetum artificium dealbata de nouo rescribitur. Septima: *cum chartæ, cui apposita fuit vera bulla, totaliter abolitæ vel abrasæ, alia subtilissima charta eiusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutino iungitur.* Octaua: *si quis scienter literas non de pontificis aut bullatoris manu recipiat*, quod INNOCENTIVS III. in *c. 4. X. h. t.* sub grauissima pœna cauerat. Nona: *qui accedentes ad bullam* seu ad Datariam *falsas literas caute substituunt, vt de vera bulla cum aliis sigillentur.* Decima: *si in modo dictaminis vel in forma scripturæ vel qualitate chartæ* falsitatis occurrunt argumenta. Si in dictamine h. e. in *stylo curiæ* insolita formula deprehenditur, euidens *falsitatis indicium* inde nascitur. Curiæ Romanæ videlicet hæc est consuetudo, vt patriarchas, archiepiscopos, episcopos *fratres;* ceteros autem reges, principes vel alios cuiuscunque ordinis *filios* in literis appellat. Et cum *vni* tantum personæ literæ diriguntur, nunquam ei loquitur *in plurali*, vt *vos*, siue *vester*, adeoque si hæc inuertuntur, falsum commissum præsumitur, *c. 6. X. h. t.* de quo ex professo agunt THEODORVS AMYDENVS de *Dataria et stylo Datariæ* et STRYKIVS *de stylo curiæ.* Huc etiam pertinet, *si literæ manifestum continent in constructione peccatum, c. 11. X. de rescript.* quod non credibile sit, manifestum vitium incorrectum relictum esse, cum per plurium manus literæ transeunt; quæ ratio tamen parum euincit, nec infallibilitatis prærogatiua, quam curia Romana sibi asserit, ad grammaticam extendi debet. Ceterum si ex scriptoris festinatione vitium aliquod in literis obrepserit, hoc rescripto minime obesse dicitur in *c. 11. X. de fide instrum.* cum tamen ratio adducta hic quoque applicari queat. Multum omnino quoque situm esse in *formulis antiquis,* et *stylo* cuiusuis æui, vt vera a falsis diplomatibus discerni queant, docet præsul Gottwicensis *tom. I. chron. Gottwicens. lib. 2. p. 116. §. 18. seqq.* variisque obseruationibus illustrat.

Suspicio ex stylo insolito.

Vel ex vitio in constructione.

§. IV. Cum itaque falsitatis notæ potissimum colligantur ex *sigillis, stylo, charta et modo scribendi*, qui in singulis seculis fere diuersus fuit, in antiquis diplomatibus recte diiudicandis ad hæc argumenta potissimum recurrendum. Hoc modo examinatum fuit diploma *Abbatiæ S. Donati* a procuratore Mediolanensi in *c. 6. X. de fide instrum.* cui hæc opponebat vitia: 1) quod in annotatione indictionis, vnde falsitas facilius potuisset deprehendi, apparuisset consumtum: 2) quod charta vetustissima visa fuerit, recentior vero scriptura, tanquam illo tempore non facta: 3) quod falsum sigillum appositum visum fuerit, in quo a media parte apparuit quædam imago non *cum mitra* in capite

Exemplum artis criticæ in c. 6. X. de fide instrum.

pite, ſed *cum pileo*, nec induta *pontificalibus* ſed *regalibus indumentis*, tenens in manu non *baculum paſtoralem*, ſed quaſi *ſceptrum regale*, cuius facies non apparuit integra, ſed dimidia, tanquam in illa medietate reſpiceret aliam mediam, quæ tamen tota vacua remanſerat etc. 4) quod in ipſo ſigillo nullæ aliæ litteræ apparuerint, niſi quæ nomen proprium cum hac adiectione: *DEI gratia* deſignauerint. Pro huius illuſtratione ſequentia ſubiungit: *Sed cum proprium nomen ipſius epiſcopi fuerit* LVITHARDVS, *et in nomine proprio, quod exprimebat ſigillum, deletæ fuerant duæ literæ, ſecunda, quæ erat inter L. et T. et ſexta, quæ fuerat inter T. et V., ita quodſi ſecunda O. et ſexta fuiſſet I., procul dubio non Luithardus ſed Lotharius legeretur, quod etiam inde conuinci poterat, quod ſecundum diſpoſitionem aliarum literarum inter L. et T. non erat ſpatium, niſi quod potuiſſet vnam literam continere, cum ſecundum integritatem huius nominis: Luithardus, inter L. et T. duæ literæ ſunt diuerſæ, præterea inter T. et V. tam modicum erat ſpacium, vt in eo nec hæc litera D. quæ maius occupat ſpatium, ſed litera I.*, quæ minimum occupat, videretur formata fuiſſe: 5) quod cera ſigilli ab interiori parte vetuſtiſſima, quæ autem poſita ab exteriori parte quaſi ad conſeruationem ſigilli recens et mollis viſa fuerit, atque ita manifeſtum, ſub vetuſto ſigillo chartam fuiſſe perforatam et per glutinum nouæ ceræ, quæ fuerat poſita exterius, vitioſe ipſi chartæ ſubiunctum. Pergit ad Henrici imperatoris priuilegium, eique opponit, (α) quod publica manu haud confectum, nec (β) *ſigillum* habuerit *authenticum*, eo quod ex media fere parte conſumtum, nec plus de nomine proprio, niſi vltima medietas, videlicet ICVS, nec de ceteris literis, niſi hæc adiectio: *Dei gratia*, apparuerit, ita vt ex literis non magis potuerit comprobari, fuiſſe *ſigillum* HENRICI quam LVDOVICI. Præterea (γ) quod in ipſa ſcriptura quædam apparuerint literæ et ſubſcriptio Notarii manus alterius viſa fuerit, quam ſubſcriptio inſtrumenti, *cum tamen notarius in ſubſcriptione profeſſus ſit, ſe inſtrumentum manu propria conſcripſiſſe.* (δ) Quod litera quoque recentior viſa, quam charta, et aqua encauſtum infectum, vt antiquius appareat. Talia argumenta critica multum operantur ad fidem detrahendam inſtrumentis, quod etiam agnouit Abbas *Gottvicenſis cit. l. p. 113.*

Falſitas etiam colligitur ex ſuperlineari ſcriptura.

§. V. Falſitas præterea in literis et bullis papalibus aliisque documentis antiquis ex variis aliis colligitur argumentis, vtpote (1) *ex ſuperlineari ſcriptura*, æque vt ex *raſura* fides inſtrumenti in dubium

bium

bium vocata fuit id. *c. 7. X. de relig. domib.* Tunc vero inde falsum arguitur (α) si in *loco suspecto* posita, et notabilem circumstantiam contineat: (β) diuersa manu, et (γ) diuerso expressa atramento, vt recte obseruat STRYK. *de rasura c. II. n. 18.* Ipsi codices antiqui ex hac *superlineari scriptura* pessime corrupti sunt; nonnunquam enim horum possessores notulam quandam binis verbis vel in margine vel super ipso textu memoriæ gratia addiderunt, quam descriptores postea in ipsum transtulerunt textum ex imperitia, vnde sensus eius grauissime turbatus est, vt obseruat præsul Gottwicensis *tom. I. P. I. chron. Gottwic. p. 4.* Ni me omnia fallunt, talis notula, ex manu imperita textui addita, irrepsit in ipsum textum *l. 16. D. re iudic.* quod vel ipsa indicant verba: *socium autem omnium bonorum intelligendum est*, quæ crassam sapiunt barbariem, nulli ICto Romano tribuendam, imo a veritate iuris alienissimam, vt docet *l. 63. D. pro socio.* (2) Liquet quoque falsum ex *ipso literarum tenore*, vtpote si sub nomine *maioris partis capituli* literæ consignatæ, per attestationes testium tamen constet, longe maiorem partem capituli non fuisse consciam huius modi literarum. *c. 33. in f. de testib.* Aeque irrita et falsa illa monumenta habenda, in quibus *absentium* tanquam *præsentium* capitularium nomina inscripta sunt. *c. 5. X. de his quæ fiunt a prælat. sine cons. capituli.* Quæ enim a capitulo peragenda *capitulariter*, ad hæc quidem omnes, qui sunt de capitulo, vocandi, vt tamen absentium legitime vocatorum non sit habenda ratio, adeoque *præsentium* nomina tantum designanda et protocollo inserenda sint, vt *ad cit. tit.* obseruatum est. (3) Falsum committunt, qui literas a sede Romana *absque dominorum voluntate* impetrant, adeo vt talia rescripta non valeant, et impetrans vt falsarius puniatur, quod etiam ad alios *falsos* procuratores trahi debet. *c. 28. X de rescript.* (4) Qui scienter *falsas literas* præsentauit; *c. 2. X. h. t.*; qui si laicus est, excommunicatione, a solo pontifice relaxanda, feriendus; *c. 2. 4. X. h. t.* si vero clericus, officii et beneficii suspensione damnandus. *c. 4. 7. X. h. t.* (5) Qui timens, ne literas portaret Vriæ, scripta ad curiam Romanam deferenda aperuit, et sigilla violauit. *c. 33. X. de offic. et pot. iudic. deleg.*

ex tenore ipso literarum,

ex defectu mandati,

ex præsentatione falsarum literarum,

ex apertura literarum.

§. VI. Inprimis vero falsum committere dicitur, qui falso inscriptos impiorum libros tanquam sacros in ecclesia ad populi et cleri corruptionem publicauit, vt in *c. 59. canon. apost.* dicitur. Et tamen hi ipsi *canones apostolorum* eadem adspersi sunt labe, apostolis per falsum adscripti, et ab hæreticis compositi, *c. 1. D. 16.* quod euidenter mon-

Ex publicatione falsorum librorum.

Vt sunt canones apostolici.

monstratum fuit DALLAEVS *de pseud-epigraph. apost.* Hoc tamen non obstante postea approbati in *c. 4. D. 16.* et a DIONYSIO exiguo in *codicem canonum ecclesiæ vniuersæ* relati, atque hoc modo *in occidente* per summam iniuriam legitimati. Prolixum catalogum horum scriptorum *apocryphorum* h. e. spuriorum, per merum falsum effictorum, olim ab ecclesia Romana reiectorum, sistit GELASIVS in *c. 3. D. 15.* inter quæ etiam *itinerarium S. Petri* CLEMENTI adscriptum, *canones apostolorum*, et librum HERMAE *pastoris* memorat. Ex his plurima coniunctim edidit tribus partibus IO. ALBERTVS FABRICIVS *in codice apocrypho noui testamenti collecto et castigato*, quibus merito addenda *Hierarchia*, DIONYSIO Areopagitæ per falsum attributa, quæ seculi quinti faciem potius refert, vt docet IO. DALLAEVS *de script. Dionys. Areopag.* Et quid dicam de ISIDORI Mercatoris vel potius impostoris spuria collectione epistolarum decretalium episcoporum Romanorum, qui ante SIRICIVM vixerunt? Hæ manifesta fraude per merum mendacium ab impostore compositæ sunt, vt eruditi omnes ad vnum fatentur, si TVRRIANVM, quisquiliarum defensorem, exceperis, et tamen in tenebris, in quibus prodierunt, adeo omnium obnubilarunt oculos, vt pro genuinis habitæ, et a REGINONE, BVRCHARDO, IVONE et GRATIANO insignes particulæ ex illis insertæ fuerint collectionibus compilatis. Inde non mirandum, ex his quisquiliis disciplinam antiquam ecclesiasticam admodum mutatam, et ab aula Romana noua et hactenus inaudita principia, in incrementum supremæ potestatis, assumta fuisse. Hisce igitur adulterinis mercibus exorbitans pontificis imperium nititur, quas solide detexit DAVID BLONDELLVS in *Pseudo-Isidoro.* GRATIANI *Decretum* inprimis hisce falsis principiis autoritatem dedit, cum pontifices ex eo decisiones suas formarint, et vsus forensis multa ex eo hauserit, quod *c. redintegranda 3. C. 3. q. 1.* perspicue monstrat, qui a falsario nominato compositus est, vnde tot næui in vsum forensem propagati sunt. Ita vero testatissimum est, *falsa* pedetentim autoritatem iuris consequi, per imperitiam pro *veris* assumta, et vsu longæuo comprobata. Denique huc quoque pertinent tot fabulæ aniles in *vitis sanctorum* occurrentes, veluti de CVNECHVNDA, diabolo ad instar mancipii vtente, THEODORO Sedunensi, dæmonem ad portandam campanam adhibente, et infinita alia, quæ a pia fraude non sunt immunes.

Aliaque apocrypha.

Inprimis Isidori impostoris collectio.

Vnde multa hausit Gratianus.

§. VII. Denique falsariis annumerantur in *c. vn. extrau. comm. h. t. alchymistæ*, qui spondent, quas non exhibent, diuitias, et *monetarum*

Falsum circa rem monetariam,

tarum falsificatores, seu qui ex auro et argento adulterino cudunt nummos vel scienter expendunt. Per illos intelligit IOHANNES XXII. qui verbis fucatis dissimulant falsitatem, *vt tandem, quod non est in rerum natura, esse verum aurum et argentum sophistica transmutatione confingant*, h. e. qui adulterinum aurum et argentum conficiunt, et pro vero per *imposturam maxime damnabilem* vendunt, fingentes, se metalla minora in aurum argentumque mutare posse. Hi tanti ponderis aurum et argentum pœnæ nomine inferre coguntur in publicum, pauperibus erogandum, quanti alchymicum consistit, perpetuæ infamiæ nota adspersi. Verum de horum et adulterinam monetam cudentium pœnis criminalibus hic non agendi locus, quas determinat *sanctio Carolina*.

et alchymiam.

TITVLVS XXI.

DE

SORTILEGIIS.

§. I.

Impostoribus, de quibus *tit. anteced.* actum, proxime accedunt *sortilegi*, qui *sortibus* maxime *diuinatoriis* occupantur, aut magicas incantationes exercere dicuntur. De his sortibus ex professo egit BVLENGERVS, quæ maximam *theologiæ idololatricæ* partem constituerunt. DEVS quoque abominatus est in veteri fœdere auguria aliasque *diuinationes idololatricas*, easque seueris pœnis coercuit. Genera earum diuersa ex antiquitatibus solide exposuit ANTONIVS van DALE *de diuinat. idololatr. in scriptura veteris testamenti memoratis.* Ceterum variæ erant *sortes*: 1) *diuisoriæ*, magnum vsum in *rebus communibus* diuidendis habentes, de quibus egit WILDVOGEL *de iudic. fortunæ*, quæque vsu gentium in caussis *publicis* et *priuatis* vsitatissimæ, obseruante OLIVARIO VREDIO *in histor. comit. Flandr. P. I. p. 242.* Vnde etiam *consortes fratres*, quibus commune est patrimonium, *l. 31. §. 4. de excus. tutor.* et partes hereditariæ *sortes*, etiam in sacris, vocantur. 2) Aliæ

Autores de sortilegiis.

Variæ sortium species.

suffragatoriae, de quibus quaedam dicta sunt *tit. de elect. tom. I.* §. 57. et *tom. III. tit. de iur. patron.* §. 74. plenius autem ab ill. Dn. de LVDEWIG *de sorte suffragatoria.* Illustre exemplum electionis, per *sortem* susceptae, deprehenditur in *actis SS. ad diem X. Ian.* in *vita* GVILIELMI archiepiscopi Bituricensis *p. 649.* §. 2. 3) Aliae *consultatoriae*, quibus in occultis diuina manifestatio pandebatur, in sacris frequentissima. *Iud. VII, 18. 1 Sam. XIV, 38. sqq.* 4) Aliae *diuinatoriae*, quae reprobatae, illicitae, damnatae, atque huius loci sunt. Variae quoque *sortitiones* Hebraeis vsitatae, quarum rationem ex antiquitatibus iudaicis eruit MARTINVS MAVRITIVS *de sortitione veterum, Hebraeorum imprimis.* Antiquitates Romanas circa sortes tum *priuatas* tum *publicas* succincte tradit IACOB GVTHERIVS *de veter. iure pontif. lib. IV. c. 11. sq. p. 418. sqq.* circa *praenestinas* vero *sortes et fortunam*, speciatim LILIVS GREGORIVS GYRALDVS in *Syntagm. histor. Deor. XVI.* Olim etiam *sortes Virgilianae* et *Homericae* inter *infideles*, inter *fideles* vero *sortes sanctorum* pro diuinatione futurorum euentuum adhibitae sunt, quorum rationes explicant LINKIVS *de sortib. sanctor.* et Autor *obseru. ad rem literar. spect. Hallens. XIII. tom. IV.*

Quid sors?

§. II. Equidem *sors*, iudice TVLLIO *de diuin. lib. 2. idem propemodum est, quod micare, quod talos iacere, quod tesseras, quibus in rebus temeritas et casus, non ratio et consilium valet;* creditum tamen antiquis fuit, sortibus adesse concursum *quendam diuinum*, et per angelos eas dirigi iuxta voluntatem diuinam, vt *religionem quandam* in sortitione adhibuerint Israelitae pro voluntate diuina eruenda, ceu plenius monstrat MAVRITIVS *de sortit. c. 5. et 6.* Hoc admisit etiam AVGVSTINVS in *c. 1. C. 26. qu. 2.* aiens: *sors non aliquid malum est, sed res et in dubitatione humana* DIVINAM INDICANS VOLVNTATEM, quod sine dubio de *religione sortis*, Israelitis familiari, et coram tabernaculo ac summo sacerdote peragenda, accipiendum est, quam illustrat LEIDEKKERVS *de republ. Hebraeorum lib. VI. c. 1.* Etiam apostolos hac religione vsos fuisse, clarescit ex *Act. I, 24. 25. 26.*, vnde tamen non *regula* sed magis *ius singulare* seu exceptio a regula formari debet ex iudicio HIERONYMI in *c. 2. ibid.* Vnde BEDA in *c. 4. ib.* concludit: *Non exemplo Matthiae, vel quod Ionas propheta sorte deprehensus sit, indifferenter sortibus est credendum, cum priuilegia singulorum, vt Hieronymus ait, communem legem facere non possint. Si qui tamen necessitate aliqua compulsi Deum putant sortibus exemplo apostolorum consulendum, videant, hoc ipsos apostolos non nisi collecto fratrum*

De concursu diuino ad eam.

Qui non regulam constituit, sed ius singulare.

trum cœtu et precibus ad DEVM fuſis egiſſe. Cum enim chriſtiani animaduerterent, in antiquo fœdere ſortium pro eruenda voluntate diuina ſacrum fuiſſe vſum, quem etiam gentiles colebant, κακοζηλία nimia effecit, vt eius praxin quoque variis modis introducere et adhibere ſtuduerint, cum tamen, quod Iſraelitis *ſingulari iure* et modo eſſet præſcriptum, ad fœderis noui diſciplinam ab his oraculis trahi haud potuerit.

Sortes ſanctorum,

§. III. Inde natæ ſunt *ſortes ſanctorum*, et olim κατ' ἐξοχὴν *ſortilegi* dicti ſunt, *qui ſub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas ſanctorum ſortes vocant, diuinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcunque ſcripturarum inſpectione futura promittunt. c. 1. C. 26. qu. 1.* Eo peiores hæ ſortes erant, quod ex moribus gentilium tractæ eſſent, quibus *ſortes Virgilianæ* et *Homericæ* vſitatæ erant. Etenim antequam rem aliquam alicuius momenti aggrederentur, de euentu futuro ſolliciti, HOMERVM atque VIRGILIVM, patres poetarum, euoluebant, atque ex verſibus, legentibus primo ſtatim intuitu obuenientibus, euentum vel ſiniſtrum vel ſecundum diuinabant, prout exemplis illuſtratum in *tom. IV. obſeru. Hallenſ. 13. §. 5. ſqq.* Hunc morem etiam ſuperſtitioſi adhibebant inter chriſtianos, ad eccleſiam vel ſepulchrum ſancti cuiusdam pergentes, et peracta miſſa, aperto ſacro codice, ex verbis primo obuiis voluntatem diuinam agnoſcere et expiſcari cupientes. Ritum eius, olim vſitatum, ex *vita S. Conſortiæ virginis* apud MABILLONIVM *in act. Benedict. ſec. I. p. 249.* iam retuli *in not.* ad CORVINI *aphor. iur. canon. h. t. lit. k.* quem paucis repetam. AVRELIVS iuuenis quidam in matrimonium ex amore ſingulari petebat CONSORTIAM, quæ tamen ſtatum virginitatis præferebat, tandemque inducias aliquot dierum ad deliberandum petebat. *Die autem ſeptimo*, ait AVTOR *vitæ prædictæ, veniente ad ſe Aurelio iuuene illuſtriſſimo cum matronis, quas pridem ad illiciendum eius animum deſtinauerat, et interrogantibus, quid intra indultas deliberaſſet inducias, reſpondit, dixi vobis iam, nec promittendi mihi facultas eſt, nec negandi poteſtas. Sed omnia mea in manu DEI ſunt. Sed, ſi vultis, pergamus pariter ad eccleſiam, agetur miſſa, ponatur euangelium ſuper altare, et communi oratione præmiſſa, codice patefacto, inſpiciamus domini voluntatem ex illo capitulo, quod primum occurrerit. Quod cum factum eſt, reuoluto codice, DEI famula cepit legere: dixit dominus Ieſus diſcipulis ſuis, qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. Et magno impleta gaudio dixit ad iuuenem: tu tibi*

a ſortibus Virgilianis tractæ.

Exemplum ſortium ſanctorum.

quaere sponsam secundum voluntatem tuam; nam sponsus meus Christus est, qui non me vult derelinquere. Monasticae superstitioni hoc institutum deberi eo probabilius, quod quaeuis *superstitionis* documenta ex monasteriis originem traxerint, vnde etiam CONSORTIA, sine dubio a monachis inducta, non voluntate diuina ducta, ad has *sortes consultatorias* confugit; neque enim Deus hoc vano ritu suam voluntatem eruendam esse aut voluit aut vllo approbauit indicio.

Ex monastica superstitione ortarum.

Cuius sacra referuntur.

§. IV. In veteri codice MSCto *maioris monasterii Parisiensis* PETRVS PITHOEVS inuenit *formulas precum* in his sortium sacris olim vsitatas, quas FRANCISCVS PITHOEVS *veteri canonum codici ecclesiae Romanae*, Parisiis anno 1687. edito *p. 370. sqq.* subiunxit, ex quibus euidentius patescit, quam insignis his sortibus religio adscripta fuerit, vt indicat hoc breue prooemium, quod *stylum monasticum* sapit: *incipiunt sortes sanctorum apostolorum, quae nunquam fallentur aut mentientur,* Pariter in fine haec adduntur: *Hae sunt sortes sanctorum, quae nunquam falluntur et mentiuntur. i. e. Deum roga et obtinebis, quod cupis. Age ei gratias.* Ipse ritus hoc modo depingitur: *In ordine sortium est consuetudo, quod si illas aliquis interrogare voluerit, triduo ieiunet cum pane et aqua, et tertia die omne officium sanctae trinitatis psallat, et, expleta missa, cum magna humilitate orando et lacrymando, a sortibus petat, quicquid necesse fuerit. Pater noster.* Sequitur oratio: *Aperi domine dubia, quae sunt in cordibus nostris, per hanc sortem, et dirige eam, sicut direxisti sortem nautarum, qui naufragium patiebantur, quando cecidit sors super Ionam, et sicuti direxisti sortem Apostolorum tuorum, quando cecidit sors super Matthiam: immitte, domine, spiritum veracem, quem tu misisti per prophetam tuum, qui vidit vniuersum Israelem dispersum, sicuti oues errantes in montibus. Expelle, domine, spiritum fallacem, quem tu misisti ad decipiendum Acab, quando cecidit cum omni exercitu suo. Dirige, domine, sortem hanc, quam mittam in nomine tuo, per merita et orationes Sanctorum Angelorum tuorum,* QVI SORTES AMICORVM CVNCTORVM REGVNT, *vt haec sors veritatem nobis huius rei inducat per Te, Saluator mundi, qui viuis &c.* Alia oratio: *Oremus ad te, Domine pater, Rex coeli et terrae, qui es creator omnium rerum creatarum, qui cuncta ex nihilo omnia mundi creasti, et Abraham patrem nostrum te daturum nobis iurasti, et Moysi in monte Sinai legem dedisti, et Susannam de falso crimine liberasti, et Tobiam de contritione cordis in alacritate mutasti, et nurui suae de magna amaritudine cordis afflicta et lacry-*

lacrymarum fonte tribuisti dulcedinem: qui exaudisti Ionam de ventre ceti, et deinde prostratum et iacentem Petrum lacrymantem, domine, suscepisti: suscipe, domine, preces meas, vt de hac re, quam peto, per has sortes mihi notum facias, qui sciens es per omnia et in omnibus, qui in sancta et in perfecta trinitate viuis et in vnitate consistis, per omnia secula seculorum. Amen. Documento hæ antiquæ formulæ sunt, (α) *religionem sortis*, inter Israelitas vsitatam, argumentum præbuisse pro legitimandis *sortibus sanctorum*, et voluntatis diuinæ indices fuisse, prout ORIGENES *homil. 23. in Ios.* quoque censuit: *praecedente namque oratione, non iam casu sed prouidentia, sors diuinum iudicium deferebat:* (β) Deum regere sortem *per angelos*, vt voluntas diuina inde patescat: (γ) has formulas conceptas esse a quodam superstitioso monacho, quod vel stylus in vltima oratione satis indicat.

Consectaria ex hoc ritu.

§. V. Adhæsit adhuc hæc superstitio FRANCISCO LAMBERTO, celeberrimo Theologo, ex monasticis moribus; vtut Minoritarum ordine relicto ad puriora sacra tempore reformationis circa annum 1522. transierat. Vitam eius descripsit clariss. SCHELHORNIVS *tom. IV. amœn. literar. p. 307. sqq. et pag. 373. §. 12.* scripta eiusdem enarrat. Inter hæc notabilis est tractatus *de fidelium vocatione in regnum Christi i. e. ecclesiam*, in cuius *c. XXII. sortium vsum* commendat in casibus vocationum perplexis, modumque earum docet, etiam a se ad Metenses vocato adhibitum. Quia prædictus SCHELHORNIVS integrum caput sistit, non iniucundum erit, illud hic repetere, vt conditiones, quas desiderat LAMBERTVS in vsu sortium, inde liqueant. *In rebus seriis*, ait, *dum est perplexitas, sicut in vocatione, in vocibus ecclesiarum aut senatuum ac similibus, in sortis missione, vt non sit illicita, hæc obseruentur. Primo videat quisque diligentissime, an ipsa perplexitas aliunde valeat dirimi, vt mens certa fiat, quid malit DEVS. Tum enim impium esset, mittere sortem, vbi alia via certitudo haberi potest. Secundo, vbi vident, quod non possint alioquin certiores fieri, orent dominum, vt suum beneplacitum sorte, quam instituit, palam facere dignetur, et vt confirmet corda eorum ad credendum verbo suo, quo DEVS ipse sortis temperator dicitur, (Prou. XVI.) atque vt suscipiant, quicquid sorte acciderit, pro* CERTISSIMO DECRETO AETERNAE VOLVNTATIS EIVS, *sicut olim fecit sanctis in Israel. Tertio proponat accipere, quicquid sorte euenerit, pro* DECRETO DOMINI, SICVT VERE EST, *Quarto ex fiducia purissima in ipsum sortium tempera-*

Exemplum inter A. C. addictos de Francisco Lamberto.

peratorem DEVM ſortem mittant, nihil dubitantes, quod per eam notam faciat DEVS voluntatem ſuam. Quinto id, quod ſorte ſibi monſtrauerit dominus, ſibi neceſſarium eſſe non dubitent. Manifeſtum eſt, LAMBERTVM ſortis iudicium pro *decreto voluntatis diuinæ certiſſimo* aſſumſiſſe, vnice ex hoc principio, quod DEVS *Prou. XVI.* dicatur *temperator ſortis*, cum tamen conclamatum ſit, hoc de religione ſortis *ſingulariter* Iudæis propria, et coram tabernaculo atque ſummo ſacerdote peragenda, intelligendum eſſe, non temere in conſequentiam trahenda. Addit deinde caſum de fratre quodam ad aliam eccleſiam vocato, qui in anguſtiis extremis conſtitutus voluntatem diuinam eruere per ſortes conſtituit, ſub quo ſine dubio factum proprium deſignare voluit. *Sicque*, ait, *ex fide et poſt multam orationem miſit ſortem, et ſors cecidit ſuper vocatione ſecunda.* Nondum ſatis contra regulas a ſe traditas certus de decreto voluntatis diuinæ, ſecunda et tertia vice idem experimentum adhibuit, *miſit namque*, ait, *ſortem, et ſors ipſa tertio cecidit, ſicut a principio. Tum deſeruit primam vocationem et adgreſſus eſt iter ad ſecundam.* Recte vero patres in *concilio Agathenſi c. 42.* relato in *c. 6. C. 26. q. 5.* tales diuinationes, maxime quæ fiunt *per ſortes ſanctorum*, improbarunt, quod *diuinationum ſpeciem* alant, quod etiam patres *Aurelianenſes in c. 9. ibid.* repetierunt. Sic etiam LEO IV. in *c. 7. ibid.* generatim epiſcopis Britanniæ *ſortium* vſum interdixit: *ſortes, quibus cuncta vos in veſtris diſcriminatis iudiciis, (quod patres damnauerunt) nihil aliud quam diuinationes et maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus, illas omnino damnari, et inter chriſtianos vltra nolumus nominari, et ne exerceantur, ſub anathematis interdicto prohibemus.* Tali enim ſuperſtitioſo modo eruere voluntatem diuinam, (quam *ſortes* dirigere per angelos credunt,) eſt DEVM tentare, et *extraordinariam reuelationem*, in ſacris haud iniunctam, quærere.

Reprobatio harum ſortium in iure canonico.

§. VI. Ceterum *ſortilegi* in genere vocantur, qui, more gentilium, quouis diuinationum genere vtuntur, et *aſtuta quadam fraudulentia hominibus futura coniectant*, vt dicitur in *c. 1. C. 26. qu. 3. et 4.* vel alias *magicas artes* atque *incantationes* adhibent, cuius variæ ſpecies referuntur in *c. 1. C. 26. qu. 2. et 3. et c. 14. C. 26. qu. 5.* Plenius eaſdem refert et explicat DANDINVS *de ſuſpectis de hæreſi c. XI. ſect. 4. 5. et 6.* nec non IO. ALBERTVS FABRICIVS *in bibliograph. antiquar. c. XII. §. 2.*, prolixum catalogum *diuinationum ſuperſtitioſarum* ex genti-

Generalis conceptus ſortilegorum.

gentilium disciplina ordine alphabetico exhibens, a quarum explicatione abstinebo.

§. VII. Duo tantum addo, 1) gentiles *certas verborum formulas*, quas *carmina* dixere, seu *incantationes*, in artibus magicis adhibuisse, quibus eam virtutem adscripserunt, vt possent DEOS, quorum ope se indigere, vel quorum conatus sibi aduersari credebant, cogere, quo minus vel sibi resisterent, vel desiderio suo voluntatem accommodarent. 2) Certa elegisse numina, quorum præsidio, ad *extraordinariam* quandam *operationem* perficiendam, opus haberent. *Carminibus* ipsis *magicis* magnam attribuebant virtutem gentiles, vt his vel mala quæuis depelli, vel eadem alicui adferri posse arbitrarentur. His etiam quidam vtebantur ad *medendum*, quos tamen VLPIANVS in *l. 1. §. 3. D. de extraord. cognit.* inter *medicos* non referendos iudicat; *non tamen*, ait, Medicis annumerandus, *si incantauit, si imprecatus est, si (vt vulgari verbo* IMPOSTORVM *vtar)* EXORCISAVIT; *non sunt ista medicinæ genera, tametsi sint, qui hoc sibi profuisse cum prædicatione affirment.* Ita VLPIANVS. PLINIVS SECVNDVS *lib. XXVIII. histor. natur. c. 2.* de hoc genere medicinæ anceps edisserit, quod animaduerterit, incantamentis ex gentilium theologia magnam vim vulgo tribui. Ait: *Ex homine remediorum primum maximæ quæstionis, et semper incertæ est, valeantne aliquid verba et incantamenta carminum. Quodsi verum est, homini acceptum fieri oportere conueniet. Sed viritim sapientissimi cuiusque respuit fides. In vniuersum vero omnibus horis credit vita, nec sentit.* Vsum quippe contrarium in gentilium sacris ipse obseruabat, licet sapientissimi quique virtuti horum incantamentorum fidem negarent, vt SOPHOCLES in Aiace: *haud medicus sapit ad vulnus carmen qui adhibet, vbi ferro opus est. Impostores* hos vocat VLPIANVS, quorum vulgare verbum erat *exorcisare*, seu *adiurare*, quod *carmine solenni* fiebat. Tali *adiuratione* vtebantur iudæi quidam *exorcistæ* circumforanei, περιερχόμενοι, de quibus *Act. XIX, 13.*, qui dæmones eiicere tentabant, eos adiurando per nomen CHRISTI. Obseruauerant enim, PAVLVM aliosque, hoc dono miraculoso instructos, energumenis manus imposuisse, atque dæmones eiecisse, non vlla *arte magica*, sed precibus, et simplici quadam adiuratione, IESV nomine nuncupato. Vtrum hos, siue *iudæos*, siue *christianos* intellexerit VLPIANVS, sub appellatione *impostorum*, vt ALCIATVS *lib. VIII. parerg.* censet, dubium est. Iudæi *exorcistæ* noti erant. Inter christianos quoque, statim tempore nascentis ecclesiæ, imo etiam

Carmina magica adhibentium.

Sub præsidio certi idoli vel numinis,

Etiam in carminibus medicina quæsita.

De quibus Plinii secundi iudicium adfertur.

Impostores indicati etiam exorcistæ.

Vtrum iudæos, christianos, an vero gentiles Vlpianus intellexerit?

iam tempore VLPIANI, sub CARACALLA et ALEXANDRO SEVERO florentis, non deerant, qui *dono* hoc *miraculoso* eiiciendi dæmones ab energumenis gaudebant, licet *exorcistis* peculiare *officium ecclesiasticum* haud assignatum fuerit. Sed etiam inter gentiles *incantamentis* in grauissimis morborum afflictionibus magna vis tribuebatur. Christianos, dono hoc instructos, designasse VLPIANVM, negat GVILIELMVS FORNERIVS *lib. 3. select. c. 28.* relatus *tom. II. thes. iur. Rom. p. 118.* quod nulli *exorcistæ* eo tempore fuerint. Enimuero *nomine* tales non aderant, quos demum *seculo IV.* in ecclesiis constitutos scimus: aderant tamen hinc inde, quibus *extra ordinem* hæc virtus eiiciendi dæmones, et energumenos sanandi, inuocato nomine Christi, data erat, quamuis nomen speciale *exorcistarum* haud gererent. Vnde liquet, VLPIANVM quoscunque appellatione *impostorum* designasse, tum *christianos*, tum *iudæos*, tum etiam *gentiles*, qui incantamentis carminum ad morbos depellendos vtebantur. Hi enim *incantabant*; hi *imprecabantur*; illis familiare verbum *exorcisare* erat, adeoque quoscunque notauit.

Huc pertinebant obnunciationes.

§. VIII. Horum *carminum magicorum* variæ erant species. (I) Dirarum *execrationes* vel *obnunciationes*, *quoties*, vt ait PLINIVS SECVNDVS *cit. l. ipsæ diræ obstrepentes nocuerint*, quas depellendas esse credebant solenni carmine, de quo CICERO *lib. I. de diuin. n. 29.* ita: *M. Crasso quid acciderit vidimus, dirarum obnunciatione neglecta. Obnunciare* proprie dicebantur augures, qui aliquid mali ominis sæuumque viderint, vt DONAT. *in Terent. Adelph. IV, 2. 8.* ait. Malum hoc omen *exsecrationibus* abigendum, *præeuntibus execrabile carmen sacerdotibus*, teste LIVIO *lib. XXXI. c. 17.* Docebant enim, se exemplis obseruasse, *ostentorum vires in nostra potestate esse, et prout quæque accepta sint, ita valere.* Ita rationes subduxit PLINIVS SECVNDVS *cit. c. 2. n. 20. p. 445.* Etiam ad incendia depellenda hæc carmina prodesse credebant, quod PLINIVS SECVNDVS *cit. l. p. 446. n. 12.* ita designat: *etiam parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur*, et vulgo hodie vocant: das Feuer besprechen. Porro IDEM *p. 449. c. 2. in f. Carmina quædam exstant contra grandines, contraque morborum genera, contraque ambusta, quædam etiam experta.*

Imprecationes.

§. IX. Erant (2) præterea *diræ imprecationes*, quibus malum alteri adferri credebant gentiles, quæ magnum incutiebant terrorem, teste PLINIO SECVNDO *cit. l. p. 446. defigi quidem diris deprecationibus, nemo non metuit.* Has enim exsecrationes eam vim habere Romani

mani arbitrabantur, nemo vt sic deuotus posset euadere, vt notat HARDVINVS *in not. ad cit. verb. Plinii.* Pœna capitali tales incantatores afficiebantur, vt testis est PAVLVS *lib. V. sent. tit. 23. §. 15. Qui sacra impia* (vel *sacrificia mala lege Cornelia de sicar.* notata iuxta *l. 13. ad L. Corn. de sicar.*) *nocturnaue, vt quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint faciendaue curauerint, aut cruci suffiguntur aut bestiis obiiciuntur.* De his formulis agit plenius BRISSON. *de formulis lib. I. c. 182. seq. p. 99. nouiss. edit.*

Sub pœna capitali prohibitæ.

§. X. Adhuc CONSTANTINVS M. fidem virtutemque insignem his carminibus adscripsit, ea demum prohibendo, quæ noxia sunt, non item, quæ salutem adferre videntur in *l. 4. C. de malef. et mathem. et l. 3. C. Theod. eod.* Ait: *Eorum est scientia punienda, et seuerissimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus aut contra hominum moliti salutem, aut pudicos ad libidinem defixisse animos detegentur. Nullis vero criminationibus implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus aut in agrestibus locis, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ruentis grandinis lapidatione quaterentur innocenter adhibita suffragia,* (carmina) *quibus non cuiusque salus aut existimatio læderetur, sed quorum proficerent actus, ne diuinis et labores hominum sternerentur.* Posteriora generis carmina plures eo tempore approbabant, quod prodessent, non obessent, et quia nouerat imperator, se inter gentiles adhuc leges scribere, horum moribus aliquid dandum esse opinatus est, cum christianos ab omnibus incantamentis alienissimos sciret. Idem APVLEIVS gentilis *apol. 1.* censuit dixitque: *veteres medici etiam carmina remedia vulnerum norant, vt omnis vetustatis certissimus autor Homerus docet, qui facit Vlyssi de vulnere profluentem sanguinem sisti* CANTAMINE; *nihil enim, quod ferendæ salutis gratia fit, criminosum est.* Pluribus aliis testimoniis hoc argumentum exornat IAC. GOTHOFRED. *ad cit. l. 3.* Ceterum *dirarum imprecationum* mos tam vetustus est, vt iam Moabitorum Rex iis vti voluisse legatur, *Num. XXII. 3. seqq.* si per DEI prouidentiam licuisset. Euocauit enim ad se per nuncios BALAHAMVM ariolum, apud populares suos in magna existimatione positum, vt diras *imprecationum* formulas seu carmina contra populum Israeliticum adhibitis sacris con-

Nisi salutares sint.

fuetis, euomeret, et hoc modo efficeret, vt gentem hanc funditus delere posset.

Excantamenta frugum.

§. XI. His quoque annumerabantur 3) *qui fruges excantassent*, quod verbum *LL. XII. tabb.* est, a IACOBO GOTHOF. *in quat. fontibus tab. VII.* insertum. Explodit hæc *excantamenta* SENECA *lib. IV. nat. quæst. c.* 7. aitque: *apud nos in XII. tabulis cauetur, ne quis alienos fructus excantassit: rudis adhuc antiquitas credebat, et attrahi imbres cantibus et repelli: quorum nihil posse fieri tam palam est, vt huius rei causa nullius philosophi schola intranda sit.* Huic aliam 4) addit legem ex *eadem tabula VII.* contra eum, *qui* MALVM CARMEN *incantassit* PLINIVS SECVNDVS *lib. XXVIII. c.* 2. *p.* 446. quod de his intelligendum, de quibus §. *praced.* actum est. His quoque adiungenda 5) VIRGILII *incantamentorum amatoria imitatio*, vt IDEM *cit. l.* loquitur, respiciens sine dubio ad *eclog. IX.* quæ de *virtute horum carminum* referta est. Sacrificia magica præmittit, et tandem addit:

Incantamenta noxia,

et amatoria,

- - - *nihil hic nisi carmina desunt.*
Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnem.
Carmina vel cælo possunt deducere lunam:
Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Incantamentis omnibus finitis, tandem claudit:

Parcite, ab vrbe venit, iam parcite carmina, Daphnis.

His carminibus *defigi* et *obligari* posse mulieres, inuitas etiam, credebant gentiles, vt se sisterent et præsto essent amatoribus.

Carmina deuotionis.

§. XII. Erat 6) præterea *carmen deuotionis*, quo se Deciorum pater et filius deuouisse memorantur a LIVIO *lib. VIII. et X.* cuius

cuius exempli etiam mentionem facit PLINIVS *cit. l. pag. 444. in f.* Et quis 7) ignorat *carmina*, quibus in oppugnationibus ante omnia a Romanis sacerdotibus solebat *euocari* DEVS, cuius in tutela id oppidum esset, cuius *carminis euocationis* ritum refert MACROBIVS *lib. III. saturn. c. 9.* et pluribus testimoniis illustrat B. de COCCEII *de euocatione sacrorum c. 1.*, certo indicio, arbitratos gentiles, carminibus etiam ligari posse Deos, dæmones, et quæuis idola. Atque id ipsum nec euoluere, nec tamen absolute negare potuit PLINIVS *cit. l.* aiens: *neque est facile dictu, externa verba atque ineffabilia abrogent fidem validius, an latina inopinata, et quæ ridicula videri cogit animus, semper aliquid immensum exspectans, ac dignum DEO movendo, imo vero* QVOD NVMINI IMPERET. Ridicula sæpe et sensum nullum præ se ferentia verba præscripta, qualia sunt illa *excantandi luxi* carmina, quæ enarrat et præscribit M. CATO *de re rustica c. 160. buat hanat buat ista pista fista domiabo damnaustra*, vel hoc modo: *buat haut haut ista sis tarsis ardonnabon dumnaustra.* Quid barbarius hoc carmine? *vata daries dardaries astataries dissunaper.* Ineptias has gentilium succincte perstringit SAMVEL PETITVS *lib. II. miscell. obs. c. 16.* Vtut vero etiam hodie talia carmina superstitiosi effutire soleant, quibus efficacia vltra modum adscribitur, iis tamen examinandis et redarguendis non immorabor, cum iam ab aliis, inprimis vero Medicis, horum examen institutum sit, veluti a IO. WIERO *de præstigiis*, item *de Lamiis*, IO. WEBSTERO in tr. idiomate Anglicano conscripto et in Germanicum verso **von Untersuchung der vermeinten so genannten Hexerey** *c. 17.* et IO. CHRISTIANO FROMMANNO *de fascinatione lib. I. P. II. sect. II. c. 1. seqq.*

Euocatio numinum.

His ligari posse Deos credebant gentiles.

§. XIII. Ceterum non adeo mirandum est, *carminum* talium vsum inter christianos esse propagatum, et ad superstitiosos medendi modos aliaque nefanda facinora applicatum, cum etiam in iure *canonico*, et ab antiquissimis temporibus in ecclesia *exorcismi*, verbis conceptis ab exorcista faciendi, approbati, recepti, et præscripti sint. Etenim *exorcistas* quoque inter *medicos*, vt olim inter gentiles, referendos esse ex sententia ecclesiæ Romanæ, docent antiquissimæ

Carmina talia etiam in exorcismorum formulis deprehenduntur.

et exorcistæ ad medendum constituti.

mæ *ordinationum* formulæ, in quibus exorcista hac benedictione munitur: *vt imperium habeat spirituum immundorum coercendorum*, *et* PROBABILIS *sit* MEDICVS ECCLESIAE, *gratiæ curationum virtute confirmatus*, vt antiquæ formulæ in ordinandis exorcistis adhibitæ apud MARTENIVM *de antiq. eccles. ritib. lib. I. P. 2. p. 347. 359. 371. etc.* et recentiores in *pontificali Romano p. 26.* docent.

vt ad impotentiam coniugalem tollendam, per incantationes procuratam.

§. XIV. Medicina hæc miraculosa et virtutis plenissima creditur, vt non tantum contra *energumenos* efficacissima sit, sed etiam contra *impotentiam* coniugalem, per *incantationes*, vt vulgus credit, procuratam, de qua supra *lib. IV. tit. 15. §. 36. seq. p. 246.* actum iam est. Etenim HINCMARVS *Rhemensium archiepiscopus*, *in c. 4. C. 33. qu. 1.* relatus, processum *exorcizandi* hoc imaginarium malum vel spectrum ita formandum censet: *Si per sortiarias atque maleficas occulto, sed nunquam iniusto Dei iudicio permittente, et diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt, quibus ista eueniunt, vt corde contrito et spiritu humiliato*, DEO ET SACERDOTI *de omnibus peccatis suis duram confessionem faciant, et profusis lacrymis, et largioribus eleemosynis et orationibus atque ieiuniis domino satisfaciant, et per exorcismos ac cetera* ECCLESIASTICAE MEDICINAE *munia ministri ecclesiæ tales, quantum dominus annuerit, qui Abimelech et domum eius Abrahæ orationibus sananit,* SANARE *procurent.* *Exorcismi* variis *adiurationibus* verbisque conceptis absoluebantur, *cetera* vero *ecclesiasticæ medicinæ munia* in præscriptis ritibus et signis consistebant, more Iudæorum, quem tradit IVSTINVS martyr *in dial. cum Triph. iudæo p. 311.* aitque: *exorcistæ certe quidem seu adiuratores vestri iam arte quadam veluti gentiles in adiurationibus vtuntur, et thymiamata et vincula adhibent.*

Exorcismi in artem redacti.

Reuera etiam *exorcismi*, postquam his exercendis peculiare officium ecclesiasticum constans et perpetuum assignatum, in Romana ecclesia in *artem* abierunt, more *gentilium* et *iudæorum*, cum plura solennia, apparatum sæpe magnum, carmina præscripta, vestesque consecratas desiderent, et parum vel nihil ab *incantationibus magicis* abeant.

§. XV.

§. XV. Exercent videlicet exorcistæ per suos *exorcismos* imperium singulare et exorbitans in dæmones, spiritus, spectra, larvas, imo ipsas *creaturas noxias* et *malas*, vt pestem morbosque, nec non in *creaturas inanimatas*. Cum his bellum imaginarium ineunt: hæc profligare, abigere, fugare sua *arte exorcistica* creduntur, quæ vtplurimum nil nisi *spectra mentis ægræ*, et inania credulorum ludibria sunt. Qui enim nil nisi spectra, aut animas errantes defunctorum, visiones insolitas, aliaque terribilia mente concipiunt, quibusque quælibet leuis vmbra imponere potest; mox ad *incantationes exorcisticas* confugiunt, et in his salutem suam quærunt, suggestionibus monasticis vtplurimum inducti. Iocose admodum hoc hominum genus, qui fabulis quibuscunque laruisque imaginariis fidem adhibent, depingit et in scenam producit ERASMVS Roterodamus in *colloquio*, cui nomen dedit *exorcismus siue spectrum*. Fingit, quendam Polum fuisse, autorem rumoris publici, iuxta ponticulum quendam obseruari spectrum quoddam, cuius subinde exaudirentur miserandi eiulatus, vt animam esse cuiuspiam suspicarentur creduli, quæ diris cruciatibus torqueretur. Huiusmodi commentis ludere stultitiam populi credebatur. Scena ita præparata iam peragenda erat; ad Polum diuertit Faunus quidam sacerdos, vici vicini parochus. Hunc in cœna obtestari cœpit Polus fabulæ autor et actor, vir pius succurreret animulæ tam dira patienti. Ad locum suspectum se contulit parochus, cum iam tenebræ certum de rebus iudicium sustulissent, et tandem audit subornatos a Polo miserandos gemitus, quos ipse Polus artifex mere effingebat. Tandem Faunus sacerdos, instante Polo, suscepit negotium exorcismi. Primum congesti sunt exorcismi efficacissimi et additi noui nonnulli *per viscera beatæ Mariæ et per ossa beatæ Werenfridæ*. Deinde delectus est locus in planitie, vicina vipreto, vnde vox exaudita erat: circumductus est *circulus* satis amplus, qui crebras haberet cruces variasque notulas, quæ omnia verbis peragebantur conceptis. *Adhibitum est vas ingens, plenum aqua consecratæ. Addita est in collum sacra stola, vnde pendebat initium euangelii secundum Ioannem. In loculis habebat cerulam a Romano pontifice quotannis consecrari solitam, qua vulgo vocatur* AGNVS DEI. Nec tamen ausus est Faunus se

Contra dæmones, spectra et quævis noxia adhibentur.

Non sine ludibrio.

Quod iocose depingit Erasmus.

ſolum huic circulo committere, ſed decretum eſt, adhibendum eſſe ſacerdotem alterum, quem Polus ex vicinia euocat, fabulæ conſcium. Poſtridie, omnibus ita præparatis, ſub horam decimam Faunus cum altero parocho circulum ingreditur, et Polus, qui præceſſerat, e vipreto gemit miſerabiliter, quo facto Faunus auſpicatur exorciſmum. Interim Polus etiam per tenebras ſubducit ſe in villam proximam, ibidem ſibi adiungit ſocium, et ambo conſcendunt equos nigros atque occultum ignem ſecum ferunt. Hunc oſtentant, vbi non procul a circulo abeſſent, quo Faunum metu a circulo abigerent. Cacodæmones in nigris equis, ignem ſpirantes, hos fuiſſe, ſuſpicatus eſt, imo ſine vlla hæſitatione aſſeruit Faunus, mente et animo in ſpectro domando prorſus intentus, quod ingredi circulum tentauerint. Poſtero die cum omni apparatu rediit in circulum, cumque diu prouocaſſet ſpectrum, Polus rurſus cum collega adfuit equis atris, quaſi irruere in circulum tentarent: tandem vi putatiua exorciſmorum veluti abacti diſceſſerunt, interim fune longo per terram leuiter tracto effecerunt, vt vterque ſacerdos in terram prouoluerentur. Enarrat poſtea Faunus, quam fortiter pugnaſſet cum diabolo, et qua vi eum profligaſſet et impediuiſſet, ne in circulum perrumpere poſſet. Sub noctem itum rurſus ad locum, vbi hæc agebatur fabula, et quia interea aduenerat gener Poli, illum facile hic induxit, vt animam ageret. *Sumit ergo ornatum ac lubens; conuolvit ſe linteo, quemadmodum apud nos ſolent funera: habet prunam viuam in teſta, quæ per linteum reddebat ſpeciem incendii.* Simul ac ſe oſtendit hæc anima, miſere ſuſpirando, Faunus eam obteſtando interrogat, quisnam eſſet? rurſus Polus ornatu cacodæmonis impetum facit in circulum, ſed veluti ſubmotus verbis exorciſmi retroceſſit. Eo abacto varios ſermones miſcuit cum anima ab ERASMO relatos, promittitque hæc, ſeſe poſtridie redituram hora, qua fas eſſet. Enarrat res geſtas Faunus Polo, et mirifice exaggerat. Proximo die rurſus Faunus euocat animam: Polus mox adeſt, Dæmonem acturus, ſimulans ſe in circulum irrupturum. Faunus contra hunc impetum exorciſmis pugnat, multamque vim aquæ aſpergit, tandem vero putatiuus Dæmon exclamat: *Se ne pili quidem facere iſta omnia.*

omnia. Rem, inquit, habuisti cum puella, mei iuris es. Id cum Polus ioco diceret, tamen forte fortuna verum dixisse visus est. Nam *exorcista* hoc dicto tactus illico se recepit in centrum circuli, et nescio quid immussauit in aurem parocho, confessionem peccati commissi ei faciens, qui ei mox satisfactionem debitam indixit. En vim *confessionis, absolutionis et satisfactionis* impositæ. Animosior iam factus, impetrata absolutione, redit ad oram circuli, et vltro prouocauit Dæmonem, qui iam fractus videbatur. Habitum est diebus aliquot sequentibus colloquium cum anima. Finxit hæc, se liberari posse a cruciatibus, si pecunia a se fraude parta, restitueretur, vel in pios vsus dispensaretur. Indicat etiam locum, vbi thesaurus esset defossus. Iam totus in thesauro Fauni erat animus, illumque toto pectore iam deuorarat. Adiit locum: reperit signa, non ausus tamen eum effodere, quod anima iniecisset scrupulum, ingenti periculo facturum, si prius, quam essent peractæ missæ, quorum magnus numerus postulatus erat, effoderetur. Hoc ipso vero nasutioribus prodebatur fabula, præsertim cum nouum commentum accederet, ab ERASMO relatum, vtut Faunus, præter spectra et malos genios nihil somnians, ab ista sententia se dimoueri haud passus est, se diabolum debellasse, et quietem animæ reddidisse. Hoc sub lusu eleganter depinxit *credulam superstitionem*, in abigendis per *exorcismos* spectris occupatam ERASMVS, sedulus veritatum vindex, atque hoc ipso morem sui temporis exorcismos peragendi repræsentat, qui nil nisi *incantationes* intolerabiles spirat.

§. XVI. Addam etiam ipsos *exorcismos* in spectris fugandis vsitatos in subiecta tabula, quæ hac intentione confici solet, vt si forsan spectrum vel anima loqui et respondere non audeat ad interrogata, responsiones huic tabellæ, exorcismis, crucibus, et nominibus, vim ingentem habentibus, refertæ inscribat. Posse enim spectra his adiurationibus adigi, ad quæuis exorcistarum postulata præstanda, diabolum vero abigi, firmiter persuasum habent creduli. Iudæos iam olim eadem superstitio inuaserat, teste IOSEPHO *lib. VIII. antiq. iudaic. c. 2.* persuasissimum habentes, formulas incantatio-

Formulæ exorcismorum in fugandis spectris.

tionum a Salomone compositas fuisse. Ait: *Docuit ipsum et artem illam contra Dæmones ad consolationem et sanationem hominum. Vnde* (Salomo) *componens quoque incantationes, quibus mitigantur et curantur morbi. Reliquit quoque modos excantationum, quibus Dæmones in corpora ingressi ita expelluntur, vt eo reuerti nunquam valeant. Et ista curationis species etiam adhuc inter nos plurimum valet et in vsu est.* Librum quoque *exorcismorum*, sub SALOMONIS titulo, possidebant iudæi, in quo illi in artem redacti et accurate determinati erant. Testis est ORIGENES *serm. XXXV. in Matthæum* morum iudaicorum optime gnarus. *Quæret, ait, aliquis, si conuenit vel Dæmones adiurare: et qui respicit ad multos, qui talia facere ausi sunt, dicet, non sine ratione fieri hoc. Qui autem aspicit Iesum imperantem Dæmonibus, sed etiam potestatem dantem suis discipulis super omnia dæmonia, et quod infirmitates sanarent, dicet, quoniam non est secundum potestatem datam a Saluatore, adiurare dæmonia,* IVDAICVM EST ENIM. *Hoc etsi aliquando a nostris tale aliquid fiat, simile fit et, quod a Salomone* SCRIPTIS ADIVRATIONIBVS *solent dæmones adiurari. Sed ipsi qui vtuntur adiurationibus illis, aliquoties nec idoneis constitutis libris vtuntur: quibusdam autem et de Hebræo acceptis adiurant dæmonia.* Autoritate SALOMONIS superstitionem hanc magicam exercebant Iudæi, et ab eius sapientia *exorcismorum formulas* efficacissimas, ex mente sua, deriuabant, vt incautos deciperent. Parum ab horum moribus recesserunt hodierni *exorcistæ*: pariter suos *exorcismorum libros* possident: autoritate ECCLESIAE illos iustificant, vnde omnem eorum virtutem, gratiam, atque effectum petunt. Olim adhuc rariores erant, et vnice ad dæmonem ab energumenis pellendum compositi. Crescente vero *superstitione*, cumulus exorcismorum creuit, atque vsus eorum admodum dilatus est, contra *spectra, laruas, mures*, aliaque *noxia animalcula*, imo etiam *incendia*, vt nullum fere malum sit, quod horum virtute eliminari et exstingui non posse credatur. En vero ipsos exorcismos in hac tabula pro *spectris pellendis*.

TABV-

TABVLA EXORCISMORV CTRA.

Qui manifestatus est in carne, iustificatus in spiritu, prædicatus gentibus, in cruce occisus, et assumtus in gloria, sedens ad dexteram Dei patris, vt credentium preces et vota exaudiat; Ipse per suum sanctum nomen, cui omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et inferorum, et per misericordiam suam infinitam et per sanctam passionem, crucem et mortem suam, et per merita et preces S. Virginis Mariæ et S. S. Angelorum, præsertim custodum, totiusque curiæ cœlestis hanc domum et incolas eius ab infestationibus spectrorum, Dæmonum et operum maleficalium eius, nocturnisque terroribus et tu-

orate pro vobis.

✝ Dominus vobis bene ✝ dicat et ab omni infirmitate, ab omni malo et infestatione maligna vos semper defendat et præseruet. Amen.

tum est, et habitauit in nobis per

misericordiam suam piissimam,

. V. Mariæ, S. S. Angelorum,

tarum et Euangelistarum, Mat-

Iohannis et aliorum S. S. Apo-

et Confessorum, Virginum et

simul sanctorum, præsertim per

boli ipsum quæso, vt dignetur

eius liberare et conseruare ab

næ et Ministrorum eius, et a qui-

tuantium spirituum terroribus

nostrum Iesum Christum, qui

vos bene ✝ dicat, qui cum pa-

uit et regnat in vnitate perfecta

Amen.

ipotentis Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et

ndat super vos et maneat semper

VICIT LEO

O anima Dei imagine insignita, quæ domum hanc et in s, ego N. sacerdos indignus adiuro, seu (si bonus sis spiritus) obsecro te in nomine et am t Fi ✝ lii et Spiritus ✝ sancti, in nomine et amore Iesu Christi Nazareni in venerabili sacrame nis et omnium sanctorum, atque ob amorem tuæ propriæ salutis (si quam sperare potes) qui di hoc scribo, vt si spiritus bonus sis, venias et compareas absque tremore incutiendo ter tumque expectes subsidium, faciemus enim quæcunque popolceris, si non sit contra hono rum obedientiam, vt misericordiam consequaris. Si vero malus sis spiritus, spectrum aut s huc deportatum, subsidio nullo indigens et incapax sacerdotalis charitatis, emane et ex hac sione apage, quia coniuro, exorcizo Te et excommunico Te et ex parte omnipotentis diab m infernalis abyssi Te abducat, nunquam amplius rediturum. Imperet Tibi Deus et exequa qui stat pro animabus iustis. In nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii et Spiritus ✝ sancti. Amen.

(Böhmer. Iur. Eccles. Tom. V.)

§. XVII.

§. XVII. Mentionem etiam fecerat anima, ab ERASMO in scenam producta, *thesauri* absconditi, sed absque graui periculo haud effodiendi. Thesauros eiusmodi enim a diabolo obsideri, vt ne effodi tuto atque loco moueri possint, prohiberi, rursus vanissime somniant, quibus in deliciis hæ incantationes sunt. Inde modos excogitarunt, quibus illegitimus thesauri possessor efficaciter cogi et constringi possit a possessione decedere, et loco moueri sine periculo queat. Eo plenior vero apparatus et abundantior *exorcismorum* copia hic desideratur, quo difficilior esse creditur diabolus in thesauris dimittendis, quibus tamen non indiget. Interim inepta vulgi persuasio, ad decipiendam plebeculam aptissima, peperit sequentes *exorcismos*, eo fœdiores, (α) quod iuxta aniles fabulas diabolum thesauris insidere supponant, qui non hos, sed animas thesauris inhiantium possidet: (β) quod ad auaritiam explendam nominibus DEO in sacris tributis abutantur: (γ) quod documentum superstitionis omnem modum excedentis apertissimum præbeant: (δ) quod denique nil nisi *incantationes* magicas contineat.

Thesauri a diabolo obsideri dicuntur.

Per exorcismos ante abigendo.

Qui referuntur.

Modus effodiendi thesaurum.

Accipe gladium bene acutum, et qui benedictus sit, in hocce gladio ex vna parte hos scribe characteres: ✠ Tetragrammaton. ✠ Agla ✠ Adonai ✠ Sabaoth ✠.

Ex altera parte scribatur; ST. 3. ST. 3. Alpha ✠ et ✠ Omega ✠ Iehoua ✠.

Ad instrumentum primum (die Haue) ex vtraque parte tres ✠ ✠ ✠.

Ad instrumentum secundum (die Schaufel) scribe in exteriori parte: ✠ Tetragrammaton ✠. In interiori vero parte: ✠ Alpha ✠ et Omega ✠.

Vt antequam incipias circulum facere, cum sociis tuis dicas quinquies Pater et Aue et vnum credo, cum Psalmis pœnitentialibus.

Cum ad locum accedis, vbi faciendus circulus, singuli ad singulos passus dicatis: Accedo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Postea dicens: Exaudi nos omnipotens et misericors Deus et bene ✠ dicere et sanctificare digneris hunc locum, qui viuis et regnas in secula seculorum Amen.

Deinde fac tres circulos in sequenti figura expressos cum gladio benedicto vel creta benedicta

Dum facis circulum primum dicas: Hunc ego N. N. primum circulum facio in nomine Domini Patris, qui verbo vnico omnia ex nihilo creauit, in nomine Dei Patris, et Filii et Spiritus sancti.

Deinde lege Euangelium S. Iohannis &c. Gloria tibi Domine &c. Laus tibi Christe.

Secundum ducens circulum dicas: Hunc secundum ego circulum facio in nomine Filii Dei, qui pretioso suo sanguine vniuersum genus humanum in ligno crucis redemit; in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti &c. iterum Euangelium S. Iohannis &c, vt supra.

Terti-

Tertium cum facis circulum, dicas: Hunc tertium circulum facio in nomine Spiritus ſancti, qui corda Apoſtolorum et Prophetarum diuina ſua gratia illuminauit; in nomine Patris et Filii et Spiritus ſancti &c. iterum Euangelium ſancti Iohannis &c. vt ſupra.

Iam induc ſocios tuos in circulum vnum poſt alterum manu et dic ad quemcunque: Dominus cuſtodiat introitum et exitum tuum ex hoc nunc et vsque in ſeculum: in nomine Patris et Filii et Spiritus ſancti.

Vt ſinguli circuli verſus Orientem tres paſſus aperti pateant; abſolutis circulis accipe primam crucem, in qua ſcriptum eſt: *Sanctus Iohannes*, et dic: Ecce crucem Domini, fugite partes aduerſæ, vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Hic fige crucem in terram verſus Orientem, deinde dicas initium Euangelii ſecundum Iohannem &c. Gloria tibi Domine &c. Laus tibi Chriſte.

Deinde dicas: per verba ſanctiſſimi Euangelii liberet nos omnipotens et miſericors Dominus ab omnibus malis præteritis, præſentibus et futuris, Amen.

Poſtea accipe gladium et facias crucem in aere, dicens: Benedicat nos Deus et metuant eum omnes fines terræ, in nomine Patris et Filii et Spiritus ſancti. Amen.

Secundam deinde accipe crucem, in qua ſcriptum eſt nomen: *Sanctus Matthaeus*, et iterum dicas: ecce crucem Domini, fugite &c. vt ſupra Allel. Allel. Alleluia.

Et fige crucem in terram, hæc tamen facies omnia verſus meridiem et dic: Initium Euangelii ſecundum Matthæum. Gloria tibi Domine. Liber generationis &c. Laus tibi Chriſte &c. Poſtea: per verba S. Euangelii liberet nos omnipotens et miſericors Dominus ab omnibus &c. vt ſupra.

Fac cum gladio crucem in aere dicens: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos, et metuant eum omnes fines terræ, in nomine Patris & F. & S. ſancti Amen.

Deinde tertiam accipe crucem, in qua ſcriptum eſt nomen: *Sanctus Marcus*, et verte te verſus Occidentem dicens: Ecce crucem Domini, fugite partes aduerſæ, vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, Allel. Allel. Alleluia.

Fige

Fige crucem in terram, dicens initium Euangelii ſecundum Marcum &c. Gloria tibi Domine. Initium Euangelii Ieſu Chriſti &c. Laus tibi Domine &c. per verba S. Euangelii liberet nos &c. vt ſupra, Amen.

Fac cum gladio crucem in aere et dicas: Benedicat nos Deus, Deus noſter &c. vt ſupra.

Deinde quartam accipe crucem, in qua ſcriptum eſt nomen: *Sanctus Lucas*, et verſus ſeptentrionem dicas: Ecce crucem Domini &c. Al. Al. Alleluia.

Figens crucem in terram ſta erectus et dicas initium S. Euangelii ſecundum Lucam. Gloria tibi Domine &c. Fuit in diebus Herodis &c. Laus tibi Chriſte &c. per verba S. Euangelii liberet nos &c. vt ſupra.

Accipe gladium et fac crucem in aere dicens: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos &c. vt ſupra.

Accipe aquam benedictam atque te tuosque ſocios et circulum aſperge, aſperge etiam aliquot guttas de fonte baptiſmatis, dein ſume incenſum, et te tuosque et circulum incenſa, poſtea ad ſingulas cruces vnam de benedictis candelis accendas.

Exorciſta faciens ſibi ſignum crucis in fronte et in ore et in pectore, dicit: Signum crucis ✠ ſit in fronte mea; verba Chriſti ✠ ſint in ore meo; arma Chriſti ✠ ſint in pectore meo. Per ſignum crucis ✠ de inimicis noſtris libera nos Deus noſter. Potentia Patris ✠ confirma me, ſapientia Filii ✠ doce me, amor Spiritus ſancti ✠ illumina me; Benedicta ſit dies et hora, in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus natus eſt de Virgine Maria, in nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti, Amen. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

Nunc dicitur flexis genibus: Miſerere mei &c. cum antiphona: Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c. ℣ et ne nos inducas in tentationem, ℟ ſed libera nos a malo. ℣ Domine exaudi orationem meam. ℟ Et clamor meus ad te veniat. ℣ Dominus vobiſcum. ℟ Et cum Spir. tuo.

OREMVS.

O altiſſime conditor, qui omnia ſimul creaſti ex nihilo, qui diuidens cœlum

cœlum & terram etiam mari terminum posuisti, quem nemo præterire potest, qui ex elementis creaturas condidisti, & vnicuique propriam virtutem dare voluisti; supplico ergo clementiam tuam ego peccator, nomini tuo consignatus & vnda baptismatis regeneratus, quod, sicut Apostolis tuis sanctis dedisti potestatem super malignos spiritus, & virtutes eorum, ipsosque fugandi, ita nunc tua sancta clementia mihi, licet indigno famulo tuo N. N. præstare digneris dono tuæ gratiæ virtutem fugandi istos malignos spiritus ab hac creatura thesauri, ab his latentibus pecuniis, virtute & inuocatione tui sanctissimi nominis, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremvs.

O Summa Maiestas & ineffabilis essentia atque diuina sapientia Deitatis, Alpha & Omega, carens principio & fine, Verbum sine tempore, cui omnia possibilia sunt. O ineffabilis & admiranda Deitas! O summa potestas! O virtus altissima! O cœlestium rerum, mundi creator, qui sedes in excelso throno, cœlorum altitudinem & abyssos intueris, & omnia ante te præsentia existunt, illumina nunc & semper me indignum famulum tuum, & da mihi gratiam fugandi omnes quoscunque spiritus malignos & Dæmones, qui & quotquot hunc latentem thesaurum occupant, vel morantur circa ipsum, vt quantocius pauidi recedant, & nobis hunc thesaurum in suo esse absque vlla fallacia, illusione & phantasia relinquant, per te, qui in Trinitate perfecta viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

Oremvs.

Domine Deus, sancte Pater omnipotens, qui es Alpha & Omega, hoc est: Principium & finis, absque principio & fine, & quem omnis homo cognoscit. Rex summe & Imperator excellens, qui DEVS es, Rex Regum & Dominus Dominantium, qui etiam pius & misericors, clemens, benignus, gloriosus & mirabilis in tuis sanctis, mundum tenens manu tua, & omne, quod creatum est, potestate tua conseruans, qui cœlorum contines firmamentum, qui cœli thronos & abyssos intueris, qui montes ponderas, terramque palma concludis, qui fecisti Spiritus Angelos tuos & Ministros tuos flammas ignis,

dear, Te laudo, Te adoro, Te benedico, Teque glorifico, nec non deuotiſſime Tibi nunc & in perpetuum ſeruiam per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Hic Exorciſta ſurgat ab oratione & dicat: ℣ Dominus vobiſcum ℟ & cum ſpiritu tuo. ℣ Sequentia Euangelii ſecundum Lucam. ℟ In illo tempore, conuocatis Ieſus duodecim Apoſtolis dedit illis poteſtatem & virtutem ſuper omnia Dæmonia & vt languores curarent, & miſit illos prædicare regnum Dei & ſanare infirmos, & ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis, & quamcunque domum intraueritis, ibi manete & inde non exeatis, & quicunque non receperint vos, exeuntes de civitate illa etiam puluerem pedum veſtrorum excutite in teſtimonium ſupra illos: Egreſſi autem circuibant per caſtella euangelizantes & curantes vbique &c. Laus Tibi Chriſte.

Nunc Exorciſta forti animo coniurationem incipiat:

Audi, immundiſſime Spiritus, intellectualiter exorcizo te per Deum Patrem ✝, per Deum Fi✝lium, per Deum Spiritum ✝ ſanctum, admoneo Te & Tibi præcipio, nefandiſſime Spiritus, qui ſtas & habitas in hoc vel circa hunc theſaurum, per Deum omnipotentem, creatorem cœli & terræ & per illam potentiam, quæ te de cœlo præcipitauit ob ſuperbiam tuam, & per virtutem & in virtute ſanctorum nominum Dei, vt diuinis verbis & nominibus ſanctis & omnibus verbis a me prolatis & aliis hic exiſtentibus, nec non mandatis omnibus ſine rebellione & contradictione feſtinanter obediatis cum effectu. Exſurgat Deus & diſſipentur inimici eius & fugiant, qui oderunt eum, a facie eius, ſicut deficit fumus, deficias ſpiritus maligne, qui habitas in hoc vel circa hunc ſub terra latentem theſaurum. Declina te ab his pecuniis & relinque eas ab vlla commotione, absque vlla fallacia & illuſione. Irruat ſuper te formido & pauor in magnitudine brachii nominis Dei. Fiant viæ tuæ tenebræ & lubricum, & Angeli Dei, ſcilicet Michael, Gabriel, Raphael & omnes alii Angeli Dei perſequantur & expellant te, ſpiritus maligne & maledicte, de hoc loco & theſauro ſic, vt ad eum nunquam redire valeas, & ſit Tibi interdictus deinceps & omnibus ſpiritibus immundis, in nomine Patris ✝ & Fi✝lii & Spiritus ✝ ſancti. Amen.

Deus Pater tibi imperet, Deus Filius te cogat, Deus Spiritus S. & tota trinitas ſimul tibi præcipiat; qui habitas in vel circa hunc theſaurum: Et ego tibi præcipio, Spiritus nequiſſime, per hæc eiusglorioſiſſima nomina: Alpha & Omega, Agla, Sadai, Adonai, Agios, o Theos, Iſchyros, Athanatos, Sabaoth, Deus increatus Pater, Filius & Spiritus ſanctus, vt protinus absque læſione alicuius creaturæ viuentis ab hoc theſauro abſcondito recedas, tu maledicte diabole, & eum in eo ſtatu, ſicut inueniſti, ſine mora dimittas, & ad eum redire non valeas, nec alter. Chriſtus regnat ✠ Chriſtus vincit ✠ Chriſtus imperat ✠ tibi ſpiritui immundo, qui iuxta, vel in hoc theſauro habitas; & ego tibi impero, nequiſſime diabole, per eius ſanctiſſima nomina: Tetragrammaton, Hel, Emanuel, Elohim, Paraclitus, Deus immenſus & Filius & Spiritus Sanctus, quod feſtinanter audito verbo hoc de his latentibus pecuniis recedas, non obſtantibus quibuscunque ligaminibus, quibus teneris, & nullam nec nobis nec aliis læſionem inferas, & ſit deinceps tibi, maledicte ſpiritus, interdicta omnis poteſtas ad hunc theſaurum a Deo Patre omnipotente & a Domino meo Ieſu Chriſto, nec non omnibus ſpiritibus, cuiuscunque virtutis, potentiæ & conditionis exiſtant: per iſtum ✠ & cum iſto ✠ & in iſto ✠ Deo & per hæc eius veneranda nomina: Athanatos, Soter, Deus, æternus Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, per omnia, quæ dixi & dicturus ſum, tibi præcipio, viliſſime rebelle, nequiſſime, nefandiſſime, ſpurciſſime & immundiſſime Spiritus a Deo maledicte & a Virgine puriſſima Maria & ab omnibus ſanctis Angelis & Archangelis, thronis & dominationibus, principatibus & poteſtatibus & virtutibus Cherubim & Seraphim, & Patriarchis & Prophetis, a Martyribus, confeſſoribus & virginibus & ab omnibus Sanctis, & a cœlorum virtutibus glorioſis, vt in profundiſſimo inferni loco ſis deuinctus, relatus & ſubmerſus, & ab omnibus Dæmonibus acrius cruciatus nunc & in æternum diuino imperio. Amen.

Et maledictio Dei Patris omnipotentis & Filii & Spiritus ſancti, & ira & indignatio omnium Angelorum, thronorum & dominationum, principatuum & poteſtatum & virtutum & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei & totius curiæ cœleſtis & omnium creaturarum ſtatim ſine mora cum furore maximo deſcendat ſuper Luciferum, Beel-

Beelzebub, Sathan & super omnes principes dæmoniorum & non sit, qui eis obediat, nec illos timeat, nec veneretur, sed omnes Dæmones contra illos statim irruant per virtutem & in virtute omnium nominum omnipotentis Domini Dei (si tibi nequissime spiritus in subsidium veniat deinceps) & sit omnis potentia tua & virtus confracta per virtutem magni & omnipotentis Domini Dei sic & taliter, vt non valeas deinceps habitare in hoc vel circa hunc thesaurum, non sit, qui tibi subsidium aliquod præbeat, sed omnes spiritus in quocunque loco existentes sint deinceps contra te, maledicte spiritus, verbis & nominibus diuinis rebellis, descendantque magni Angeli Dei in prælio potentes, sanctus Michael, sanctus Gabriel & sanctus Raphael & omnes superius nominati, qui sicut diuino iussu omnes rebelles Dei de cœlorum sedibus gloriosis viriliter vsque ad exula loca deiecerunt, ita te expellant statim ab hoc thesauro sine læsione nostri & omnium Christianorum nocumento & terrore, & vsque ad inferni inferiorem locum potentissime te cum sociis tuis omnibus, qui forte circa hunc thesaurum tecum morantur prosternant, inde nullatenus exiturum, omnium Dæmoniorum superiorem coniurantes contra te æternaliter in centuplo acrius solito cruciaturum per eum, qui diem statuit, & per omnia sanctissima eius opera & omnes virtutes & nomina. Amen.

Conivratio terrae.

Coniuro ✠ te, terra, per Deum trinum & vnum & Iesum Christum Dominum nostrum, qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine & homo factus est & pro nobis crucifixus & in te sepultus, quem cognouisti & cognoscendo tremuisti, & per sepulchrum eius gloriosum, quod in te editum est, & per totam cœlestem curiam Dei altissimi magni & terribilis, & per omnes orationes & deprecationes, quæ ibi quotidie fiunt, quod retinere nullo modo valeas istum malignum spiritum, nec socios suos, si qui adsint, nec fauentes sibi, sed statim & sine mora a te recedat sine molestia & nocumento nostri & omnium creaturarum. O terra! absorbe diabolum istum Dei rebellem statim & festinanter audito verbo, sicut absorbuisti Dathan & Abiron & per potentiam omnipotentis Dei creatoris tui, qui in te humane habitare non dedignatus est, & sicut ceta eiecit Ionam de ventre suo & non retinuit, ita non re-

tineas nec retinere valeas hunc malignum spiritum, nec fauentes sibi, cuiuscunque conditionis & virtutis existant, nisi in loco turpissimo tui, id est: in inferno inferiori, & ibi sine fine permaneant cum omnibus sibi fauentibus. Amen.

Conivratio inferni.

O inferne & ignis infernalis & vos omnes pœnæ infernales & principes, vos omnes dæmones infernales audite & intelligite verba oris mei, per illum te coniuro ✠ qui Lazarum quatriduanum mortuum fœtentem restituit ad vitam, cuius pauore perterritus contremuisti, & omnia officia tua simul tecum, o! inferne, conturbata sunt, nec eundem Lazarum tenere potuisti. O! inferne & ignis infernalis & vos pœnæ infernales, præcipio vobis potenter per illum, qui vos suo subiugauit imperio, & per eius potentiam & virtutem, vt nobis obediatis auctoritate nostri Domini Iesu Christi & adimpleatis omnia nostra mandata secundum voluntatem nostram audito verbo: Imperat tibi o! inferne, Sancta Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus, vt nobis obedias festinanter; imperat tibi exercitus Angelorum & Archangelorum & omnium Angelorum turba; imimperat tibi Patriarcharum chorus; imperat tibi Prophetarum numerus, vt audito & intellecto verbo obedias omnibus præceptis meis cum effectu sine mora.

Coniuro ✠ te inferne & ignis infernalis, & vos pœnæ infernales & vos omnes dæmones cuiuscunque virtutis & conditionis sitis, per illum, qui contriuit portas tuas & vectes tuos confregit, & qui abstulit tibi omnes sanctos patres, & in te ligauit malignos Spiritus & eos in te cruciari perenniter iussit, qui brachio diuinitatis & potentiæ suæ omnium dæmonum potentiam religauit; per sanctam Mariam matrem Domini nostri Iesu Christi & per sanctum Iohannem Baptistam, & per omnes Angelorum choros, & per omnes Patriarchas & Prophetas & per omnes Apostolos & Euangelistas, & per omnes discipulos Domini nostri Iesu Christi, & per omnes sanctos Martyres, Pontifices & Confessores, Doctoresque Dei, monachos & eremitas, & per omnes sanctos Sacerdotes & Leuitas Dei, & per omnes S. virgines Dei; & per totam cœlestem curiam & omnes sanctas orationes & deprecationes, quæ in ista fiunt quotidie; & per S. sa-

S. ſacrificium, quod quotidie celebratur per totum orbem ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per omnia illa, quibus in nomine Ieſu Chriſti coniurari & confringi potes, & per tremendum iudicii diem & per omnipotentiam totius curiæ cœleſtis; & iterum per omnia verba, quibus tu inferne & ignis infernalis & vos omnes Dæmones infernales & vos pœnæ infernales coniurari, ligari & conſtringi poteſtis in nomine Ieſu Chriſti, per omnia illa coniuro te, principem inferni Luciferum, vt nunc nequiſſimum ſpiritum nullibi relinquas, ſed eum trahere ad te & venire facias feſtinanter cum omni furia tua & indignatione & omnes fauentes ſibi, & vt ſpiritus iſte nequiſſimus neutiquam theſaurum iſtum ſecum amoueat aut trahat, ſed relinquat eum in ſuo, vtut eum inuenit, loco, per omnia illa, quæ ſuperius nominaui & nominaturus ſum: Et vos omnes Dæmones infernales & pœnæ ignis infernalis, & tu inferne, irruite feſtinanter contra eum & omnes ſibi fauentes & eum duriſſime mille millies magis ſolito cruciatibus cruciate & vires & pœnas tuas, o! inferne, contra eum Dei rebellem potenter extende, ſtatim nunc & ſemper & eum feſtinanter ad te voca per illum, qui portas tuas contriuit. Amen.

Conivratio omnivm spiritvvm.

Coniuro ✝ vos omnes ſpiritus malignos & Dæmones infernales, cœleſtes, terreſtres. igneos, aëreos, & aqueos & omnes ſpiritus omnibus orbibus & ſphæris ſeruientes & in ipſis & in quocunque loco habitantes, & omnes ſpiritus maligni, vbicunque ſitis & habitetis, ad vos & contra vos perueniant & veniant potenter & fortiſſime omnes meæ coniurationes & vos omnes ambiant verba mea, & potenter affligant & cogant per omnipotentiam magni Dei omnipotentis velle meum facere ad honorem, laudem & gloriam iſtius Dei mei omnipotentis & per iſta ſancta nomina Domini noſtri Ieſu Chriſti Tetragrammaton, Adonai, Sabaoth, Elohim, Eloa, Meſſias, Soter, Emanuel, Agios, Iſchyros, o Theos, Athanatos, Sanctus, immortalis, Agla, Ieſus Chriſtus, Alpha & Omega, imago, crux, gloria, ſanctus, omnipotens, miſericors Deus & per omnia iſtius Dei nomina, vt hunc ſpiritum ad vos trahatis feſtinanter relicto nobis theſauro, & eum in locum inferiorem inferni ire conſtringatis & omnes ſibi fauentes, vt nullus ſit, qui ſibi obediat; & per

per tremendum diem iudicii & per illum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & vos omnes diabolos & ſeculum per ignem; & ſicut Chriſtus fuit conſtrictus ad columnam, quando pro nobis miſeris peccatoribus verberatus eſt acriter; & ſicut fuit coronatus & crucifixus: ita tu, neſandiſſime ſpiritus, ſis verberatus, tortus & flagellatus acriter omnibus pœnis infernabilibus ſubito: Et ſicut velum templi ſciſſum eſt in duas partes e ſummo vsque deorſum & petræ ſciſſæ ſunt & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt; & ſicut terra tremuit & mota eſt: ita, tu ſpiritus neſandiſſime, contremiſcas & moueas te & recedas ab hoc theſauro ſtatim & feſtinanter, non rediturus amplius nec tu, nec alii ſpiritus ad hunc theſaurum; & omnes fauentes ſibi contremiſcite & mouete vos omnes & recedite ab hoc theſauro, & relinquite illum in ſuo loco absque illuſione & fallacia audito verbo per omnia, quæ dixi, & nullo modo, tu maledicte ſpiritus, valens inferre pauorem, timorem vel tremorem, nec nocumentum aliquod mihi nec alicui creaturæ Dei hic adſtanti vel commoranti, vel alicui homini viuenti, nec alicui creaturæ Dei viui habenti ſpiritum viuentem, ſed deinceps recede ab hoc theſauro & nobis illum relinque ſanum, & ſi quis tibi obediat vel faueat, vel plures ſint, maledictio Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, ira & indignatio S. S. Trinitatis & omnium Angelorum & Archangelorum & totius curiæ cœleſtis deſcendat ſuper vos omnes fauentes & obedientes huic Spiritui Dei rebelli, & non ſit, qui ei obediat, per Deum altiſſimum fortem & viuum. Amen.

Coniuratio.

Coniuro ✠ vos omnes ſpiritus maligni, magni & parui in potentia & virtute, vbicunque ſitis & habitatis, & vobis potenter præcipio & ſtrictiſſime mando & impero per eum Dominum Deum meum omnipotentem, quem timetis & quem videre non poteſtis, & per Ieſum Chriſtum Dei Filium & per Spiritum Sanctum Paraclitum & per virginem Mariam, matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti intemeratam & incorruptam, veſtrum flagellum & meum adiutorium, & per ſuum corpus pretioſiſſimum atque illæſum & eius puriſſimam virginitatem, & per omnia prætioſiſſima eius membra, cum quibus conflauit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & animam eius

eius omnibus virtutibus plenam atque perfectam & per suam potentiam magnam, quam habet super vos, & per lac pretiosissimum, quo lactauit Dominum nostrum Iesum Christum Dei Filium, & per omnes Dei Angelos & Archangelos & beatorum Spirituum ordines, & per omnes Apostolos & Euangelistas, & per S. Iohannem Baptistam, per omnes sanctos Patriarchas & Prophetas, Martyres, Confessores, virgines & viduas & omnia magna nomina Dei omnipotentis, & matris Filii eius Domini nostri Iesu Christi, & per potentiam & virtutem omnium coniurationum, ligationum, vinculorum & mandatorum, cuiuscunque conditionis & virtutis existant, quibus aliquo modo potestis in nomine Iesu Christi coniurari, constringi & ligari & fugari, cruciari, torqueri, vel ad pœnas aliquas damnari, vt protinus absque læsione alicuius creaturæ & absque terrore & nocumento nostri vel aliorum hominum statim hunc nequissimum spiritum, qui circa hunc vel in hoc moratur & latet thesauro, insensatum principium omnium malorum, ad vos trahatis & capiatis potenter statim, & ad locum duriorem inferni sub Lucifero deducatis, nec non omnes fauentes sibi, latentes, præsentes & absentes, qui cupiunt eum iuuare, & hunc thesaurum possidere, ibidem in inferno strictissime ligetis, dantes ei omnes pœnas infernales duriores & fortiores per omnia, quæ dixi & dici potest, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, & exinde nunquam exire eum nec ei fauentes permittatis; vsque quo Deus meus omnipotens imperet, eos exire: quod si protinus non feceritis, quicquid dixi & dicturus sum, contra vos Dæmones sit, & contra eum & omnes sibi fauentes ira Dei, & cruciati sitis omnibus cruciatibus & pœnis infernalibus, & ibi relegati & detrusi sitis nunc & in perpetuum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi Nazareni, crucifixi & totius curiæ cœlestis. Amen.

NB. *Coniuratio ignis ad comburendum imaginem Dæmonis pictam in charta.*

Coniuro te ✝ ignis per Deum Patrem omnipotentem, qui apparuit Moysi in specie ignis & per illum, qui liberauit tres pueros de camino ignis ardentis, & per omnia sancta holocausta, quæ in te & de te facta sunt in laudem Dei omnipotentis magni creatoris mei & tui, & per illum, cuius sedes est ignis, & cuius circuitus est ignis, &

ante eum ignis habitat, & a latere suo flamma ignis, qui omnes ignes creauit, & ignis ante ipsum deuorans exibit & percutiet & comburet quicunque contra eum dixerit, & verbis suis non obedierit, ac protinus voluntatem suam non fecerit.

Coniuro te ✠ ignis par Sanctam Mariam gloriosam matrem Domini nostri Iesu Christi, & per S. Iohannem Baptistam, & per omnes sanctos Angelos & Archangelos, per thronos & dominationes, principatus & potestates, & per virtutes, & per Cherubim & Seraphim, per Patriarchas & Prophetas & per omnes Apostolos & Euangelistas, & per omnes sanctos discipulos, & innocentes Domini, & per omnes martyres & confessores, & per omnes sanctas virgines & viduas, & per omnes sanctos & sanctas Dei, & per totam cœlestem curiam, & per hæc nomina Dei: Agla, Tetragrammaton, Iehova & per nomen Iesus & per nomen Dei, qui potenter super omnem ignem dominatur.

Iterum & nouissime coniuro ✠ te ignis per illum, qui contremiscere facit orbem, vt statim cum furore maximo adiuratus per tot & sanctissima verba tui creatoris hanc schedulam, in qua picta est imago diabolica, quæ pro nunc appropriatur figuræ & imagini huius spiritus nequissimi, in qua schedula nomen tuum etiam scriptum est supra caput istius figuræ, potenter calefacias, & tu ignis adiuratus horribiliter comburas & festinanter, cum in te illam mittam & ponam & eam schedulam cum tali imagine appropriatam huic spiritui nequissimo, terribiliter comburas, ita, vt sicut tu ignis successiue calefacies & combures istam schedulam cum imagine & nomine ipsius, sic in millecuplo de die in diem plus quam tu ignis calefacies & combures hanc schedulam cum tali imagine & figura picta cum nomine eius, cuius imagini appropriatur iste spiritus, qui hunc thesaurum possidet, in sua tota substantia & semetipsum sentiat, semperque & horribiliter calefaciat, vsque ad diem iudicii, semper augmentando pœnam istam & dolorem in centuplo plus de hora in horam, quam pœnam & dolorem non sit ausus spiritus aliquis, cuiuscunque conditionis, potentiæ & virtutis existat, ei auferre, nec ei obedire, nec aliquod subsidium dare, in virtute Dei & verborum, quæ nominaui, & per eorum potentiam, cui pœnæ spiritus iste, quicunque hunc occupat thesaurum, non possit resistere, quin statim

tim recedat de hoc thesauro, propter quam pœnam victus exeat & strictissime coactus recedat de hoc thesauro statim & sine mora, non rediturus ad eum, sine vlla læsione nostri vel aliarum creaturarum, vt superius ei iniunxi, quæ pœna non auferatur, nisi prius exeat, thesaurum nobis hic & ante oculos nostros restituat, & vadat in profundum abyssi, & inde non habeat potestatem exeundi vsque in diem iudicii, & non sit, qui hæc, quæ dixi, dicam & faciam, soluere faciat, per virtutem eius, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem.

Benedictio ignis.

℣. Auditorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic ✠ Domine Deus omnipotens hanc creaturam ignis tua benedictione ✠ cœlesti ad fugandum & ad fumigandum hunc spiritum habitantem circa hunc thesaurum & omnes ei fauentes, & ad effugandum & repellendum prædictum spiritum ab hoc thesauro, & ad illum mittendum in eum locum, vbi ignis non morietur, cum omnibus sociis suis, quotquot cum isto adsunt & omnibus fauentibus sibi sine læsione nostri & aliarum creaturarum: quam creaturam ignis tui, Domine, qui omnia potes, sanctificando sanctifices ✠, benedicendo benedicas ✠, fiatque pœna de hora in horam spiritui prædicto horribilis & magna atque potentissima ad effugandum, & ad subiugandum, siue velit siue nolit, prædictum spiritum nequissimum de hoc thesauro, vbicunque latet, in profundum abyssi, cum omnibus fauentibus ei, & sine læsione alicuius creaturæ ab eo aufugiat, & illum nobis tutum & sanum relinquat non rediturus, nec ipse nec alter ad eum, quæ pœna in sua substantia & in se totum crudeliter incipiat tunc fieri & eam potenter sentire, cum hanc imaginem pictam in hanc creaturam ignis ponam & mittam ad comburendum, & crescat & augmentetur semper atrocissimus de hora in horam in millecuplo, postquam prædictam imaginem ponam ad comburendum, & combusta fuerit, cui pœnæ prædictus spiritus non

possit resistere, quin recedat non rediturus, vt prædixi, quæ non auferatur, nisi prius recedat a thesauro, & illum nobis salua eius substantia relinquat & redeat cum omnibus prædictis, in nomine tuo, Iesu Christe Nazarene, crucifixe, qui venturus es iudicare vivos & mortuos & seculum per ignem, & spiritum eum damnatum, qui aut solus aut cum sociis suis circa hunc vel in hoc thesauro moratur. Amen.

Sicut cera deficit e facie ignis & puluis ante faciem venti, sic omnis tua potentia & virtus deficiat ad vlterius morandum & permanendum in hoc vel circa hunc thesaurum, quem tu Domine Deus ad hominum vsum deputasti, & quem ad maiorem tuam laudem & gloriam impendemus.

Oremus.

O gloriose, o sanctissime Adonai, per quem omnia creata reguntur & consistunt, adesto propitius inuocationibus meis, & clementer præsta & concede, vt in virtute tua & dono gratiæ tuæ præsens ignis sit creatura dicta nunc & semper, & omnem virtutem & efficaciam prædictam in se potenter obtineat super Spiritum præsentem dissipantem & vilipendentem verba sancta tanto tempore & ad omne id, quod valere opto, valeat efficaciter, per te piissime Adonai.

Hic ignis aspergatur aqua benedicta. Qua benedictione ignis completa, accipiatur sulphur, galbanus, assa fœtida, aristolochia, hypericon & ruta, omnia simul benedicta, quorum benedictio ad finem sequitur, & proiiciantur in ignem; & super ignem fumantem tenetur picta dæmonis imago & legitur sequens adiuratio:

Audi, audi, audi Spiritus, qui hunc occupas thesaurum, audi a Deo maledicte & præcipitate perpetualiter in pœna æternali, nefandissime, nequissime Dei rebellis, mendacii Pater, omnium proditor, radix omnium malorum, origo discordiæ, vitiorum fomes, insipiens, insensate, suffurator, hæretice, apostata spurcissime, sceleratissime, fœtidissime, omni bono vacue & omni malo plene, homicida, improbe fili perditionis, maledictionis æternæ, hostis humani

mani generis, vitæ raptor, iuſtitiæ declinator, origo auaritiæ, ſerpens viliſſime, lupe rapaciſſime, deriſio totius angelicæ naturæ, ignoraſti vt inſipiens & dixiſti in corde tuo vt ſtolidus: non eſt Deus. Recognoſce ſententiam tuam horribilem & pœnam terribilem, amaram, fortem & multis flagellis & anguſtiis plenam, quoniam nominibus & verbis diuinis rebellis fuiſti, & tantorum nominum, honore, reuerentia, timore & obedientia dignorum, quam ſtatim volo dare & dabo tibi Spiritus nequiſſime, potenter & horribiliter auctoritate, virtute & potentia magni Dei omnipotentis, qui creauit cœlum & terram & omnia, quæ in eis ſunt & permanent, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & te & omnes alios dæmones tecum circa hunc theſaurum habitantes iterum, & ſeculum per ignem. Amen.

O Spiritus Sared, quod nomen tibi impoſui & impono, Sared nequisſime & nefandiſſime, auctoritate, virtute, potentis magni Dei mei & totius curiæ cœleſtis, maledictus blasphematus ſis perpetualiter in pœna æternali & nulla requies in te ſit, ſi ſtatim audito verbo non recedas feſtinanter & nobis theſaurum hunc absque motione minima in ſuo loco ſanum relinquas & illum incolumem nobis huc afferas eo modo & conditione, vt ſuperius tibi iam ſæpius iniunxi & dixi, & per omnia nomina & in virtute omnium nominum & verborum, quibus omnes creaturæ obediunt, & timore pauoreque eorum omnis creatura contremiſcit, timet & adorat & per Deum, per quem tonitrua & fulgura fiunt, quæ te, ſpiritum nequiſſimum & ſocios, ſubditosque tuos horribiliter deſtruent, potenter expellent, & cum impetu magno crudeliter fulminabunt, per illum te potenter maledico, ſpiritus nequiſſime, te anathematizo, te priuo omni tua virtute & potentia, & te præcipito & proiicio in maiorem cruciatum, qui ſit in inferno, & per virtutem eius in ſtagnum ignis & ſulphuris indiſſolubiliter te relego, & æternaliter condemno vsque in diem iudicii concremandum horribiliter, & deinceps omnis ictus & locus ſit tibi interdictus præter centrum mundi infimum, vbi ſit deinceps locus & habitatio tua vsque in diem iudicii, vbi ſis ſubditus omnibus & ſingulis pœnis infernalibus acrius & durius Lucifero, & nullus ſit, qui tibi obediat, per hæc Dei nomina & in virtute & potentia iſtorum: Adonai, Agla, Ieſus, Tetragrammaton, Sabaoth, Meſſias, Sother, Emanuel, Agios, o Theos, Iſchyros,

Athanatos, & alia nomina Dei terribilia & ineffabilia, quoniam tu fuisti rebellis tantis & tot ſacratiſſimis nominibus & myſteriis Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus ſancti, & ira & indignatio B. Mariæ virginis & omnium ſanctorum Angelorum, Archangelorum, thronorum, poteſtatum, principatuum, dominationum, virtutum, Cherubim & Seraphim, & S. Iohannis Baptiſtæ & totius curiæ cœleſtis & omnium creaturarum Dei ſigno ſanctæ crucis conſignatarum veniat, & deſcendat feſtinanter ſuper te & ſuper Luciferum, Beelzebub, Sathan, Aſtaroth, Behemot, Beherit, & omnes principes dæmoniorum & dæmones cuiuscunque virtutis & conditionis exiſtant, ſi tibi, nequiſſime ſpiritus, aliquod ſubſidium dederint, & non ſit, qui tibi, nec eis obediat, per omnia, quæ dixi & dicturus ſum, & deinceps ſemper in virtute & potentia omnium, quæ ſuperius nominaui, & in nomine & virtute magni Domini noſtri omnipotentis, fortis & terribilis Ieſu Chriſti Nazareni pro nobis crucifixi ſit confracta & ligata indiſſolubiliter omnis tua potentia, & cuiuslibet alterius tibi fauentis & verbis diuinis reſiſtentis, & mandatis meis, imo Ieſu Chriſti Filii Dei omnipotentis, cuius auctoritate & officio nunc fungor: licet immeritus & miſer peccator ſim & inſufficiens mei fragilitate & defectu virtutis; & ſicut Chriſtus ad columnam ligatus fuit, & acriter a Judæis flagellatus, & cruci clauis affixus, & coronatus ab ipſis abſque vlla miſericordia, & terra mota eſt, & velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo vsque deorſum, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, ſic omnia, quæ dixi, dicam & facturus ſum, veniant ſuper te cum effectu. Amen.

Oremus.

Dominus Deus meus, qui es Rex regum & Dominus dominantium, te ſuppliciter exoramus, vt feſtinanter ſine mora aliqua hæc adimpleas in furore & ira tua, grata miſericordia, in virtute & potentia tua, & ſicut dixiſti: fiat Lux & facta eſt; ſic omnis maledictio & pœna dicta & dicenda & facienda fiat & facta ſit, & non ſit illi adiutor; Domine, nomen illius deleatur, quoniam dilexit maledictionem & noluit benedictionem; da nobis auxilium & fortitudinem contra hunc nequiſſimum ſpiritum, theſaurum hunc occupantem, & contra omnes ſocios eius & ſibi fauentes ſtare: adiuua me, Domine Deus meus

meus, fiat misericordia tua super nos, quemadmodum sperauimus in te; non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam; omnem maledictionem & pœnam, quam ei auctoritate tua in virtute & potentia tua potenter & viriliter tribui & impendam, Tu Domine Deus meus potenter confirma tua benignissima misericordia, extende manum tuam, & fulmina eum & deuorabit eum terra; reuertatur in terram suam. Amen.

Hic proiiciatur imago in ignem & conuersus ad thesaurum dicat ad dæmonem.

Pereant ergo omnes cogitationes tuæ in tuum detrimentum & confusionem, o spiritus maledicte, ad laudem Dei & pœnam tuam terribilem & maledictionem æternalem, & expulsionem tuam subitaneam ab hoc thesauro, vbicunque latitas. Nomen tuum & imaginem diabolicam, o spiritus nequam, nomine tuo fabricatam viriliter & potenter in ignem posui hucusque fumigatum odore horribilissimo, vt nomen & imago tua diabolica, quæ pro nunc tibi appropriatur, festinanter & horribiliter comburatur, ita vt successiue comburitur nomen tuum & imago diabolica, sic statim sine vlla mora in tua substantia in temet ipso, maledicte spiritus, æternaliter sentias & horribiliter comburaris acrius & durius plus in millecuplo, quam iste ignis hanc schedulam & imaginem comburit, quæ pœna semper augmentetur vsque ad diem iudicii sic & taliter, vt festinanter victus potenter exire coarcteris de hoc & ab hoc thesauro, & eum neutiquam amoueas, subtrahas aut transferas eo modo & conditione, vt superius tibi iniunxi, cui pœnæ non possis resistere aliquo modo, quin recedas victus & confusus, quam pœnam non sit aliquis spiritus magnus vel paruus, cuiuscunque conditionis, virtutis & potentiæ existat, ita ausus nec ita præsumtuosus, qui eam tibi auferre, nec resistere ei possit, nec aliquod subsidium tibi dare, nec obedire; per potentiam & virtutem Domini mei fortis & terribilis fiat statim indissolubiliter quidquid dixi.

Sequens oratio potest flexis genibus dici.

Et Tu Domine Deus meus confirma hæc tua virtute & potentia nunc & vsque in æternum, sicut confirmasti omnes Angelos, Archangelos,

gelos, thronos, dominationes, poteſtates, principatus, virtutes, Cherubim & Seraphim in gratiam, qui tecum remanſerunt & ſteterunt, ſic nunc confirma omnia, quæ dixi cum effectu in nomine tuo. Amen.

Exſurge Deus in ira tua, & mitte iram tuam, quæ deuoret eum: Egrediatur diabolus iſte ante pedes noſtros & corruat in terram in furore tuo: Domine, exeat ſpiritus iſte & recedat ab hoc theſauro, relicto eo in ſalua ſua ſubſtantia.

Dominus ſoluit compeditos; Dominus illuminat cœcos; Dominus erigit eliſos; Dominus dirigit iuſtos; Dominus cuſtodit aduenam, pupillum & viduam ſuſcipiet, & viam peccatorum diſperdet; non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam; Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me; in te Domine confido, non confundar in æternum, etenim vniuerſi, qui te exſpectant, non confundentur; da mihi auxilium & adiuua me DEVS meus; Domine exaudi orationem meam & clamor meus ad Te veniat; Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ; Eſto Dominus turris fortitudinis a facie omnium malignorum ſpirituum; pone eum, Domine, vt rotam & ſtipulam ante faciem venti. Amen.

Conivratio.

Iterum atque iterum nouiſſime coniuro ✠ te adiuro ✠ & conteſtor ✠ in nomine atque virtute & potentia Agni diuini immaculati, qui potenter ambulat ſuper aſpidem & baſiliſcum, qui conculcauit æternaliter Leonem & Draconem, & potenter atque ſtrictiſſime exorcizo te ✠ viliſſimum atque perpetualiter damnatum diabolum nequiſſimum antiquum per virtutem illius, qui cunctos ſpiritus creauit ex nihilo, & per virtutem Ieſu Chriſti Nazareni, crucifixi, Iudæorum Regis, & per virtutem ſanctorum, ineffabilium, potentiſſimorumque nominum, ſcilicet: El ✠ Elohim ✠ Adonai ✠ Sadai ✠ Soter ✠ Emanuel ✠ Sabaoth ✠ Tetragrammaton ✠ Alpha & Omega ✠ Principium & finis ✠ Agios ✠ Iſchiros ✠ o Theos ✠ Athanatos ✠ Agla ✠ Iehoua ✠ Homuſion ✠ Iia ✠ Ieſus ✠ Chriſtus ✠ Meſſias ✠ Eloha ✠ Eheye ✠ & per potentiam omnium iſtorum nomi-

nominum ſimul ineffabilium, & per virtutem omnipotentis ſummi & excelſi Dei cœli & terræ & vniuerſi conditoris orbis, per quem cuncta creantur & reguntur, & per ineffabilem & mirabilem eius potentiam, & per virtutem illius, qui potenter penetrat, & ſuper omnem ignem dominatur, per virtutem & in virtute illius, cuius ſedes eſt ignis, & ignis ante eum exibit & percutiet & comburet quemcunque, qui contra eum dixerit & verbis ſuis non obedierit, ac protinus ſua præcepta non adimpleuerit; & per virtutem beatæ & glorioſæ virginis Mariæ, & per ſummam potentiam Dei, & per virtutem omnium operationum, quæ ab ipſo factæ fuerunt, & in virtute omnium ſanctorum nominum, quæ ſuperius nominaui, & per potentiam & virtutem omnium coniurationum, ligationum, vinculorum ac mandatorum, cuiuſcunque virtutis & conditionis exiſtant, & quibus tu, nefandiſſime ſpiritus, aliquo modo poſſis in virtute Dei coniurari & conſtringi, obedire & facere, quod ego volo, & quibus poſſis ligari vel fugari, vel cruciari, vel ad pœnas aliquas damnari, Tu nequiſſime ſerpens, feſtinanter coniuratus & confuſus diſcedas, & victus ſine terrore omnium hic exiſtentium, ſine mora diſcedas ab hoc theſauro, & illum in ſuo ſtatu relinquas, neque diripias, ſurripias, ſubmoueas aut transferas, non amplius rediturus ad eum, nec tu, nec alter ſpiritus diabolicus, cuiuſcunque conditionis & virtutis exiſtat, ſed in profundum abyſſi vadas ſtatim audito verbo, ibi perpetuo cruciandus & acrius ſolito, ſine læſione mei & omnium adſtantium, exinde nunquam exiturus vsque in diem iudicii, cum omnibus tibi fauentibus auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, per omnia, quæ dixi, dicturus aut facturus ſum in tuum detrimentum & expulſionem tuam, ad laudem omnipotentis Dei; & ego auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti per totam curiam cœleſtem, eiusque potentiam & per omnia, quæ ſuperius nominaui, abſoluo hunc theſaurum a diabolo & omnibus aliis ſpiritibus malignis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & per virtutem omnium verborum, quæ nominaui; ſit a modo confracta & lacerata omnis tua poteſtas, ſicut Chriſtus per mortem ſuam confregit portas inferni.

Et a modo ſit ligata per omnia, quæ dixi, omnis tua potentia & virtus o! nequiſſime ſpiritus, qui indebite habitas in iſto vel circa iſtum theſaurum, ſicut Sathanas ab Angelo fuit ligatus, & ſicut per oratio-

nem Diui Petri Apostoli ad nihilum fuit redacta vestra potestas; & nunc & semper tua potentia ad nihilum deueniat; & sicut sancta Maria virgo beatissima & omnes virgines Dei gaudent cum Christo gloria æterna, ita tu immediate per nomen Domini nostri Iesu Christi Nazareni, crucifixi, & in virtute suæ passionis recedas & nobis afferas hunc thesaurum illæsum, tunc vero vadas in profundum abyssi absque læsione nostri vel alterius creaturæ, eo modo & ea conditione, vt superius tibi iniunxi.

✝ Audi, spiritus nequissime, nunc & deinceps non audeas stare nec permanere in vel circa hunc thesaurum, vbicunque latitas, siue intus siue extra, sed illum nobis saluum & incorruptum hic ante oculos nostros restituas per virtutem omnium, quæ nominaui, & nunc tibi potenter præcipio & strictissime mando auctoritate Domini nostri Iesu Christi, fuge, fuge, fuge vilissime & rebellis Dei & suorum nominum omniumque verborum sanctorum, affer nobis hic ante oculos nostros thesaurum hic depositum incolumem & incorruptum: da locum durissime, da locum impiissime, da locum Iesu Christo, tunc recede subito, vilissime spiritus, & non sit, qui tibi obediat nec faueat, alias omnia hucusque nominata repetam ad laudem Dei & ad confusionem tuam, & in stagnum ignis & sulphuris te præcipitabo æternaliter concremandum, & condemnabo te strictissime vsque in diem iudicii & te maledicam potenter & terribiliter, te anathematizabo & strictissime ligabo in infernum inferiorem, vbi nulla tibi erit requies in æternum.

O Serpens crudelissime & deuorator nequissime! venit de sancta sua sede verbum Patris, cuius nomen est Adonai, & descendit de cœlo, vt genus humanum saluaret, & te, diabole spiritus vilissime & nequissime a Deo maledicte, & a tota curia cœlesti, etiam per nos ministros suos (licet indignos) excruciet & horribiliter in profundum abyssi fulminet, quoniam omnia verba sua a me prolata sunt ignes feruentissimi, qui te & omnes fauentes tibi comburent potenter & horribiliter, & sunt verba, per quæ totus mundus contremiscit, & omne genus creaturarum cœlestium, terrestrium & infernorum timet, obedit, adorat & contremiscit; & tu, spiritus maledicte, credis & vis esse rebellis semper tuo creatori? Væ tibi, maledicte & vilissime spiritus! affer hic thesaurum in hoc loco latitan-

titantem, tunc abi & recede nequissime, adiuratus per tot & tam sanctissima verba; durum est tibi contra stimulum calcitrare & Christo velle resistere, qui quanto tardius facis & exis, tanto maius tibi supplicium crescit, quoniam non hominem contemnis, sed eum, qui est Rex regum & Dominus dominantium, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem, & Te, proditor gentium.

Sancta Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus, vera Maiestas te, diabolum, statim fulminet vsque in inferiorem locum inferni, nunquam ad hunc thesaurum rediturum.

Exurge Domine, Deus meus, exurge Domine in ira tua, exurge & intende iudicio meo, Deus excita potentiam tuam & supplanta eum: dissipa & potenter sine mora fulmina illum, adiuua me Deus meus, da mihi auxilium tuum, exurge Domine, exurge gloria mea! inclina cœlos tuos & descende, tange eum & dissipabis; emitte sagittas tuas, & illum acriter fulminabis, fulmina eum statim horribiliter, Deus meus, qui sedes super Cherubim & Seraphim. Peccavi, Domine miserere mei, fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum sperauimus in te; Domine, Deus salutis, spes mea & refugium meum es tu. Amen.

Sequitur Benedictio Galbani, Sulphuris, Assæ fœtidæ, Aristolochiæ, Hypericonis & rutæ.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

EXORCISMVS.

Exorcizo te, creatura Galbani, Sulphuris, Assæ fœtidæ, Aristolochiæ, Hypericonis & rutæ per Deum ✠ viuum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per sanctissimam Trinitatem, Patrem ✠ & Filium ✠ & Spiritum ✠ Sanctum & per Deum, qui omnia creavit ex nihilo, per eum, qui expulit prauos Angelos de cœlo ad ista inferiora per Iesum ✠ Christum, Filium eius vnicum Dominum nostrum, qui dabit prædestinatis felicissime regnum æternum, &

 repro-

reprobatis regnum infernale perpetuum, per sancta nomina istius Te coniuro ✝ exorcizo ✝ & per omnia supra dicta, vt sis in defensionem nostram & efficiaris perpetua fumigatio exorcizata ✝ benedicta ✝ & consecrata ✝ in salutem nostram & omnium fidelium christianorum, & perpetua pœna sis omnibus malignis spiritibus, & fortissimus & infinitus ignis eorum, & magis quam sit infernalibus spiritibus sulphur & ignis infernalis & omnia genera pœnarum; omnia supra dicta sint nobis defensio, perpetua expulsio, & suffumigatio omnium spirituum, ita vt neque nos, neque thesaurum hunc aliquo modo offendere aut lædere valeant, per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem. Amen.

Oremus.

Ineffabilem clementiam tuam, omnipotens Deus & æterne, humiliter imploramus, vt sicut tu es vnus in essentia, & trinus in personis, scilicet: Pater, Verbum & Spiritus sanctus, ita benedicere & consecrare per immensam clementiam & pietatem tuam digneris hanc creaturam suffumigationis, sic, vt sit omnibus christianis istam sumentibus odor & defensio perpetua contra omnes spiritus malignos, & perpetua istorum expulsio, & in quocunque loco odor eius venerit, statim expellantur omnes insidiæ latentis inimici ac eorum habitationes dissoluantur & annihilentur per signum sanctæ crucis ✝ Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Postea aspergatur aqua benedicta.

Laus Deo, Deiparæque semper.

NB. & animaduerte, quod præter exorcistam opus sit quoque alter Sacerdos adstet, vt, si forsan prior deliquium pateretur, secundus in exorcizando pergere possit. &c.

§. XVIII.

§. XVIII. In his *exorcismis* potissimum notandæ sunt hæ formulæ: *per hac DEI nomina & in virtute & potentia istorum:* item, *per hac eius gloriosissima nomina, per hac sanctissima nomina: per virtutem sanctorum ineffabilium potentissimorumque nominum.* Hæ aperte designant, omnem vim & efficaciam horum exorcismorum pendendam esse ex ipsis *nominibus*, DEO passim in sacris tributis, in quibus iam olim Iudæi *mysteria* ingentia quæsiuerunt, & ipsum Moysen per hæc ipsa omnia patrasse miracula crediderunt. Etenim ex libro *caphthor* ANTONIVS van DALE *de diuinat. c. 5. p. 493.* hoc adfert testimonium: *Mosis non est vsus nisi ipso nomine maximo, & omnia miracula sua, quae fecit, fuerunt facta per Schem-hamphorasch i. e. nomen expositum, quod est ipsum nomen* יהוה *& Ehieh ascher Ehieh.* Prius est illud nomen *Tetragrammaton* IEHOVAH, pro quo semper Iudæi legunt *Adonai*, quodque sibi DEVS *Exod. VI, 3.* attribuit, non vt per illud, *qua tale*, miracula fierent, quippe quæ *virtute diuina* fecit, sed vt populo sub hoc nomine sese manifestaret. Altera appellatio occurrit *Exod. III, 14. ero qui ero*, qua locutione Deus Moysi, nomen eius sciscitanti, respondet, non nomen suum edit, cum in sequentibus manifesto IEHOVAM sese vocet. Multo minus nomen DEI deprehenditur in voce: *Ehieh, ero;* quamuis enim DEVS Moysi in mandatis dederit, vt Israelitis diceret: ERO *misit me ad vos*; nomen tamen *Ehieh, ero* hoc ipso sibi haud assignauit, sed in compendio verba adducta retulit, huc redeuntia: *is DEVS, qui dixit mihi, cum rogaui nomen eius, ero qui ero, is DEVS, inquam, misit me*, vt optime obseruat CLERICVS *in Pentateucho cit. l.* Nihilominus tamen in primo exorcismo *§. XVII.* relato, vt nomen DEO proprium occurrit *Ehieh ascher Ehieh;* hoc modo a me in formula adducta correctum, loco eius scriptum erat *Escherehie;* in posteriori vero EHIEH *simpliciter*, quod multi existimarint, hoc nomine magnæ potentiæ sese DEVM Israelitis manifestasse. Inprimis vero extollunt suum *Schemhamphorasch* seu *Tetragrammatum*, quatuor literarum nomen, quod ipsi baculo, quo Moyses miracula fecit, inscriptum fingunt, vt docet LEIDEKKERVS *de republ. Hebræor. lib. IV. c. 1. p. 190.* ex libro *Middrasch*, vbi Moyses introducitur, hæc de se referens: *Baculo insculptum erat nomen Dei expositum seu tetragrammaton, cum suis expositionibus;* atque hunc baculum in vespera Sabbathi primi creationis mundi creatum esse somniant, Adamo datum; a quo posteri eius eundem acceperint, donec tandem Iethro illum furto a se ablatum genero suo Moysi restituerit. Inde

Nomina DEO tributa in exorcismis illustrantur atque explicantur.

vt Iehovah.

Ero qui ero.

Ehieh ascher ehieh.

Tetragrammaton.

de quoque frequenter in adductis exorcismis occurrit nomen *Tetragrammaton*, sub quo IEHOVA intelligitur, licet huius præterea mentio simul iniiciatur. Imo ipsum Saluatorem per illud *Schem bamphorasch* miracula sua edidisse calumniantur magistri Iudæorum, omnem vim expellendi dæmones & alia mala exterminandi soli huic NOMINI, qua tali, tribuentes. Iam olim Iudæos ea imbutos fuisse doctrina, notum, adeo vt cum quidam circumforanei obseruarent, IN NOMINE IESV CHRISTI Apostolos tot miracula patrare, *Act. III, 6. IX, 34. XVI, 18. tentauerunt quidam* ex his circumforaneis exorcistis *invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen domini Iesu, dicentes:* ADIVRAMVS VOS PER IESVM, QVEM PAVLVS PRAEDICAT. *Erant autem filii Sceuæ Iudæi principis sacerdotum septem, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus malus dixit: Iesum noui, & Paulum scio: vos autem qui estis?* NOMINI IESV, *qua tali*, sicuti suo *Schembamphorasch*, omnem efficaciam adscribebant temerarii, temeritatis suæ pœnam luentes, cum tamen Apostoli ipsi pronunciarent, sese vnice ex *viuida fide in Christum* hæc miracula edere, *Act. III, 16.* non vero vnicum in nomine, *qua tali*, præsidium quærere. Atque ita quoque intelligendus est ipse Seruator *Marci XVI, 17: Porro signa eos, qui crediderint, hæc subsequentur:* PER NOMEN MEVM *dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent,* (vt *Act. XXVIII, 5.*) *& si quid lethale biberint, neutiquam nocebit eis: super ægrotos manus imponent, & bene habebunt*, vt factum est *Act. XXVIII, 8.* Quis crederet, Saluatorem in verbis: *per nomen meum* respexisse ad Iudæorum morem expellendi mala per *Schembamphorasch?* vel *nomini suo*, qua tali, miraculosam virtutem indidisse, quæ vnice *fidei in Saluatorem*, inuocato eius nomine vt tessera fidei viuidæ, tribuenda erat? Vnde non mirandum est, male admodum cessisse filiis septem Sceuæ, omni fide in Christum destitutis, exorcismos *per nomen Iesu* factos, cum Apostolis, occasionibus ita ferentibus, optime cederet *professio fidei in Christum publica* & virtutis plena.

Iesu.

Quo nomine quidam Iudæi male vsi leguntur.

Nomen etiam Sabaoth & Adonai more iudaico vsurpant exorcistæ.

§. XIX. Quid ergo dicendum de *exorcistis* seu *incantatoribus noui fœderis*, quos nouiter effigiauit ecclesia Romana, eisque tales præscripsit formulas, per quas incantationes tales perfici posse prorsus arbitratur. Inde in conglomerandis *nominibus diuinis* admodum solliciti fuerunt, vti formulæ adductæ docent. In his etiam occurrunt hæc nomina: *Sabaoth & Adonai.* ORIGENES *lib. I. aduers. Cels. p. 19. edit. Cantabrig.* obseruat, *nomen illud* SABAOTH & ADONAI alia-

aliaque apud Hebraos cum magna veneratione tradita esse, & occultam quandam continere theologiam, quæ vniuersitatis opifici congruit. His appellationibus etiam incantandi periti superstitiose, (æque vt hodie *exorcistæ ecclesiæ Romanæ*, non laici, quibus hæc ars denegata) vtebantur, vti in sequentibus his exponit verbis: *His addendum, quod affirmant incantandi periti, eandem incantationem pronunciatam lingua sua propria efficere, quod pollicetur: sin transferas eam in alias quascunque voces, euidenter vim suam perdere: adeo vis ea non in significationibus rerum, sed in ipsis* VOCVM QVALITATIBVS & PROPRIETATIBVS *inest ad hac vel illa efficax.* Eadem ieiuna & superstitiosa ducuntur philosophia *exorcistæ iudaizantes*, adeo sollicite singula verba in formulis sibi præscripta obseruantes, ne vel in syllaba aut litera quadam errent. Idem repetit ORIGENES *lib. V. adu. Celsum p. m.* 261., *atque p. seq.* de vana incantatorum sententia ita loquitur: *Idem dicendum de hac voce* SABAOTH, *quæ est frequens in incantationibus, pro ea si supponas*, DOMINVS VIRTVTVM, *aut* DOMINVS EXERCITVVM *aut* OMNIPOTENS, *nihil ages: quod si vocem ipsam Hebræam serues, non erit inefficax, si credimus peritis huiusmodi artium; id quod dici potest etiam de nomine hoc* ADONAI. Non ex sua sententia loquitur ORIGENES, sed communem *gentilium* & *Iudæorum* philosophiam refert, id quod indicant verba vltima: *si credimus peritis huiusmodi artium. De christianorum* virtute eiiciendi Dæmones per nomen Iesu pariter loquitur: *Ad huiusmodi de nominibus philosophiam pertinet noster quoque IESVS, cuius nominis efficacia tam innumeri dæmones conspecti sunt manifeste fugari ex arreptorum corporibus & animis.* Nominis huius efficaciam laudat *Origenes*, quæ tamen potius *fidei viuidæ* in ipsum nomen IESV tribuenda est, vt ipsemet quoque accipiendus est. Præterea etiam in *exorcismorum* formulis frequens est appellatio SADAI vel potius *Schaddai*, quod *omnipotentem* παντοκράτορα denotat, & in sacris sæpe occurrit *Genes. XVII*, 1. vbi DEVS vocatur *El-Schaddai*, *Gen. XLVIII*, 3. *XLIX*, 25. cuius deriuationem eruit CLERICVS *ad pentateuch. Gen. XVII*, 1. Pariter אגלא AGLA nomen Dei est, Kabbalistis vsitatum, atque ex primis litteris certarum vocum compositum. Videlicet א repræsentat vocem אַתָּה *tu:* ג vocem גִּבּוֹר *potens* (scilicet *es*) ל vocem לְעוֹלָם *in seculum:* א vocem אֲדֹנָי *domine.* Conf. BVXTORFII *Lexicon chald. Talmud. & rabb.* DEO etiam in formulis adductis tribuitur nomen

Efficacia nominis Iesu apud christianos antiquos.

Nomen Sadai.

Agla,

Iia,

IIA.

ria. Iudæus putat esse אהיה *Ehieh. Exod. III*, 14. Poterit quoque esse Hebræorum יה. Græcorum certe conuenit mori, hoc pronunciare *Iia* pro *iah*, cum insertio literæ j pronunciationem facilitet. Est autem יה nomen DEI, videturque aliis peculiarem significationem a *decore gloriaque* habere: aliis ex voce יהוה contractum. Appellatio בהיר *Bebyros* idem est ac *splendidus illustris*, atque itidem de Deo prædicatur. Reliqua *nomina* Deo in exorcismorum formulis assignata non indigent illustratione, bene tamen censura iusta, quod christiani, maxime clerici, ea cœcos ducant trahantque superstitione, vt persuasissimum habere cogantur, vel diabolum vel animam diu defuncti thesaurum captiuum tenere: hunc prius per exorcismos abigendum esse: his maleficiis ligatos coniuges solui: his pestem, serpentes, locustas, mures aliaque noxia animalia domari posse, ne noceant. Id docent exorcismi in *Museo Wormiano lib. III. c. 23. p. 331. sq* ex antiquitatibus relati, quibus sub papatu olim certum quoddam murum genus in Norwegia exterminari posse credebant. En ipsam formulam:

Bebyros.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

Preces nostras quæsumus Domine clementer exaudi, vt, qui iuste pro peccatis nostris affligimur, murium, aut locustarum vel aliorum animalium persecutionem patimur, procul a tua potentia expulsi, nulli noceant, & hos campos, agros, vel vineas aut aquas in tranquillitate & quiete dimittant, quatenus ex eis surgentia & orta, tuæ maiestati deseruiant, & nostræ necessitati subueniant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMVS.

Omnipotens, sempiterne Deus, omnium bonorum remunerator & peccatorum maximus miserator, in cuius nomine omnia genua flectun-

ctuntur, cœleſtia, terreſtria & infernalia, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, vt, quod de tua miſericordia confiſi agimus, per tuam pietatem hos peſtiferos vermes, vel mures, aues vel locuſtas aut alia animalia, per nos ſeruos tuos, maledicendo maledicas, ſegregando ſegreges, exterminando extermines, vt, per tuam clementiam, ab hac peſte liberati, gratiarum actiones maieſtati tuæ libere referamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

EXORCISMVS.

EXORCIZO vos peſtiferos vermes, mures, aues ſeu locuſtas aut animalia alia, per Deum Patrem ✠ omnipotentem, & Ieſum ✠ Chriſtum filium eius, & Spiritum ✠ ſanctum ab vtroque procedentem, vt confeſtim recedatis ab his campis ſeu vineis, vel aquis, nec amplius in iis habitetis, ſed ad ea loca tranſeatis, in quibus nemini nocere poſſitis, & ex parte omnipotentis Dei, & totius curiæ cœleſtis & eccleſiæ ſanctæ Dei, vos maledicens quocunque ieritis, ſitis maledicti, deficientes de die in diem in vos ipſos & decreſcentes, quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inueniantur, niſi neceſſariæ ad ſalutem & vſum humanum, quod præſtare dignetur ille, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem. Amen.

OREMVS.

Domine Ieſu Chriſte, qui Iordanis flumen benedixiſti, &, in eodem baptizatus, aquas mundaſti & purificaſti, vt elementum ſalubre efficerentur in remiſſionem peccatorum, has aquas quoque bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare & munda ✠ re digneris, vt nil in eis noxii, nil peſtilens aut inficiens, nil corrumpens remaneat, ſed omnia pura & munda in eis efficiantur, quatenus, quæ ad vſum humanum ex eis creata ſunt, cum ſalute noſtra & gloria tua aſſumamus, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Sed deſino plura addere, cum, qui in his ferculis quærit delicias, ſe paſcere poſſit P. HIERONYMI MENGII *theſauro exorciſmorum atque coniurationum terribilium & efficaciſſimorum cum practica probatiſſima, quibus ſpiritus maligni, dæmones maleficiaque omnia de corporibus humanis flagellis fuſtibusque fugantur.*

Carmina ad collum suspendenda contra morbos.

§. XX. Praeterea non improbant exorcismos & *carmina* ad *collum* suspendenda vel in *vestibus* deferenda, ad morbus pellendos, modo caueatur, (α) ne id, quod scribitur, ad inuocationes Daemonum pertineat, & (β) ne contineat ignota nomina, vt in *malleo maleficarum* IACOBI SPRENGERI *P. II. Qu. 2. C. 6.* traditur. De eiusmodi amuletis collo appensis prolixius agit FROMMANN *de fascinatione lib. I. P. II. sect. II. c. 19. sqq.* eorumque irreligiosam superstitionem taxat. Famosum inprimis est illud *amuletum* Q. SERENI AMMONIACI de ABRACADABRA, de quo in *medicina sua* ita canit:

Vt carmen quod abracadabra vocatur.

Inscribas chartae, quod dicitur ABRACADABRA
Saepius & subter repetas, sed detrahe summam,
Et magis atque magis desint elementa figuris.
Singula quae semper rapies, & cetera figes,
Donec in angustum redigatur litera conum.
His lino nexis collum redimere memento.

Artificiose autem scribendum, vt vel in *conum triangularem* successiue desinat, vt videre licet apud FROMMANNVM *cit. l. c. 22. p. 307.* vel etiam hoc modo:

A B P A C A Δ A B P A
A B P A C A Δ A B P
A B P A C A Δ A B
A B P A C A Δ A
A B P A C A Δ
A B P A C A
A B P A C
A B P A
A B P
A B
A

Quae forma traditur in nouis *literariis Triuultiensibus anno 1701. Mens. Sept. & Oct. art. XXIX.* Mysteriis plenum significatum huic voci tribuunt,

buunt, cuius sensus huc redire dicitur: *DEVS vnus & trinus homines saluans per crucem: Pater & Filius & Spiritus Sanctus Dominus Deus vnus est.* Hunc significatum hoc modo inde exsculpunt:

Sensus eius mysticus traditur,

A	Ab	Pater
B	Ben	Filius
P	Ruach-hakadosch	Spiritus S.
A	Ανθρώπυς	Homines
C	σώζων	Saluans
A	ἁγίῳ	per sacram
Δ	δένδρῳ	arborem
A	Ab	Pater
B	Ben	Filius
P	Ruach-hakadosch	Spiritus S.
A	Adonai	Dominus DEVS vnus est.

Similem sensum mysticum Triuultienses *cit. l.* assignant voci ABPACAΞ, cuius literæ efficiunt numerum, quem annus habet absolutus 365, quod etiam obseruat SALMASIVS *de annis climactericis p. 571. in f.* Hoc nomen est potentissimi numinis *Basilidianorum*, EODEM obseruante *cit. l.* Pingitur DEVS hic BASILIDIS capite galli gallinacei cristati, in altera manu habens corollam quasi spineam, in altera cassidem more militis loricatus cum pedibus in serpentes desinentibus, ceu docet figura apud ABRAHAMVM GORLAEVM *tom. I. dactyliothecæ n. 183.* quamuis plures alios IDEM *tom. II. n. 331. 332. 333. 334. 336. 338. 339. 340. 342. 344.* sistat exhibeatque, quæ quodammodo inter se differunt. Quæ si considero, facile inducor, vt asseram, significationes istas mysticas his vocibus assignatas esse mere cerebrinas, & partum otiosorum ingeniorum, quibus credulis facile imponitur.

item in voce Abracas.

§. XXI. His exorcismis & incantationibus ecclesiasticis omnem attribuunt efficaciam ex *autoritate ecclesiæ* h. e. *cleri maioris*, qua hæc carmina præscripta, tradita, & approbata sunt. Et tamen quid aliud sunt, quam *incantationes magicæ* ex *iudaismo* & *gentilium superstitione* assumtæ? Idem fatentur *concionatores Hamburgenses in epist. anno 1549.* ad Theologos Wittebergens. *de rebus adiaphoris* scripta apud NICOLAVM STAPHORSTIVM *de confessione ecclesiæ Hamburg. p. 141.* atque hos exorcismos appellant *magicos*, imo consecrationes plurima-

Exorcismi sunt incantationes magicæ.

rimarum rerum inanimatarum *execrandam incantationum speciem* habere credunt. Neque enim, vt recte ait VOETIVS *P. III. differt. de exorcismo p. 1165. scriptura vsquam tale bellum exorcisticum aduersus Satanam talemque armaturam christianis praescribit*, sed panoplia spiritualis longe aliter instruitur *Eph. VI, 12. sqq. 1 Petr. V, 9. 10. Iac. IV, 7. 8. 1 Cor. XII, 7. 8.* Praeterea vero his exorcismis id vnice agitur, vt fabulis & illusionibus decipiantur creduli, persuasissimum habentes, thesauros captiuos teneri a diabolo, atque hoc modo eos posse fugari, & thesauros loco moueri. Ad huiusmodi diuitias comparandas tendunt tot inuocationes nominis diuini, vel potius in vanum & ludibrium adhibentur, contra praeceptum Dei, sedulo prohibentis, ne nomen eius sanctissimum in vanum adhibeatur. Vanitatem totius negotii optime depinxit ac repraesentauit ERASMVS in colloquio *de exorcismo*, cuius supra dedi epitomen. Quid? quod his exorcismis *miraculosam virtutem* edere, Deumque tentare mirifice studeant; quid enim aliud exorcistae faciunt, quam vt *potestatem miraculosam* sibi in omnes creaturas adscribant, quam tamen se a DEO accepisse, nullo idoneo probare possunt testimonio. Et quidem haec *virtus insitata* tribuitur ipsis *carminibus magicis*, *characteribus*, *ritibusque* ad vnguem obseruandis, quod reuera incantationes tam seuere prohibitas sapit.

Quae autoritate ecclesiae palliantur.

Neque vero *autoritate ecclesiae* haec ipsa palliari possunt, sicuti errores ab ecclesia Romana assumti & approbati *veritatis* rationem haud induunt, aut scelera legitimantur, si ab ecclesia vel pontifice Romano approbantur. Noui, *charismata diuina* & dona miraculosa *Apostolis* aliisque fidelibus quibusdam a Deo *iure singulari* concessa, quae in sola manu Dei sunt, nullibi vero ad *monopolium* cleri translata, vt haec cuicunque, modo *ordines* receperit ritu ecclesiae Romanae, concedere, eos vero ab his arcere valeat, qui clero haud sunt adscripti. Ita vero non *fidei viuidae* in Christum, sed solis *ordinibus*, quibus etiam impurissimi decorantur saepe, haec miraculosa virtus tribuitur, contra Saluatoris intentionem & vniuersam fidei analogiam: ita in *munus* quoddam *ordinarium* degenerat, quod *extraordinariis* donis vnice debetur. Quae cum ita sint, optandum foret, vt etiam *exorcismus* ex solennibus baptismi fuisset eliminatus, quod *tit. de baptismo tom. III.* monstraui, & nuper admodum plenius docuit M. IO. ANDREAS HOECKER in diss. praeside D. GOTTLIEBIO STOLLIO Ienae habita *de origine exorcismi in baptismo.* Cum enim in primitiua ecclesia vnice donum miraculosum fuerit eiiciendi daemones ab obsessis, quid

est

est, quod hoc ipsum ad *merum ritum baptismi* & ad munus ordinarium *ministri ecclesiæ* traduxerimus?

§. XXII. Sed reuertor ad *sortilegia*, etiam iure canonico reprobata, quæ non sunt eiusdem generis. Generaliter ea diuidunt in *hæreticalia*, quæ simul *hæresi* & *apostasia* infecta: & *non hæreticalia*, quæ *labe hæretica* & *apostasia* carent, superstitione licet abundent, de qua distinctione prolixius agit DANDINVS *de suspectis de hæresi.* Primaria vtilitas huius discriminis in eo quæritur, an & quatenus etiam incantatores & malefici trahi possint ad inquisitorium immane tribunal, pœnisque hæreticorum subiici? De eo olim dubitatum fuisse, atque inquisitores impeditos, ne aliorum iurisdictionem inuaderent, atque contra maleficos procederent, docet HADRIANI VI. constitutio *de anno 1523.* tradita in *c. 3. libri VII. decretal. de malef. & incantator.* quorum audaciam, vt arbitratur, repressit pontifex, & *sortilegia hæreticalia*, seu quatenus abnegationem fidei continent, tribunali inquisitionum addixit. Vti enim *abnegatio fidei* apostasiam sapit, quæ cum *hæresi* eadem accepit iura, ita hæc *magica hæresis* adhuc an atrocius crimen abire visa fuit, quod non in solo intellectus errore, sed etiam in grauissimo dolo pessimo versetur, quæ formalem rationem criminum constituit. Ceterum magia per se olim ad *hæresin* relata haud fuit, sed illius cognitio iudicibus ordinariis relicta, quod ALEXANDER IV. in *c. 8. §. sane cum. de hæres. in 6.* adhuc obseruauit, constituendo, *pestis hæreticæ inquisitores a sede apostolica deputatos de diuinationibus & sortilegiis (nisi hæresin saperent* MANIFESTE*) intromittere se non debere, nec punire talia exercentes, sed eos relinquere suis iudicibus puniendos.* Hæresin *manifestam* desiderat in magia, vt inquisitores hæreticæ prauitatis contra maleficos procedere queant. Hoc potissimum quæsiuerunt in *pacto cum diabolo expresso*, virtute cuius illi abominanda peragere creduntur. Sed cum etiam *vehementer de hæresi suspecti* pro hæreticis habeantur, vt *tit. de hæresi §. 26.* dictum, etiam *vehementer suspecti de pacto cum diabolo inito* huc referantur, vt *ibid. §. 30.* obseruaui, atque ostendi, quam facile magna ingenia, qui vltra vulgus sapiunt, in hanc calamitatem ex insulsa hac suspicione cadere queant. Præterea vero omnem magiam operari talem *vehementem suspicionem*, quod *pactum cum diabolo* contineat, *§. 36. ibid.* ex doctrina DANDINI obseruaui, atque inde inquisitoribus data facultas, siue vllo obstaculo procedendi contra maleficos, atque

Sortilegia sunt vel hæreticalia vel non hæreticalia.

Illa ad inquisitionis tribunal spectant.

Per se magia non est hæresis.

Nisi hæresin manifestam annexam habeat, veluti ob pactum cum diabolo.

distinctionem ALEXANDRI IV. eludendi, miserosque reos torturæ atque igni subiiciendi.

Corpus delicti in pacto cum diabolo incertum & ad phantasmata referendum,

§. XXIII. Enimuero ipsum *corpus delicti*, seu *imaginarium pactum cum diabolo* nondum euictum, neque eiusdem vera existentia probata. Anilibus fabulis, hodie irrisioni saniorum expositis, non amplius pascimur, postquam processus contra huiusmodi homines, qui tale pactum iniisse dicuntur, maiori cum sollicitudine instituuntur, nec amplius confessionibus horum hominum, imaginatione naturaliter deprauata instructorum, vnice fidem adhibemus, sed *medicos corporis* & *animæ* adhibemus, quorum cura & sollicitudine id efficitur, vt mens ægra, ex corporis male affecti qualitatibus ad phantasmata quæuis suscipienda aptissima, per medicamina naturalia & spiritualia sanetur & in statum suum pristinum restituatur. Hac rationabili methodo non vtuntur inquisitores, sola confessione siue extorta, siue spontanea & phantastica contenti, sub qua malo hypochondriaco grauissimo laborantes, vt confessi igni traduntur ex ignorantia constitutionis corporis male affectæ.

Sollicite & prudenter euoluendum.

Quod illustratur casu notabili,

Ante aliquot annos in manus inciderunt mihi inquisitionis acta, contra hominem miserrimum carceri mancipatum institutæ, qui aliquoties per varias circumstantias confessus erat, se *pactum cum diabolo* iniisse, atque ea perpetrasse, quæ omnem superabant fidem. Cum vero ex protocollo constaret, ipsum in examine sæpius reiterato angoribus summis premi, atque conquestum esse, præsentem diabolum in hoc vel illo angulo se videre, atque ab eo euocari, per sententiam Scabinatus huius amplissimi iudicatum fuit, hominem ante omnia medicis *corporis* & *animæ* committendum, &, adhibita medicina vtraque de *mentis* & *corporis* qualitate solertem indagationem instituendam esse, nec in re tanti momenti fidem soli confessioni inquisiti adhibendam esse. Adhibiti ergo sunt prudentes medici ad examinandum eius corpus, qui mox ex somni & corporis qualitatibus animaduerterunt, eum grauissima hypochondria laborare, atque corpus tam male affectum esse, vt parum a delirio abesset. Accedebat quædam læsio capitis ante plures annos, dum de curru deciderat, accepta, quæ confusionem idearum adhuc magis promouebat. Quocirca aliquoties venæsectio iterata cum aliis salutaribus remediis adhibita, & theologis negotium datum, vt eius animæ, fere obbrutescenti, succurrerent, & conuersionis salutaribus adhibitis remediis eam in veram reducerent viam. Hoc modo tandem ad animum & pristinam sobrietatem rediit, atque agnouit magno cum mentis gemitu,

tu, ſe per corruptiſſimam imaginationem non aliter credidiſſe, quam hæc phantasmata vera eſſe, quæ antea confeſſus erat; iam vero ſibi hæc omnia, quaſi in ſomnio apparuiſſent, videri, nec vnquam, quod de circumſtantiis pacti initi allegauerat, factum fuiſſe, quæ præterea etiam male cohærebant. Ipſam actorum ſeriem breuiter etiam repetiit excell. Dn. ALBERTI, collega honoratiſſimus, *in iurisprud. med. P. II. conſ. 24. p. 205. ſqq.* Si hoc modo Carpzouianæ ſententiæ, quæ magna mole in *praxi criminali* occurrunt, ſub examen eſſent reuocandæ, palam fieret, infinitis hominibus, ægra mente præditis, ſummam fuiſſe factam iniuriam, ex præconcepto præiudicio de veritate huius pacti, quæ nullo idoneo argumento niſi autoritate ſola *iuris canonici* nititur, præſertim poſt inſtitutas inquiſitiones hæreticæ prauitatis, a Dominici aſſeclis, gente quibuscunque anilibus fabulis deditiſſima, admodum promotas, valde propagata, & proh dolor! a ICtis A. C. quibus tamen lux melior affulſit, quoque pro idolo asſumta. Non nego, homines quosdam peſſimos ex ea opinione, quod pacti huius inſignis ſit vtilitas atque effectus, inductos fuiſſe, vt *ſpe lucri* tale pactum inire geſtiuerint, & hunc in finem chirographum quoddam præparauerint, ſollicitantes diabolum, vt illud acceptaret, & conditiones deſideratas impleret, quod non absque horrore ex actis aliquoties obſeruaui. Sed ſemper defuiſſe euentum, ſimul agnoui, atque reos allegaſſe, nunquam Dæmonem apparuiſſe, aut chirographum, forte fortuna poſtea inter res eorum repertum, acceptaſſe, quam enixiſſime etiam id ipſum eidem obtulerint. Talia attentata nunquam probant *realem exiſtentiam* huius pacti, nec hiſtoriæ, quæ traduntur a credulis, eam euincunt, ſed vt plurimum oſtendunt, hac opinione vana deceptos peruerſo ordine cum eiusmodi hominibus egiſſe, & curam neceſſariam corporis *hypochondriaco malo* laborantis & aliter male affecti neglexiſſe, quæ ante omnia prudenter ſuscipi debuiſſet.

Attentatum pactum dari non negatur.

Quamuis ſine euentu.

§. XXIV. Tales *illuſiones* & *phantaſmata* male affectorum hominum dari, patet ex *c. 12. C. 26. qu. 5.* quod quidem non ex *concilio Ancyrano* quodam, ſed ex alio codice vetuſto ſeu *libello ſexdecim librorum partialium* depromtum eſſe fatentur *correctores Romani*, & PHILIPPVS LABBEVS *tom. I. conc. gener. p. 2476.* E re viſum fuit, ad tot fabulas retundendas ipſa textus verba referre: *illud etiam non omittendum, quod quædam ſceleratæ mulieres, retro per Satanam conuerſæ* (& malo hyſterico atque hypochondriaco in ſupremo gradu actæ) *dæmonum*

Talia phantaſmata etiam agnoſcit ius canonicum.

num illusionibus & phantasmatibus (ex imaginationibus deprauatis ortis) *seductae* CREDVNT & PROFITENTVR, *se nocturnis horis cum Diana dea paganorum vel cum Herodiade & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias & multarum terrarum spatia intempestae noctis silentio pertransire, eiusque iussionibus veluti dominae obedire, & certis noctibus ad eius seruitium euocari*, (vel etiam conuiuium.) Vides his verbis fere repraesentari quodammodo imaginaria illa bacchanalia & conuiuia, quae in solennibus sagarum conuentibus, *in monte Bructerorum*, proxima nocte ante diem *Walpurgi* dicatum, celebrari dicuntur, ad quae sagae, lecto licet affixae, vario equitatus genere proficisci, conuiuia, ac choreas ibi agere, atque quouis deliciarum genere a daemonibus pasci creduntur; quae fabulae tamen hodie adeo explosae sunt, vt talia referentem insanire optimo iure asseri debeat. Olim sub tenebris maior fides his fabulis & phantasmatibus tribuebatur, vt sententiae apud CARPZOVIVM *P. I. qu. 5. pr. crim. post n. 66.* subiectae docent. Etenim in *facti specie* sub *n. 11.* refertur: Sie wären auch beyde auf dem Blockers-Berg gewesen: sub *n. XXII.* zehen Wochen nach solcher Verlöbnis (intellige cum diabolo) hätte sie ihr Buhle auf eine kurtze Gabel, so in ihrem Hause hinter dem Backofen gestanden, zum Tantze geführet, welches nachmals des Jahrs drey mahl geschehen, als Walpurgis, Johannis, und Jacobi: zwey Pfeiffer, so ihr unbekannt, hätten mit Schalmeyen aufgespielet, und sie für dem Tantz Mahlzeit gehalten, Kraut, Fleisch, Braten, Brodt und Wecke gessen, so sie NB. aus dem Wirthshause zu Rottenhausen geholet. Einsmahls sey sie selbst mit dem bösen Feinde in Keller gefahren, und Bier geholet, nach vollbrachter Mahlzeit und Tantz, hätten sie sich berathschlaget, wie sie denen Leuthen ingleichen dem Viehe und allen Früchten Schaden zufügen möchten. Ihr Buhle sey allezeit nach solchen gehaltenen Conventen mit ihr heim zu Hause gefahren. In hac *specie facti* trium conuentuum quotannis fit mentio, inter quos etiam memorabilis *dies Walpurgi* dicata occurrit. Sub *N. XXIII.* fatetur rea: Sie wäre nur zweymahl auf dem Blockers-Berge gewesen, und auf einer Offen-Krücken (en notacilem equum) zur Feuermauer oben naus, und nirgends an ins Teuffels Nahmen hinaus gefahren. Vorgedachte Bötticherin, ihre Nachbahrin, hätte sie mit einer Salbe geschmieret, darauf sie beyde in einem Augenblick auf dem Blockers-Berge gewesen, daselbsten hätten

Quales occurrunt in translationibus in montem Bructerorum.

Licet his fabulis fidem tribuat Carpzouius,

Vt ostendunt praeiudicia ab eo adducta.

hätten sie Kuchen gebacken und Bier getruncken, aber keinen Wein, (ob paupertatem diaboli forsan) auch getantzet und wären die Spielleuthe Sackpfeifer und Trommelschläger. Wenn sie dahin kähmen, verblieben sie ohngefehr ein paar Stunden zusammen, und hätte allezeit eine junge Braut den Vorreyen, dazu sich ihrer so viel, und von hundert Meilen Weges ufn Blockers = Berg finden thäten, so man nicht alle zehlen könte. Hæc relatio admodum cum illa, quam antea ex *cit. tx.* retuli, congruit, quorsum etiam sequens phantasma sub *N. XXIV.* pertinet: Wie sie denn auch ferner bekannt, daß sie mit der gerechtfertigten Taschin und Kuntzen auf dem Blockers=Berge gewesen, sie wäre vor dem Dorffe Lößeln ufgesessen, und uf Offen=Krücken, die sie mit rother Salbe geschmieret, so ihr Juncker Hanß gebracht, hinaus gefahren in aller Teufel Nahmen, und mit der Butter, die der Kuntzen Ortheien Bule, Juncker Caspar genannt, gebracht, Kuchen gebacken, die A.S., derer Bule Juncker Greger geheissen, wäre nach jenen auf den Blockers = Berg gefahren gekommen, und hätten auch helffen Kuchen backen; um Mitternacht wären sie weg gefahren, und gegen Morgen wieder gekommen. Der alte A. S., wäre auch ufn Blockers=Berge gewesen, und mit der Teschin, so krumm und lahm wäre, getantzet und gesprungen. rc. Hæc adeo ridicula, & male cohærentia sunt, vt nemo sanus eis fidem habiturus sit, quamuis eadem adhuc propugnet TOBIAS GRANZIVS *de defens. reor. c. IV. m. 2.* *de conuentibus sabbathinis, synagogis & saltationibus* in monte Bructerorum esse iudicii corrupti & phantasiæ deprauatæ, adeoque pro nulla æstimandam; *realem* tamen *translationem* sagarum in montem Bructerorum simpliciter negare, absurditate vix carere, quamuis iudex nullam certitudinem sensualem inde habere possit. Facile vero viro, in rebus criminalibus alias perito, permittimus, vt hisce fabulis contradictoriis assertionibusque pascatur, cum fateatur, *corpus delicti* in foro criminali deesse; quod sufficit, & paulo post ostendendum. Phantasmata talia ex sagarum *confessionibus* plenius referuntur a SCHILTERO *in addit. ad ex. XLIX. n. 16.* vbi AVTOR, cuius *phantasmata* referuntur, de conuiuiis & choreis sagarum hæc incredibilia refert: Die schönen jungen und reichen Hexen werden von dem Satan hoch geliebet, sitzen oben am Tische; die armen und alten Hexen aber müssen unten an sitzen und die Schüssel und Teller reiben. Ita ergo in *œcono-*

Granzii consensus,

item autoris apud Schilterum.

Qui sistit α) œconomiam diabolicam. β) Modum chorearum.

mia diabolica & magica accurate obseruatur *proëdria* & *decorum*, vt mirandum sit, autorem abstinuisse a formanda noua *republica magica*, quam facili negotio ex relationibus sagarum exstruere potuisset, quibus vnice nititur. Sed audi etiam elegantem plane *chorearum* modum: Im fünften actu (comœdiæ magicæ scilicet) stehen die zauberischen Hexenmeister, Hexen und Unholden vom Tisch auf, und tantzen mit einander, und gehet denn der Tantz also zu: daß man einen runden Tantz und Reyen hält, doch daß sie das Angesicht ausser den Reyen kehren, also daß keiner das Angesicht des andern im Angesicht sehen kan. Mitten in ihrem runden Tantz stehet eine alte Hexe, welche den übrigen allen der Lichtstock ist, und ihnen zünden und leuchten muß, auf ihrem Kopf, und hat das Licht *s. v.* im Hindern stecken, und eine andere alte Hexe hält die auf dem Kopf stehende Hexe bey einem Schenckel, auf daß sie nicht fällt, nicht weniger haben sie auch einen Spielmann, welcher ihnen entweder auf einer Geige oder Sackpfeife auffspielet. : : Und es ist sonderlich zu mercken, daß keine Hexen-Versammlung geschicht, man tantzet stets dabey, und pflegen die Hexen und ihr Anhang, allweil sie tantzen, zu sagen: Harr, harr, Teufel, Teufel, spring hie, spring da, hüpf hie, hüpf da, spiel hie, spiel da.

γ) Rempublicam magicam.

Sed ne arbitreris, deesse aliquam formam *nouæ reipublicæ magicæ*, paulo post idem Autor refert, diabolum in his congregationibus exercere ius *tributa publica* indicendi & ius *puniendi*. Illud quidem, damit sie ihre Officianten und Beamten als ihre Köche, König, Hauptmann, Fendrich, Gerichtschreiber, Spielleuthe ꝛc. unterhalten mögen: hoc vero, wenn sie auf Versammlungen nicht erscheinen, auch keine gnugsahme Ursache ihres Aussenbleibens anzeigen können, etwa 5 Pfl. oder zur Straffe weniger oder mehr nach Beschaffenheit der Sachen. Et quis negaret, adesse in his congregationibus speciem *nouæ reipublicæ*? Præsens est *Rex*, adsunt *officiales*: *iudicia* exercentur, & *actuarii* protocollis singula annotare iubentur. *Pœnarum indictio* adest, & singuli præterea rationes de rebus gestis reddere iubentur. Denique autor prædictus omnis in eo est, vt sagarum iter miraculosum, das Gabel- und Bock-fahren, ab omni phantasmate liberet, & eos insanire credat, qui eandem cum ipso insaniam profiteri recusant. Iucundum in toto scripto edit spectaculum, vt crederes, *historiographum* in hac republica magica cum pro-

certo

certo ſalario deſignatum fuiſſe, vt rite omnia deſcriberet, & perpetuæ memoriæ traderet.

§. XXV. Audiamus vero, quænam fuerit ſententia antiquiſſimæ doctrinæ in *c. 12. C. 25. qu. 5.* relatæ. *Innumera multitudo, hac falſa opinione decepta, hæc vera eſſe credunt, & credendo a recta via deuiant, & errore paganorum inuoluuntur, cum aliquid diuinitatis aut numinis extra vnum Deum arbitrantur. Quapropter ſacerdotes per eccleſias ſibi commiſſas populo Dei omni inſtantia prædicare debent, vt nouerint, hæc omnia falſa eſſe, & non a diuino ſed a maligno ſpiritu talia phantaſmata mentibus fidelium irrogari.* Quocirca (α) hæc *vera phantaſmata*, & admodum falſa ſunt, adeo vt (β) qui credit ea vera eſſe, *a fide* aberret, & *hæreſin* foueat, quod aliquid numinis extra vnum Deum conſtituat, eique (γ) ſingularem agendi potentiam tribuat, virtutemque ſubſtantias & immutandi & curſum rerum naturalem inuertendi, id quod σιδηρόξυλον alit. Quia tamen veneficæ ea perſuaſione ducuntur, ſe in rei veritate in montem Bructerorum translatas fuiſſe, atque choreas cum aliis egiſſe, cum tamen corpus earum, ea nocte, quæ *diem Walpurgis* præcedit, loco non fuerit motum, contrarium hoc modo in *cit. tx.* euincitur: *Si quidem ipſe ſatanas, qui transfigurat ſe in angelum lucis, cum mentem cuiuscunque mulierculæ ceperit, & hanc ſibi per infidelitatem ſubiugauerit, illico transformat ſe in diuerſarum ſpecies perſonarum atque ſimilitudines: & mentem, quam captiuam tenet,* IN SOMNIIS *deludens, modo læta, modo triſtia, modo cognitas, modo incognitas perſonas oſtendens, per deuia quæque deducit: & cum ſolus ſpiritus hoc patiatur, infidelis mens,* vnice huic itineri & congregationi feſtiuæ intendens, *hoc non in animo, ſed in corpore euenire opinatur. Quis enim non in* SOMNIIS *&* NOCTVRNIS VISIONIBVS *extra ſe educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando?* Mera ergo *ſomnia* & *deprauatæ mentis imaginationes* ſunt, quæ a ſagis tali mente præditis proferuntur, & æque decipiuntur, ac quidem ille, qui putabat, ſe *pactum cum diabolo* iniiſſe, quod antea retuli: vel etiam iter in montem Bructerorum feciſſe, cum tamen lecto affixus fuerit, quem caſum ipſe Autor apud SCHILTERVM *cit. l.* retulit, vtut contrariæ ſententiæ totus fuerit immerſus. Idem etiam fatentur magni nominis Theologi inter eccleſiæ Romanæ ſodales, vt docet IO. PONTAS *in dictionar. caſ. conſcient. ſub art. ſortilegus. caſ. 2.* adeoque recte inde infert,

Iudicium de his phantaſmatibus ex iure canonico.

Et ſaniorum interpretum iuris canonici.

fert, reis, afferentibus, fe hos vel etiam illos in folenni *congregatione magica* vidiffe, atque cum eis ediffe & faltaffe, minime fidem habendam, præfertim cum femper *corpus delicti* defit, talesque veneficæ ante omnia *corpore* & *animo* fanandæ fint, vt illufiones & phantafmata tandem agnofcant & ad faniorem redeant mentem. Denique fabula de *congregatione fagarum* in monte Bructerorum, & quidem media nocte ante diem 1. Mai. ex *gentilium facris*, in monte hoc die prædicto vfitatis, vel etiam ex conciliis eorum femel in anno haberi folitis tefte ROLEVINCKIO *lib. II. c. 1.* apud LEIBNITIVM *tom. III. rer. Brunfvic. p. 618.* originem traxiffe videtur, cum ex *paganifmo* infinitæ magicæ reliquiæ conferuatæ fuerint, quæ aboleri non potuerunt, vt docet *capitul. 128. lib. VII.* apud BALVZ. *tom. I. capitul. p. 1050*, & per varias fpecies fuperftitionis antiquæ illuftrat ELIGIVS apud COINTIVM *tom. III. annal. p. 484. fqq.*

Ad phantasmata etiam pertinent imaginariæ commixtiones cum dæmone.

§. XXVI. Eadem phantafiæ atque imaginationis corruptio produxit *imaginarias commixtiones* fatanæ cum fagis, quarum exempla plura adfert CARPZOVIVS, fi exempla dicenda funt commenta imaginaria, quæ fola fagarum *confeffione* nituntur, in diaboli autem viribus non confiftunt. Quis enim fibi perfuaderet, eius potentiam in corpora hominum tanta effe, vt illa affumere *realiter*, & in humana forma cum fagis confuefcere; imo, quod magis eft, femen emittere poffet, vnde monftra quædam vermiculorum producantur, quos fagæ vocare folent Elben. Carpzouianas relationes, ex ore maleficarum protocollis infertas, qui attente legit, veros concubitus cum humano corpore deprehendit, h. e. cum mafculis, qui fagarum ftultitiæ fe accommodarunt, & fe Dæmones fine dubio finxerunt, cum veri effent fine dubio fornicatores, vel fagæ ex corruptiffima imaginatione crediderunt, hæc vera effe, quæ per fomnia ipfis, vt realiter facta, repræfentata funt. Enimuero fi *imaginariis tranfcurfionibus* atque *tranfportationibus* in montem Bructerorum, ad conuiuia peragenda, fides nulla habenda, vt faniores prorfus fentiunt, quis commentis hisce de concubitu cum diabolo fidem haberet in foro ciuili, vt verum *corpus delicti* inde eruere poffit, cuius nulla alia argumenta, quam ex fola *relatione fagarum* fallaciffima, deprehendere licet? Denique cum ex vtroque fexu malefici in hoc crimen vocentur, nunquam tamen maleficorum confuetudo cum Dæmone, in forma *fexus feminini*, refertur, quod hi forfan caftiores vetulis fint; vel diabolus hac ambitio-

In quibus deeft corpus delicti.

tione ducatur, vt nolit instar puellæ succumbere viris. Miracula sine dubio ederet diabolus, si commenta vera essent, quæ tamen in viribus eius non esse posita, eruditi agnoscunt. Conf. Filii *elementa iurispr. crim. sect. II. c. 4. §. 56.* Denique hæc omnia euincunt, in his tribus criminibus putatiuis, h. e. *pacto cum diabolo*, *translatione in montem Bructerorum*, & *concubitu sodomitico cum Dæmone*, semper deficere *corpus delicti*, si vel maxime *possibilitatem* in dubium vocare non liceat, cum eius nulla adsint indicia, quam ex sola relatione sagarum, quæ omni fide destituta est.

Inde pœna ignis derivanda.

§. XXVII. Nihilominus tamen temeraria dissentientium opinio, vtpote *corpore delicti* prorsus destituta, ex sola *sagarum confessione* pœnam *ignis* procul dubio introduxit. Etenim qui vel tantum, se pactum cum Dæmone iniisse, vel conuiuiis sabbathinis seu magicis in monte Bructerorum interfuisse affirmarunt, *haeretici* vel potius *apostatæ* sunt, Deum abnegantes, adeoque pœna *ignis* plectuntur, qua *haeretici* & *apostatæ* tenentur, vtut nemini nocuerint. BERLICH. *P. IV. concl. 5. n. 49.* CARPZ. *in pr. crim. qu. 49. n. 15. sqq.* Neque enim *volitationes per aërem* fieri, aut choreis magicis in monte famoso interesse posse sagas censent, nisi domino suo, quem *regem* vocant, homagium præstiterint, & in ciues huius *reipubl. magicæ*, quæ in VTOPIA sine dubio est, recepti fuerint. Pariter quæ sub peculiari nomine v. c. *Casparis*, *Iacobi* similisue, sponsum elegisse diabolum, & nefandum cum eo concubitum miscuisse dicuntur, plus quam *sodomitæ* peccant, & non minori pœna, quam hi, afficiendæ, obseruante CARPZOVIO *cit. l. n. 49.* cum communi ICtorum schola, qui commentis his pascuntur. Et tamen omnes fateri necessum habent, *corpus delicti* in speciebus adductis deficere: & quamuis CARPZOVIVS censeat, in eiusmodii flagitiis occultis satis esse, si de eo per coniecturas constet; recte tamen monet illustr. de WERNHER *Vol. III. obseru. 4. n. 58.* non quascunque coniecturas sufficere, sed ita illas comparatas esse debere, vt iudicem, *recta ratione vtentem*, inducere possint ad assensum veritati facti præbendum. Qua de causa examinat indicia a CARPZOVIO laudata, & plura monita circa ea format, quæ tamen nequidem *certitudinem criminis* efficere possunt. Si repertum fuerit chirographum, a reo subscriptum, in quo *pactum cum diabolo* inire voluit, id *attentatum* & *conatum* arguit, non ipsum crimen hoc efficit, quod alioquin in diaboli scriniis reperiri & ab eo edi

Cum tamen in speciebus adductis corpus delicti desit.

deberet. Denique *n.* 71. prælaudatus ICtus optime monet, fallacissima argumenta esse, quæ a credulis de commercio sagarum nefando cum Dæmone adferuntur. Ea propter tamen crimen *sortilegii* & *magiæ* non negatur, nec in dubium vocari potest, variis modis & pessimis artibus, *veneficii* instar, per hoc scelus hominibus damnum & noxam inferri posse, atque merito grauissimo supplicio afficiendum, si de effectu ipso flagitioso satis constat; prudenter tamen cum *diuinatoribus*, sortilegis, pactum cum diabolo, vel concubitum adstruentibus, procedendum, vt magis per medicos *animæ* & *corporis* in rectam viam deducantur, & si pessimas *diuinationes* exercuisse, aliisque *superstitiosis ludibriis* vacasse conuicti fuerint, ergastulis emendationis & scandali grauioris euitandi gratia includantur. Illustrationis causa sententiam contra eum, qui nocte media *ante Natiuitatem Christi* se & *videre* certa signa, & *audire* futurorum præsagia, quod vocarunt, das Horchen in der Christnacht, iactauerat, *Mens. Mai. anno* 1735. latam hic addam:

Caute procedendum cum his, qui pactum vel concubitum fatentur, vel diuinationes exercuerunt.

Quod sententia facultatis illustratur.

Als derselbe uns gehaltene Registraturen, einiger Zeugen summarische Aussage, und was Thomas Frötscher zu Ottersdorf bey seinem summarischen Vernehmen wegen der ihm beygemessenen aberglaubischen Prophecenung und Horchens in der Christnacht vorgebracht, zugeschicket, und ꝛc.

Daß gestalten Sachen und Umständen nach, und da sich keine Gefehrde bey Frötschern hervorgethan, sondern alles auf einen eingebildeten Aberglauben hinaus laufet, gegen gedachten Frötschern noch zur Zeit nichts weiter vorzunehmen: iedoch ist ihm nicht allein mit allem Ernst und Nachdruck von Gerichts wegen, nebst einem scharffen Verweis, zuzureden, daß er sich bey Vermeidung härterer Strafe, ja des Zuchthauses, des aberglaubischen Horchens in der Christnacht und des Prophecenens gäntzlich enthalte, auch deswegen genaue Achtung auf ihn zu geben; sondern auch denen Geistlichen des Orts davon Nachricht zu ertheilen, unter der Erinnerung, daß sie bey dem aberglaubischen Menschen ihr Ambt gebührender massen verrichten, ihm seinen gefährlichen Seelen-Zustand, so aus dergleichen und mit dem Mißbrauch des Glaubens und geistlicher Lieder verknüpften Aberglaubens herzunehmen, in Liebe vorstellen, und ihn, als einen Verirreten, zu wahrer Bekehrung mit Uber-

Uberzeugung aus GOttes Wort, und Gebrauch deren dazu gehörigen Mitteln, väterlich und Christlich ermahnen, die Gemeinde bey Gelegenheit vor dergleichen aberglaubischem Wesen, und der daraus entstandenen Furcht treulich, iedoch mit aller Sanftmuth, warnen sollen. Es ist auch gedachter Frötscher die wegen dieser Untersuchung verursachte Unkosten nach deren vorgehender liquidation und erfolgter Mäßigung abzustatten schuldig. V. R. W.

Pro illustratione huius *superstitiosæ diuinationis* ex actis hæc adferre liceat:

Frötscher hat zwar geleugnet, daß er das Gerüchte, als wenn daselbst Feuer entstehen würde, nicht ausgebracht, iedoch gestanden, daß weil er anno 1671. in der Christnacht zwischen 11. und 12. Uhr gebohren, er allerhand Unglück vorher wissen könte; daher er in der gedachten Nacht und Zeit vormahls vorher den Glauben und das Lied: Hertzlich lieb hab ich dich o HERR gesungen, darauf auf einen Acker oder unter einen Birnbaum gegangen, da man das Dorf übersehen können, und gehorchet, anbey wahrgenommen, daß wenn das Jahr Soldaten kommen sollen, er Trompeten oder Pferde gehöret; wenn Feuer aus einem Hause auskommen würde, er einen feurigen Besen auffsteigen gesehen, und so wie er Funcken fallen liesse, so weit brennete es auch; stürbe aber iemand, so hörte man 2 Schläge: dabey er selbsten zu wissen begehret, woher man diese Dinge wissen könte, ob es von GOTT oder von der bösen Welt herkähme, wiewol er das letzte selber glaubte; woraus man nichts als einen grossen Aberglauben bey ihm abnehmen können, und dahero geschehener massen zu erkennen gewesen.

TIT.

TIT. XXII.

DE

COLLVSIONE DETEGENDA.

§. I.

Sensus tituli eiusdem tenoris in iure ciuili.

Etiam *collusionis* singularis species *iure ciuili* cognita, & sub eiusdem tenoris rubro in Digestis tradita. Sæpe tanta erat indulgentia dominorum in seruos, vt per *collusionem* paterentur eos in ingenuitatem proclamare, liberosque iudicari, quo *ingenuæ*, non *libertinæ conditionis* fierent, & in equestrem ordinem, a quo libertini arcebantur, teste LAMPRIDIO *in Alexandro Seuero*, recipi possent. Ne ergo amplissimus ordo hac dominorum indulgentia inquinaretur, DOMITIANI temporibus SCtum factum, quo cautum, vt si quis probasset *intra quinquennium*, per collusionem quicquam factum, si iste homo seruus sit, vtut per sententiam ingenuus iudicatus fuisset, fieret eius seruus, qui detexisset collusionem. *l. 1. & 2. D. de collus. leg.* Semel autem sententiam pro ingenuitate dictam prætextu *collusionis* retractare permittebatur, *l. 5. Cod.* non obstante re iudicata, quæ inefficax erat viribusque carebat.

De collusione in sensu iuris canonici. Collusionis definitio,

§. II. De speciebus *collusionum* similibus agit Ius canonicum, quibus vel *præuaricatio* vel alia clandestina machinatio in fraudem legis committitur. COLLVSIO enim designat *occultam & fraudulentam inter duos pluresque conuentionem, quo per dissimulationem & mendacium id agitur, vt veritas criminis vel negotii in fraudem legis tegatur & aliorum sensibus illudatur.* Mox *sortilegiis* subiicitur hoc facinus, quibus variæ *illusiones* committi dicuntur in aliorum perniciem; pari modo sine *magicis artibus* aliorum sensibus illuditur, dum *in fraudem legum* aliud simulatur, aliud vero agitur. Huc pertinet (1) *collusio super criminibus* commissis, quando inter accusatorem & accusatum, interueniente pretio & fraude, id agitur, vt accusatus absoluatur; talis enim concordia, quæ inter accusatorem & accusatum est inita, vt plurimum non ex charitate sed ex præmio facta intelligitur, adeo-

(1) in processu accusatorio,

adeoque talis ſententia eſt nulla, *c. 1. & 4. X. h. t.* & clandeſtine transigentes incidunt in crimen *præuaricationis.* Eleganter enim *præuaricatores* deſcribuntur in *l. 1. §. 6. D. ad SC. Turpill.*, *qui colludunt cum reis & translatitie munere accuſandi defunguntur, eo quod probationes proprias quidem diſſimulent, falſas vero excuſationes admittant.* Reuera præuaricatio in *colluſione* accuſatoris cum reo conſiſtit, ſiue pretio interueniente hoc actum ſit, ſiue aliter non *ex animo* accuſet, qualis præſumtio ſæpe in patrem, filiam *ex lege Iulia de adult.* accuſantem, cadebat. Hunc ſæpe naturalis affectio in filiam inducebat, vt cum ea *magis colludere quam ex animo accuſare* crederetur, vt dicitur in *l. 3. D. ad L. Iul. de adult.* Imo alius quoque prævaricabatur, qui *cum adultero per colluſionem conſtituebat*, vt VLPIANVS in *l. 19. in f. eod.* loquitur. Hæc colluſio *SCto Turpilliano* vindicabatur, accuſatus pro victo habebatur, & accuſatio retractabatur; *neque enim exinde perit cauſa, ex quo redemta eſt;* imo ſi *fiſcalis* erat, licet ſemel iudicata eſſet per *delatoris corruptelam*, tamen mortuus corruptor non efficiebat, quo minus agi poſſet atque retractari cauſa; *hic enim non pœna ſed cauſæ reſtitutio erat. l. 29. pr. de iur. fiſci.* Idem quoque (2) dicendum, ſi in proceſſu inquiſitionis colluſio inter delinquentem & inquiſitorem atque teſtes corruptos facta, quo reus abſolveretur. *c. 4. X. h. t.* *Venales enim ſententias, quæ in mercedem a corruptis iudicibus proferuntur*, in genere, vt inualidas leges pronunciant. *l. 7. C. quando prouoc. non eſt neceſſe.*

Per præuaricationem.

2) In proceſſu inquiſitorio.

§. III. Dantur etiam (3) *colluſiones in negotiis priuatis*, quæ etiam *colludia* vocantur, æque vt fraudes prohibitæ. Nam (α) venditiones rerum, quæ ciuitatibus per legatum fideicommiſſumue relictæ ſunt, permiſſæ quidem ſunt in *commodum earum*, vt tamen fiant *ſine vlla fraude aut nundinatione vel colludio ſeu conniuentia. l. vlt. C. de vendend. reb. ciuit. lib. XI.* (β) Olim *colluſio* quandoque inter ſcriptum heredem, & qui de inofficioſo teſtamento agebat, ad interuertenda legata intercedebat, quæ ſi *ſuſpecta* eſſet, legatariis integrum erat appellare, ſi contra teſtamentum pronunciatum eſſet. *l. 29. pr. D. de inofficioſo teſtam.* (γ) Denegatur quidem, repudiata hereditate ex teſtamento, *actio* legatariis *vtilis*, ſi bona ad alium ſpectant, *modo nulla ſuſpicio colluſionis religionem prætoris inſtruxerit*, vt dicitur in *l. 6. §. 4. D. ſi quis omiſſa cauſa teſtam.* (δ) Res pupillorum *per colluſionem* diſtrahere prohibitum in *l. 49. de minor.* (ε) In popularibus actionibus iuſiurandum exactum ita demum aduerſus

3) In negotiis priuatis.

alios proderit, si bona fide exactum fuerit; *non ita demum consumit publicam actionem, si non per collusionem actum sit. l. 30. §. 3. de iuret.* (ζ) Pupillus *colludente tutore* circumscriptus, habet contra tutorem actionem tutelæ, imo etiam *de dolo* actionem contra eum, qui cum tutore collusit, si hic non sit soluendo. *l. 5. D. de dolo malo.* (η) Si *emtor cum procuratore collusit, & eum proœmio corrupit, quo vilius mercaretur*, non intelligetur bonæ fidei emtor, & ita nec vsucapiet. *l. 7. §. 6. D. pro emtor.* (θ) Plures species collusionum traduntur de casu, quando libertus *in fraudem* patroni quid fecisse dicitur, quod declaratur *tit. D. si quid in fraud. patron.* (ι) Singularis species collusionis inter heredem scriptum & ab intestato, ad interuertendas libertates traditur in *l. 12. C. de testament. manumiss.* & quis omnia *collusionum* specimina, in *fraudem legum* excogitata, referret, quæ vbi detecta fuere, omni iuris robore destituuntur.

4) In beneficiis ecclesiasticis.

§. IV. Denique licet iure canonico prohibitum, ne liberi succederent *immediate* in beneficiis paternis, nec ea iure hereditario possiderentur, *c. 2. 3. 5. 7. 9. 13. X. de fil. presbyt. ordin. vel non*, quamvis contraria in Anglia irrepserat consuetudo; *c. 11. eod.* nonnulli tamen, ad eludendos canones, inter se collusione facta super beneficiis, quæ possidebant, se sustinebant seu permittebant ab aliis molestari, postea vero liti cedebant, & vt clerici iidem beneficia quiete possiderent, quasi nomine *transactionis* annuam pensionem de ipsis beneficiis aliis soluebant, vt post mortem eorum in iis beneficiis, super quibus inter eosdem clericos collusio erat facta, ius sibi valerent vindicare, quasi *iure proprio*, non *successionis* titulo, ea caperent, & percipiendo annuam pensionem illa beneficia per defunctum possedissent. *c. 9. X. de restit. spoliat.* Hac collusione detecta, beneficiis colludentes priuabantur, ne dolus iis prodesset in eorum incommodum & iacturam, quem in præiudicium ordinariorum collatorum nitebantur committere. *c. 3. X. h. t.* Alia collusionis species circa *beneficia ecclesiastica* occurrit in *c. 11. X. de censib.* Clerici enim quidam, *cum religiosis collusione facta*, ecclesias, quas tenebant, eis constituebant *censuales*, vt post decessum eorundem ecclesiæ eædem *per repræsentationem eorundem religiosorum* ad filios vel nepotes illorum possent transferri, quos, fuco hoc promotos, remouendos iudicauit pontifex. Sed maior & longe deterior *fucus* atque *collusio* excogitata est per resignationes *in fauorem tertiii*, de quibus *tom. I. ad tit. de renunc.* actum est. Has tamen admittit curia Romana, easque tolerat, si modo per XX.

dies

dies reſignans adhuc viuat, quamuis ſæpiſſime reſignationes fiant eo tempore, quo vltimus vitæ exitus appropinquare incipiat, & colluſiones fœdiores committantur, eo quod, interueniente pretio, vt plurimum fiant. Neque enim aliud per has reſignationes agitur, quam vt reſignatarius in beneficium hoc modo ſuccedat, quod reſignans, morte inſtante, mox dimittere cogebatur. Hoc modo reſignatio in *fauorem proximorum* fieri poteſt, quod *indirectam* ſapit *ſucceſſionem in beneficio*, non absque colluſione inter *reſignatum* & *reſignatarium.*

TIT. XXIII.

DE
DELICTIS PVERORVM.

§. I.

Impuberes non quæuis delicta committunt.

Delicta *communia*, quæ ab omnibus & quibuscunque committi poſſunt, in præcedentibus titulis ſub examen reuocata ſunt: ſequuntur delicta, vel ab *impuberibus* vel a *clericis* commiſſa, & his tantum propria ſunt. Equidem in illos non quæuis crimina cadunt, & quæ in illos cadunt, eo malitiæ & doli gradu regulariter ſunt deſtituta, qui in *puberibus* & *maioribus* deprehenditur. Ad delicta, quæ a pueris iuxta curſum naturæ committi nequeunt, carnis facinora referri ſolent, a quorum perpetratione *actiua* eos etiam abſoluit pontifex in *c. 1. X. h. t.* Crimen adulterii *poſt pubertatem* incipere, ait PAPINIANVS *in l. 36. ad L. Iul. de adult.* & in *l. 38. §. 4. eod.* idem repetit, quod de *femina* ſine dubio intelligendum, quæ, niſi *pubes*, nuptias non contrahebat, & ita nec *adulterium* committere poterat. *Stupri* facilius capax eſſe poterat, quod incontinentiæ Romanæ documenta docent apud PETRONIVM *in Satyric. p. m. 69.* Etenim, eo referente, puella, quæ non plus quam ſeptem annos habere videbatur, & patientiæ muliebris legem vix accipere poterat, ad ſtuprum cum puero committendum perducta, qui itidem huic petu-

Veluti adulterium.

Stupri tamen capax habebantur.

lantiæ sufficere non credebatur. Sed Quartilla, sub cuius persona PETRONIVS mores Romanorum lasciuos depinxit, ceterorum, qui aderant, dubitandi rationes risu spreuit, dicens: *Ita? minor est ista, quam ego fui, cum primum virum passa sum? Iunonem meam iratam habeam, si vnquam me meminerim virginem fuisse. Nam & infans cum paribus coinquinata sum, & subinde prodeuntibus annis, maioribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perueni.* Sine dubio tamen hoc de attentata magis, quam consummata libidine intelligendum, quod puer forsan id tentauerit in puella, quod complere non potuit, vt dicitur in *c. 3. X. de sponsal.* Adfertur quidem exemplum in *c. 7. X. de eo qui cogn. consanguin. vx.* de eo, qui *extraordinaria libidine* septennem polluerat, hoc tamen rursus de *nixu ad coitum*, non de *consummato concubitu* intelligi potest. Si malitia ætatem suppleuit, & septennio maior puella sit, delictum hoc facilius concipi potest, ceu docet exemplum in *c. f. X. de eo qui cogn. consangu. vx.* de eo, qui puellam vix decem annorum cognouerat, adeoque si extra ordinem ducta est, suo modo quoque *adulterii* capax est, *l. 13. §. 8. ad L. Iul. de adult.* quamuis a viro *iure mariti* ob hoc adulterium accusari non poterat, sed tantum *quasi sponsa*, quæ huius delicti etiam rea erat, quod ante legitimam ætatem non esset *iusta vxor. cit. l. 13.*

Malitia supplente ætatem.

§. II. Aliis delictis impuberes itidem se inquinare possunt, quatenus *doli* iam sunt capaces, h. e. excesserunt infantiam. Nam in infantes furtum non cadere dicitur in *l. 23. de furt.* sicut nec damnum iniuria datum; ceterum si iam iniuriæ capax est impubes, etiam ex L. Aquil. tenetur. *l. 5. §. 2. D. ad L. Aquil. cit. l. 23.* Hoc CAIVS *in l. 111. D. de R. I.* cum VLPIANO *in l. 13. in f. de dolo malo* de pupillo, *qui proximus pubertati est*, explicat, quod ille demum doli & iniuriæ capax sit, vt *ciuiliter* cum eo & furti & damni nomine agi possit; imo & *iniuriarum* nomine, si doli capaces sunt. *l. 3. §. 1. de iniur. l. 2. §. 19. D. vi bon. rapt.* Hoc modo intelligendi sunt ICti, qui generatim asserunt, *dolum malum in impuberem ætatem non cadere*, vt in *l. 22. pr. ad L. Cornel. de fals. l. 3. §. 1. de sepulchr. viol.* quamuis extra ordinem quandoque teneantur *ciuiliter*, maxime si pubertati proximi fuerint. Hoc sensu recte asserit VLPIANVS in *l. 13. in f. de dolo malo*, ex suo dolo etiam conueniendum impuberem, *si proximus pubertati est*. Etiam pupillus ex edicto prætoris: *ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est*, conueniri potest, *si iam doli capax est*, h. e. prout alii ICti id explicant, si pubertati proximus. *l. 1. §. 6. ne vis fiat ei, qui in poss.*

Doli capaces aliis delictis se inquinare possunt ciuiliter.

h. e. si proximi pubertati sunt.

Neque

Neque enim facile concipi poteſt, eum eſſe doli capacem, qui nondum decimum ætatis annum ſuperauit, niſi maturitas ingenii ſingulariter & extra ordinem aliud doceat.

§. III. Difficilius *impuberes* criminali iudicio ſubiiciuntur, quales in cauſis criminalibus dicuntur, qui nondum *decimum* impleverunt *annum* ſine diſcrimine ſexus iuxta *art. 164. C. crim. Car.* quod durum imperatori viſum fuerit, pœna ordinaria, quæ in puberes cadere poteſt, citius puniri puellam quam maſculum. Quocirca imperatores in *l. 11. C. ad L. Cornel. de ſicar.* ita reſponderunt: *ſi quis te reum legis Corneliæ de ſicariis fecerit, innocentia purgari crimen non adulta ætate defendi conuenit.* Pariter ICtus in *l. 12. D. eod.* infantem *lege Cornelia* non teneri ait, ſi hominem occiderit, *quod eum innocentia conſilii tueatur.* Hoc principium aſſumſit pontifex in *c. 2. X. 1.* in caſu, quo puer decennis, qui cum aliis pueris ſagitta luſerat, puerum quendam ita percuſſerat ſagitta, vt interiret, ob quod facinus iudex illius loci, qui erat Abbas S. Remigii, ſecundum conſuetudinem illius terræ C. ſolidos inſtanter requirebat, quod olim, vt *ad tit. de homicid. §. XIX.* monſtraui, etiam doloſis cædibus pœna pecuniaria impoſita fuerit. Reſpondit vero pontifex: *quoniam in pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliis prouectioris ætatis humanæ leges dicunt ſeuerius corrigendum, mandamus, quatenus, ſi conſtiterit, filium prædicti H. intra XIV. ætatis ſuæ annum eundem exceſſum commiſiſſe, memoratum Abbatem moneas, & compellas, vt ab eodem H. prædictos C. ſolidos propter illam conſuetudinem non exigat, nec ab ipſo pro temporali pœna requirat.* Quamuis præterea grauiſſime plectantur falſam cudentes monetam, adeo vt eius, qui ſciuerit tantum, in ædibus ſuis fabricari talem monetam, nec prohibuerit aut indicauerit, domus fiſco addicatur; *impuberes* tamen, *ſi conſcii fuerint, nullum ſuſtinent detrimentum, quia ætas eorum, quid videat, ignorat,* nec quid agatur, iudicio diſcernere poteſt, quod tale crimen captum eius ſuperet. *l. 1. in f. C. de falſa monet.*

Non criminaliter facile infra XIV. annum.

§. IV. Enimuero inde generalis regula haud conficienda, infantes plane vt inſontes dimittendos, & ab omni abſoluendos pœna, ſed varia declaratione hæc doctrina indiget. Nam (1) ante omnia habenda eſt ratio criminis, vtrum id ita comparatum fuerit, vt puer *malitiam actus* perpendere, & iudicare potuerit, actum committi illicitum? Modo enim ex *l. 1. C. de falſ. mon.* obſeruaui impuberes non eo pollere iudicio, vt intelligere queant, *illicite* fabricari

Habenda tamen eſt ratio criminis.

monetam, eamque falsam esse. Quamuis enim non ignoret, tale quid fieri in ædibus suis, ignorat tamen, *illicite* aliquid fieri. Pariter sunt quædam delicta, quæ magis *culpa* & *negligentia* committuntur, vt non vindicare mortem defuncti, a quorum pœna impuberes merito immunes sunt, vt nec incidant in SCtum Sylanianum. *l. 6. C. de his quib. vt indign.* Interim, vt recte obseruat ANTON. MATTHAEI *de crimin. in prolegom. c. II. n. 3.* inde minime fluit, quia in adducta specie in *omittendo* peccatur, distinguendum esse inter delicta *omissionis* & *commissionis*, vt hæc quidem in impuberes doli capaces, non item illa cadere queant; quin potius *in genere* in qualitatem delicti inquirendum, & ex eius indole iudicandum, vtrum, si alias doli capax, *commissi criminis* conceptum moralem habere, & in illud consentire potuerit. Notabile exemplum de *impubere seruo*, capitali supplicio adfecto, qui in *omittendo* deliquerat, refert MARCIANVS in *l. 14. D. de SCt. Silan.* aitque: *Nam is puer nec multum ab ætate puberi aberat, & ad pedes domini cubuerat, cum occideretur: nec postea cædem eius prodiderat: vt enim opem ferre eum non potuisse constabat, ita silentium præstitisse etiam postea, certum erat.* Addit notanter, parcendum non esse impuberibus, qui eius ætatis sunt, *vt rei intellectum capere possent*, seu intelligere, nefandum in dominum facinus commissum esse, eiusque autorem omnino esse manifestandum. (II) Licet infantes in *facti malitiam* mente & animo penetrare non possint; vt plurimum tamen factum ab iis commissum arguit, grauem dispositionem ad delinquendum eisdem adesse, adeoque sicuti bruta animalia verberibus a nocendo auocare possumus, ita conueniens est, infantes castigationibus virgarum subdere seuerioribus, vt mature a delinquendo auocentur & agnoscant, se male fecisse, vtpote si quid abstulerunt clam, si incendium fecerunt. STRYK. *de pœn. impuber. c. IV. n. 44. sqq.* (III) Si impuberes doli quodammodo capaces sunt, vt sunt *pubertati proximi*, nahe bey 14. Jahren, also daß die Boßheit das Alter erfüllen möchte, vt in *art. 164. C. Crim. Car.* ex *l. 3. C. si min. se mai. dix.* repetitur, etiam criminaliter coerceri possunt, vt *cit. art.* diserte disponit, & illustrat *l. 7. C. de pœn.*

Vt malitiam in delicto latentem intelligere queat.

Castigandi præterea sunt, ne nocere adsuescant.

Pubertati proximi etiam criminali pœna adfici possunt.

Extraordinaria tamen.

§. V. Recte tamen obseruat pontifex in *c. 1. in f. X. h. t.* in *pueris grandiusculis*, quales sunt pubertati proximi, *non ita vt in maioribus punienda esse delicta.* Adhuc enim ob infirmitatem iudicii malitiam actus distincte & plene agnoscere impediuntur, adeoque a pœna ordinaria excusantur, quod indigitat CAROLVS V. *cit. art. 164.*

So

So der Dieb oder Diebin unter 14. Jahren wären, die sollen um Diebstahl, ohne sondere Uhrsache, auch nicht vom Leben zum Tode gerichtet, sondern der obgemeldten Leibes-Straffe gemäß, mit samt ewiger Uhrpfede gestraffet werden. Notanter ait: ohne sondere Uhrsache; possunt enim prægrauantes circumstantiæ occurrere, quæ tum malitiam insignem, tum aciem quandam ingenii in eo euidenter monstrant, vtpote (α) si pubertati proximus: (β) si furtum magnum: (γ) *periculose* perpetratum v. c. si sclopeto conclaue ingressus, vt resistentes occideret: (δ) si aliunde insignis malitia & studium præmeditatum furandi appareat. His concurrentibus circumstantiis fures, etiam impuberes, puniri posse an Leib, Güthern, oder Leben censuit CAROLVS V., vt aliquando, etiam *pœna ordinaria*, licet rarius, locum habere queat. Iam obseruatum est ex *l. 14. de SCt. Silan.* puero ob singularem & extraordinariam malitiam capitale supplicium fuisse dictatum. Sistit BRVNNEMANNVS *cent. IV. decis. 2.* puellum, annum decimum tertium agentem, quæ instigatu alterius Euæ septies ignem ædibus molitoris cuiusdam subiecerat, adeo vt tandem combustæ fuerint. Dictata puellæ fuit ob insignem malitiam, quæ ætatem præcurrebat, pœna gladii, cadauere vna cum consultrice viua comburendo. Et ore B. STRYKII pariter habeo, spurium quendam vix duodecim annorum, ab alio puero, quod sæpius natales illegitimos eidem obiecisset, adeo lacessitum fuisse, vt crudeli mortis genere eundem afficeret. Prædeliberato animo eum prouocauerat in agrum ad ludendum: vbi illuc ventum esset, intra segetes nescio quo mendacio eum deduxit, vt eo securius præmeditatam diu cædem perpetrare posset. In hoc abdito remotoque vbi se vidit loco, mortem ipsi denunciauit, vt vindictam de iniuria tamdiu perpessa sumeret. Supplicibus pueri precibus haud flexus eum in terram deiecit, cultelloque misere transfodit, oculos eruit, stomachumque aperuit, intestina crudeli prorsus modo eripiens ex ventre, & per terram spargens. Testes hæ circumstantiæ grauissimi fuerunt de pueri occisoris crudelitate præmeditata, vt vltimo supplicio hoc scelus luere debuerit. Conf. STRVV. *obs. crim. c. 8. obs. 5.* HARPRECHT. *resp. 99. n. 39.* RICHTER. *ad auth. incestas. C. de incest. nupt. n. 10.*

Nisi insignis malitia arguatur.

TIT.

TIT. XXIV.

DE
CLERICO VENATORE.

§. I.

Germani Galliquevenationibus dediti.

Antiquissima gentium plurimarum viuendi ratio *venationibus* dedita fuit, inter quas primum occupant locum *Germani* & *Galli*. Diserte de his CAESAR *lib. VI. de bello Gall. c. 21. Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit: a paruulis labori ac duritiæ student.* Speciatim *lib. IV. eod. c. 1.* Sueuos *multum esse in venationibus* ait. Nec his contradicere videtur TACITVS *de M. G. c. 15.* his verbis: *Quoties bellum non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque.* Etenim delendam esse particulam *non* critici obseruant, quod etiam *moribus Germanorum* congruit. Nec diuerso modo viuendi vtentem progeniem tulit posterior ætas, quin potius EGINHARDVS *in vita Caroli M.* testis est, *vix vllam in terris nationem inueniri, quæ in hac re Francis possit æquari.* Denique adeo hi populi venationibus studuerunt, vt nec presbyteri, episcopique ab his se abduci passi fuerint, vtut decoro clericali parum conuenirent. NICOLAVS I. in *c. 1. D. 34.* testis est, aiens: *quorundam relatione fidelium nostris auribus intimatum est, quod Lanfredus Episcopus, qui & iuuenis esse dicitur, venationi sit deditus: quod vitium plurimos, etiam de clericali catalogo, genere duntaxat* GERMANOS *&* GALLOS *irreuerenter implicat.* Id pariter docent plures prohibitiones in capitularibus & LL. ecclesiasticis contra *venatores clericos* publicatæ. KARLOMANNI interdictum de *anno 742. c. 2.* apud BALVZ. *tom. I. capitul. p. 147.* huc tendit: *nec non & illas venationes & syluaticas vagationes cum canibus, omnibus seruis DEI interdiximus*, quod hortatu BONIFACII Archiepiscopi factum est. Pariter PIPPINVS *in capitul. Suessionensi de ao. 744. c. 3. ibid. p. 158. Et omnes clerici - - non habeant canes, vt venationes faciant, nec accipitres portent*, quod etiam anno 769. repetiit CAROLVS M. in *capit. 3. ibid. p. 191.* Plenius vero IDEM *anno 802. in capitul. 19. ibid. p. 369.*

Etiam episcopi & presbyteri.

vt

vt episcopi, abbates, presbyteri, diaconi nullusque ex omni clero canes ad venandum, acceptores, falcones, seu sparuarios habere praesumant, sed pleniter se vnusquisque in ordine suo canonice vel regulariter custodiant. Pariter *lib. VII. capitul. 125.*, quod etiam a GRATIANO in *c. 3. D. 34.* relatum est; rursus eadem prohibitio repetita, a BALVZIO *cit. l. p. 1049. 1172. 1203.* relata. Continuata haec prohibitio sub CAROLO caluo *anno 876. c. 9.* apud BALVZ. *tom. II. capitul. p. 241. venationem quoque nullus sacri ordinis exercere praesumat*, quae perspicue euincunt, non obstantibus tot interdictis, *clerum Gallicanum* & *Germanum* a venandi studio auocari non potuisse, quod etiam confirmat AGOBARDVS *in epist. ad Lugdunenses c. 9. tom. 1. p. 216. ex edit.* BALVZII.

§. II. Promouit hunc venandi pruritum bonorum abundantia, in monasteria & ecclesias collatorum cum syluis, aquis & latefundiis. Fundorum & syluarum *communis reditus* venatio erat, ex iure *proprietatis* dependens, apud *Germanos*, aeque vt olim apud *Romanos*. Doctrina de *qualitate regali* iuris venandi recentioris aeui est, olim prorsus incognita, quo *iuris priuati*, non *publici* fuit venatio. Error recentiorum ICtorum originem traxit ex confusione inter *bannum ferinum*, quod *regii iuris* fuit, & *ius venandi simplex*, quod priuatorum syluis fundisque cohaesit, imo iure gentium commune fere fuit. Vnde in diplomatibus omnium fere seculorum inter *priuatos* & *vulgares fundorum* atque *syluarum* reditus venationes latae ac pertinentiis communibus adscriptae, quod iam anno 1732. ICtus quidam Cellensis in tract. gründliche *deduction* gegen die vermeintliche Regalität der Jagden *&c. p. 53. seqq.* erudite monstrauit. Sicuti autem *syluae* passim ecclesiis & monasteriis collatae, ita non potuit non quoque *ius venandi* in syluis simul conferri, licet ne quidem eius mentio facta, ceu docent diplomata apud NICOLAVM SCHATENIVM *in annal. Paderborn. p. 162. 164. 183. 219. 346. &c.* Sed etiam in infinitis diplomatibus disertis verbis inter accessiones syluarum & fundorum enumerantur, vt in OTTONIS III. diplomate de anno 1001. apud SCHATENIVM *p. 357.* vbi formula notanda: *in syluis & campis* VENATIONIBVS *& piscationibus.* Similes formulae sunt apud EVNDEM *p. 374. 403. 417. 418. 425. 435. 438. 451. 452. 453. 454. 471. 477. 479. 480. 481. 483. 486. 488. 490. 530. 542. 553. 564. 610. 621. &c.* Inter has notabilis est illa formula, passim in diplomatibus obuia: *cum omnibus eiusdem praedii pertinentiis, terris videlicet cultis & incul-*

Olim enim iuris priuati, non publici fuit venatio.

Inter communes fundi reditus relata.

Et cum syluis & fundis in ecclesias & monasteria translata.

Quod ex diplomatibus illustratur.

tis - - pascuis, syluis, VENATIONIBVS, *aquis aquarumque decursibus, &c.* quæ occurrit in diplomate HENRICI *S. de anno 1023. ibid. p. 451. 452. 453.* Item hæ formulæ *p. 454. cum omni vtilitate & integritate in villis - - syluis,* VENATIONIBVS *&c. & p. 471. & 477. cum vniuersis appendiciis, scilicet areis - - syluis,* VENATIONIBVS. Item *p. 479. sq. cum omnibus ad ipsum prædium* IVRE *&* LEGALITER *pertinentibus cum mancipiis - - pratis, pascuis, syluis,* VENATIONIBVS. Porro *p. 481. cum omnibus vtilitatibus ad idem prædium pertinentibus, areis, ædificiis - - - syluis,* VENATIONIBVS. Item *p. 486. cum vniuersis ad hac legaliter aspicientibus, artificiis, ædificiis, areis, terris, cultis & incultis, campis, pratis, pascuis, syluis,* VENATIONIBVS &c. quæ formulæ loquendi euincunt, venationes ex *legibus Germanicis* fundorum & syluarum *commoda ordinaria & vulgaria* & sic *priuati iuris* fuisse. Idem docent infinita diplomata in *corpore tradition. Fuldensium* a SCHANNATTO *edito* relata, vt *p. 173.* ibi: *pascuis, capturis, aquis,* & *pag. 178.* ibi: *cum terminis suis & omnibus appendiciis & vtilitatibus suis, domibus - - -* VENATIONIBVS *quoque, quæ in eis de syluis esse noscuntur.* Vlterius *p. 217.* inter *res* ad loca adducta *iuste & legaliter respicientes* referuntur *piscationes & venationes,* quod etiam *p. 33. 222. 240. 246. &c.* factum, & alio simili diplomate apud AVBERTVM MIRAEVM *in cod. piar. donat. c. 62.* euidenter expressum. Similiter *historiæ Episc. Wormat.* SCHANNATTVS *codicem probationum* adiecit, in quo diploma HENRICI S. de anno 1004. occurrit hac formula notabile: *cum cunctis suis pertinentiis, hoc est, areis, ædificiis, seruis & ancillis - - - pascuis, syluis,* VENATIONIBVS. Non singulariter distinguuntur *venationes a priuati iuris accessionibus,* sed potius illis annumerantur disertis verbis, adeoque persuasum habeo, eas etiam designari sub formula *ibid. p. 1. & 7. cum omni syluatico in syluis.* Apud CAROLVM MEICHELBECKIVM *in histor. Frising. tom. I. P. II. p. 486.* hanc formulam deprehendo: *cum omnibus eius pertinentiis siue appenditiis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, syluis,* VENATIONIBVS &c. & *p. 491.* & VENATIONIBVS *omnibus ad locum prædictum pertinentibus &c.* Sed infinitum foret, omnes huius farinæ formulas colligere, quæ vbique in diplomatibus obuiæ sunt.

Quod vlterius illustratur.

Regium tamen bannum ad regalia relatum.

§. III. Quamuis vero venationes in propriis syluis fundisque *priuati iuris* fuerint, non aliter tamen cum plena efficacia alii ab hac libertate venandi, quæ olim *promiscui* videtur *vsus* fuisse, arceri potue-

potuere, quam *regio banno* impetrato, quo id effectum est, vt sub seuerissima pœna alii quiuis prohiberi potuerint, ne aliorum venandi causa ingrederentur fundos, sed vt solitario vsu dominis hoc ius exercere integrum esset, quod *regalibus* merito annumeratum. Atque hoc ius forensi vocabulo *Wildbannum* designatum fuit, vel etiam das Gehege a voce Hagen, quod *sepimentum* proprie denotat, simulque tractum est ad locum ingredi venationis causa prohibitum, ac si circumseptus esset, quod sepes ab ingressu quoslibet arceat. *Wildbannum a banno* ferino, quod *edictum mandatumque* designat, nomen accepit, obseruante SCHILTERO *in Glossar. Teuton. voce Bann* item *Wildbann*, & ita significat locum *banno regio munitum*, quod *charta* CAROLI M. apud CRANZIVM *lib. I. metropol. c. 2.* testatur: *si quisquam hoc idem nemus,* NOSTRO BANNO MVNITVM, *studio venandi introierit.* Huc itaque referenda fuerunt *foresta dominicalia* seu *regia*, quæ hoc banno erant munita, adeoque a regibus ecclesiis vel monasteriis assignata sub eodem *præcepto regali* in perpetuum manserunt, atque hoc intuitu *ius venandi* in censum regalium relatum est. Illustrabo hoc ipsum ex literis fundationis episcopatus Osnabrugensis CAROLI M. *de anno 804.* a FVRSTENBERGIO *in monument. Paderborn. p. 321.* & AVBERTO MIRAEO *in codice piar. donat. c. 12.* allata, in quibus quoddam nemus vel forestum ecclesiæ Osnabrugensi donauit imperator, *cum omni integritate in porcis syluestribus, ceruis, auibus, & piscibus, omnique venatione, quæ sub* BANNO VSVALI *ad forestum deputatur.* Post pauca additum: *quodsi quisquam hoc idem nemus nostro banno munitum sine prædictæ sedis episcopi licentia studio venandi vel siluam exstirpandi, vel aliquod huiusmodi negotium peragendi vnquam intrare præsumserit, sciat, se tam diuinæ quam regiæ vltionis vindictam incursurum, nec non pro delicto LX. solidos nostri ponderis, quos nobis pro* BANNO VIOLATO *deberi statuimus, redditurum.* Concessio huius *banni* ius imperatorium erat, &, qui id violabat, plectebatur, non propter *ius venandi*, sed ob *violatum bannum.* Idem quoque confirmat CAROLI IV. diploma de anno 1354. apud MIRAEVM *in diplom. Belgic. lib. I. c. 105.* in quo sub *regalibus* enumerantur *banna siue inhibitiones venationum, quæ vulgariter teutonice* WILTPENNE *nominantur.* Atque tali *prohibitione publica* munire potuere syluas suas atque easdem sub hac qualitate in ecclesias transferre. Hoc factum est a CAROLO Simplice Francorum rege, qui Stephano episcopo Leodiensi in *diplomate* de anno

Wildbannum dictum.

Quo foresta dominicalia munita, etiam ecclesiis in hac qualitate concessa.

915. apud EVNDEM *in diplom. Belgic. c. 18.* dedit syluam *in tantum, vt neque a quoquam venatio vllatenus fiat per illam, nisi prælati illius ecclesiæ licentiam omnino habuerit indeptam.* Additur hæc clausula: *si quis ita temerario ausu in ea venari præsumserit, sic bannum regium inde componat, quomodo antea componebatur, dum regum in manibus steterat.* Alia formula est in diplomate OTTONIS II. de *anno* 983. apud EVNDEM *in supplement. P. III. c. 5. ea videlicet ratione, vt nulla maiorum minorumque persona in biuangio prædicti foresti, nisi cum licentia præfati episcopi Rothardi eiusque successorum venari præsumat, sed ipse eiusque successores ex nostro regio dono venationem* POTESTATIVE *teneant, vt quibuscunque placeat, venandi licentiam concedant.* Ita etiam accipio diploma HENRICI IV. de anno 1057. apud MEICHELBECKIVM *cit. l. n. 1231. p. 516.* in quo ecclesiæ Frisingensi confirmat omnia a maioribus suis in eam translata, cum multis relatis iuribus, speciatim vero *forestis*, VENATIONIBVS, *mercatis, theloneis, & percussura proprii numismatis &c.* quia venationes in *forestis regiis* banno publico munitæ erant, adeoque *banna vsualia* dicta sunt. Expressior est formula in diplomate OTTONIS III. *de anno* 997. relato a SCHATENIO *in histor. Paderborn. p. 344. Ad hæc quatuor foresta in Steenwalt, in Offet, Wichmoet, & Subort. In his quatuor forestis ceruum vel ceruam venandi nullus habeat licentiam, nisi verbo & consensu Abbatissæ, & si ceruus vel cerua effugiat de his forestis, eos in alias syluas sequi sit licentia Abbatissæ nunc, & in foresto, in quo est Eltica constructa, singulis annis inter ceruos & ceruas XII. feræ tribuantur Abbatissæ.* Perspicuum hoc diploma reddit, *bannum*, quo sylua munita fuit, vel *indefinite* conceptum, vel *definitum* & restrictum fuisse ad feras *maiores*, vt *minores* adhuc libertati naturali relictæ fuerint, vnde sine dubio postea natales accepit discrimen inter ius venandi *feras maiores* & *minores*. Quod enim banno ferino proprium fuit, per errorem ipsi *iuri* venandi absolute attributum fuit. In alio diplomate HENRICI II. *de anno 1002. p. 365.* Osnabrugensi ecclesiæ *nemus* vel *forestum - - cum omni venatione, quæ sub banno, vsuali more, ad forestum deputatur, in perpetuum proprietatis vsum donauit;* quia enim forestum regium erat, non poterat non sub banno *vsuali more* esse, quo mores Germaniæ antiqui indigitantur, vt etiam antea monui. Sed etiam HENRICVS IV. Hildesiensi episcopo *ibid. cit. l. p. 555. sq. anno 1062.* donat *forestum & bannum*, hac adiecta clausula: *vt infra præscriptos terminos nulla nostri regni maior minorue persona venan-*

Bannum vel indefinitum vel ad feras maiores restrictum.

venandi ius & poteſtatem ſibi vindicare absque conſenſu & licentia prædicti Epiſcopi - - præſumat. In *Codice probat. hiſtoriæ epiſcopatus Wormatienſis* a SCHANNATTO edito anno 1002. HENRICVS II. concedit *regium bannum in foreſtu Forehahi nuncupato - - cum tota integritate & vniuerſis vtilitatibus ad ſe pertinentibus* Wormatienſi eccleſiæ, *vt nulla de eo foreſtu perſona parua ſiue magna aliquam feram vel beſtiam ibi venari vel capere aut inſequi præſumat, ſine licentia ſuperius iam dicti epiſcopi Burchardi ſiue ſucceſſorum eius, & ſi hoc agere, quod abſit, præſumpſerit, quem regio fiſco ſoluere debuit regium bannum* (h. e. *mulctam* ſeu pœnam pecuniariam a regibus in violatores conſtitutam, obſeruante SCHILTERO *in gloſſar. teutonico voce bann. p. 82.*) *& pacem* (h. e. *protectionem*, pœnamque violatoribus eius a regibus impoſitam) *adhuc in carne viuenti epiſcopo ſuisque ſucceſſoribus inuitus perſoluat, &* BANNVS *&* PAX, *ſicut aliis foreſtibus a regibus vel imperatoribus iam conceſſum eſt, ſub perpetuo iure eccleſiæ Wormatienſis & epiſcoporum ei præſidentium conſiſtat.* Notatu dignum hoc diploma eſt, quod egregie monſtret, quatenus *ius venandi* regalibus annumeratum, non quoduis ſcilicet, ſed quod *regio banno & pace* munitum, & ſic ſub *tuitione regia* fuit; foreſtis regiis generatim, ſpeciatim etiam aliorum ſyluis tributa. Confirmauit hoc ius ſingulare imperator CONRADVS II. anno 1026. in diplomate ſub *N. 53.* a SCHANNATTO *p. 50.* recitato ibi: foreſtum in *Forchehe cum foreſtariis & banno regio* &c. IDEM *in hiſtoriæ Fuldenſis codice probat.* ſub *n. 33.* OTTO I. Abbati Fuldenſi donat foreſtum quoddam, *in qua prius erat communis omnium ciuium venatio*, quod banno deſtitutum eſſet regio; nunc vero conſtituit, vt foreſtum illud *nullus venandum audeat ingredi, niſi licentia eiusdem abbatis*, quo ipſo *banno regali* munitum fuit. Quandoque in generali enumeratione regalium hæc reperiuntur: *cum comiciis, cenſis, iudiciis, theloniis, monetis, bannis, diſtrictibus,* WILTBANNIS, *iurisdictionibus*, &c. vt in *diplom. ſub N. 106. & 171.* & in *tradit. Fuldenſ. ſub N. 593.* certiſſimo indicio, non quoduis *ius venandi*, quod in propriis fundis nobilibus competit, a regali dependiſſe qualitate, ſed illud demum, quod *banno regali* munitum erat. Quocirca prælati & epiſcopi id inprimis egerunt, vt venationibus in prædiis eccleſiaſticis & latefundiis hoc circumponerent regali autoritate præſidium, quo laicos potentiores, quos ab illis alias arcere non potuiſſent, potentiori manu a tali prohiberent inuaſione.

Inde etiam episcopi & monachi venationibus concessis vsi.

§. IV. Paulo prolixius hæc thesis præmittenda fuit, quo ex diplomatibus ecclesiasticis ostenderetur, qualis facies *venationum* olim in Germania fuerit, quibus etiam *clerici* & *monachi* incumbere studuerunt. Quamuis enim ICtus Cellensis in *tr. supra citato p. 42.* ex iure canonico nihil contra regalitatem *iuris venandi* adduci posse, prorsus arbitretur; ex diplomatibus tamen ecclesiasticis, quæ ius canonicum illustrant, eiusque nexum & sententiam genuinam produnt, omnino colligi potest, qui factum fuerit, vt clerici atque monachi tam procliues in exercendis venationibus, eisque vltra modum addicti fuerint. Videlicet ipsa diplomata *traditionum* atque *donationum* euincunt, inter communes fundorum reditus etiam ecclesiis & monasteriis assignatas fuisse a priuatis *venationes;* a regibus vero etiam foresta cum *Wiltbannis:* his ad instar ceterorum redituum vti, sui iuris esse crediderunt, & cum piscationes ab eorum vitæ instituto haud essent alienæ, facile in hanc iuerunt sententiam, nec *venationes* decorum ecclesiasticum lædere; in quo meo iudicio non adeo errarunt, si modo tempus, cultui diuino & sacris dicatum, haud negligerent. Ieiuna admodum est argumentatio, qua vtitur HIERONYMVS in *c. 11. D. 86. Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem: piscatores inuenimus sanctos.* Quid hoc argumento absurdius: *Esau venator erat, quia peccator erat.* An ergo venatio propria peccatorum qualitas est, iure diuino interdicta, quod hominibus etiam in feras dominium concessit? Pererrant in syluis hominum causa, quorum nutrimento inseruiunt, adeoque eas capere *iure diuino* permissum est. Desciuerat Esau a vita innocentissima maiorum suorum, quæ in cultura rei pecuariæ innocentissima posita erat, per mores ferinos totus bello, armis, atque venationibus deditus; atque hoc ipsum est, quod Scriptura sacra in Esauo reprobat. Quis autem inde inferret, peccatoribus tantum proprium esse venari, piis & innocentibus reformidandum? Hac tamen sententia Hieronymiana etiam vsus est NICOLAVS papa in *c. 1. D. 34.* contra *clericos Germanos & Gallos*, ad venationes pronos, voluitque, vt ab omnium bestiarum & volucrum venatione penitus alieni existerent, quod etiam probant *c 2. & 3. D. 34.* Quæ enim in *c. 8. 9. 10. D. 86.* de *arte nequissima venatoria* traduntur, huc non pertinent, sed de *spectaculis publicis* & *arenariis* intelligenda, quæ merito a Christianorum moribus aliena esse debebant. Iam olim sub BONIFACIO in *concil. German.* anno 742. apud HARDVIN. *tom. III.*

Quod inani argumento reprobatum.

con-

concil. p. 1920. hæc lex clericis ecclesiarum Germanicarum dicta in *c. 2. nec non & illas venationes & syluaticas vagationes cum canibus omnibus seruis DEI interdiximus: & vt accipitres & falcones non habeant.* Quia enim, pro more gentis, venationibus nimis indulgebant Germani, clerici ab hoc abusu retrahendi erant, quod curam animæ & sacrorum negligentes per syluas vagarentur.

Non recte ad negotia secularia tracta venatio.

§. V. Plura ex concilio Moguntino recensentur *secularia negotia in c. 1. X. ne cler. vel monach.* quæ tamen ita comparata sunt, vt magis *opera carnis* & negotia Christianis omnibus vetita dici mereantur. In horum censum tamen simul relatum est, *canes & aues sequi ad venandum*, quod hominibus carnalibus h. e. *laicis* hoc studium conveniat duntaxat, a quibus abstinere deberent clerici & monachi, vt *verba finalia textus* docent. Enimuero si venatio in eundem cum ceteris ibi relatis speciebus censum referenda, a quouis Christiano fugienda est, sicuti cetera *negotia secularia* seu *carnalia* ibidem adducta. Reuera enim hæc sordes peccatorum constituunt, quibus tamen non sunt contaminatæ venationes & ferarum occupationes. Quandoque tamen in vitium abire poterant ex ratione *temporis*, *deuotioni* & *ieiunio* dicati, quo etiam laici intermittere venationes debebant. Ita censuit AMBROSIVS in *c. 13. D. 86. An putatis illum ieiunare, fratres, qui primo diluculo non ad ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum loca sancta perquirit, sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus syluasque perlustrat? seruulos, inquam, secum protrahit, fortasse magis ad ecclesiam festinantes; & voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens, reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione seruorum.* Magna eo tempore *ieiuniorum* religio erat, in quibus quotidianis sacris pascendus animus, cum quibus venationes consistere non poterant. Vnde etiam NICOLAVS I. *papa ad consulta Bulgar. c. 44.* apud HARDVIN. *tom. V. concil. p. 3 9.* in eandem iuit sententiam: *nulla ratio sit in quadragesimali tempore venationibus vti: venantes enim nihil præter carnes captant. Vt ergo nihil carnale sectari videamini, decenter a carnibus captandis in quadragesimali præcipue tempore vobis est abstinendum. Quanto enim ieiunii tempore arctius est diuinis cultibus insistendum, tanto est in cunctis mundi nociuis oblectamentis longius recedendum; præsertim cum neminem nisi reprobatum venationes exercuisse sacra designet historia.* Plures coaceruat rationes NICOLAVS I., quæ tempore quadragesimali damnabant venationes quorumcunque; 1) quod a carnibus

Quæ in vitium ex accidente abit.

nibus eo tempore esset abstinendum, quibus vescendis tamen hæ inseruiebant: 2) quod maiori cum deuotione sacris vacandum: 3) quod talia oblectamenta temporibus pœnitentialibus haud conuenirent: 4) quod hoc exercitium tantum ad reprobos reiiciat S. scriptura. Vltima ratio omni tempore damnat venationes; quod tamen insulsum esse, iam antea monui. Tres priores magis stringunt, quamuis a consuetudine Protestantium alienæ, qui vsu carnium non abstinent hoc tempore, nec quotidiana sacra habent, reputantes, alioquin etiam quotidianis laboribus & occupationibus vacandum non esse.

Quousque clericis & monachis venationes interdictæ?

§. VI. Ceterum clericis monachisque non indistincte interdictas fuisse venationes, possessiones syluarum & latefundiorum docent, quorum reditus etiam in illis consistebat. Quamuis enim CLEMENS V. in *c. 1. de stat. monach. §. porro.* generatim iniungat monachis nigris, vt a venationibus & aucupationibus semper abstinerent; addit tamen exceptionem, *nisi saltus viuaria vel garenas proprias* (seu *warennas*, h. e. *viuaria leporum* aliarumque ferarum, teste CANGIO voce *Warenna*) *vel ius venandi in alienis haberent*; in propriis enim syluis venationes singulis permissæ erant, atque hoc modo quibusuis fere monasteriis, syluas possidentibus, venationes competunt, hoc modo tamen exercendæ, (α) vt ius venandi per alios exerceant: (β) ne intra monasteria seu domos, quas inhabitant, aut eorum clausuras venaticos canes teneant; alioquin variis subiiciuntur censuris, in *cit. tx.* traditis. Episcopis præcipue olim venationis studium haud convenire docuerunt patres, vt constat ex *c. 1. & 2. X. h. t.* & plenius euicit ZIEGLERVS *de episc. lib. IV. c. 19.* quamuis præsens status eorum in Germania ab eo non prorsus abhorreat, cum etiam *seculares principes* simul sint. Ceterum vt plurimum tot limitationes & exceptiones ab interpretibus contra rigorem canonum adducuntur, vt clerici, venationibus addicti, facile mores suos purgare possint. *Modestam* enim admittunt probantque venationem, clamosam tantum & nimis frequentem eius vsum reprobant, ceu ex professo docuit IVLIVS ANTONIVS MARIA ROBEREDO, Florentinus professor, & ex Seruitorum ordine, in opusculo, cuius titulus est: *modesta venatio defensa*, anno 1718. edito, sub ficto nomine LIVII BORDOERII. Conf. etiam PETRVS GARCIAS DE OCCAVE *de clerico venat.* & IO. BERNHARDVS DIAZ DE LVCO in *pract. crim. canon. c. 61.*

Et inprimis episcopis?

TIT.

TIT. XXV.

DE

CLERICO PERCVSSORE.

§. I.

PERCVSSIONES non indiſtincte abhorrebant a prælatorum moribus: tantum cauendum erat, ne *modum* excederent in cædendo, vel ſine *iuſta cauſa* ius flagellandi & virgarum exercerent. Etenim in monaſteriis diſciplina hæc, in monachos peccantes exercenda, introducta & probata ab antiquo eſt, quamuis Prælatus laico executionem verberum committere nequeat, qui alioquin incidit in excommunicationem ex diſpoſitione *c. ſi quis ſuadente diabolo.* Si itaque abbas *regularis diſciplinæ cauſa* monachum verberibus ſubiiciendum cenſet, in *propria perſona* exequi cenſuram, vel, ſi neceſſitas vrget, eius executionem *clerico* vel *monacho* committere debet, *c. 24. X. de ſentent. excommun.* LAZARIVS *in manuali regular. tr. IX. c. 3. ſect. 3. n. 76.* Ad horum mores effigiati fuerunt *canonici* olim, in quos etiam DECANVS *ius virgarum* exercuit, vt ex CANTIPRATANO docet ANTON. MATTHAEI *de nobilit. p. 617.* Imo non tantum in *canonicos*, ſed etiam alios clericos ſacerdotesque, hanc diſciplinam exercuit. In *hiſtor. epiſcop. Antiſſiodor.* apud PHILIPPVM LABBEVM *tom. I. bibliothecæ nouæ MSC. libb. p. 481.* contentio quædam inter *epiſcopum* & *decanum* capituli refertur, occaſione interdicti in ciuitate Antiſſiodorenſi prolati, & a decano ſtrenue defenſi, epiſcopo audacius in contrarium eunte, cui parochiarum clerici morem gerebant, & vetante decano nihilominus ſacris vacabant. Lite ad metropolitanum Senonenſem per appellationem deuoluta, decanus contra Epiſcopum victricem obtinuit ſententiam, coegitque parochiarum ſacerdotes, decano de inobedientia ſatisfacere, *qui*, vt ait AVTOR *prædictæ hiſtoriæ, in virga viſitans iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum ipſos in capitulo Antiſſiodorenſi virgarum fecit publicam ſolenniter excipere diſciplinam.* Hæc virgarum diſciplina ſpecies *pœnitentiæ* erat ob transgreſſiones *regularum* & *canonum* ſub-

Ius virgarum olim in monaſteriis vſitatum.

Per clericum exequendum.

Vt & in capitulis canonicorum.

Sub ſpecie pœnitentiæ.

ſubeundæ. Hæ infinitæ ſunt, quod per *regulas* quæuis agenda vel omittenda, minutiſſima etiam determinantes. Tot ergo *culpæ* & *peccata*, quot regularum violationes. In capitulo mane hæ indicandæ erant ſingulis diebus in monaſteriis fœmineis, vt refert BVSCHIVS *de reform. monaſter. lib. II. c. 11.* apud LEIBNITIVM *tom. II. ſcript. Brunſuic. p. 872.* quo facto vnam vel duas delinquentes accipiebant diſciplinam a prioriſſa vel ſub-prioriſſa. *Septem autem verbera*, ait BVSCHIVS, *cum virga data viminea, vnam faciebant diſciplinam, vt ſeptem peccata mortalia cum ſuis dependentiis per ea deleantur. Sic enim cunctas per Saxoniam moniales informaui. Si duas deſiderant diſciplinas, tunc alia ſeptem addunt verbera, & ita vlterius. Tales enim poſſent exceſſus delinquentium eſſe notabiles, quod ad vnam diſciplinam plura merito addi deberent verbera.* Morem alium, quem IDEM obſeruauit in monaſterio monialium *in Dorſtad*, refert *lib. II. c. 33. pag. 903. ſq. Primo*, ait, *prioriſſa depoſuit ſe ad diſciplinam a tali iuniore ſuſcipiendam: & ſic vlterius totus chorus ſuus. In ſiniſtro choro ſupprioriſſa ſe ad terram proſtrauit ad diſciplinam ab alia iuniore accipiendam: & ſic omnes a ſenioribus incipiendo vsque ad inferiorem, & dantes vltimo receperunt. Legerunt intra diſciplinam ſingularum* CONFITEOR, & MISEREATVR TVI OPERIS DEVS. *Et habuerunt virgas ſatis magnas, & percuſſerunt eas ſatis acriter. Ad hæc enim iuniores ordinatæ fuerunt, ad dandum diſciplinam, quia erant aliis fortiores &c.* Talis percuſſio laudatur, ſuſcipitur, & imponitur delinquentibus *pœnitentiæ* & *ſatisfactionis* titulo, absque qua peccatorum remiſſio non datur ex diſciplina Romanæ eccleſiæ, in monaſteriis inprimis *monaſtice* i. e. ſumma & inexorabili cum ſuperſtitione obſeruandam.

Præſertim in monaſteriis femineis.

Quæ percuſſiones permiſſæ.

Ius verberum etiam erga reges & principes in pœnitentiam exercitum.

§. II. Non mirandum ergo, quod olim Antiſtites, pœnitentiam imponentes, *virgis* etiam ſæuierint in laicos principes, reges & imperatores, qui hanc *verberum gratiam* ſupplices nonnunquam exorarunt. HENRICVS III. imperator, teſte *chronico* ENGELHVSII apud LEIBNITIVM *tom. II. ſcript. Brunſuic. p. 1085. conſiderans tanti nominis maieſtatem longe ſuis præcellere meritis, nunquam inſignia regalia ſibi præſumſit imponere, niſi confeſſionis ac pœnitentiæ,* VERBERVM *etiam* SATISFACTIONE, *licentiam a ſacerdote ſuppliciter mereretur.* Addit vero ſequentia: *quadam igitur feſtiuitate ſupplex ac pœnitens cœpit adire antiſtitem Colonienſis eccleſiæ* ANNONEM *nomine. Mox ſacer Antiſtes, ſicuti parcere ſolitus erat inopi & pau-*

pauperi, sic misericors absque misericordia sauire cœpit in principem, vehementissimis illum inuadens correptionibus; illumque DVRISSIMIS VERBERVM PLAGIS *afflictum non aliter ea die coronatum incedere concessit, quam prius manibus suis XXXIII. libras argenti in pauperes expendisset. Nec abnuit imperator, sed cuncta passus est & fecit.* In hoc facto ENGELHVSIVS constantiam præsulis & humilitatem imperatoris laudauit; & quidni laudaret, cum eo æuo pietas principum in hoc *seruili iugo* vel *clericali subiectione* quæsita fuerit, inter summas tenebras educatorum, vt omnia ad nutum Antistitum facerent. Qui has pueriles virgas fugiebant, rebelles, scelerati, & summe impœnitentes censebantur, quibus grauior imminebat censura. Seculo XII. anno 1174. HENRICVS II. Rex Angliæ ob occisum THOMAM Cantuariensem similem subire coactus fuit pœnitentiam. Quamuis enim publice protestatus fuisset, se mortem eius nec mandasse, nec voluisse, nec suo artificio perquisiuisse; quia tamen interfectores ex verbis regis, non satis circumspecte prolatis, occasionem sumserant Archiepiscopum trucidandi, *ab episcopis, qui tunc præsentes erant, absolutionem petiit, carnemque suam nudam disciplinæ virgarum supponens a singulis viris religiosis, quorum multitudo magna conuenerat, ictus ternos vel quinos excepit.*

§. III. Atque hæ *percussiones clericorum priuilegiatæ*, & *sanctissimæ* iudicatæ, &, qui hanc patientiæ legem subibant, pii deuotique habiti. Ab his vero distinguendi *clerici percussores non priuilegiati*, seu *iniuriosi* & *iniqui*, qui (a) vel *in modo* excedunt, vel (b) iure percutiendi destituuntur, & *dolo malo* plagas & verbera inferunt, vel (c) *sine causa* aliquem percutiunt. In *modo* excedunt prælati, religiosos vltra meritum percutientes, in satisfactione exigenda nimii. Nam sicuti in *culpa* est, qui in emendando excedit, *l. 9. D. ad L. Aquil.* ita quoque prælatis incumbit, iustum tenere modum in castigandis monachis & pœnitentiis per verbera inferendis. Conquesti olim sunt monachi Fuldenses de *immanitate disciplinæ monasticæ* in libello supplici CAROLO M. porrecto, & a BROWERO *in annal. Fuldens. lib. III. p. 212.* atque SCHANNATTO *in codice probat. histor. Fuldens. n. X.* relato, optaruntque, vt, *quando aliquis de fratribus praeoccupatus fuerit in aliquo delicto, non statim tyrannica vindicta eum excruciaret, sed* MISERICORDI DISCIPLINA *corrigere festinaret, conuersumque clementer susciperet, nec praua suspicione denuo illum fatigaret, neque perpetuo odio exterminaret prælatus.* Alium

Hæ percussiones sanctæ.

Iniuriosæ & iniquæ h. t. notantur, 1) ratione modi.

excessum in monasterio monialium Dorstatensi obseruauit notauitque BVSCHIVS *cit. l.* apud LEIBNITIVM *tom. II. script. Brunsuic. p. 904.* vt *§. II.* in fine retuli. Interrogauerat ex sororibus senoribus vnam: an graues a iunioribus susceperit disciplinas? Respondit hæc: *numeraui decem & octo verbera, quæ mihi sæpius dedit, tam fortiter, sicut potuit, infra tempus, quo legitur:* MISEREATVR TVI OPERIS DEVS &c. Monuit ergo sororem hanc BVSCHIVS, signum daret castiganti, vt desisteret; sed respondit: *quando hoc facio, tunc amplius me percutit. Et non audeo sibi aliquid dicere propter priorissæ præsentiam, sed cogito: oportet me ista sustinere propter peccata mea, quia priorissa & omnes sorores ab eis suscipiunt, quantum dare volunt, sine contradictione.* Addit, se puellam iam castigantem, in nouitiatu constitutam, antea instruxisse & sæpius eam virga percussisse; *iam,* pergit, *reddit mihi, sicut vult.* En insanum monasticum pœnitentiæ modum, ad *conuersionem* monialium, non veram, sed insipidam & hypocriticam requisitum, quod non adeo in tam stupida barbarie, quæ olim regnabat in monasteriis, mirandum est. Facile tamen inde collegeris, ex his, tanquam ex equo Troiano, omnem superstitionem barbariemque prorupisse, & vniuersum peragrasse orbem Christianum. Adeo vero sancte culta fuit hæc verberum & virgarum disciplina, vt nequidem pro ea euitanda prouocare licuerit canonicis & monachis: quo non obstante hi corrigendi & castigandi, *c. 3. 26. 31. X. de appellat.* nisi omnem superauerit *modum* disciplina. *c. 31. eod.*

2) Si absque ratione percussio facta.

§. IV. Insana vero tunc præcipue est percussio, quando *sine vllo iure & modo irrationabili* infligitur auditoribus, qui *sermonibus* non *verberibus* pascendi erant. Hac insania olim quosdam episcopos ductos fuisse GREGORIVS M. notat, & de his in *c. 1. D. 45.* ita: *quid autem de episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene fraternitas vestra nouit. Pastores enim facti sumus, non percussores. Et egregius prædicator dicit: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Noua vero atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* Hac de causa in *septima synodo,* referente GRATIANO in *c. 2. C. 1. qu. 7. in f.,* contra percussores episcopos, qui verberibus imperium sacrum sibi firmare & conscientiis imperare voluerunt, depositio decreta: *similiter percussor episcopus aut presbyter, aut diaconus per se vel per aliquem alium, quasi pro hoc timeri volens, deponatur.* Idem quoque in *concil. Agathensi* cautum

tum esse memorat *c. 1. X. h. t.* Peruersum hunc morem, percussionibus verberibusque homines ad sensum pietatis deducendi, redarguit etiam in episcopis IVSTINIANVS in *Nou. 123. c. 11.* &, *sed neque*, ait, *propriis manibus liceat episcopum aliquem percutere ; hoc enim extraneum sacerdoti est.* Sed forsan HIERONYMVS ansam dedit, vt episcopi, malos percutiendo, se officio suo fungi, crederent. Ad huius autoritatem prouocauit EGBERTVS Eboracensis Archiepiscopus *in excerpt.* apud HARDVINVM *tom. III. concil. c. 79. p. 1968. in f. qui percusserit malos, eo quod mali sint, minister Domini est.* Credidit forsan HIERONYMVS, Episcopos esse *patres*, *laicos* vero *filios*, adeoque illos *paterno iure* agere, hos, quod *mali* essent, percutiendo: vel illos esse *praeceptores*, hos vero *discipulos*, adeoque more discipulorum castigandos. Ast nec similitudo cum his aut cum illis pastoribus ecclesiae potestatem tribuit castigandi adultae aetatis homines, qui *verbo diuino*, non *fustibus*, in rectam viam deducendi sunt. Abusum pariter ingentem sapit, quod *poenitentia in fustigatione* constituta fuerit, quam disciplinam monastica vita produxit, in clerum deduxit, verum sanior praxis ecclesiae ignorat. Pluribus aliis testimoniis hoc argumentum exornat CLAVDIVS ESPENCEVS *lib. II. digress. c. 3.* quod *de clerico percussore* refertum est.

TIT. XXVI.

DE

MALEDICIS.

§. I.

Maledici dicuntur, qui vel *conuicia*, vel etiam quascunque *iniurias verbales*, vel *blasphemiam* in Deum vel aliquem sanctorum euomunt. Illa redarguuntur in clericis in *c. 1. X. h.* qui primario ab omnibus iniuriis alieni esse iubentur. Vnde in *editione Gonzaleziana* titulus hic inscribitur : *de clericis maledicis*, sicuti in *antiqua compilatione II. de clerico maledico*, rubrica concepta est, quod etiam

Hoc titulo de iniuriis clericorum agitur.

etiam rationem habet, quia de *delictis clericorum* in antecedentibus & subsequentibus titulis actum est. Inscriptio autem de *maledictis*, quam nonnullæ editiones habent, erronea est sine dubio, a qua etiam *vulgata* diuortium fecit. Iniuriarum rationem intimam hic eruere & explicare nolo, aliunde iam cognitam; sed duntaxat obseruo, antiquissimo iure, scilicet in *concilio Carthaginensi IV.* anno 398. celebrato *c.* 57. ad *deprecationem* coactos fuisse clericos maledicos. Verba canonis sunt: *Clericus maledicus (maxime in sacerdotibus) cogatur ad* VENIAM POSTVLANDAM: *si noluerit, degradetur, nec vnquam ad officium absque satisfactione reuocetur.* HARDVINVS *tom. I. concil. p.* 982. SCHELSTRATE *de concil. African. diss.* 3. *c.* 8. Est hic canon quoque a GRATIANO in *c.* 5. *D.* 46. repetitus, indeque factum, vt interpretes in foro ad hanc *deprecationis* satisfactionem prouocauerint, eamque clericis dictandam non inepte statuerint. A *foro ecclesiastico* facile transire potuit ad *fora secularia*, quod hæc in plerisque aliis ad illud se composuerit, ex ea persuasione, quod iura clericorum *christianæ pietati* magis conformia, & ab ea aliena essent vindicta, quam *remedia ciuilia* iuris Romani spirabant, quæ regulis amoris, pietatis & prudentiæ ex doctrina CHRISTI prorsus aduersabantur, vt iam olim in opusculo *de iniquitate & iniustitia actionum iniuriarum* monstratum dedi. Vsu forensi tamen *deprecatio* in duas abiit species, vt quædam *simplex* sit, in sola *veniæ* postulatione subsistens, *honorisque declaratione*; quædam *qualificata*, in atrocioribus iniuriis verbalibus & reuocabilibus vsitata, quæ præuiam *reuocationem* seu *palinodiam* annexam habet. Quamuis enim *deprecationi* vtplurimum hæc *tacite* insit, non sine ratione tamen creditum fuit, eam quandoque *expresse* deprecationi, cum aliquo actu ignominioso, addendam, vt eo efficacius liuida & mordax lingua maledicentis, quæ alios acerrime rodit, coerceatur. Officium ipsum iudicis, quando *palinodiam*, vel *nudam deprecationem*, vel *simplicem honoris declarationem* lædenti iniungere debeat, hic excutere non vacat, plenius ab interpretibus iuris ciuilis *ad tit. D. de iniuriis* tradi solitum.

Qui ad deprecationem coacti, Ad fora secularia tractam, & auctam, Cum reuocatione quandoque coniunctam.

§. II. Duo vero circa *deprecationem* tum *simplicem* tum *qualificatam* adhuc obseruo, quorum alterum fucatam horum remediorum pietatem, alterum vero eorum indolem concernit. Equidem secundum HORATIVM *lib. I. satyr.* 3. *vers.* 74.

In deprecatione fucata pietas est.

æquum est,
peccatis veniam poscentem reddere rursus; quod etiam præceptis

CHRI-

CHRISTI admodum congruit; ſicuti vero hoc de officio ſingulorum priuato & *ſpontanea veniæ poſtulatione* intelligendum eſt, ita iudicium longe diuerſum ferendum *de coacta deprecatione*, quæ per *modum ſententiæ* inuito & reluctanti iniungitur, magisque pro ſcopo habet vindictæ ſtudium, quam *maledici* emendationem. Illud adhuc euidentius apparet in *palinodia* a læſo poſtulata, quæ quamuis in LL. imperii per *ordin. camer. P. II. tit. 28. §. 4.* agnita & admiſſa, vitio tamen interno haud caret, vt perſpicue demonſtraui in *tr. de iniquit. & iniuſt. act. iniur. c. III. §. 23. ſqq.* docuique, talem *extortam deprecationem & palinodiam* meram ſapere vindictam, æque ac actionem iniuriarum æſtimatoriam. Alterum concernit *qualitatem huius remedii forenſis*, quo ad palinodiam vel deprecationem agitur. Plurimi illud *rei perſecutionem*, non *pœnam* continere adſtruunt, quorum argumenta ſub examen reuocata, & refutata ſunt *cit. tr. §. 20. ſqq.* His addo, ſecundum iuris canonici principia deprecationem hanc clericis impoſitam per modum *cenſuræ eccleſiaſticæ*, vtpote quam patres pontificesque tantum in plectendis clericorum exceſſibus agnouere. Hanc vero a *pœna* propriæ dicta diſcerni non poſſe ad tit. *de pœnis* euincam. Ita vero ex mente *iuris canonici*, cui ortum ſuum debet deprecatio, actio hæc *pœnalis*, non *rei perſecutoria* eſt, & ita in heredes nec *actiue* nec *paſſiue* tranſit.

Meram pœnam & cenſuram continet.

§. III. Ceterum maledicorum clericorum audacia ſeſe exſerit vel *pro concione* ex cathedra ſacra, vel extra officium, quod gerunt. Priori caſu colores nonnulli varios adferunt, quibus effrenem licentiam maledicendi miniſtrorum eccleſiæ ab animo iniuriandi liberare ſtudent: (a) quod *officii ratione* horum vel illorum facinora publice caſtigare & perſtringere credantur: (b) quod magis *animo emendandi* quam maledicendi, zelo iuſto ducti, elenchum in peccatores notorios exercuerint: (c) quod PAVLVS *1 Tim. V, 20.* Timotheum iubeat, peccantes coram omnibus arguere, quo & ceteri timorem habeant, & quæ ſunt alia inuolucra, quibus maledicendi ſtudium clericorum vtplurimum tegi ſolet, adducta a SIMONE in *diſſert. de actionibus iniur. ſacerdot. concern. M. 2. th. 2.* plenius vero aſſerta a SCHOEPFFERO *de vſu & abuſu elenchi eccleſiaſtici eiusque præmiis & pœnis c. 2.* Equidem *officium elenchticum* miniſtris eccleſiæ competere, teſtatiſſimum eſt, quod in eo conſiſtit, vt errantes erroris conuincantur, & in *veritatis* viam deducantur: *elenchus* enim vi vocis denotat *demonſtrationem & conuictionem per rationes ſolidas*, obſeruante B. BVDDEO

Clerici etiam pro concione iniuriam committere poſſunt.

Saluo officio elenchtico & epanorthotico.

in

in Theol. morali P. III. c. 3. §. 27. Pariter *officium epanorthoticum* contra delinquentem & peccantem exercendum esse, facile largior, cum absque eo ad viam salutis trahi non possit, adeo vt ex grauissimis causis vtrumque munus contra certas personas quandoque dirigi queat, omnibus prudentiæ theologicæ regulis adhibitis, perspicue traditis a BVDDEO *cit. l. §. 28. sqq.* Ast inde minime conficitur, vt his coloribus tegi debeant iniuriæ, quas *ex affectu carnali* pro concione quandoque euomunt in eos, quos odio habent ministri ecclesiæ. Neque enim vllum priuilegium sibi attribuere possunt, vt audacter & impune in calumniandi pruritum prorumpere queant, scientes, neminem, dum concionantur, illis contradicturum esse. Paucis ergo tantum quædam κριτήρια colligam adferamque, ex quibus *animus iniuriandi* facile colligi potest. Huc refero (I) si elenchus & epanorthosis ab eo procedit, qui est ψυχικὸς, rixosus, auarus, inflatus, & affectuum suorum mancipium; tum enim ex *moribus* & *vita carnali* fortissima nascitur præsumtio contra illum, quod *animo iniuriandi*, non corrigendi, in temeritatem maledicendi proruperit, sicuti in genere quæuis delicta ex moribus & vita suspecti colligere solent leges per *art. 25. §.* erstlich. *C. Crim. Carol.* Paulus quidem TIMOTHEO in præceptis dat, vt peccantes publice redarguat coram omnibus; sed necesse etiam est, vt, qui hoc monitum sibi quoque dictum esse arbitratur, spiritu & moribus TIMOTHEI viuat, & elenchticum Spiritus S. officium in semet ipsum prius admittat, vt prudenter monuit B. FRANCKIVS *in programm. anno 1698. publicato de vsu & abusu officii elenchtici spiritus sancti.* Qui alienus est a moribus Timothei, qui bacchanalia viuit, qui *rixatur de lana sæpe caprina*, vel vt ait HORAT. *lib. 1. epist. 18.*

Quem tenet argenti sitis importuna famesque.

& secundum EVNDEM *lib. I. sat. 1. vers. 66.* ait:

Populus me sibilat: at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca,

in ea est conditione, vt ad quascunque iniurias & calumnias effutiendas pronus & procliuis sit. (II) Si in tribunitios clamores erumpunt, & *verbis per se iniuriosis* contra eos, quorum peccata erroresque redarguenda credunt, vtuntur, vltra, quam decet, excandescentes, & animos auditorum contra dissentientes ad furorem plebeium concitantes. Cacoethes hoc notatum est *in R. I. de anno 1530. §.* Wir haben his verbis: Die Prediger sollen sich mit ihrem Predigen unserm Abschiede gemäß verhalten, und fürnemlich in ihren Predigten vermeiden

Signa, ex quibus animus iniuriandi colligitur.

α) Ex vita ante acta.

β) Ex verborum qualitate.

meiden und unterlassen, was zu Bewegung des gemeinen Mannes wider die Obrigkeit oder wider einander zu verhetzen dienen oder Ursache geben möge, und GOttes Wort nicht nach eines eigenen Willen, Nutzen, Neid und Hoffahrt oder zu Verführung der unverständigen gemeinen Leyen predigen, dazu stumpffierens, schmähen und lästerns sich enthalten. In *ordin. eccles. Magdeburg. c. XVII. §. 8.* ministri ecclesiæ instruuntur, vt peccata, insgemein seu *in genere*, mit Christlichem Ernst und gebührender Bescheidenheit ohne Bitterkeit und Persohnen Gezäncke, publice redarguant, quod alioquin nil nisi ignem verbaque iniuriosa eructantes non possint non animum calumniandi præ se ferre, grauesque motus sæpe in republica excitare, quod illustratur *tom. II. P. II. consult. & decis. arg. 154. n. 4. seqq.* (III) Si *causas proprias* pro concionibus agunt, eosque notant, cum quibus iis inimicitiæ intercedunt, quod recte abusibus annumerat SCHOEPFFERVS *c. III. n. 25.* & prohibuit *ordinatio eccles. Magdeburg. cit. l.* noch aus Zorn ihre eigene oder andere Sachen auf die Cantzel bringen. (IV) Si quibuscunque rumoribus variis fidem præbent, vel in inquisitionem ex aliqua suspicione tractos mox pro concione, *vt conuictos*, traducunt condemnantque, qui tamen sæpius postea ob ostensam innocentiam absoluuntur plenarie. Talem zelum carnalem & immaturum sæpe in actis criminalibus obseruaui, vnde non potest non ad actiones iniuriarum postea mouendas ansa dari. (V) Si, quæ ad publicum magistratus officium spectant, quæ *iuris publici causam* tangunt, ad suam trahunt censuram, debacchantes in gesta publica, iudicata, pœnarum executiones, cetera, quorum tamen arbitri non sunt constituti, nec extra acta esse queunt. (VI) Si *gradus admonitionis* haud seruantes impetuose agunt, & quæ sunt alia huius generis argumenta, quæ facile animum iniuriandi denudabunt. Quodsi itaque maledictis aliquem, maxime patronum magistratumue, proscriderit pro concione minister ecclesiæ; non iniquum est, eum ad *deprecationem publicam* compellere, ceu declarat CARPZOV. *in iurispr. consist. lib. II. def. 103.* sicuti e contrario merito pœnam meretur, qui malitiose aduersus eum de iniuria egit. BRVNNEMANN. *in iure eccles. lib. II. c. 18. §. 63.*

γ) Ex qualitate causæ.

δ) Ex modo.

ε) Iudiciorum acta taxando.

ζ) Omittendo gradus admonitionis.

De maledictione in Deum.

§. III. Præterea etiam maledicus quis esse potest in ipsum *Deum* vel *aliquem sanctorum*, quod crimen speciatim *blasphemia* vocatur, cuius *pœna* vel *pœnitentia* traditur in *c. 2. X. h. t.* Notandum

tamen, *blasphemiam* sumi vel in sensu *iuridico* vel *theologico*, quem tamen *ius canonicum* vbique confundit. In hoc etiam ab *errantibus in fide* committi dicitur, quamuis absque *dolo malo*, seu *proposito*, DEO maledicendi, errores dissеminent, & hoc intuitu, seu *quoad forum humanum*, in bona fide sint, vt qui per errorem *diuinitatem Christi* negant, ceu obseruaui *tit. de haeresi tom IV. §. 16.* & *tit. de raptor. incend. §. 15.* *Criminis* tamen conceptum vtrobique deficere dixi quamvis, cum ius canonicum *crimen publicum* in hæresi quærit, non potuerit non *blasphemiam* eo in sensu huc referre. In priori sensu supponimus *dolum* & *malum propositum maledicendi DEO in blasphemia*, quæ merito, *crimen publicum* audit, & criminaliter castiganda. Ius canonicum etiam *pœnam criminalem* probat in *c. 2. h.*, quamuis olim blasphemantibus duntaxat mulcta dictata fuerit, in aliis grauioribus criminibus olim vsitata, vt ad *tit. de homicid.* dictum. Quæ hodie *criminalis pœna* obtineat, prolixe a ICtis, criminalia tractantibus, exponitur, quæ non est huius loci & instituti.

TITVLVS XXVII.
DE
CLERICO EXCOMMVNICATO, DEPOSITO VEL INTERDICTO MINISTRANTE.

§. I.

Peccat clericus interdictus vel depositus ministrando.

Grauiter quoque peccat episcopus, presbyter, aliusue clericus, qui licet excommunicatus, depositus, suspensus, vel interdictus sit, nihilominus ministerium officii sui continuat, vel *per contemtum vel superbiam aliquid de sibi interdicto agere præsumit*, vt dicitur in *c. 2. X. h. t.* Equidem in hac conditione constitutus episcopus vel presbyter characterem indelebilem, quem per *ordinationem* accepit, retinet, adeoque *valide* dicitur administrare sacramenta, licet grauiter peccet ministrando. *c. 5. X. h. t.*

§. II.

§. II. Distinguunt tamen pontifices, (I) vtrum *maiori excommunicatione* innodatus fuerit vel interdicto constrictus, an *minori* ministrans? Priori si monitus sine dilatione non desistit, perpetuæ depositionis sententiam incurrit, & *irregularis* redditur. *c. 3. c. 4. 6. X. h. t.* Posteriori casu non tam a *collatione*, quam *participatione sacramentorum*, quæ in sola consistit *perceptione*, remotus videtur, vt ait pontifex in *c. f. X. h. t.* adeoque si celebrat, peccat quidem, nullam tamen *irregularitatem* incurrit, quam tantum contrahit, si *directo* interdictus est. *cit. c. f.* *Peccat*, sunt verba pontificis in *c. f. h. t. conferendo ecclesiastica sacramenta, virtutis tamen non carent effectu*, cum magis a *participatione* eorum remotus sit. Vnde sequitur, vt (α) eius electio scienter facta irritanda sit, quia a *susceptione munerum sacrorum* etiam remotus est: (β) vt valide eligere queat, quia ita ipse nihil percipit, sed aliis confert: (γ) vt ea, quæ ratione iurisdictionis illi competunt, valide agat, ob eandem rationem: (δ) vt tamen vix recte missam celebret, quam celebrare nequit absque *eucharistiæ perceptione.* Præterea quoque (II) distinguendum, vtrum in *contemtum disciplinæ ecclesiasticæ* & per *meram superbiam* vnice quid egerit, an vero ex *simplicitate* vel *ignorantia?* Priori casu anathemate feriendus, licet tantum minorem passus fuerit excommunicationem, vt autoritas disciplinæ ecclesiasticæ conseruetur, quippe a qua *salus ecclesiæ* dependet. *c. f. in f. h. t.* Hæc eadem ratio suadet, vt (α) mitius quandoque agendum sit, si forsan *magna multitudo* in hoc peccasse deprehendatur, quo casu illi, quos magis causam delicti esse constiterit, perpetua depositione & irregularitate adficiendi: ceteri, qui non ita deliquerunt, ab officio ad tempus suspendendi, pœnitentia singulis conueniente imposita. *c. 4. X. h. t.* (β) Vt absque hac euidente ratione interdictum plenum habeat effectum, & absque irregularitate nemo ministrare queat, ita vt nullam ecclesiam consuetudo contraria ab hoc vinculo eximere possit, ne alioquin disrumpatur *neruus ecclesiasticæ disciplinæ*, vt dicitur in *c. 5. in f. de consuetud.* Posteriori casu *ignorantia probabilis* excusatos eos reddit, qui post suspensionem vel interdictum celebrarunt diuina; salua dispensatione, si forsan *crassa*, *supina*, aut *erronea* fuerit ignorantia. *c. 9. X. h. t.*

Maiori excommunicatione innodatus vel interdictus ministrans fit irregularis.

Non si minore.

Conclusiones.

Ad mentem quoque respiciendum.

Item si magna multitudo peccauit.

Consuetudinis nulla habita ratione.

Errori quoque venia danda.

TIT.

TITVLVS XXVIII.

DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

§. I.

Nemo ministrare potest, nisi ordinatus ad officium, quod peragit.

Septem dari *ordines* in ecclesia Romana, singulosque separatis ordinationibus ita conferri, vt singulis *ordinibus* peculiaria *officia sacra* tributa, noto notius est. Vnde conficitur, vt nemo sacrum aliquod officium peragere possit, ad quod non est ordinatus. Grauiter peccat *diaconus*, missam celebrans, cum *gradum sacerdotalem* per *manuum impositionem* non fuerit adeptus, quem sacrificium missæ desiderat, cuius charactere destitutus est *diaconus*. Quocirca qui ministrat in gradu non suscepto, non potest ad *altiores* ordines promoueri, quamuis in *gradu suscepto* maneat, a quo duntaxat per biennium aut triennium suspenditur. *c. 2. X. h. t.* Non ergo *absolute* irregularis fit, sed *secundum quid*. Qui *omni ordine* destituitur, & tamen baptizauit vel aliud officium diuinum exercuit, prorsus *irregularis* redditur, prorsus abiiciendus de ecclesia; *c. 1. X. h. t.* quod tamen ad *casum necessitatis* porrigi nequit, in quo etiam laico *ministerium baptismi*, imo etiam *confessionis auricularis audiendæ* concessum, vt *tit. de baptismo §. IV.* obseruatum. In nostris ecclesiis in vna acquiescimus ordinatione, adeo vt qui ad *diaconatum* per ordinationem tantum promotus fuit, quælibet sacra peragere possit, quam differentiam iam obseruaui *P. 1. tit. de offic. archidiac. §. 11.* Imo quamuis persuasissimum habeamus, ordinationem non esse absolute necessariam ad institutionem ministri ecclesiæ, vt *P. I. tit. de tempor. ordin. §. 17.* monui; regulariter tamen neminem ad *diuinorum celebrationem*, exceptis concionibus, admittimus, nisi *ordinatum*, quod hæc ceremonia vniuersaliter in ecclesiis nostris retenta fuerit, adeoque ex *præscripto LL. ecclesiasticarum extra casum necessitatis* omitti nequeat. Hunc tempore belli existere posse, quis dubitauerit? si ex calamitate publi-

Pœna.

Quid si omni ordine destitutus ministret?

Vsus protestantium.

ca

ca forſan a nemine ordinari miniſter eccleſiæ potuerit, & tamen rite vocatus atque ad officium admiſſus. Hunc non peccaſſe eo ipſo, quod ſine hac ceremonia officium ſacrum ſuſceperit, & gregem Domini pauerit, omnino dicendum eſt, adeo vt ſi diuturno tempore officio ſacro functus fuerit, poſtea, pace reddita, absque *ſcandalo publico* ordinationis neceſſitati ſubiici nequeat. Facile enim induci poſſent parochiani, vt crederent, antea geſta omni deſtitui efficacia, per *ordinationem* demum diuinis tribuenda.

Pœna etiam criminalis locum habere poteſt inter catholicos, ſi non ordinatus adminiſtrat.

§. II. De *iure canonico* abſoluta neceſſitas *ordinationis* in ſacerdote conſtituta eſt, vt, accedentibus aliis ſceleribus, criminali pœnæ ſubiici poſſit fraudator. In HERMANNI CORNERI *chronico*, quod IO. GEORG. ECCARDVS *tom. II. corp. hiſtor. medii æui p. 1142.* edidit, refertur exemplum de *Hermaphrodito*, qui in ciuitate Lubecenſi de die pro ſacerdote ſe geſſerat, nocturno vero tempore meretricis more ſe cuicunque volenti ſuppoſuerat. Hic tandem detectus faſſus eſt, ſe ſæpius cum maſculis rem habuiſſe, & non ordinatum ſacerdotem plures miſſas celebraſſe. *Ob quæ enormia facinora*, ait CORNERVS, *tandem in habitu muliebri eductus traditus eſt igni ad comburendum, ſtipiti alligatus.* Duplex fraus ab hoc nefario commiſſa erat: 1) quod, ſexu feminino præualente, ſe pro maſculo de die geſſerat, nocturno tempore vero legem patientiæ muliebris, vt publicum proſtibulum, ſubierat, cum tamen tales Hermaphroditi prorſus inhabiles ſint ad ordines ſuſcipiendos, vt *tom. I. tit. de corpor. vitiat. ordin. §. 10.* monſtraui: 2) quod ne quidem *ordinationem ſacerdotalem*, imo nullam, accepiſſet, & tamen frequentiſſime miſſas celebraſſet. Acceſſit 3) ſcandalum inſigne & publicum, quod talis meretrix publica, ſexum maſculinum mentita, ad ſacra publica peragenda per ſcelus ſeſe accinxerat, & tamen nocturno tempore pro quæſtu meretricio corpus ſuum cuicunque volenti expoſuerat. De genere mortis non dicam, quod *ſacrilegii* & *hæreſeos* notam pro fundamento habere videtur.

TITVLVS XXIX.

DE
CLERICO PER SALTVM PROMOTO.

§. I.

Promotio per saltum prohibita.

Quemadmodum PAVLVS prudenter monet, *Neophytum* non esse ordinandum episcopum; ita non sine ratione receptum est, vt nemo ad apicem *episcopalis dignitatis* promoueretur, nisi ad aliquod temporis spatium in reliquis *ordinibus minoribus* bene praeparatus, sufficienter probatus & ita per *gradum* non per *saltum* promotus fuisset. De hac *disciplina ecclesiastica* variae nihilominus lites seculis sequentibus subortae sunt, quod saepe neglecta, ac quandoque contraria praxis per dissimulationem tolerata; quandoque vero in grauissimum deducta certamen per curiae Romanae imperiosa principia. Ipsam hanc disciplinam ex antiquitatibus illustrauit LEO ALLATIVS *de aetate & interstitiis in collatione ordinum etiam apud Graecos seruandis*, vt ostenderet, PHOTII electionem plane huic aduersari, & orientalem ecclesiam cum occidentali in ea conspirare. Huic etiam iungendus est THOMASSINVS *de vet. & noua eccles. discipl. P. I. lib. II. c. 34. seqq. & P. II. lib. I. c. 85. seqq.* variam praxin ecclesiae non dissimulans, licet eandem in concordiam deducere variis coloribus nitatur.

Ne laicus ad episcopatum rueret.

§. II. Videlicet omnes in hoc fuerunt patres, vt praecauerent, ne quis a *statu laicorum* mox traheretur ad culmen ipsius sacerdotii, quod electio *Neophytorum* reprobata esset a PAVLO *1 Tim. III.* & sic etiam *laicorum*, secundum interpretationem GREGORII M. *lib. IV. epist. 50. tom. II. p. m. 155.* *Nam sicut*, ait, *Neophytus tunc vocabatur, qui adhuc nouiter erat eruditione plantatus in fide; ita nunc Neophytis deputamus, qui adhuc nouus est in sancta conuersatione*, hoc est, in statu clericali. Laicorum conuersatio carnalis, & minus sancta ab antiquo, quamuis per euidentem calumniam, iudicata; *tonsurati* vero vita, quae alios *mores hypocriticos* postulauit, mox prior credita, vt hi vitae sanctiori operam dare crederentur, ab episcopatu tamen adhuc exclu-

Qui est instar Neophyti.

cludendi, ex philoſophia GREGORII M. Interim quia plures gradus officiorum eccleſiaſticorum erant conſtituti, conueniens viſum, in clerum receptos demum probandos eſſe in gradibus inferioribus, antequam ad altiores adſcenderent, id quod etiam *diſciplina militaris* probat. *Eadem rei militaris eſt ratio*, ait GREGORIVS Nazianzenus *orat. funebri de Baſil. M. miles primum, deinde centurio, tum imperator. Hic optimus ordo eſt, iisque, qui ſubſunt, inprimis conducibilis.* Ex hac qualitate ſingulari, quæ in primis ſeculis non ſemper accurate obſeruari poterat, CYPRIANVS *epiſt. 55. edit. Bremenſ.* laudat CORNELIVM, epiſcopum Romanum, cuius electionem factio aduerſariorum oppugnabat, ille vero tuebatur. *Nam*, ſcripſit, *quod Cornelium cariſſimum noſtrum DEO & Chriſto & eccleſiæ item conſacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iſte ad epiſcopatum ſubito peruenit, ſed per omnia eccleſiaſtica officia promotus & in diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, ad ſacerdotii ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit.* Hac laude præcipue commendandus credebatur CORNELIVS, quod eo tempore regulæ certæ de interſtitiis temporum ſeruandis generaliter non introductæ, præferendi tamen nihilominus illi eſſent, qui per plures annos in gradibus inferioribus fidem & probitatem ſuam probauerant eccleſiæ, in quo CYPRIANVS non ſine ratione aliis præferendum cenſebat CORNELIVM. Satis itaque probati & ex puritate ac ſanctitate vitæ conſpicui ad altiora demum promouebantur, quod olim admodum vrſit GREGORIVS Nazianzenus. Huius teſtimonia IVSTINIANVS in *N. 137. c. 1.* laudat et ſua facit. *Mundari*, inquit, *oportet primum, ac deinde mundare. ſapere, ac deinde ſapientiam docere: lucem fieri, & poſtea illuminare: propinquari DEO, tum alios adducere: ſanctificari, tum ſanctificare: manu ducere cum manibus, conſultare cum conſilio.* Id ipſum primario intendebatur in obſeruantia & vſu interſtitiorum: id agebatur, vt purioris vitæ clerici ad epiſcopatum aſcenderent, non vt tantum *diuis gratia*, quod hodie fit, gradus inferiores percurrerent. Id ipſum rurſus his verbis, a IVSTINIANO adlatis, docet GREGORIVS: *Quis inſtar figuli vno ipſo die fictilia ſua tornantis, ita repente figat veri cultus antiſtitem, cum angelis ſtantem & cum archangelis laudes canentem & Chriſto conſacrificantem.* Denique de his, qui ſine vlla præparatione & probatione mox ad ſuperiores gradus ſacerdotii proruunt, ita IDEM iudicat: *qui cum nihil ad ſacrum DEI altare & ſacerdotium attulerint, nec*

Non ſine ratione.

Quod ita demum de eorum puriori vita conſtaret.

nec in virtute & pulchro prius insudarint & elaborarint, simul discipuli & praeceptores pietatis ostenduntur: & priusquam purgati sunt, purgant: heri sacrilegi, hodie sacerdotes: heri extra sacra, hodie praesules mysteriorum: veteratores malitia, nouitii pietate: qui sunt opus atque facies humanae gratiae, non Spiritus sancti. Aeque ergo indigni sunt, & *per saltum* ascendunt, qui, licet per interstitia temporum in inferioribus constituti fuerunt gradibus, sine *vitae purgatione* tamen episcopatum & sacerdotium suscipiunt: e contrario digni iudicandi, qui aliunde vitae integerrimae & sanctimoniae atque eruditionis theologicae laude conspicui sunt, licet mox per *saltum* promoti fuerint. Interim sicuti posterius ad rariores casus referendum, ita ex *ratione naturali* in regula potius subsistendum, neminem regulariter *per saltum* promouendum esse. Atque haec ipsa ratio induxit *patres Sardicenses*, vt *c. 10.* legem scriberent de *interstitiis temporum* in singulis ordinibus obseruandis, atque prohiberent, ne quis in posterum *per saltum* ad episcopatum vel presbyteratum promoueretur, cuius verba tradidi atque illustraui *tom. 1. tit. de tempor. ordin. §. 29.* Nota vero sunt fata huius concilii, orientalibus adeo inuisi, vt, quia hi praeualentia occidentalium consilia animaduerterent, mox se ab illis separarent, & in posterum huius autoritatem in caussis ecclesiasticis agnoscere nollent, prout distincte tradit PETRVS DE MARCA *de concordia sacerdotii & imperii lib. 7. c. 3. seqq.* Inde quoque sine dubio factum, vt, quicquid in contrarium LEO ALLATIVS adserere conetur, huius rationem in electionibus non stricte semper habendam censuerint.

Quod concilio Sardicensi confirmatum.

Photii electio per saltum.

§. III. Recruduit potissimum haec controuersia in electione PHOTII Constantinopolitanae ecclesiae patriarchae, qui deposito IGNATIO desultorie ad hoc culmen euectus est, sex dierum spatio omnes gradus decurrens. Nam primo die tonsus in monachum, altero lector creatus, tertio subdiaconus, quarto diaconus, quinto presbyter, sexto statim patriarcha. Permoleste vtrumque factum tulit NICOLAVS I., atque adeo improbauit, vt eius depositionem atque restitutionem IGNATII omnibus moliretur viribus, & hunc in finem *concilium vniuersale VIII.*, quod *Constantinopolitanum IV.* audit, conuocari curaret. In literis ad *Michaelem* imperatorem apud HARDVINVM *tom. V. concil. p. 803.* turgentibus verborum phaleris hoc factum exagitat scribens: *Verum iste Photius videlicet antea doctor prorupit,*

quam

quam doctus extiterit: prius magister videri cupiit, quam discipulus audiri. Prius auditor esse debuit, ac deinde institutor: sed hic doctoris e contrario cathedram eligens, docere prius elegit, ac deinceps cœpit doceri; prius sanctificare curauit, ac demum sanctificari; prius illuminare voluit, & postmodum illuminari. Ita pontifex NICOLAVS I. contra PHOTIVM, quem ZONARAS *tom. III. annal. virum insignem & eruditionis nomine celeberrimum*; imo IO. MORINVS *de SS. ordinat. P. III. exerc. 4. c. 6. §. 1. in f. virum doctissimum, & in barbaro seculo politissimum & eloquentissimum* ex vero nominat, declamitat, qui tamen ipso pontifice & *eruditione* & *acumine iudicii* & *probitate* longe superior in rebus ecclesiasticis fuit, & ab eo discere potuisset, collectionem ISIDORI, quam sine omni iudicio vt genuinam orbi Christiano obtrusit, partum suppostitium fuisse. In sequentibus NICOLAVS I. tum ad canonem concilii Sardicensis ab orientalibus non agniti, tum ad pontificum placita, quibus omnis *saltus* seuere prohibitus, prouocat, atque in aliis ad imperatorem missis literis apud EVNDEM *cit. l. p. 808.* PHOTIVM ita redarguit: *Photium autem nouimus per nullos ecclesiasticos gradus ascendentem, sed tantummodo ex laicali militia episcopum pertinaciter ordinatum.* Et quia patriarcha IGNATIVS absque præscitu Romani pontificis depositus eiectusque erat, vtrumque factum improbat pontifex, & tum depositionem IGNATII, tum electionem PHOTII nullam esse ait. Ad obiectionem de NECTARIO, ex laico habitu in episcopum & patriarcham assumto, regerit, *Nectarium veræ religionis catholicum, nullius depositionis catholici conscium, sedis gubernacula, sine scandalo, sine vi, sine omni schismate suscepisse.* Sine dubio de solo *saltus* vitio tam graues non mouisset pontifex fluctus, vtpote in occidente admodum familiari, nisi IGNATIVS depositus eius tutelam præsidiumque inuocasset, & inde occasionem captasset, in patriarcham Constantinopolitanum imperium exercendi. Sed etiam AMBROSII ex statu seculari & catechumenatus ad episcopatum promoti, exemplum NICOLAO obiecerat PHOTIVS; quod ille non negat, sed regerit, diuinitus per miraculosa signa eum vocatum, & a populo per *inspirationem* electum, imo coacte ad culmen hoc suscipiendum raptum sine *seditione* & *schismate*, cum posterius in sede Constantinopolitana, *de facto* tantum non *de iure* vacante, contigerit. Circumstantias electionis AMBROSII retuli *tomo I. tit. de elect. §. 26.* aperte docentes, illum per *saltum* ad episcopatum ascendisse, licet *coacte* eum susceperit, qualia plura exempla in antiquitatibus ecclesiasticis

Non tamen sine exemplis.

occurrunt. His tamen non obstantibus, IGNATII depositionem pariter & electionem PHOTII per saltum & in schismate factam irritat, quod adeo ægre tulit PHOTIVS, vt NICOLAVM I. congregata synodo excommunicaret, quo ipso noui schismatis inter orientem & occidentem iacta sunt fundamenta. Verum cædes MICHAELIS imperatoris, a BASILIO perpetrata, PHOTIO exitio, NICOLAO vero emolumento fuit. Hanc enim cum patriarcha improbaret, adeo BASILII odium in se excitauit, vt PHOTIVM e sede patriarchali pelleret, & IGNATIVM restitueret, conuocata *Synodo VIII.* cuius *c. 4.* restitutio IGNATII & PHOTII depositio approbata est.

Hodierna praxis ecclesiæ Romanæ.

§. IV. Sed ab hac seueritate iam dudum desciuit *ecclesia occidentalis*, & *saltus* adeo impune tolerat, vt, experientia teste, episcopi apicem ascendant, qui duntaxat minoribus quatuor ordinibus decorati, & per totam vitam suam in his subsistunt, magis *episcopatus regimen*, maxime in Germania, ambientes, quam verum *sacerdotale officium*, vicariis relictum. Quid? quod qui iam dudum episcopi electi fuerunt, sæpe post plures annos demum ordinem presbyterii suscipiunt inuerso more, quo paulo post *consecrationem episcopalem* suscipere possint. Quæ ex *Nou. 137. c. 1.* & ex testimoniis GREGORII Nazianzeni §. 2. adducta sunt, adeo negliguntur, vt sine vlla præparatione & probatione in minoribus officiis ecclesiasticis tonsurati promoueantur, præsertim cum *sine titulo*, in sensu iuris antiqui, ordines, *dicis gratia*, conferantur, & clerici sine *officiis realibus* ordinentur, vel ad titulum putatiuum patrimonii vel paupertatis, nouis artibus excogitatum. Hæc stante disciplina noua, recte censet MORINVS *de SS. ordin. P. III. exerc. 13. §. 11.* nullo modo necessarium esse, in minoribus gradibus diu subsistere, eorumque officia per se gerere, quæ hodie, vt IDEM *§. 10.* tradit, a quolibet occurrente & non initiato occupantur. Viles personæ & mercede conductæ munus *ostiarii* implent. *Lectori* hodie proprium munus assignare difficillimum esse, ait, quod ex hodierna praxi subdiaconus occupat. *Exorcistarum* officia presbyteris cesserunt. Obuii quique laici eo funguntur munere, quod *Acolytho* per ordinationem confertur, atque sic hodie hæc quatuor munia otiosa sunt, & tamen per hos quatuor ordines eundum, vt *saltus* euitetur, licet præpostere conferantur. Denique episcopis in *concil. Trid. sess. XXIII. de reform. c. 14.* potestas tributa dispensandi cum promotis per saltum, *si non ministrauerint*, hoc est, si *in genere* ordinati fuerint. Hoc ipso vero fit, vt interstitia temporum non obseruen-

seruentur, sed quatuor minores, etiam vno die, alicui conferri possint, quippe qui tantum *dicis causa* conferuntur, non sine aperto fuco & ludibrio, vt DVARENVS *lib. 1. de S. eccles. minister. c. 16.* non diffitetur, & tales ordinatos *Vtopienses* non sine ratione appellat. Denique si vsum huius tituli inter Catholicos quæris, ille reuera est mimicus & vmbratilis, & sic nullus, obseruata intentione antiquorum patrum ecclesiæ, qui saltum condemnarunt, vt diu probati ad altiores gradus adscenderent. E contrario in nostris ecclesiis etiam quidam gradus reales supersunt, per quos ad altiores eundum, vt *tom. I. de officio Archidiaconi §. 18. seqq.* expositum, cum horreamus ordinationes sine officiis actualibus ecclesiasticis, & in plurimis ecclesiis in *subdiaconatu* diu probati ad *diaconatum*, & tandem ad *pastoratum* promoueantur.

TITVLVS XXX.

DE

EO, QVI FVRTIVE ORDINEM SVSCEPIT.

§. I.

Quinam furtiue dicantur ordinati.

Furtiue ordinem suscepisse dicitur, (1) qui *absque scrutinio prævio* sese clam cum aliis rite examinatis intrusit, & ordinatus est, vt dictum tit. *de scrutin. in ord. faciendo:* (2) qui alias de iure ordinari prohibitus *sub-* & *obreptitie* ordines recipit. Hac de causa secundum *pontificale* Romanum *tit. de ordin. conferend. in f.* ante ordinationem palam hoc proponi solet interdictum: *Reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus N. Dei & Apostolicæ sedis gratia episcopus N. sub excommunicationis pœna præcipit & mandat omnibus & singulis, pro suscipiendis ordinibus hic præsentibus, ne quis forsan eorum irregularis, aut alias de iure vel ab homine excommunicatus, interdictus,*

suspensus, spurius, infamis, aut alias a iure prohibitus siue ex aliena diœcesi oriundus sine licentia sui episcopi, aut non descriptus, examinatus, & nominatus, vllo pacto audeat ad suscipiendos ordines accedere. Ad huiusmodi *interdictum* pontifex in *c. 1. & 3. X. h. t.* respexisse videtur, distinguens, vtrum illud præcesserit nec ne? ita vt priori casu ceu excommunicati iudicandi sint, & in susceptis ordinibus ministrare nequeant; facilius posteriori casu, quo tantum *suspensionem* incurrunt, per dispensationem facile tollendam, iuxta *c. 1. X. h. t.* (3) Etiam *furtiue* ordinatus dicitur, qui vno die quatuor ordines suscepit & præter hos subdiaconatum. *c. 2. X. h. t.* Sed ita hodie pleræque ordinationes *furtiue* factæ dicendæ, quas tamen ab hac labe facile purgare potest *dispensatio episcopalis.*

TITVLVS XXXI.

DE EXCESSIBVS PRAELATORVM ET SVBDITORVM.

§. I.

An excessus cadant in papam.

Sicuti sub *Prælatorum* appellatione ius canonicum *magistratum ecclesiasticum*, seu *clericos maiores*, *iurisdictione ecclesiastica* præditos, intelligit, *subditorum* vero nomine primario *clerici minores*, qui *imperio sacro* reguntur & prælatis subsunt, veniunt, *c. 1. 5. 14. 16. X. h. t.*; ita *prælatorum prælatus* seu caput omnium prælatorum est pontifex summus, prælaturam eminentissimam & vniuersalissimam gerens. Cum ergo de *excessibus prælatorum* in genere agatur, etiam *excessus papales h. t.* notari debuissent, quod tamen factum haud esse indubitatum est. Forsan etiam parasiti curiæ Romanæ in dubium vocabunt: *vtrum excessus cadant in pontificem?* vel vt philosophorum hodiernorum more quæstionem moueam: *an excessus pontificum sint possibiles?*

les? Homines quidem sunt, nihil humani a se alienum arbitrantes, vt indubie delinquere queant, & *absolutione* atque *auriculari confessione* indigeant; ast *excessus a delictis & peccatis* separandos esse, hic ostendet titulus docebitque, eos potissimum committi per *transgressionem limitum potestatis atque officii sacri*, & per neglectum *decori ecclesiastici* seu *honestatis externae.* Enimuero tales excessus in pontifice *impossibiles* esse, ex curiae Romanae assectarum principiis, colligi potest, & quidem ex duobus: (α) quod habeat *potestatem illimitatam* (unbendige Gewalt) nullis circumscriptam limitibus, eos ergo transgredi nequeat, quia non dantur: (β) quod *decorum ecclesiasticum & honestatem externam* ipse constituat, & sicuti potissimum in exemplis potentiorum & formula eorum viuendi externa consistit; ita qualecunque *decorum ecclesiasticum* pontifex assumat, illud vbique decorum est, nec se ad antecessorum suorum decorum alligari patitur, quia limitum expers est. Prius liquidum redditur ex *plenitudine potestatis, quam non ab homine sed a DEO obtinere pontificem*, ait IOANNES XXIII. in *bulla de anno* 1327. apud RYMERVM *tom. IV. act. Anglic. p.* 306. Ex hac plenitudine potestatis liberrime agit, omniumque bonorum ecclesiasticorum arbiter est, *clem.* 1. *in f. vt lite pendente*, imo ex INNOCENTII III. effato in *c.* 4. *X. de concess. praebend. & eccles. non vac.* a limitibus legum absolute solutus est; ait enim: *secundum plenitudinem potestatis de iure possumus supra ius dispensare.* Rationem huius propositionis PIVS V apud LARREVM *tom. II. histor. Anglic. p.* 192. euidentem suggerit: quod ille, qui regnat in coelo & in terra, successoribus Petri dederit regimen ecclesiae, *cum* ABSOLVTISSIMA NVLLISQVE INCLVSA LIMITIBVS *potestatis atque iurisdictionis* PLENITVDINE, quo posito, *excessus* in pontifice concipi nequeunt. Quocirca nequidem Simonia in pontifices cadere potest, vt testimonia parasitorum curiae Romanae euincunt, relata a LAVNOIO *de veneranda ecclesiae traditione de simonia*, quae frustraneo conatu, stante principio adducto, impugnasse videtur. Nec *grauamina*, per omnia secula contra curiam Romanam collecta & publicata, *grauamina* aut *excessus* sunt, quia pontifex iure suo agit. Nec posterius dubium habet, quod *decori mutatio & variatio* ab exemplis moribusque imperantium vnice dependeat, adeoque si papa *venator* est cum clero suo, non amplius ab honestate clericali alienum videtur, venari, si vel maxime *clamosa* venatio sit. Pontificis ad exemplum totus componitur clerus. Denique his argumentis graue pondus addit noua obseruatio, quod

Rationes dubitandi a plenitudine potestatis desumta.

 papa,

papa, si vel maxime in *excessu* peccare queat, a nemine tamen, ex iuris canonici traditis, redargui, & ad censuram vocari possit, cui demum prælati, pontifice inferiores, subiecti sunt. Quo ipso fit, vt *excessus*, si *possibiles* sunt, impuniti maneant, & in *effectu iuridico* non sit excessus. Audi effatum iuris canonici in *c. 6. D. 40. Si papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit, primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus. Huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus a nemine est iudicandus, nisi deprehendatur a fide deuius: pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post DEVM ex illius incolumitate animaduertit propensius pendere.* Colligunt ex hoc textu interpretes: si vel maxime præsul Romanus infinitorum excessuum reus fieri posset, neminem tamen dicere posse: *Papa quid facis?* Hæc principia ἀσύςατα, *inaudita*, *tyrannica* & plusquam *barbara* olim sua fecit curia Romana, vt excessus suos grauissimos palliaret & occultaret, seque ab omni legum vinculo, quo se ligari per XII. secula priora fassus erat teste LAVNOIO *P. III. epist. 3.*, subduceret. Quia vero hæc ab omni recta ratione & tramite scripturæ S. aliena sunt, & sic falsa, erronea, imo hæretica, palam est atque perspicuum, excessus papales non tantum *possibiles*, sed etiam *reales* & *actuales* dari, & per omnia secula sparsa esse, vt *papatum* recte dicere possis *immensum excessuum grauissimorum cumulum.* Id quod si per fata tot seculorum demonstrandum atque declarandum, argumento huic non sufficeret titulus præsens, sed *volumine ingenti* opus esset. Id duntaxat vel binis addo verbis, tot grauissimos excessus curiæ Romanæ non tantum ansam dedisse conciliis *Constantiensi* & *Basileensi*, sed etiam *grauaminibus*, ab imperatoribus passim publicatis & curiæ Romanæ oblatis, collectis & illustratis a GEORGIO *de grauamin. nat. German.* imo cum his remedium non quæreretur, sed excessus quotidie noua acciperent incrementa, tandem aditum ad *reformationem* suscipiendam aperuisse, atque Protestantes coegisse, vt iugo huic intolerabili sese subducerent, & immensam excessuum papalium & cleri Romani turpitudinem denudarent. Neque etiam *curia Romana* & *vniuersus clerus* ei addictus hoc dissimulasse videtur, sed postquam vires eius, reformatione facta, admodum fractæ sunt, multum a pristinis moribus desciuit, & faciem apparenter meliorem

Ratio decidendi.

Decisio, quod papa grauissimos excessus committat.

liorem induit, vel vt PVFENDORFFIVS *de monarchia papal.* §. 37. ait, es sey gewiß, daß nach Lutheri Zeit das Pabstthum gar einen andern Rock angezogen, und mit vielem grössern Schein einher trete, als vor diesem. Vt verò de *excessuum papalium* & *cleri* veritate & ratione eo rectius constet, necesse est, duce hoc titulo, eorum *naturam* & *indolem* paulo plenius exponere.

§. II. Testatissimum atque conclamatum est, appellationem τȣ̃ *excedere*, in duplici potissimum significatu in iure vtroque accipi, vel *natiuo* vel *morali*. In illo idem denotat, quod *egredi*, & sic simul in suo conceptu *locum*, *terminum*, & *limitem* comprehendit, quem *excedens* egreditur, seu extra eum progreditur. Sic agmen in bello *excedunt* milites, qui prohibiti egrediuntur, *l. 3. §. 16. de re milit.* & *fines imperii Romani excedere* dicuntur captiui ab hoste, qui *extra imperii limites* in captiuitate hostili esse coguntur. *l. 19. §. 3. de captiu. & postlim.* Pariter honestioribus dictari solet in pœnis arbitrariis *fines patriæ excedere*, *l. 1. §. 1. de effractor.* quibus verbis *relegatio* designatur. Qui prouinciam regit, obseruare debet, *ne fines eius excedat* per *l. 15. de offic. præsid.* sed *intra eos* maneat. Abesse reipublicæ caussa intelligitur & is, qui ab vrbe profectus, *licet nondum prouincia excesserit. l. 32. ex quib. caus. mai.* Relegati in certam insulam vel alium locum cauere debebant, *ne locis interdictis excederent* seu egrederentur, quia loca interdicta iis instar limitum erant posita, intra quos se continere debebant, per *l. 4. de pœn.* Quandoque *excedere & egredi ciuitatem vel regionem* simul συνωνύμως coniunguntur, vt in *l. 7. §. 8. de interdict. & releg.* ibi: *vt forte non excedat ciuitatem aliquam vel regionem aliquam non egrediatur.*

Excedere quid significet in sensu natiuo?

§. III. In *sensu morali* passim etiam prædicatur de rebus & caussis, quæ ex *natura rei* vel *legum determinatione* certum *terminum*, *quantitatem*, *mensuram* vel *modum* præscriptum habent. *Modum* qui excedit, illum non seruat, sicuti ille, qui *fines* certi *loci* excedit, intra illum locum non subsistit. Pariter qui ad *certam quantitatem* iurisdictionem habet, *modum suæ iurisdictionis excedere* dicitur, qui vltra eam iudicat. *l. 11. D. de iurisdict.* *Finem pretii excedere* ea iudicantur, quæ vltra verum pretium *lege* vel *communi taxatione* præfinitum soluuntur. *l. 66. §. 3. D. de euict.* In actione *de eo quod certo loco* in officio iudicis id potissimum quæritur, *vtrum quantitati contractus seruire, an vero vel excedere, vel minuere quantitatem debeat?*

In sensu morali modum præsupponit, vel terminum, aut quantitatem.

beat? *l. 12. §. f. de eo quod certo loco.* In quartam ex SCto Trebelliano fructus interim perceptos computari notissimum est, cuius computandi ratio ita ponenda, *vt cum omnimodo quadrantem excedit fructus, si in tantum excreuerit; vt quantitatem partis dimidiæ bonorum excedat, etiam id, quod excesserit, retineat*, vt eleganter ait ICtus in *l. 27. §. 16. ad SCt. Trebell.* Bonæ fidei possessor sumtus in prædium factos iure retentionis seruat, *si fructuum ante litem contestatam perceptorum summam excedant*, vt sunt verba *l. 48. de rei vindic.* Si de quantitate impensarum determinanda agitur, videndum, *vtrum probabilem modum excedant? l. 39. §. vlt. de dam. inf.* quia *honestus modus seruandus, l. 40. pr. eod.* Puberes ab impuberibus distinguit certus ætatis terminus, vt *qui excessit decimum quartum annum*, pubes dicatur, *l. 5. qui testam. fac. poss.* Libertatis iura nulli subiacent præscriptioni, *etiamsi sexaginta annorum curricula excesserit* longinquitas temporis, vt dicitur in *l. f. C. de long. temp. præscript.* Læsus, *si iam excessit ætatem viginti quinque annorum*, non restituitur in integrum per *l. 19. de nouat.* Plura non addo, vbiuis obuia. Id tantum obseruo, quando de *excessu* in *sensu morali* quæritur, semper iura, caussas, res, vel negotia præsupponi, quæ *modum certum*, *mensuram*, vel *terminum* seu *finem* habent.

Vel mensuram.

§. IV. Sed etiam *mensura* rerum duplex est, *naturalis* & *moralis*. Illa denotat certam quantitatem, secundum quam *magnitudo iusta* alicui rei tribuitur, ad quam restricta est. Hæc prædicatur de actionibus moralibus, denotatque *modum*, intra quem actio quædam *licita* & *legitime* suscipi queat, vt suam *rectitudinem* & *bonitatem* habeat. Sicuti enim res naturales *certam mensuram* accipiunt, vnde cognoscuntur; ita actiones morales determinatum *modum* & *mensuram* habent, *quatenus* & *quousque* fieri queant, ne a recto tramite abeant. Optime CICERO *in Bruto: In omnibus rebus videndum est*, QVATENVS: *etsi enim suus cuique* MODVS *est, tamen magis offendit* NIMIVM *quam* PARVM. Expressius HORATIVS *lib. 1. sat. 1. vers. 106. seq.*

Quæ vel naturalis, vel moralis.

Hæc docet quatenus actio fieri debeat,

> *Est* MODVS *in rebus: sunt* CERTI *denique* FINES,
> *Quos vltra citraque nequit consistere* RECTVM.

& modum designat.

Determinantur videlicet quælibet res ex suis propriis *finibus*, ad quos restrictæ sunt, & quos *excedere* non debent vel ex *naturæ determinatione* vel *hominum facto*; pariter *actionibus moralibus* fines certi sunt præscri-

præſcripti, *quatenus* fieri debeant, quos *modi* appellatione deſignamus, accurate obſeruandi, iuxta ſententiam CATONIS apud LVCANVM *in Pharſal. lib. II. verſ. 379.*

- - - Hi mores, hac duri immota Catonis
Secta fuit, ſeruare MODVM, FINEMQVE *tenere.*

§. V. Vt vero de *finibus* & *modo actionum moralium* eo rectius conſtet, ſciendum eſt, actiones morales eſſe vel *prohibitas*, vel *præceptas*, vel *permiſſas*. Quæ prohibitæ ſunt, veluti furari, latrocinium facere, *prorſus* fieri non debent, ſed omittendæ, prout §. VIII. plenius declarabitur. Quæ *præcepta*, obligant ad faciendum, *quatenus* & *quousque* præceptæ ſunt. Quæ vero nec prohibitæ nec præceptæ ſunt, *permiſſæ* cenſentur, & ſic ad eas agendas cuilibet ius cenſetur datum, vt licite eas facere queat. Quia vero libertas hominum in his, quæ nec *prohibita* nec *præcepta ſunt*, facile in abuſum trahi ſolet, vt noxia humano generi fieri poſſit, neceſſe fuit, in *ſtatu ciuili* eam variis *modis* coarctare & reſtringere, & vſum determinare, vt ſciatur, *quatenus* & *quousque* quid licite fieri queat. Quamuis enim etiam recta ratio doceat, *libertate naturali* ad aliorum iniuriam aut noxiam reipublicæ non eſſe vtendum, & ſic rationem iubentem ſuppeditet, ne quid *nimis* ſed cum *moderatione* omnia fiant; hoc tamen præceptum admodum *generale* eſt, quod ſæpe ancipites contentiones parit in caſibus ſpecialioribus. Vnde conſultum admodum viſum fuit plerisque gentibus, in ſuis rebuspublicis ſpecialius determinare *modum* in potioribus actionibus, *quatenus* ſuſcipi & fieri legitime queant, quem ſi exceſſerint, in vitium abeunt, & ad illicitum declinant. Atque *hi modi*, actionibus hominum præſcripti, primaria pars iuris *publici* & *priuati*, *ſacri* & *profani* ſunt, in quibus recte diſcernendis & tractandis omnis cura poſita eſſe debet. Facultates legitime aliquid agendi facile omnibus innoteſcunt; ſed *modi* & *limites*, intra quos hæ *facultates morales* coerceri debeant, plus difficultatis & ſollicitudinis habent, & concertationum forenſium quotidianum obiectum ſunt. Seruitutes reales prædiorum *determinatos* ſuos *modos* ſeu *limites* habent, quibus adeo ſtricte continentur, vt ſi quid vltra eos factum ſit, in læſionem & iniuriam domini prædii ſeruientis vergat: quicquid autem intra limites ſeruitutis factum, *licite* factum cenſeatur, licet domino prædii ſeruientis non leue incommodum inde acceſſerit. Et hoc eſt, quod dici ſolet, ſeruitute *ciuiliter* vtendum eſſe, h. e. ſecundum *modum* vel *conuentum*

Prohibitæ actiones modum non habent.

Bene tamen præceptæ & permiſſæ.

Quæ legibus ciuilibus modum accipiunt.

Exemplo ſeruitutum.

vel *solitum*, quem qui non tenet, in *modo* peccat seu *excessum* committit secundum *l. 9. de seruit.* Qui vsumfructum habet, re frui debet salua rei substantia, & prout bonum patremfamilias decet. *l. 1. §. 3. vsufruct. quemad. cau.* Ergo qui *syluæ caduæ* habet vsumfructum, *modum* tenere debet eum in arboribus cædendis, quem boni patresfamilias obseruare & tenere solent, non vero deuastare syluam, quod ab *officio boni patrisfamilias* alienum est. Recte TREBATIVS censuit in *l. 9. in f. de vsufr. syluam cæduam & arundinetum posse fructuarium cædere, sicut paterfamilias cædebat, & vendere, licet paterfamilias* (seu proprietarius) *non solebat vendere, sed ipse vti; ad* MODVM *enim referendum est, non ad qualitatem vtendi*, h. e. non videndum, qualiter vsus fuerit proprietarius, sed in genere ad modum respiciendum, quatenus quilibet alius paterfamilias industrius ea re vti soleat. Ius *reformandi exercitium religionis* superioritati territoriali adscriptum est in *art. V. I. P. §. 30.* sed quia in abusus grauissimos vtrinque inter dissentientes tractum, *modus* & *terminus* ei positus in *art. V. §. 31. seqq.* qui adeo *regulam*, rebus sic stantibus constituit, vt qui eum excedit, grauet subditos, quod catalogus infinitorum *grauaminum*, in publicam lucem editus, luculenter demonstrat, h. e. *excessus* in causa religionis manifestat.

Modi rebus præscripti fines & limites dicuntur,

§. VI. Hi modi, quibus negotia hominum determinantur, eleganter *fines* & *limites* etiam in iure nostro, æque vt in *metaphysicis*, vocantur, qua appellatione neruose designatur, actiones quaslibet ad certas circumstantias & formam ita restrictas esse, vt intra illas tanquam *certos limites* & *fines* sese continere, non vero eos egredi debeant. Mandata determinatis suis circumstantiis includi & præscribi solent, quæ *fines mandati* constituere dicuntur. Diligenter, ait PAVLVS in *l. 5. pr. mand. fines mandati custodiendi sunt; nam qui excessit, aliud quid facere videtur.* Quid aliud *fines mandati* designant, quam *terminum modumque* mandato præscriptum? Pariter imperator in *§. 8. I. mand.* ait: *Is, qui exequitur mandatum, non debet* EXCEDERE FINES *mandati;* intuitu *excessus* enim mandans non obligatur mandatario. *l. 3. in f. eod.* In *c. 20. de priuil.* præcauendum esse iubet pontifex, *ne fines priuilegiorum excedantur.* In *l. 46. mandati* fines mandati appellatione

vel forma.

formæ designantur: *Commodissime illa* FORMA *in mandatis seruanda est, vt quoties certum mandatum fit, recedi a forma non debeat*, seu a modo exequendi. Pariter iudex in processu suos limites habet, quos si non seruat, *excessum notorium* committit. *c. 23. X. de elect.* Sed etiam *modus* & *forma negotiorum* sub voce *termini* adumbratur, qui sicut

certum

certum agri vel fundi modum denotat, ita moraliter etiam monstrat *modum* negotiis præscriptum. Depositum suum *modum* habet, vt idem in *specie*, non tantundem, restituatur: si posterius placuit, *egreditur ea res notissimos depositi terminos*, vt PAPINIANVS *in l. 24. de pos.* ait.

§. VII. Habent ergo *actiones morales* suos *modos*, *fines*, seu *terminos*, intra quos sese continere debent. Id quod hac ratione ab hominibus agendum est, *officii* nomine venit, cuius appellatio proinde exuberans & admodum prolixa est, quia circa quaslibet *actiones morales* versantur, docetque, *quid*, *quo modo*, & *quatenus*, agi debeat. *Nulla enim vitæ pars, neque publicis neque priuatis, neque forensibus neque domesticis in rebus: neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare* OFFICIO *potest: in eoque colendo sita est vitæ honestas omnis & in negligendo turpitudo*, vt recte philosophatur CICERO *de offic. lib. I. c. 2.* Cum ergo *modus agendi* determinet cuiusque *officium*, contra id egisse dicendus est, qui *limites officii* & *potestatis* suæ transiliit, & sic in *excessu* peccauit: pariter, qui partes sui officii, quibus defungi debebat, ne quidem obseruat, in officio defecisse, seu in *defectu* peccasse dicendus est. Declarat hoc CICERO *lib. I. de offic. c. 6.* exemplo officii, quod circa *veri inuestigationem* versatur, docetque, duo vitia in eo vitanda esse; *vnum, ne incognita pro cognitis accipiamus, hisque temere assentiamus*, qua in re *in defectu* peccari palam est, quia non adhibet ad res considerandas & *tempus* & *diligentiam debitam*. Alterum est vitium, *quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt easdemque non necessarias*, quales in *excessu* peccant, seu limites officii sui egrediuntur, & eius studio vt plurimum a rebus agendis abducuntur. Sacra *publica* & *priuata* etiam habent suos limites ex *sanctione pragmatica imperii*, adeoque subditi diuersæ a domino territorii religionis peccant, si ea non peragunt iuxta *modum anni decretorii*, seu, vt dicitur in *art. V. I. P. §. 31.* QVATENVS *illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuisse probare poterunt.*

Inde officii notio nascitur, quod determinatur ex modo agendi, in quo peccatur, vel in defectu, vel in excessu.

§. VIII. Nihil autem difficilius est, quam *modum* & *limites officii* in quacunque re determinare, cuius demonstratio tamen eo magis necessaria est, quod sine hac cognitione haud appareat, vtrum quis in *excessu* vel *defectu* peccauerit, an vero *modum* tenuerit officio suo debitum? Sunt enim, prout dixi, *actionum* varia genera. Quædam prohibita sunt *absolute;* quædam *secundum quid.* Illa *modum*

Prohibitæ actiones absolute modum non habent.

non

non habent, vt ſcilicet *aliquid* intra modum licite in eis peragi poſſit, ſed prorſus euitanda, qualia ſunt furari, ſpoliare, latrocinia & deprædationes facere, rempublicam animo hoſtili inuadere, adulteria perpetrare & ſimilia, quæ quidem ſuos *gradus* habent, ſed *modum* non recipiunt, quippe qui deſignat id, quod *licite* fieri poteſt. Adeoque *exceſſus* circa talia haud occupatur, nec in iis *nimium* aut *parum* deprehendi poteſt, quin potius quæuis in iis commiſſa *iniuſtitiæ* labe laborant. Quæ vero *ſecundum quid* duntaxat prohibita ſunt, certa ratione ſunt permiſſa, quæ *modum* ſeu *limites* recipiunt omnino, vnde *officii* huius ratio apparere queat. *Xenia* accipere magiſtratibus Romanis in prouinciam aduentantibus certa ratione permiſſum; *ſecundum quid* vero prohibitum erat. Vnde VLPIANVS in *l. 6. §. 3. de offic. proconſ.* ita de his rationes ſubducit: *Non vero in totum xeniis abſtinere debebit proconſul, ſed* MODVM *adiicere: vt neque moroſe in totum abſtineat, neque auare modum xeniorum excedat.* Addit SEVERI & ANTONINI epiſtolam: *vetus prouerbium eſt:* ὔτε πάντα, ὔτε πάντοτε, ὔτε παρὰ πάντων, i. e. *neque omnia, neque quouis tempore, neque ab omnibus. Nam valde inhumanum eſt, a nemine accipere: ſed paſſim, viliſſimum, & omnia, auariſſimum.* Sicuti vero hoc monitum de *xeniis*, quæ *gratulationis ergo* mittebantur aduentantibus in prouinciam magiſtratibus, accipiendum eſt, ita ad ea munera, quæ *corruptionis* cauſſa dantur, extendi non debet, *in totum* & *prorſus* prohibita. Cibum capere tempore ieiunii indicti prohibitum eſt, certa ratione tamen permiſſum valetudinariis & ſenibus aliisque ſpeciatim exceptis, dummodo *modum* in cibo capiendo obſeruent. Venatio clericis eſt prohibita *ſecundum quid*, certo modo permiſſa, qualis eſt, quæ intra *modum*, a iure canonico determinatum, ſuſcipitur, vt ſupra *tit. de clerico venatore* dictum. Hic ſi exceditur, in vitium cadit. Negotiationes pariter clericis interdictæ, vt docet *tit. X. ne clerici vel monachi ſecular. negot. ſe immiſc.* Inprimis vero iis interdictum, iudicia ſanguinis exercere, *c. 5. 9. X. eod.* militiamque ſequi, poſtea tamen in *c. f. eod. in 6.* certa ratione permiſſum, vt peccare non dicatur, qui *modum præſcriptum* ſeruat.

Adeoque exceſſus hic deficit.

Secundum quid prohibita modum habent.

Officia præcepta modum admittunt tum publica,

§. IX. Officia, quæ *præcepta* ſunt, ſunt vel *publica* vel *priuata*, vel *diuina* vel *humana*. Hæc etiam *modum* quendam habent, intra quem fieri debent, alioquin facile vitium contrahere poſſunt. Ad *publica officia* refero ſontium coercitionem, magiſtratibus imperatam; & tamen non inepte CICERO *lib. 1. offic. c. 11.* dixit: *Eſt vlciſcendi & punien-*

puniendi MODVS. Hunc *c. 25.* eleganter determinat, aitque: *animaduerſio & caſtigatio contumelia vacare debet, neque ad eius, qui punit aliquem, aut verbis caſtigat, ſed ad reipublicæ vtilitatem referri. Cauendum eſt etiam, ne maior pœna quam culpa ſit. Prohibenda autem maxime eſt ira in puniendo. Nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter* NIMIVM *&* PARVM. Exemplo SYLLAE hoc comprobat LVCANVS *lib. II. Pharſal. verſ. 138. ſeqq.* qui modum puniendi odio & iracundia inflammatus exceſſit:

> *Sylla quoque immenſis acceſſit cladibus vltor.*
> *Ille, quod exiguum reſtabat ſanguinis vrbi,*
> *Hauſit: dumque nimis iam putrida membra recidit,*
> EXCESSIT *medicina* MODVM, *nimiumque ſecuta eſt,*
> *Qua morbi duxere manus periere nocentes;*
> *Sed cum iam ſoli poſſent ſupereſſe nocentes.*

Diuina officia externa potiſſimum in *modo colendi numen* conſiſtunt, quem vel Deus ipſemet determinauit, vel qui legibus determinatus eſt, quoad illa, quæ *adiaphora* vocantur. In veteri teſtamento *modus* præſcriptus ſanctiſſime obſeruandus erat a Iudæis, adeoque facile hic peccari poterat in *exceſſu*, ſi vltra modum quid fiebat. In nouo fœdere officia Chriſtianorum eo iugo haud ſunt circumſcripta, ſed CHRISTI iugum lenius & facilius ſupportari poteſt; interim tamen hæc officia ſuum *modum*, quem excedere nequeunt, habent, quorſum merito Proteſtantes referunt *venerationem imaginum*, ſeu ne Deus *ſub imaginibus* colatur, quanquam hunc *modum* ius canonicum abiecit. Huc etiam *diei dominicæ cultus* referri poteſt, ad eum præſcriptus modum, ne ἰουδαϊκῶς eum celebremus & ſeruemus, vt iam olim cenſuit GREGORIVS in *c. 12. de conſecr. D. 3.* Officia ieiuniorum ſuum *modum* habent, quem excedunt admodum, qui vim naturæ inferunt, opinione alicuius *meriti*, & ſic in *exceſſu* peccant, exemplo B. OSANNAE Mantuanæ, creberrimis ieiuniis fere ſemet conficientis; *eousque enim*, ait AVTOR *vitæ eius in act. SS. d. 18. Ian. tom. III. p. 654.*, *eam victus parcitas deduxerat, vt vix pedes ſubſiſteret pellisque oſſibus hæreret*, qualis irrationabilis exceſſus *ſanctitatis* argumentum eſſe nequit.

tum diuina.

In quibus modum aliter ecclesia Romana aliter Protestantes determinant.

§. X. Sed in his aliisque *officiis diuinis* sacrisque admodum discrepamus a dogmatibus ecclesiæ Romanæ, quæ aliter determinat *modum*, colendi Deum, quam Protestantes, his æque ac illis ad iudicium scripturæ sacræ prouocantibus, quamuis illi adhuc *traditiones* superaddant. Quod nos *excessibus* adscribimus, illi *deuotioni* sanctiori tribuunt, *modumque* a nobis propositum non agnoscunt: quod illi nobis vt *defectus* obiiciunt, seu quod in hoc vel illo *verum modum religionis christianæ* non attingamus, sed *in defectu* peccemus, nos non agnoscimus, & *modum* ab illis imperatum respuimus. Monastice Deum colere, statis horis & precibus, regulisque exacte seruatis in cibo, potu, vestitu aliisque, & interim ab omni labore fere abstinere, otiosamque agere vitam, ex sententia Protestantium, non est sanctiorem & angelicam viuere vitam; est, ex ecclesiæ Romanæ placitis. Vnde manifestum est, diuersitatem hanc in *modo* colendi Deum, a *legibus ecclesiasticis* quidem proficisci, quæ *modum* & *limites* horum officiorum determinauit; in eo tamen merito omnes, qui profitentur *religionem christianam*, conspirare debent, has leges ecclesiasticas ad normam scripturæ sacræ & euangelii indolem debere esse attemperatas, & proinde eas etiam limites præscriptos egredi, si *modum*, euangelicæ veritati & puritati repugnantem, admittunt, tolerant, probant. Atque hoc ipsum est illud *κρινόμενον*, quod inter vtriusque ecclesiæ sodales in contentionem trahitur, & secundum quod quilibet de *officiis alterius ecclesiæ* iudicat. Episcopos aliosque prælatos, inprimis vero pontificem, limites officii a CHRISTO determinatos admodum excedere, firmiter persuasissimum habent Protestantes, scientes, curam animarum non in *imperio sacro & illimitato*, sed in vita omnibus ad imitandum proposita potissimum consistere. *1. Petr. V, 3.* Idem agnoscunt etiam Galli, & *excessus papales* grauiter taxant, imo nec *excessus* suorum prælatorum tolerant, sed ab iis *appellationem ab abusu* ad parlamentum interponunt, indigitantes, prælatos *potestatis suæ limites* excessisse. In alia omnia eunt asseclæ & curiales Romanæ ecclesiæ, & eo vsque limites officii sacri propagatos atque extensos esse edicunt in decantato Christi præcepto ex mente ecclesiæ Romanæ, seu secundum eiusdem leges intellecto: *pasce oues meas*, item in *iure clauium*, aliisque huc tractis scripturæ S. dictis. Quis ergo negauerit, fundamentum primarium *limitum* cuiusque officii quæri in legibus tam *diuinis*, quam *humanis*, in quibus, qui inter se discrepant, non possunt non quoque diuersa iudicia de *excessibus* & *defectibus* ferre.

Et sic magnopere de modo contenditur.

§. XI.

§. XI. Inprimis vero, modus dextre agendi, cadit in ea officia, quæ in *permiſſis* atque *non-probibitis* occupantur, quippe quæ prout ſupra §. V. iam dictum, ex legum præſcripto varios *limites* & *terminos* acceperunt, ne in nimiam erumpant licentiam, reipublicæ & generi humano noxiam. *Officia* autem huc pertinentia vel *nosmet ipſos* vel *alios* reſpiciunt, vt CICERO §. 7. allegatus monuit. Illa vel *facultates animi* vel *corpus* vel *bona* reſpiciunt. Ratione *facultatum animi* palam eſt, literis optimis incumbere, & neruos animi ad eas addiſcendas intendere, laudabile cenſeri; vt tamen *modus* non excedatur, nimiisque lectionibus & meditationibus corpus frangatur, ſecundum illud SENECAE in *Troad. act. II. v. 258. moderata durant.* Etenim *quod caret alterna requie, durabile non eſt.* Sed etiam non ſeruat *modum*, qui parum ſtudiis vel ſaltim ſuperficiarie occupatus eſt, vt vix leui brachio ea attingat, quæ ad intimam eorum cognitionem pertinent, qui in *defectu* peccant. Eleganter PLINIVS *lib. I. epiſt. 20. non minus non ſeruat* MODVM, *qui infra rem, quam qui ſupra: qui adſtrictius quam qui effuſius dixit.* Quoad *patrimonium* ius quidem proprietatis ſingulis in bona ſua illibatum eſſe oportet, ſed ita tamen, ne *modus* in bonis profundendis excedatur in perniciem reipublicæ, cuius intereſt, ne quis ea dilaceret. Alioquin ſi talem magiſtratus inuenit, *qui neque* FINEM (modum) *expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profudit, curatorem ei dabit, exemplo furioſi*, vt ait VLPIANVS in *l. 1. pr. de curat. furioſ. vel al. dand.* adeoque inde liquet, ne quidem leges negligere exceſſum in *facultatibus propriis* commiſſum. Sed potiſſimum in officiis erga alios *modum* quoad negotia alias permiſſa leges determinant & præcauent, ne vel in *exceſſu* vel in *defectu* peccetur. Hanc *mediam viam*, quæ inter *nimium* & *parum* deprehenditur, optime determinauit VLPIANVS in *l. 33. de vſur.* ratione exigendorum nominum publicorum. *Si bene*, ait, *collocata ſunt pecuniæ publicæ, in ſortem inquietari debitores non debent, & maxime ſi pariant vſuras: ſi non parient, proſpicere reipublicæ ſecuritati debet præſes prouinciæ, dummodo non acerbum ſe exactorem, nec contumelioſum præbeat, ſed & moderatum & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum; nam inter inſolentiam incurioſam & diligentiam non ambitioſam multum intereſt.* Exigere nomina publica ad *facultatem* omnino pertinet, ſed tamen iuxta *modum* a ICto deſignatum, quem *recta ratio* præſcribit. Permiſſum eſt creditoribus, meliorem pignoris cauſſam facere etiam impenſis factis, ſed non *vltra modum*, prout opti-

Officia permiſſa inprimis per modum determinantur.

α) Ratione facultatum animi.

β) Ratione bonorum.

γ) Ratione aliorum.

optime declaratum est in *l. 25. de pignor. act.* scilicet, vt ratio habeatur debitoris & eius facultatum. *Si enim saltum grandem pignori datum ab homine, qui vix luere potest, nedum excolere, tu acceptum pignori excoluisti sic, vt magni pretii faceres*, modum impensarum sine dubio egressus es, quod non habueris rationem debitoris, qui si reddere impensas debet, aut distrahere, quod velit receptum, aut penuria grauatus derelinquere cogitur, quod non est ferendum. *Inde a iudice* MEDIA *hæc erunt dispicienda, vt neque delicatus debitor, neque onerosus creditor audiatur*, vtroque peccante, hoc in *excessu*, illo in *defectu*.

Modus in officiis determinatur 1) legibus, 2) regulis honesti,

§. XII. Denique etiam hoc obseruandum est, officia determinari quoad *modum* non tantum *legibus* stricte dictis, quæ primario ad iuris nostri artem pertinent; sed etiam præterea ex regulis *honesti, decori* & *prudentiæ*. Regulæ *honesti*, quæ *internam animi emendationem* intendunt, pariter modum agendi determinant, & *excessum* quoque præcauendum docent. Hæc vero disciplina a præsenti themate aliena est, pertinetque ad theologos & moralium interpretes, nisi quatenus (α) regulæ *honestatis* per leges vim *iuris* quoque acceperunt, quod inprimis quoad eos necesse est, qui alios bono & innocenti exemplo præire inter ceteros debent: (β) quatenus affectus animi non reguntur aut coercentur debito modo, sed in aliorum perniciem vergunt. Hoc in compendio eleganter obseruat CICERO *lib. I. offic. c. 29.* &, *qui appetitus*, ait, *longius euagantur, & tanquam exsultantes siue cupiendo siue fugiendo, non satis a ratione retinentur, hi sine dubio* FINEM & MODVM *transeunt. Relinquunt enim & abiiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturæ, a quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora.*

3) regulis decori,

Pari ratione *regulæ decori* modum in eo, quod decet, seruare docent, qui si exceditur, damnum pudoris & verecundiæ dispendium patitur, qui *modum* in *decoro* egressus est. Enim vero rursus hic *excessus* ad iuridicam considerationem non pertinet primario, nisi forsan *honestas externa*, quam potissimum *decorum* intendit, intuitu certarum personarum *legibus* etiam circumscripta & determinata fuerit, quo ea simul obiectum legum constituit, & ad nostrum scopum pertinet. In iure canonico non insolitum est, *decorum clericorum* in vestibus, capillis, barba, potu, & quotidiano vitæ vsu, specialissime circumscribere, & sub censuris etiam EXCESSVS eius prohibere, quod *tit. X. de vita & honest. cleric.* aperte euincit, qui vnice fere occupatus est in *honesta-*

honestate externa recte obseruanda. Inprimis vero *regulæ prudentiæ* quoque *modum*, in rebus peragendis recte tenendum, suppeditant, qui si exceditur, *imprudenter* quis egisse, & *culpam* quandam commisisse dicitur, qua vel sibimet ipsi vel aliis damnum attrahit. Ita vero hæc consideratio etiam ad hunc titulum pertinet, cum ipsa iurisprudentia monstret viam, qua *prudenter* in rebus peragendis eundum sit. Quid enim aliud est, eum seruare modum, quem boni patresfamilias in rebus suis tenere solent, quam ex *regulis prudentiæ* ea, quæ peragenda sunt, metiri, ad quam regulam in infinitis iuris doctrinis prouocatur. Assumit videlicet iurisprudentia varia subsidia ex alienis disciplinis, eaque in suos vsus recte pro natura negotii applicat atque vertit.

4) regulis prudentiæ.

§. XIII. Repræsentata indole *excessuum* superest, vt inde succincta exstruatur definitio. Videlicet EXCESSVS nihil aliud sunt, quam *actiones illicitæ, quibus vltra modum, officio singulorum lege præscriptum, quid attentatur, & ita nimis, quam fieri debebat, agitur.* In excessibus (1) *illicite* aliquid agi, vel inde liquet, quod *modus*, officiis hominum præscriptus, determinet agenda, & hunc in finem iis *limites* præfigat, intra quos agens se continere debeat: vltra quos qui agit, *modum* non seruat legibus sedulo inculcatum; & sic *illicite* agit. Actus enim contra legis iussum susceptus non potest non *illicitis* accenseri, adeoque tales excessus *grauamina* etiam dicuntur, quod in præiudicium aliorum committantur, grauentque inprimis subditos. *c. 16. X. h. t. Grauamina curiæ Romanæ* notissima sunt, & hodie sæpius adhuc erumpunt, quæ quid aliud sunt, quam *excessus potestatis papalis?* Ita vero (2) *excessus* in *actione* regulariter consistit, sicuti, qui minus agit, quam agere debebat, deficit, & in *omittendo* magis peccat. Vtrobique (3) *modus* a lege determinatus præsupponitur. *Modus* enim rationem demonstrat, *quousque* & *quatenus* actio fieri debeat, adeoque intendit, ne vltra quid fiat. Si leges non præcise coarctant & restringunt negotium ad formam præscriptam, *excessus* deficit. In testamentis quidem septem testium numerus desideratur *præcise*, non tamen exceditur *more illicito*, si vel decem aut plures adhibeantur. In ore duorum vel trium testium omnis consistit veritas; non tamen prohibitum est, producere plures ad maiorem rei corroborationem, quia leges tantum intendunt, ne pauciores quam duo testes producantur: plures in *processu ordinario* non prohibent, facilius in *summario* per *Clem. sæpe. de V. S.* Quando *modus pretii* determinatur vnice in fauorem venditorum, ne minus

Definitio excessuum.

In qua potissimum ad modum respiciendum.

soluatur, plus licite ab emtoribus promittitur; sicuti e contrario si *modus* pretio statutus est in fauorem *emtorum*, ne plus soluatur (prout plerumque fieri solet) tantum *excessus* illicitus est, non *defectus*. Itaque in *excessibus* talis præsupponitur officiis hominum præscriptus *modus*, qui ex *ratione legitima* prohibet, ne vltra illum quid fiat, id quod facile ex *legis ratione* colligi potest. Atque hoc ipsum est, quod per particulam QVATENVS designari solet, vt eleganter CICERO, cuius verba §. IV. dedi, obseruauit, & rursus in *orat. pro C. Rabirio Posthumo* ad *officium iudicis* optime applicat; *Vbi est igitur sapientia iudicis? in hoc, vt non solum, quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet, nec quantum sibi permissum, meminerit solum, sed etiam* QVATENVS *commissum* sit. Multa fieri *possunt* ex *potentia*, qua iudex pollet, & *de facto;* sed fieri non *debent*, quod leges officio eius præscriptæ monstrant. Pariter creditor, qui cum in angustiis deprehenso debitore contrahit, *potest* ei ex statu eius præsente quascunque leges præscribere; sed iuxta *officium* suum id tantum facere *debet*, *quatenus* leges hoc permittunt, adeoque si *modum vsurarum* excedit, peccat in *excessu*, nec licite id, quod *vltra* vsurarum *modum* promissum est, petit, quia leges hunc excessum damnarunt. In *defectu* sane non peccat, minus accipiendo, quam per leges permissum est, quippe quod nullibi leges damnarunt.

Vt sciatur, quatenus agi debeat.

§. XIV. Id vero ipsum, quod *modum* excedit, vt plurimum vocari solet *nimium*, quod sapientes vitandum esse olim docuerunt. Laudat sapientum veterum præcepta CICERO *lib. III. de finib. bon. & mal. in f.* qui iubent, *tempori parere, sequi Deum, se noscere, &* NIHIL NIMIS. Inde vulgatum illud: *Ne quid nimis*, quod vt plurimum a coryphæis sapientum deriuari solet, aliis ad PYTHAGORAM, aliis ad BIANTEM, rursus aliis ad SOLONEM vel THALETEM prouocantibus, vt obseruat ERASMVS in *adag. chiliad. 1. cent. 6. adag. 96.* Estque hoc præceptum immensæ amplitudinis, vt per omnes artes, & quascunque actiones ire soleat. Nam & APELLES *pictores eos quoque peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis*, vt CICERO *in Bruto* post verba §. *IV.* supra adducta refert. Expressius rem enarrat PLINIVS *natur. histor. lib. XXXV. cap. 36. §. 10.* aitque, APELLEM Protogenis opus miratum esse, sed tamen dixisse, *vno se præstare, quod manum ille de tabula non sciret tollere, memorabili præcepto:* NOCERE SAEPE NIMIAM DILIGENTIAM. Rursus IDEM *lib. XI. c. 119.* generaliter vrget: *perniciosum in omni quidem vita, quod* NIMIVM, *præcipue*

Inde conceptus nimii nascitur,

& ne quid nimis.

cipue tamen corpori, quod poſterius eleganter demonſtrauit MORHOFIVS *de intemperantia in ſtudiis, eruditorumque, qui ex iſta oriuntur, morbis.* Qua de cauſſa etiam medicorum princeps GALENVS *lib. XII. de meth. med. c. 1.* inter regulas ſanitatem conſeruantes hoc præceptum retulit aiens: *in omni totius vitæ tum habitudine, tum actione, illud ſapientis*, NE QVID NIMIS, *amplectamur.* Quanto magis ergo etiam iuris artem tradentibus incumbit, hoc præceptum in ſuos vſus conuertere, vt in omni actione obſeruent, *ne quid nimis*, id quod ex hactenus declaratis obſeruationibus ſine dubio eluceſcit.

Inde etiam æqui bonique conceptus,

§. XV. Denique etiam *æqui & boni* doctrina potiſſimum inde cognoſcitur, ſi intra *modum rationabilem* actio quæuis ſuſcipitur. Sicuti enim quilibet priuatus *æquitatem* adhibere tunc dicitur, ſi iuris rigori non præfracte inſiſtit, ſed aliquid ex illo remittit ex regulis *humanitatis*, quia hunc modum, quem *regulæ humanitatis* præſcribunt, tenet, non excedit; ita quoque leges *temperamentum* cauſſis & negotiis addunt, illudque obſeruandum eſſe iubent, vt inter *nimium* & *parum* ſubſiſtatur, & ſic a *rigore iuris* in fauorem aduerſarii deſiſtatur, id quod *bonum & æquum* in legibus dici obſeruat etiam PVFENDORFF *de iure N. & G. lib. IV. c. 12. §. 21.* Nolo quidem omnem *æquitatis* conceptum hac obſeruatione exhaurire, ſed tantum obſeruo, hunc ſignificatum ſæpiſſime in iure *æquitati* tribui. Huc ſine dubio reſpexit DONATVS *in Adelph. Terent. Act. I. Sc. I. Inter ius & æquitatem hoc intereſt: Ius eſt, quod omnia recta & inflexibilia exigit: Aequitas eſt, quæ de iure multum remittit.* Huiusmodi *temperamento* inter *nimium* & *parum* quæuis doctrinæ iuris abundant, quas adferre & enumerare nolo, ſed tantum curiæ Romanæ aſſeclis illud potiſſimum: *ne quid nimis*, commendo, vt cogitent, tempora illa *ignorantiæ* & *ſuperſtitionis* iam dudum defluxiſſe, in quibus doctrina inſipida propugnata eſt, *in pontificem nullos cadere exceſſus*, eo magis euitanda, quo præſtantius exemplum ſuo viuendi vſu aliis præbere debet.

quod tamen declaratur.

Non omnis exceſſus pœnam meretur.

§. XVI. Quia vero de *exceſſibus* ſeu *grauaminibus emendandis* atque *tollendis*, aliquando etiam *plectendis*, hic titulus ſollicitus eſt, ante omnia quædam obſeruationes præmittendæ ſunt. Etenim (1) quandoque *extra ordinem* contingit, vt exceſſus iuſta ratione defendi queat, & ſic in *vitium* non cadat, vtut alias actio ſuos limites & terminos habeat, id quod proinde non ad *regulam* ſed *exceptionem* pertinet. (2) Non omnes exceſſus pœnam admittunt, licet vitioſi & illiciti ſint. Denique (3) quidam exceſſus pœnam quidem merentur,

 ſed

ſed quod *ſuperior*, qui *ius puniendi* habet, deficiat, omnem reſpuunt executionem, & ita impuniti *ex accidente* ſunt, quod curiæ Romanæ proceres in fauorem *exceſſuum papalium* adferre ſolent. Tria ab hoc argumento remouenda & in ſecundo inprimis fundamenta ponenda, vnde cognoſci poſſit, quinam exceſſus in negotiis actionibusque hominum admiſſi pœnam mereantur.

Aliquando etiam modus licite exceditur, ex iuſta cauſa.

§. XVII. Primum quod concernit, deſidero *iuſtam* & *probabilem cauſſam*, vt quis modum præſcriptum *licite* & ſine *vitio* excedere poſſit, quo caſu omnis pœna indubie ceſſat. De hac vero ex circumſtantiis, quæ adferuntur, iudicium ferendum. Ita enim legum applicatio facienda, vt *cauſſa* facti inprimis ſub cenſuram reuocetur, quæ ſi permiſſa, *probabilis* & *rationabilis* apparet, *exceſſus* optimo iure fieri potuit. Pœnæ habent ſuos limites, adeoque iudici incumbit, vt decernendo pœnam, vel *grauiorem* vel *leuiorem*, *rationem non excedat*, vt dicitur in *l. 13. de pœn.* Nihilominus tamen (α) *extra ordinem* princeps aliquando grauiorem, quam a lege ſtatuta eſt, in certam perſonam decernere poteſt pœnam, ſi *ratio ſalutis publicæ* id ſuadeat, vtut id ipſum *in conſequentiam* non ſit trahendum. *§. 6. I. de I. N. G. & C.* Hoc ipſo excedit quidem *modum pœnarum ordinarium*, ſed optimo iure id facit. Imo (β) cuilibet magiſtratui quandoque integrum eſt, limites excedere, ſi prægnans ratio id ſuadeat, vt obſeruat CLAVDIVS SATVRNINVS in *l. 16. in f. de pœn.* *Nonnunquam euenit, vt aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoties nimirum multis perſonis graſſantibus exemplo opus fuit.* Sed vero plures aliæ cauſæ probatæ ſunt, ex quibus rationem pœnarum ordinariarum egredi, & eas exaſperare licet, de quibus legendus plenius B. COCCEIVS, in *diſſ. de exceſſu pœnar. ordin.* in qua non de *vitiis iudicum*, ſed *ratione*, licite excedendi modum pœnarum, agit. Aliquando etiam per *exceſſum* in puniendo quis beneficium quoddam delinquendi facit, vt ob grauiorem pœnam fama eius conſeruetur, quæ alias perpetua labe aſperſa fuiſſet, *l. 10. in f. de pœn.* quod duriori ſententia transactum videatur de eius exiſtimatione, lege permittente, & ſic pœna grauior, *vltra legem impoſita*, exiſtimationem conſeruare dicitur in *l. 13. §. 7. de his, qui not. in f. l. 4. C. eod.*

Omnis exceſſus vitium quidem habet, non tamen ſemper crimen,

§. XVIII. Quoad *ſecundum* membrum obſeruo, omnem quidem *exceſſum*; deficiente *iuſta cauſſa* (vt *§. præced.* modo declaraui) eſſe *vitioſum*, ſed non ſemper in *crimen* cadere. Vt plurimum in *exceſſu* adeſt *culpa*, quandoque etiam *dolus*. Enim vero ſicuti non omnis

omnis *dolus* & *culpa* delicti reatum generat, aut pœnam postulat; ita pariter in *excessu* cauendum, ne, vbi de *excessuum coercitione* quærimus, in *excessu* vel *defectu* peccemus. Vitia, donec homines. Pariter *excessus*, donec vitia. Quod si autem quæcunque *vitia* in censuram pœnarum trahenda aut delictis accensenda, infinita adhuc tribunalia erigenda, & iudicum copia magnopere augenda, quo ipso tamen medicina excedit *modum*. Sicuti autem quælibet corporis imbecillitas, mala dispositio, aut defectus, vel excessus in dormiendo, edendo, eundo, medicinam non statim desiderat, sed si quis tam stulte forsan ageret, vt ad eam quotidie refugium sumeret, medicinam in *cibum ordinarium* verteret, corpore adeo ad eam assueto, vt nullum amplius fructum ferre posset, sed virtutem suam amitteret; ita pariter si omnes næui humani generis, qui vt plurimum in *defectu* vel *excessu* vel contra *honestatis tramitem* aut *modum* in *decoro* committuntur, coercendi forent, coercitio in consuetudinem degeneraret, quam homines quotidie deuorare cogerentur. Ast quantæ inde turbæ! quanta mala & contentionum fomenta, rixis de *excessibus* in immensum propagatis auctisque! Quotus quisque est, qui non excedat in libidine plus habendi, quæ *vitio* quidem inquinata, sed labe *delicti* caret. Improbat talem legem rectissime GELLIVS *in N. A. lib. VII. c. 3.* quæ in huiusmodi excessus pœnas nummarias statuerat, additque: *atqui nos omnia plura habere voluimus, & id nobis impune est.* Quis vero omnes næuos, limites *decori* excedentes, coërceret, qui quotidie inter homines apparent, licet pudor atque verecundia plerosque deterrere soleat, ne *nimium* illos egrediantur, prout ratio vitæ præsentis decorum eiusque obseruationem postulat. Machiauellistarum plena sunt omnia. *Totius enim iniustitiæ nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur*, vt verbis CICERONIS *lib. I. offic. c. 13.* vtar. Nec tamen hoc cacoëthes legibus eradicari aut tolli potest, & quia occultum est probatuque difficile, iudiciariam seueritatem regulariter effugit. Sæpe adeo ægrotat respublica, vt ne quidem *excessus grauiores* sine periculo summo tollere queat princeps. Quid magis in oculos incurrit, quam *luxus*, omnem excedens modum, quo tum res priuatorum consumuntur, tum clades reipublicæ non raro adfertur? Hunc coërcere solent *leges sumtuariæ*, & ad *honestum* reducere *modum*; parum tamen prosunt in republica morbida, in qua potentiores, nemine excepto, hoc laborant morbo, qui sæpe sine totius corporis interitu tolli nequit.

Vitia autem pœnis non indistincte subiacent.

Nec excessus contra decorum.

Nec semper excessus contra luxum.

Faſſus eſt TIBERIVS teſte TACITO *lib. III. annal. c. 54. tot a maioribus repertas leges, tot, quas diuus Auguſtus tulerat, illas tamen obliuione, has (quod flagitioſius) contemtu abolitas, ſecuriorem luxum feciſſe.* Et cum ædiles ad principem referrent, ſperni *legem ſumtuariam*, nec mediocribus remediis nimium luxum ſiſti poſſe: literis ad Senatum datis prolixius rationes exponit, quæ impedirent, quo minus hic *grauior exceſſus* pro præſenti rerum ſtatu per leges coërceri poſſit. *Non ignoro*, ſcribit, *in conuiuiis & circulis incuſari iſta, &* MODVM *poſci: ſed ſi quis legem ſanciat, pœnas indicat; iidem illi ciuitatem verti, ſplendidiſſimo cuique exilium parari, neminem criminis expertem, clamitabunt.* Felicius & facilius tales *exceſſus* emendantur *optimo principis exemplo*, qui obſequium amore ſibi parauit, vt vel mores VESPASIANI euincunt. Ait TACITVS *cit. l. c. 55. Præcipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu victuque, obſequium inde in principem & æmulandi amor, validior, quam pœna ex legibus & metus.* Tam vniuerſalis exceſſus itaque non ſemper tam facile, & ſine reipublicæ iactura, per *leges pœnales* tolli poteſt, ſed ſicuti morbis inueteratis, qui totum corpus infecerunt, magna prudentia adhibita, medicina applicanda, ne ægrotanti corpori interitum attrahat: ita pariter in *exceſſibus vniuerſalibus & inueteratis*, qui vt plurimum robuſtiores fiunt, eſt agendum, vt vel probo principis exemplo ſubditi in ruborem coniiciantur, vel aliis poſitis moleſtiis tandem eos tædium capiat, & in voluntariam rapiat abdicationem.

Qui magis bono principis exemplo tolluntur.

Maxime ſi vniuerſales ſunt.

Non omnes exceſſus etiam delicti rationem habent.

§. XIX. Aliorum *exceſſuum*, qui non *vniuerſales & inueterati* ſunt, diuerſa quidem eſt ratio; non tamen omnes ita comparati ſunt, vt *delicti* cuiusdam rationem contineant. Neque enim omne, quod *lege prohibitum*, temere in *crimen* rapiendum, vt iam antea notaui, in quo *ius canonicum* ſæpe excedit, & leuiſſimos lapſus etiam ſub cenſuram vocat. Inprimis vero cogitandum, homines *infirmitate naturali* laborare, ad *exceſſus* pronos, & prudentiſſimos etiam *modum* facile excedere poſſe; ne dicam, impeditum admodum & perdifficile eſſe, *modum agendi* in quibuscunque cauſis *accurate & ad punctum* determinare & ſtatuere. Denique licet per *exceſſum in modo* malum & noxium exemplum, quod facile allicit ad imitationem, dari queat; cogitandum tamen eſt, non omnem *exceſſum in modo* legibus prohibitum eſſe, aut ſemper prohiberi poſſe, ne leges in infinitum excreſcant, & ad minutiſſima extendantur. Modus in ædificando merito

merito prudentiſſimo homini ſeruandus, quem qui egreditur, imprudenter vt plurimum & luxurioſe agit, imo exemplo ſuo etiam nocere poteſt; aſt ea de cauſa non delinquit, nec pœnam incurrit, quatenus modus ædificiis exſtruendis legibus haud poſitus, nec ſub pœna iniunctus eſt, quod quidem rarius fieri ſolet. Optime rationes ſubducit CICERO *lib. I. offic. c. 39.* &, *cauendum autem eſt*, ait, *præſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum ſumtu & magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo eſt. Studioſe enim plerique, præſertim in hanc partem, facta principum imitantur: vt L. Luculli ſummi viri virtutem quis? At quam multi villarum magnificentiam imitati ſunt? quorum quidem certe eſt adhibendus modus, at mediocritatem reuocandus, eademque mediocritas ad vſum cultumque vitæ referenda eſt.* Mouent quidem hæ rationes ad præcauendum exceſſum in ædificando, oſtenduntque mala, quæ ex hoc *exceſſu*, præſertim a viro magnæ exiſtimationis commiſſo, naſcuntur; ſed nihil aliud euincunt, quam extra modum in ædificando procedentem *imprudenter* & *intemperanter* agere, qualia facta leges nec puniunt, nec ſemper punire queunt. Denique qui excedit in modo cum *præiudicio tertii*, nunciatione facta, opus quidem demoliri tenetur, ſed aliter præterea haut coërcetur, vt *tit. ſq.* monſtrandum. In *elargiendo* modum ſeruandum eſſe, regulæ prudentiæ iubent, quem qui egreditur, contra prædictas regulas peccat, non tamen delinquit. Rurſus CICERO *lib. II. offic. c. 15: nec ita claudenda eſt res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit; nec ita reſeranda, vt pateat omnibus.* MODVS *adhibeatur, isque referatur ad facultates.*

Vt in ædificando commiſſus, & elargiendo.

§. XX. Hac de cauſa *de iure Romano* modum in rebus *permiſſis* vel *præceptis* excedentes non aliter puniuntur, quam ſi ad ſpeciem *delicti* vel *criminis* id, in quo exceditur, referri queat. Etenim hoc iure determinata ſunt delicta *vera* & *quaſi*, ad quæ recurrendum, ſi de *pœnis* infligendis & de facto quodam coërcendo quæritur. Quamuis vero delicta etiam *innominata* dentur, non aliter tamen *delictorum* in cenſum referri queunt facta prohibita, quam legum diſpoſitione, quarum eſt, pœnas his factis imponere, quod ad delictum conſtituendum ſufficit; neque vero *innominata* vocantur, quod *iure ciuili* non ſint, vt *delicta*, notata, ſed quod *nomine ſpeciali* careant, & circircumſcribi debeant. Olim ſub *republica libera* dominorum poteſtas in ſeruos illimitata erat, & quamuis regulæ humanitatis *modum* dominis præſcriberent, intra quem exerceri deberet; hic tamen impune

Iure ciuili exceſſus punitur, ſi in aliquod delictum cadit.

vt 1) in excessu dominicæ potestatis, ne negligi poterat, nec *abusus* eius coercebatur, aut delictis annumerabatur, quod dominus *re sua* abusus diceretur. Tandem vero (I) *modum* dominicæ potestati posuit HADRIANVS, *vetuitque*, ne *vltra modum* & *absque causa iusta* sæuiretur in seruos sub pœna arbitraria. Hac de causa matronam quandam in quinquennium relegauit, quod ex leuissimis causis ancillas atrocissime tractasset, *l. 2. in f. de his qui sui vel alieni iur. sunt*, & D. PIVS constituit, vt, qui *modum* excedit in seruis castigandis, eos venire cogeretur irreuocabiliter, imo & puniretur, si fraudem legi fecisset. *cit. l. 2.* Hoc modo ergo *excessus in exercitio dominicæ potestatis*, quæ alias illibata esse debebat, delictis *innominatis* annumeratus est, antea extra classem delictorum constitutus.

2) Patriæ, (II) Pari ratione *patria potestas* olim limites nullos de *iure ciuili* habebat, adeoque si vel maxime *modum*, quem *ius naturæ* & *recta ratio* dictitat, patres egrederentur, non delinquebant, quod vel ex sine causa factis *exheredationibus* & *potestate occidendi liberos* apparet. *l. 11. in f. de lib. & posth. her. instit.* Pedetentim nimius patrum *excessus* ansam dedit, vt tum exheredationibus tum promiscuis liberorum occisionibus *modus* poneretur, quem qui excedit, priori casu incassum & frustra disponit, posteriori vero punitur. Præcipue vero hic excessus emergebat, si filias adulteras in adulterio deprehendissent, cui vindictæ hunc *modum* leges posuerunt, vt pater parem in eos, qui deprehensi sunt, indignationem exerceret, & eadem seueritate adulterum & adulteram puniret, quo amore naturali erga filiam patris calor iracundiæ erga adulterum refrenaretur & retardaretur. *l. 22. §. 4. ad L. Iul. de adult.* Si, filia salua, solum adulterum occiderat, lege Cornelia tenebatur. *l. 32. pr. ad L. Iul. de adult.* Imo non aliter occidere vtrumque licebat, quam si in sua vel generi domo delinquentes deprehendisset, & *in continenti*, *vno ictu* vnoque impetu, æqualem vindictam sumsisset. *l. 25. eod.* *Modum* hunc qui non seruabat, legis Corneliæ reus erat, ob hunc *excessum* coercendus pro ratione admissi. Si in tantum excedebant patres & domini, vt lenones fierent, & filiabus suis & ancillis *peccandi necessitatem* imponerent, priuabantur sua potestate, & aliquando exilii pœna mulctabantur, *l. 6. C. de spectac.* quod hi excessus in *detrimentum reipublicæ* vergerent, & cum *salute publica* pugnarent.

3) præceptorum, §. XXI. Pariter (III) præceptoris NIMIA *sæuitia* culpæ assignatur, *l. 6. ad L. Aquil.*, quæ in delictum *damni dati* per L. Aquiliam

liam vindicandi, incidebat, si forsan discipulis nocumentum inde allatum erat, quo nomine pater agere potest. MEV. *P. I. dec. 211.* STRYK. *de iure praecept. c. III. n. 34.* Si inde periit, *homicidii culposi* reus fit, & pro *qualitate culpæ* coercetur; quamuis enim versatus sit præceptor in re licita, in *modo* tamen, quem excessit, peccauit, & sic *culpam* contrahit insignem. CARPZOV. *pr. crim. qu. 27. n. 10. seqq.* Olim si seruum alienum in disciplina occidebat magister, tenebatur ex L. Aquilia, quod etiam dicendum, si eum eluscauerat, vel aliter vitiosum reddiderat. *l. 5. §. 3. ad L. Aquil.* Refertur etiam ibidem alius enormior excessus: *Sutor puero discenti, ingenuo filiofamilias, parum bene facienti quod demonstrauerat, forma calcei ceruicem percussit, vt oculus puero perfunderetur.* Respondet IVLIANVS, iniuriarum actionem quidem non competere, quia non *faciendæ iniuriæ* causa percusserat, sed *monendi & docendi* causa. Versatus erat in *actu licito & permisso;* sed *modum disciplinæ* excesserat, *quia leuis duntaxat castigatio concessa est docenti:* adeoque existimat ICtus, lege Aquilia posse agi a patre ob *patriam potestatem*, quæ in tantum excreuerat, vt liberi in multis cum seruis æquipararentur. NOODT. *ad L. Aquil. cap. 2.* Et quidem hac actione pater consequebatur, quod minus ex operis filii sui propter vitiatum oculum esset habiturus, & impendia, quæ pro eius curatione fecerat: *l. 7. pr. ad L. Aquil.* nec dubium, quin hodie extra ordinem præterea coerceri queat. Et quid (IV) de *sæuitia maritali* dicam? Olim quidem in casibus, in quibus diuortium marito concessum erat, flagellis vel fustibus vxorem cædere permissum erat per *nou. 117. c. 14.* Verum si extra has causas, quæ *cit. l. c. 8.* enumerantur, in hanc sæuitiam processerat, *modum potestatis maritalis* excedebat, & quamuis diuortium ob hanc causam vxor facere haud posset, maritus tamen pro hac iniuria ex sua substantia tantum dare debebat, quantum tertia pars antenuptialis faciebat largitatis per *cit. nou. c. 14.* Præterea hodie si in *excessu* peccant mariti, non tantum *separatio quoad thorum & mensam ad tempus* conceditur, sed mariti carcere, relegatione, quandoque etiam fustigatione pro arbitrio iudicis & *ratione excessus* puniuntur, obseruante CARPZOVIO *in pr. crim. qu. 12. n. 51.* cui iungendus B. STRYK. *de abus. iur. quas. c. III. n. 67. seqq.* Denique pari ratione (V) excessus *dominorum & magistratuum*, per sæuitiam in proprios homines, famulos, & subditos commissi, in delictum incidunt, & *extra ordinem* plecti possunt. Huc pertinet, si dominus proprium hominem armis lethiferis adoriatur, grauiter vulneret,

4) mariti,

5) dominorum.

neret, verberibus vltra modum excipiat, carceribus tetris mancipet, & in pœnis infligendis excedat nimium, de quo plenius agit STRYK. *cit l. c. II. n. 36. seqq.* Inter hos (VI) eminet excessus admodum pluribus *magistratibus* familiaris, in incarceratione commissus, contra *art. 11. constit. crim. Car.* vbi cauetur: daß die Gefängniß zu Behaltung und nicht zu schwerer gefährlicher Peinigung der Gefangenen sollen gemacht und zugerichtet werden, quod etiam imperat *l. 1. C. de custod. reor.* Quocirca non dubium, quin tales excessus grauiter plecti queant, præsertim si ob leuiores causas incarcerati subditi fuerint, & tam immani barbarie in hoc squalore affecti, vt perire debuerint: quo casu etiam ad pœnam mortis deueniri potest, si atrocitas in tantum excreuerit, vt omnem superauerit humanitatem, quale exemplum anno 1726. ex actis publicis typis mandatum est sub tit. *Facti species in causa* der Königl. und Fürstl. Ober-Sachwaltern Anklägern wider Herrn Heinrich Rantzau auf Bürau, *inquisitum* und Angeklagten, in quo specimen *atrocissimæ* & plus quam *tyrannicæ sæuitiæ* omnem fere superantis fidem relata est, quæ capitale crimen nominari meretur. Pariter in *famulos* quoque modica castigatio permissa est, quam si excesserit dominus, propter excessum arbitrio iudicis puniendus erit. MENOCH. de *arbitr. iud. quæst. cas. 364. n. 14.*

6) magistratus,

§. XXII. Sed etiam (VII) *clerici* & *parochi* facile limites officii sui excedunt, & quidem (*a*) *concionando*, contra regulas officii *elenchtici* & *epanorthotici* agentes, ceu ad *tit. de maledicis §. pen.* dictum. Vt vero, quæ in *thesi ibid.* adducta, & simul huius loci sunt, in *hypothesi* etiam illustrentur, placuit sententiam ordinis ICtorum huius loci *de anno 1696.* huc adferre huius tenoris:

7) concionatores,

Auf gesuchte restitutiones in integrum und erfolgte Wechsel-Schriften in Sachen F. V. K. Klägers an einem, I. S. Pastorn zu C. Beklagten andern Theils, erkennen Churfl. ꝛc. Daß es beyderseits gesuchter Restitutionen ungehindert bey dem am 14. Jan. ietztlauffenden Jahrs eröffneten und fol. act. 25. b. befindlichen Abschiede; so wohl auch bey der wieder Klägern angeordneten Execution billig verbleibet ꝛc. V. R. W.

Ratio-

Rationes decidendi.

Ob wohl anfänglichen, so viel die gesuchten restitutiones betrifft, Beklagter durch die in dem Abschiede ihm dictirte Straffe der suspension oder fiscalischen Geld-Busse sich grauiret zu seyn erachtet, in Betracht er bey Ablegung der quæstionirten Predigt, als ein treuer Seelen-Hirt seines Amts gewartet, und weiln Kläger ein übles Leben geführet, er ihm den Schwer recht aufdrücken müssen, und wann ja auch in Worten etwas excediret seyn solte, iedoch da Kläger durch verweigerte subscription der vocation auch andere Verfolgungen darzu Anlaß gegeben, solches wohl zu entschuldigen wäre, zumalen andere Prediger, besage angezogenen Exempels, es ärger gemacht, und nicht bestraffet worden, Bekl. auch bey seinem geringen Auskommen aus Furcht eines Processes etwas zu denunciiren sich gescheuet. Hingegen Kläger, daß die von Beklagten in der angezogenen Predigt gebrauchten Iniurien atroces und in deren Ansehung die Straffe allzugelinde, diesemnach aber Beklagter mit gäntzlicher Remotion und Landes-Verweisung zu bestraffen wäre, vermeinet.

Dieweil aber dennoch aus dem vom Beklagten selbst fol. 13. ad acta gegebenen Concept erhellet, wie ärgerlich er seine Predigt in specie auf Klägern und die Seinigen eingerichtet, und wie höchst iniuriœse formalia, auch andere unanständige Dinge durch Herlesung eines gerichtlichen Decreti, er auf die Cantzel bracht, welches sich weder durch Exempel noch durch den Vorwand eines heiligen Amts-Eifers entschuldigen lässet, weniger dergleichen Selbst-Rächung einem Diener Christi geziemet, zumahln Beklagter, da Kläger durch verweigerte Unterschrift der vocation ihm zu wehe gethan, das Consistorium, welches bereits solche Unterschrifft iniungiret gehabt, ferner imploriren sollen, und nicht zu vermuthen, daß selbiges so fort einen kostbahren Proceß deßwegen verhänget haben würde; Was aber das von Beklagten vorgeschützte böse Leben des Klägers anlanget, aus denen Acten eben nicht erhellet, daß Beklagter hierunter die gewöhnliche gradus admonitionis gebrauchet haben solte, wiewohl, wenn es auch geschehen wäre, dennoch das Straf-Amt mit Bescheidenheit und ohne Affecten, auch Einmischung iniuriœser personalien geführet werden sollen; Hiernechst so viel des Klägers

 gra-

grauamina und gesuchte exasperation der Strafe belanget, aus denen Acten zu sehen, daß Kläger durch Verweigerung der ihm Rechts-kräftig iniungirten Unterschrift des Beklagten vocation, auch Besuchung des GOttes-Dienstes an einem andern Orte, nicht weniger Vorenthaltung des Salarii, Beklagten nicht wenig irritiret gehabt, ihme auch das Vorgeben, daß Beklagter ihn nicht als Patronum respectire, nicht zu statten kommen mag, sintemahl er bey Beklagtens Superiore dieses gebührend erinnern, und daß selbiger zur Schuldigkeit angewiesen werden möge, suchen sollen, und da von Beklagten in der Predigt excediret worden, das Consistorium, dem Beklagtens Zustand und Vermögen, als worauf in der Bestrafung hauptsächlich zu sehen, nicht unbekannt, die Strafe am besten determiniren können. So ist, wie in dem Urthel enthalten, erkannt worden.

Excedunt quoque (*b*) in *hæretificio*, de qua peste *tit. de hæret. §. 225. sqq.* dictum obseruatumque, a *Rege Sueciæ* hunc modum positum esse. Sed etiam nouiter a potentissimo Rege Daniæ proscripta per edictum huius tenoris:

Wir Christian der VI. von GOttes Gnaden König zu Dännemarck rc. rc. thun kund: Nachdem wir mit besonderm Mißfallen vernehmen müssen, welchergestalt etliche von der Geistlichkeit in unsern Reichen und Landen, diejenigen auf denen Cantzeln verlästern, von denen sie glauben, daß sie besondere Meinungen in der Religion hegten, wodurch denn nur zum Streit und Uneinigkeit Anlaß gegeben, und die Ruhe der Kirchen gestöhret wird; Daher wir solchem Unwesen abzuhelffen, allergnädigst vor gut befunden, eine ernste und nachdrückliche Verordnung und Befehl ergehen zu lassen, gleichwie wir denn hierdurch alles Ernstes und mit Nachdruck befehlen und ordnen, daß alle in unsern Reichen Dännemarck und Norwegen befindliche Geistliche sich auf der Cantzel von allen dergleichen Schelten und Lärmen, insonderheit gegen die so genannte Pietisten enthalten, und hingegen bey der reinen Lehre nach Inhalt der Augsburgischen Confession verbleiben sollen. Dafern sich aber iemand unterstehen würde, diesem unserm Befehl entgegen zu handeln, so soll derselbe das erste mahl mit 50. Thlr. das andre mahl mit 100. Thlr. in Strafe genommen, und selbige an das nächste Hospital gegeben, und im Fall er zum dritten mahl sich hierwieder ungehorsam finden lassen dürfte, von seinem Amte gar

gar removiret werden. Es haben auch alle Bischöffe ein ieglicher in der ihm anvertraueten Dioces dahin zu sehen und genaue Acht zu haben, daß diesem unserm allergnädigsten Willen nachgelebet werde, dafern sie sich nicht der gedachten Strafe selbst schuldig machen wollen. Wornach sich alle und iede, die es angehet, zu richten haben. Wir gebiethen und befehlen demnach unserm Statthalter in unserm Reiche Norwegen, wie auch unsern Grafen, Freyherren, Stifts-Amtmännern, Bischöffen, Amtmännern rc. welchen diese unsere allergnädigste Verordnung unter unserm Cantzley-Siegel zugefertiget wird, selbige gehörigen Orts alsofort publiciren zu lassen. Gegeben auf unserm Schloß Friedensburg den 7. Octobr. 1733.

CHRISTIAN Rex.

Nec (VIII) *visitatorum* excessus dissimulandi, qui ab omni æuo graves fuerunt ecclesiis in *exigendis procurationibus*, nec non numerum euectionis & personarum in concilio Lateranensi constitutarum & determinatarum longe excesserunt. *c. 7. X. h. t.* Excessum hunc fœdissimum paparum, legatorum papalium, episcoporum, atque prælatorum depinxi ac delineaui *tom. III. iur. eccles. tit. de censibus §. 93. seqq. p. 626. seqq. 630. seqq.* Proxime (IX) his accedunt *Archidiaconi*, quorum audacia in excedendis limitibus suæ potestatis adeo vires sumsit, creuitque, vt independentes ab episcopo esse quæsiuerint, vel, vt dicitur in *c. 15. X. h. t. contra fidem homagii præstiti & debitam reuerentiam episcopum suum esse dominum negauerint, ac contra eum in foro seculari super rebus spiritualibus quæstionem deposuerint*, &c. de quo fastu, præsertim in *visitationibus*, *tom. III. tit. de censib. §. 27.* & *tom. I. tit. de officio archidiac.* dictum ostensumque, inde factum fuisse, vt in plerisque diœcesibus eorum potestas plane exstincta & suppressa fuerit. Alius archidiaconorum etiam notatur excessus in *c. 3. X. h. t.* si in ecclesias, quæ in suis *archidiaconatibus* vacant, se propria autoritate intrudunt, eas occupant, ac occupatas detinent, eo quod *ius custodiendi* & *instituendi* ab antiquo eis concessum sit. Et infinitum foret, si omnes & singuli horum excessus enumerandi forent, quos perstrinxit & notauit plenius Dn. KRESSIVS in der Erleuterung des *Archidiaconat*-Wesens. (X) Excedunt etiam *abbates*, (α) si *finibus*

8) visitatorum,

9) Archidiaconorum,

10) Abbates,

bus suis non contenti manus ad episcopalia extendunt. *c. 12. X. h. t.* (β) Si in *regulari disciplina* modum transiliunt, vt dictum *tom. II. iur. eccles. p. 626. & hoc tomo tit. de clerico percussore.* Præcipue vero (XI) *episcopi* variis modis excedunt v. c., si indebitis exactionibus clericos sibi subditos grauant, aut eos inhoneste tractant, merito *pro tantis* excessibus plectendi. *c. 1. X. h. t.* conf. *tom. II. tit. de censib. p. 142.* Vbi enim magis exceditur, ibi magis vindicandum, *c. 18. h.* quamuis hæc vindicta in *episcopo episcoporum* sine executione fit. Denique (XII) *vicarii* excedunt grauiter, si, fide & iuramento neglecto, *personatum* sibi falso assumunt, & contra *personas* se erigunt. *c. 6. X. h. t.* Vicariis in *cit. tx.* opponuntur *personæ* seu *personatum* gerentes, quales dicebantur *rectores principales* seu *domini*, *c. 8. X. de rescript.* quod *personam* & locum *domini* obtinerent.

Excessus in moderamine inculpatæ tutelæ in delictum cadit.

§. XXIII. Moderamen inculpatæ tutelæ omni iure permissum, & impunitum est, cum vim vi repellere liceat, *l. 3. de I. & I. l. 1. §. 27. de vi & vi arm. l. 4. ad L. Aquil. l. 45. §. 4. eod. c. 6. de sent. excomm. in 6. art. 139. constit. crim. Car.* adeo vt si quis in legitima sui ipsius defensione præter voluntatem suam innocentem simul occiderit, ab omni pœna absoluendus sit, per *art. 145. C. C. Car.* Habet tamen hæc *defensio necessaria* suos limites, intra quos sese continere debet, quorsum pertinet, (α) iniusta offensio per *art. 140. C. C. Car.* (β) imminens *vitæ*, *pudicitiæ* vel *integritatis membrorum* periculum, quod (γ) aliter læsus quam internecione aggressoris declinare & auertere nequit, veluti, vt dicitur in *cit. art. 140.*, wann der Benöthigte ohne Fährlichkeit seines Leibes, Lebens, Ehr und guten Leumuth nicht füglich entweichen kan. Periculum *honoris* quoque hic adiectum est, illis temporibus conueniens, quibus *duella* suo modo permissa, & salua existimatione fieri non posse creditum, vt prouocatus nobilis, miles, vel alius *ius gladii* habens, recedere & fugere posset, quæ hodiernis tamen moribus haud conueniunt. Hos limites si excesserit defensor, a pœna non est immunis, de qua agit CARPZOV. *in pr. crim. qu. 29.* & *pœnam excessus in defensione commissi* examinat. Optime ICtus in *l. 38. §. 8. ad L. Iul. de adult. qui plus fecit, quam quia se vindicare non debuerit, puniendus est*, quia homicidium tali casu magis *culposum* quam *necessarium* est. Talis *excessus* vero varie committi potest (α) ratione *causæ*, si nullum periculum probabile imminuit: (β) ratione *modi*, wenn der Todtschläger den Benöthigten wol füglicher Weise, und ohne Fährlichkeit seines Lebens, Ehren und guten Leu-

Quomodo hic excessus committatur.

Leumuths halben entweichen können, vt dicitur *in art. 142. C. C. C.* (γ) ratione *temporis*, wenn der Entleibte nach gethaner ersten Benöthigung gewichen, dem der Todtschläger aus freyem Willen und ungenötheter Ding nachgefolget, und ihn allererst in der Nachfolge erschlagen, vt rursus loquitur CAROLVS V. *cit. l.* Grauior sine dubio excessus est, si ab aggressore iam liberatus occisor *ex internallo* quodam eum inuadat, & occidat, qui a *dolo* vix immunis est, & limites defensionis nimium quantum excedit. Imo ne quidem sese amplius *defendere* dici potest, qui aggressorem ex postfacto, tumultu iam sedato, aggreditur, sed magis *dolose* occidisse alterum creditur, pœna ordinaria plectendus. Ita enim in *cit. art. 142. in f.* cautum: so einer der ersten Benöthigung halber redliche Ursache zur Nothwehr gehabt, und doch in der That nicht alle Umstände, die zu einer gantzen entschuldigten Nothwehr gehören, gehalten hätte, eo in casu accurate ponderandum & inquirendum: wie viel oder wenig der Thäter zur That Ursache gehabt, & ita pœna vel *ordinaria* vel *extraordinaria* dictanda, hæc quidem, si *excessus verus defensionis inculpatæ* adest; illa vero, si animo doloso ex interuallo aggressorem occidit & inuadit, quod ne quidem aliqua amplius *defensio* allegari queat, CARPZOV. *pr. crim. qu 29. n. 34.* vel etiam si occisor *iniustus aggressor* & *autor rixæ* fuit, & postea in eadem rixa in discrimine vitæ constitutus provocatum occiderit. Hac de causa CARPZOV. *cit. l. n. 37.* distinguit inter *excessum defensionis* & inter *excessum inculpatæ defensionis* seu *tutelæ;* non tamen clare & distincte hoc discrimen exponit; quin potius, quantum ex allatis exemplis colligi potest, distinguere potius debuit inter *excessum inculpatæ defensionis*, & *nudum defensionis prætextum*, quem admodum incongrue *excessum defensionis* appellat. Qui minantem occidit, non tam excedit in defensione, quam prætextu *defensionis* crimen tegere intendit, vt recte pœna ordinaria plecti debeat, EODEM obseruante *cit. l. n. 56.* Qui ab omni liberatus periculo *ex postfacto* aggressorem occidit, frustra ad *defensionem* prouocat, cuius *prætextu* mero vtitur, vt causam ad *moderamen inculpatæ tutelæ* deducat, quod tamen fieri nequit.

Distinctio inter excessum defensionis & defensionis inculpatæ fundamento caret.

§. XXIV. Quemadmodum vero ex his, quæ adlata sunt, tuto colligi potest, tunc demum de *iure ciuili* excessus pœnis arbitrariis subiici, si vel id, in quo exceditur, ad censum *delictorum* in iure ciuili determinatorum & communium referri potest, vel speciatim excessus ob *præiudicium salutis publicæ* adeo a lege improbatus est, vt certam

Cessante hoc respectu excessus in delictum non cadit.

certam meruerit pœnam, vt de *marito vxorem flagellante* dictum; ita cessante hoc principio excessus in *delicti speciem* non cadit, licet *culpam* vel *dolum* in agente arguat, & *eum* ad *indemnitatem*, seu *præstationem* eius, quod *interest*, obliget. Nam in contractibus & negotiis quotidianis hominum infinita per *abusum* vel *culpam* imo *dolum* perpetrari palam est, quæ quidem contra leges fiunt, sed *delicti speciem* non semper constituunt. Sunt alia *illegitima* facta; non tamen indistincte pœnis subiacent, sed vel *nulliter* gesta: (quæ tantum *imprudentiam* arguunt) vel cum *simplici obligatione* ad *damnum resarciendum* coniuncta, quod *læsionem iuris alterius* præsupponit. Qui *fines mandati* excessit, quos diligenter custodire debebat, non mandatum impleuisse, sed aliud quid fecisse dicitur, *l. 5. pr. mand.* hoc effectu, vt quicquid eo nomine impenderit, petere non possit, quin potius mandantem indemnem seruare teneatur. *cit. l. 5. §. 3. l. 33. eod.* Factum tale *excessum* arguit, sed non *delictum*. Si præterea mandatarius impensas in executionem mandati fecit, eas repetit, nisi *probabilem modum* excedant. *l. 25. negot. gest.* In ceteris contractibus vel quasi pariter *vltra modum*, vel *lege* vel *pacto* determinatum plura fiunt, quæ *læsionem* continent, *pœnam* vero non habent. Plus impendere, quam oportebat, arguit excessum in *negotiorum gestione*, *cit. l. 25.* pignoratitia *l. 25. de pignor. cit.* locatione conductione, obseruante SCHILTERO *ex. 31. th. 30.*, dote *l. 8. de impens. in rem. dot. fact.* administratione hereditatis, *l. 5. §. 1. de hered. petit.* tutela, *l. 3. pr. de contrar. tut. vel vtili act.* similibusque; sed talia *delictum* non sapiunt: simplicem *rei persecutionem*, non *pœnam* operantur. Nihil æquius est, quam in contractibus, in quibus *præstationes æquipollentes* desiderantur, *æqualitatem* seruare, quæ tamen, cum *ad punctum* haberi non possit, *enormiorem* tantum *excessum* euitandum esse iubet, qualis est, quæ est *vltra dimidium* iusti pretii. *l. 2. C. de rescind. vend.* Inprimis vero in his, quæ geruntur inter homines, *modus* is seruandus est, quem tenere solent boni patresfamilias secundum regulas *prudentiæ œconomicæ*, ad quas tam frequenter in iure nostro prouocatur, vt nulla fere doctrina ab iis immunis sit. *l. 14. de pignor. act. l. 10. de admin. & peric. tutor. l. 18. pr. commod. l. 65. pr. de vsufr. l. 21. C. mand. &c.* Vnde duo colligo: 1) primum est, *excessum* in his negotiis regulariter æstimandum esse ex *regulis prudentiæ œconomicæ*, quæ insignem vsum in iurisprudentia præstant, vt in strepitu forensi quotidie ad eas recurrendum sit. Quot quotidie lites emergunt de huiusmodi *excessibus*

Vt in contractibus.

In quibus modus ex officio patrisfamilias determinatur,

Seu regulis prudentiæ œconomicæ.

bus, vnice in hoc fundatis, quod reus *officium boni patrisfamilias* non impleuerit. Id vero nec aduocati legitime docere, nec iudices de eo arbitrari, nec ICti ſana conſilia deſuper ſuppeditare poſſunt, niſi fundamentis *prudentiæ œconomicæ* inſtructi fuerint, quæ tamen in Academiis vt plurimum inter minus neceſſaria ſtudia admodum imperite reiici ſolent. Quocirca non ſatis laudari poteſt prudentia ſumma auguſtiſſimi noſtri regis FRIDERICI WILHELMI, quod hunc defectum, qui antea in Academiis regnauerat, in ſuis emendauerit, & viris in hac diſciplina peritis hanc prouinciam demandauerit, in qua tum *priuatam* tum *publicam rem œconomicam*, cum maximo boni publici & ſtudiorum incremento, ex ſuis propriis principiis explicant, illaque tradunt, quæ non nudis ſpeculationibus inſeruiunt, ſed vſum in vita communi præſtant. Hæc gloria itaque auguſtiſſimo noſtro regi vnice debetur, quod primus in Germaniæ Academiis hanc diſciplinam reſuſcitauerit, quem ducem ſequi eo glorioſius cenſendum, quo vberiores fructus in *rem priuatam* & *publicam* inde ſperantur. 2) Alterum, quod ex adductis colligo, huc redit, *regulariter* in negotiis hominum ad regulam prædictam de *officio boni patrisfamilias* recurrendum eſſe, quod qui non ſeruat, *culpam* leuem commiſiſſe dicitur. Atque hæc *regulariter* in quibuslibet contractibus ſeruanda, niſi maior diligentia vel *expreſſe* vel *tacite* promiſſa fuerit, quod tantum *incidenter* hic monuiſſe ſufficit.

In Academiis ſedulo tractandæ.

Inde culpa leuis in quouis contractu præſtanda.

§. XXV. Verum rarius, prout hactenus obſeruaui, *exceſſus* in agendo ad *delicta* proprie dicta inclinant, niſi forſan quoad eos, quibus *ſpeciale officium* quoddam concreditum, cuius limites ſi exceduntur, grauius reipublicæ detrimentum tales exceſſus adferre poſſunt, vtpote ſi iudex, pater, maritus, dominus &c. poteſtatis ſuæ fines nimium excedant. Ius canonicum in alia omnia iuit, & partim in *defectu*, partim *exceſſu* in *puniendis leuioribus exceſſibus* peccauit, atque ab antiquo eccleſiæ more in multis deſciuit. In confeſſo apud omnes eſt, eccleſiam priſcam grauem curam habuiſſe, vt miniſtri eccleſiæ vita, moribus, innocentiaque agendi omnibus præirent, & ſic *typus gregis* redderentur; qua ratione *leuiores* etiam *exceſſus* in his eo magis (ſine *pœna* tamen) notabant, quo plus detrimenti rei eccleſiaſticæ adferre poſſent, ſi ſine cenſura & reprehenſione relinquerentur. Paulatim conſenuit in pluribus hæc *vitæ integritas*, vt AVGVSTINVS in *c.* 7. *D.* 40. aſſerat, ſuo tempore nihil facilius, lætius & hominibus acceptabilius epiſcopi aut presbyteri aut diaconi officio fuiſ-

Ius canonicum in exceſſibus puniendis exceſſit.

Diſciplina antiquæ eccleſiæ in præcauendis exceſſibus.

(quod a priſco vſu alieniſſima eſſet,) reſtringere conantibus. Inde tot querelæ de *exceſſibus prælatorum*, relatæ in *c. 16. & 17. X. h. t.* quibus tamen anſam dederunt exemtiones & immunitates ordinibus indultæ, quibus admodum antiqua eccleſiæ diſciplina turbata fuit. Peccarunt ergo in *exceſſu* (α) pontifices, monachis, vltra vitæ ſuæ conditionem, ea indulgentes, quæ clericis & eccleſiarum prælatis debentur, eosque ab obſequio epiſcopali promiſcue eximentes, denique tot nouos ordines familiasque concedentes: (β) autores ordinum & reformatores, tam infinitis regulis *vitam monaſticam* ſub pœnis conſtringentes, quæ tamen *morum puritatem* operari haud potuerunt. E contrario in *defectu* peccarunt, quod, quæ ad *internam* morum animique *emendationem* pertinent, neglexerint, & loco eius ſuperſtitioſum viuendi modum ſubſtituerint.

Inde querelæ de exceſſibus epiſcoporum.

§. XXVI. Interim quia opinio de *vitæ monaſticæ* præſtantia omnium animis ſeſe inſinuauerat, non tantum monachi ad eccleſiarum præfecturas præ aliis cooptati, ſed etiam monaſtici inſtituti ratio ad clericatum extenſa, vt ſpecialius ex antiquitatibus illuſtrat THOMASSINVS *de vet. & nou. eccleſ. diſcipl. P. I. lib. 3. c. 13. ſeqq.* CHRODOGANGO, Metenſium epiſcopo, vitæ canonicæ rationem ad monachorum regulas magnopere componente. Inde rurſus nouis *regulis*, *modum viuendi* determinantibus, *vita clericalis* inſtructa, adeo *monaſtice* obſeruandis, vt, qui vel in minimo excederet, *canonicæ diſciplinæ* ſubiiceretur. Modus in *cibo* & *potu* illis præſcriptus: *c. 1. ſqq. D. 35.* ne vltra *tertiam vicem* poculum attingerent, *c. 9. D. 44.* vel ad æquales hauſtus alios obligarent, vetitum: *c. 14. X. de vita & honeſt. cleric.* formam præfinitam veſtium & ornamentorum ſeruare iuſſi, nimia breuitate vel longitudine abſtinentes: *c. 15. X. eod.* barbam radere & comam nutrire prohibiti, *c. 4. eod.* ſub pœna anathematis, *c. 5. eod.* tonſura & corona congruente incedentes, *c. 15. X. eod.* & quæ ſunt alia, quæ ad minutias ſæpe declinarunt. Interim ob qualemcunque *exceſſum*, ſeueriorem excedentes diſciplinam experti ſunt, vt exemplo notabili canonici, ſine *veſte canonicali* chorum intrantis, & virgis a decano caſtigati probatum dedi *tom. II. iur. eccleſ. p. 104. §. 57. in f.* Infinitæ enim ſunt obſeruationes circa *rem veſtiariam clericorum*, in *ſacris*, ſedula cura explicatæ ab ANDREA DE SAVSSAY *in panoplia ſacerd. ſeu de venerand. ſacerd. habitu*, vt facile in his errari & exceſſus committi queat. Sicuti enim *regulæ* nihil aliud ſunt, quam *modus agendi*,

Monachorum mores aſſumſerunt clerici,

& ad plures regulas adſtricti ſub pœna,

agendi, & mores suos recte instituendi, atque ad præscriptum efformandi; ita *excessuum* crescit copia, quoties regulæ incrementa NIMIA capiunt; sed etiam in infinitum extenduntur pœnæ, si qualis qualis excessus, contra *regulas* commissus, mox sub censuram, *monastico more*, trahitur, omissis illis, quæ reprehensionem omnino merebantur.

Distinctio iuris canon. inter excessus & delicta, 1) excessus transgressionem morum & officii designant, 2) committuntur tantum ab iis, quibus regulæ præscriptæ, 3) puniuntur inprimis in clericis,

§. XXVII. Inde in *iure canonico* inualuit distinctio inter *crimina* & *excessus*. Illa (I) concernunt facta illicita, sub grauioribus pœnis a legibus prohibita, publicam rem turbantia; hi vero *neglectum regularum*, *mores* efformantium, & *officia*, maxime *clericalia*, determinantium, vnde vel in *excessu* vel in *defectu* peccatur. (II) Illa a *quibuscunque* committi possunt, laicis & clericis; hi primario ab his, quibus *certus* & *determinatus modus viuendi* præscriptus. Qua de causa quod ad *excessus clericales* refertur, vitiumque habet, in *laicis crimine* caret, quibus tales regulæ non sunt præscriptæ. Sic *aleatores* non delinquunt nisi sint *clerici*, quibus alea vetita. *c. 11. X. h.* Qui de suo crimine publice gloriatur, pessimi animi indicia præ se fert; sed clericus ob talem excessum merito plectendus. *c. 9. X. h. t.* (III) Illa semper *pœnis* vindicanda; non hi, nisi in *delictum*, a lege notatum, vergant, vt ex antea dictis liquet. Hanc vero differentiam in *clericis* & *monachis* susque deque habuit ius canonicum, quod qualescunque *excessus* in illis punit. Rationem in eo collocant, quod *vita clericorum* a laicorum moribus longe diuersa, & ad *adstrictiorem seuerioremque disciplinam* præcise efformata esse debeat, quod alias in ecclesia scandalum creetur, si vel in minimis a clericis exceditur. (IV) Illa *criminali iudicio* subsunt, *criminali iurisdictione* vindicanda, adeoque *ecclesiasticis foris* non subiecta, quæ hac destituitur iurisdictione: *excessuum* punitionem sibi & suæ potestati eo magis conuenire censuerunt episcopi, quod in his puniendis magis *censura* & *disciplina* quam *criminalis vindicta* exerceretur, quæ vnice *emendationem morum* intenderet, & singulorum saluti prodesset. Qua de causa etiam (α) nostra consistoria castigant *excessus clericorum*, licet *iurisdictionem criminalem* non habeant. (β) Dantur Academiæ, maxime antiquiores, destitutæ *iurisdictione criminali*, quæ tamen *excessus* suorum ciuium grauiores *academica disciplina* plectunt, qualis est carcer, pœna pecuniaria, relegatio, acrior reprehensio. (γ) Dantur omni *iurisdictione* destituti, qui tamen ius *castigandi excessus* in *moribus* suo modo habent, vt præceptores, abbates, patres &c. quod vel *domestica disciplina*

4) sine criminali iurisdictione,

qua destituuntur consistoria, & aliquando Academiæ,& tamen excessus puniunt, imo quidam etiam sine

ſciplina & *monaſtica* docet. *Abbates* quoque his adiunxi, qui *olim* in monachos nullam proprie dictam *iurisdictionem* habebant, interim tamen *ſeueriorem* erga eos *diſciplinam*, etiam *virgis*, exercebant, quoties regularum limites egrediebantur. *Decanorum* parem rationem fuiſſe, ſupra iam obſeruaui, qui cum *abbatibus* pedetentim *proprie dictam iurisdictionem* in *monachos* & *canonicos* acquiſiuerunt. Inde fluxit (V) illud diſcrimen, quod crimina proprie dictis *pœnis*, exceſſus vero meris *cenſuris* caſtigari dicantur, quæ tamen pedetentim in *proprie dictas pœnas* degenerarunt, quas ſtricte *criminales* dici noluerunt, ne *criminalia* exercere videantur clerici. Denique (VI) *crimina* & *delicta* turbant & lædunt *ſalutem* & *pacem ciuilem*, ab omnibus vitanda, *legibus ciuilibus* prohibita; *exceſſus* vero hoc iure primario *transgreſſionem officii* vel *morum*, regulis determinatorum, deſignant maxime intuitu eorum, qui iuxta *certas regulas*, moribus externis & *decoro* præſcriptas, viuere, & ſecundum illas officium ſuum peragere *exacte* debent, quorſum pertinent, quorum *mores* vel efformandi ſunt, vt ſcholares: vel qui *clericorum* numero cenſentur, qui *regulis monaſticis* & *canonicis* ab antiquo ſubiecti fuerunt. Quocirca etiam in academiis *exceſſus* & *delicta* diſtinguuntur, quod hæc *criminaliter* plectantur h. e. per *proceſſum criminalem;* quem non deſiderant *exceſſus in moribus*, leuius ſine *ſtrepitu forenſi* caſtigandi.

omni iurisdictione, | vnde pœnæ exceſſuum dictæ cenſuræ, | ſine ſtrepitu forenſi exercendæ.

§. XXVIII. Ex his quoque primaria differentia inter ius *ciuile* & *canonicum* petenda eſt. Si illud *exceſſus* contra *limites officii* coërcet, id eo reſpectu facit, quod in eis *proprie dicta delicta* deprehendat, adeoque illud *delicta* & *exceſſus* non diſtinguat. Quæ a *decoro* & *honeſtate morum* deuiabant, *pœnis* non ſubiacebant, nec *magiſtratuum* cognitioni, ſed *cenſorum* erant ſubiecta *cenſuris*, a *legum* cura aliena, qua de cauſa in *iure ciuili* de hoc *iudicio morum* non agitur. Optime id obſeruauit B. Dn. THOMASIVS *de iudic. & cenſura mor. c. 1. §. 4.* aiens: *non putandum eſt, ac ſi mores, qui iudicio morum ſubſunt, ſint* DELICTA *vel* CRIMINA PVBLICA *vel etiam* EXTRAORDINARIA. *Nam crimina in ſpecie publica illa vocabantur, in qua pœna, intereſſe reipublicæ reſpiciens, certa & ſpeciali aliqua lege publicorum iudiciorum vel SCto erat ſtatuta; extraordinaria, vbi deficit lex & SCtum pœnam dictans, ſed res relinquitur arbitrio iudicis. At in iudicio morum nulla lex pœnam imponens, nulla pœna proprie dicta, nullus iudex, qui more maiorum ſeu omnium populorum iudicet.* IDEM *§. 8.* vlterius hoc declarat:

Ius ciuile tantum delicta punit, | exceſſus in moribus ad curam cenſorum relati;

clarat: *Iudicium criminale leges praesupponit: quia crimina coërcent & delicta, delictum autem omne est, quod contra legem fit. Iudicium ciuile examinat ea, de quibus leges actiones concesserunt in republica.* At IVDICIA MORVM *animaduertunt, ac notant ea, quae legibus definiri nequeunt, ea, de quibus actio non datur, quae probari sufficienter non possunt, h. e. non* CRIMEN *quidem, sed* VITIA *tamen, scelera & flagitia, etiamsi non sint publica sed clandestina, cuiuscunque scilicet* MORES DOMESTICOS. Pertinebant ergo ad *iudicium morum censorum*, quae in *foro ciuili* impunita erant, quorumque nomine agi non poterat, veluti ob mores lasciuos, intemperantesque, quos notabant *censores*, non *magistratus*. Si *de moribus* agi poterat (quale quid inter coniuges, diuortio facto, receptum erat) ad cognitionem magistratuum pertinebat, cuius erat punire & condemnare secundum leges. AVTOR *ad Herennium lib. 2.* discrimen hoc his memorat verbis: *si nihil eorum fieri poterit, vtatur extrema defensione, & dicat, non se de* MORIBVS *eius apud* CENSORES, *sed* CRIMINIBVS *aduersariorum apud* IVDICES *dicere.* Nota haec censoris *ignominia* onerabat notatum, quae instar *infamiae facti* erat, & in ruborem eum coniiciebat, vt constat ex *fragm.* CICERONIS *lib. IV. de republ. censoris iudicium nihil fere damnatis affert nisi ruborem.* Sed haec *ignominia* etiam graue adferre poterat damnum, quod notatus senatu eiici posset. Ita enim PLVTARCHVS *in Catone mai. pag. 307, Romani neque nuptias cuiusque neque liberorum procreationem neque victus rationem, neque conuiuium, examinis, & iudicii immune, singulorumue hominum voluntati aut cupiditati liberum relinquebant: verum rati in domesticis hisce rebus certius, quam in publicis & omnium conspectui expositis actionibus vniuscuiusque mores conspici; constituerunt duos viros, vnum patritium, plebeium alterum, qui in obseruando, castigando, plectendoque curarent, ne quis a Romana & consueta vita per voluptatem diuerteret. Hi censores dicebantur: quibus licebat aut equum adimere, aut senatu eiicere, si quis intemperanter vixisset.* Caeterum haec *iudicia morum* non habebant vim *rei iudicatae*, quae duntaxat proprie dictis iudiciis tribuebatur, adeoque turpi iudicio in foro damnatus in perpetuum ab omni aditu ad honores exclusus erat, vt optime demonstrat ex CICER. *orat. pro Cluent.* B. Dn. THOMASIVS *de censur. mor. c. II. §. 21.* praeterea vero *c. III.* censuram super censuram *morum Romanam* addit, ostenditque, eam reipublicae Romanae parum vtilitatis attulisse.

quorum nomine deficiebat ius agendi,

quique ignominia notabantur,

sine effectu rei iudicatae.

§. XXIX.

§. XXIX. Ius *canonicum* hunc reipublicæ Romanæ morem in ſuos vſus transtuliſſe videtur. Determinauit *regulas morum*, ſingulisque pro ratione *vitæ*, maxime *clericis monachisque*, præſcripſit, ſecundum quas mores ſuos inſtituerent & efformarent ſub *inſpectione epiſcoporum* tanquam *cenſorum morum*: eos, qui limites præſcriptos egrediebantur, *cenſuris* ſubiiciebant, quas in variis *pœnitentiis* conſtituebant, quibus etiam *ieiunia*, *ſuſpenſionem*, *carcerem*, imo *remotionem ab officio ſacro*, more cenſorum Romanorum, annumerabant. *Cenſuras* has *pœnitentiæ* ſpecies, non *pœnas* dixere, quod magis *emendationem morum* intenderent, & *exceſſus* leuiores caſtigarent. In eo tamen recedebant a Romanæ reipublicæ diſciplina, 1) quod præterea etiam *grauiſſima crimina* & quæuis *delicta* ad cenſuram ſuam reuocarent, *pœnitentiis* expianda, quibus *ſalutem animæ* contineri credebant, cum *pœnis ciuilibus* tantum ſaluti reipublicæ proſpiceretur: 2) quod *leuiſſimos exceſſus*, a regulis præſcriptis deuiantes, caſtigarent *more monaſtico*, cum *cenſores* tantum *craſſiores* & *grauiores exceſſus* notarent: 3) quod ab initio quidem prælati non vt *magiſtratus* in *pœnitentiis* indicendis, ſed magis vt *cenſores*, *mero imperio* deſtituti, procederent; pedetentim tamen limites poteſtatis ſuæ exceſſerint, & cenſuram in proprie *dictam iurisdictionem* & *imperium ſacrum* per *intolerabilem* & *inexcuſabilem exceſſum* transmutauerint, ſeparatam quandam *rempublicam* in *republica* affectantes. Ab hoc tempore 4) deſierunt *magiſtri* & *cenſores morum* eſſe, *legislatores* & *magiſtratus* facti, omnia pro *iurisdictione* ſua in *foro externo*, vti vocatur, conſtituentes. Atque ita diſcrimen inter *pœnas* & *cenſuras*, inter *leges* & *regulas morum* euanuit atque exſpirauit, vt vel *tit. X. de pœn.* oſtendit. Quæuis per *leges eccleſiaſticas* determinata, vt *exceſſus* in moribus *delictis* annumerati, & in *iudiciis eccleſiaſticis* per ſententias condemnatorias adhibito *proceſſu forenſi* caſtigati. Iudices ſeculares, hanc nouam formam reipublicæ eccleſiaſticæ intuentes, pariter *exceſſuum grauiorum* vindicationem, in *laicis* maxime, ad ſua fora trahebant, præſertim poſtquam *inquiſitiones ex officio*, quæ itidem *iuri canonico* debentur, in illis receptæ ſunt. Inde vero etiam hodie *exceſſus* infiniti *inquiſitionibus* & *pœnis* ſubiiciuntur, quibus leges antiquæ pœnam non conſtituerunt, pro *arbitrio iudicis* plectendi, quod vel *exceſſus opificum* oſtendunt, quibus partim leges dicam ſcripſerunt, partim curæ magiſtratuum in genere horum vindicationem reliquerunt, vt vel *concluſum* derer dreyen Reichs-*Collegiorum* im May 1671. die Abſtellung der Mißbräu-

che

Ius canonicum cenſuram morum epiſcopis olim commendauit,

& pœnitentias cenſuras vocauit,

exercitas tum in delictis,

tum in leuioribus exceſſibus,

iure magiſtratus,

quo ipſo ſublata eſt differentia inter pœnas & cenſuras,

& exceſſus in foris ſecularibus delictis annumerati.

che bey denen Handwerckern betreffend, item *ordin. polit. de anno 1548. & 1577.* & nuperrimum *imperii conclusum* ostendunt.

Adhuc tamen hodie pœnæ ecclesiasticæ a criminalibus distinguuntur.

§. XXX. Interim ex *antiqua ecclesiæ disciplina* quædam supersunt, quæ obseruari merentur. Primum est, quod *iudicia ecclesiastica*, quæ olim proprie dicta deerant, hodie *criminalem iurisdictionem* non exercere dicantur, sed *pœnas*, quas infligunt, a *pœnis criminalibus* secernant atque distinguant, quæ olim nomine *censurarum* & *pœnitentiæ* veniebant. Imo etiam nostra consistoria *grauiora delicta* non vindicant, sed *magistratui seculari* relinquunt, vtut hodie *pœnæ ecclesiasticæ* veræ pœnæ sint. Alterum est, quod inde in Germania ortum traxisse videatur distinctio inter *iurisdictionem altam & bassam.*

indeque ortum traxit distinctio inter iurisdictionem altam & bassam.

Etenim postquam etiam episcopi cum *regalibus* inuestiti & *iurisdictione seculari* præditi fuerunt, ad huius exercitium quidem *vicarios* & *officiales* constituerunt, sed eis *criminalia* committere non potuerunt, quorum ipsimet incapaces erant, quæ eis *immediate* a rege committenda erant, vt ad *tit. de homicid. §. 15. sqq.* ostensum. Pro huius vlteriori declaratione adiungam *antiquissimi statuti Argentoratensis*, a SCHILTERO editi, verba, & quidem latina, quæ clariora sunt: *Habet autem potestatem cogendi & constringendi iudicatos, quod vocant bannum, non ab episcopo, sed ab aduocato. Illa vero potestas spectat ad sanguinis effusionem suspendendorum, decollandorum, truncandorum & huiusmodi pro qualitate delictorum, quam ecclesiastica persona nec habere nec dare debet. Vnde postquam episcopus aduocatum posuerit, imperator ei bannum, id est, gladii vindictam in huiusmodi dampnandos & omnem potestatem stringendi dare debet. Quod autem modo non est consuetum.* vid. *ius Argentor. lib. 1. c. 2.* Ceterum quomodo hoc pedetentim in desuetudinem abierit, *tit. de homic.* ex *c. 5. ne clerici vel monachi in 6.* ostendi.

Modus castigandi excessus in consistoriis vsitatus.

§. XXXI. Quodsi ad specialia *excessuum* capita nunc transeundum esset, in mare immensum me immitterem, præsertim si examinare & referre illos vellem, quæ a clericis contra limites *officii* & *regularum* committuntur, & in consistoriis ex merito castigantur. Id tantum binis verbis obseruo, in foris ecclesiasticis per *gradus* in his castigandis procedi, & pro qualitate excessuum, sine strepitu forensi, in rixosos & intemperanter viuentes animaduerti *acriori reprehensione*; hac si non emendantur, carceris pœna vel mulcta dictatur; paulo post progressus fit ad *suspensionem*, tandemque ad *remotionem*, saluo tamen iudicis arbitrio, vt plenius definit CARPZ. *in iurispr. ecclesf. lib. 3. def.* 112.

112. seqq. Eodem modo quoque proceditur cum *aedituis* & *custodibus*, vt perspicue declarat *ordin. elect. eccles. tit. 37.* würde aber von denen Kirchnern in Kirchen-Diensten einige Versäumniß oder Unfleiß befunden, und er vom Pfarrer hierum gestrafet nicht folgen, noch sich bessern, sondern seines eigenen Kopfs muthwillig leben wolte: so soll sich der Pfarrer desselben ernstlich gegen des Orts Obrigkeit, dem Richter und Kirch-Vätern beklagen, und da keine Besserung folgen wolte, sollen die gradus admonitionum, wie mit andern, gehalten; und da er dieselben verachten, und hiervon nicht ablassen würde, soll er seines Dienstes auf Verordnung des Consistorii oder Synodi entsetzet werden: quo more pleraque iudicia ecclesiastica vti solent.

TITVLVS XXXII.

DE

NOVI OPERIS NVNCIATIONE.

§. I.

Noua excessus species in exstructione noui operis.

Tradidi *tit. antec.* conceptum *excessuum*, atque eundem *primario* in transgressione limitum, *potestati*, *iuri officioque* præscriptorum, constitui, variaque eorum genera adduxi. Duas adhuc RAYMVNDVS *excessuum quotidianorum* species notat, in quibus non raro prælati peccare solent: (1) in *exstructione nouorum operum* contra formam pristinam vel in præiudicium tertii: (2) in *concessione* & *exercitio priuilegiorum* indultorum, vel impediendo eorum legitimo vsu. De priori specie agitur hoc titulo, contra quem excessum remedium iuris ciuilis iure canonico approbatum: circa alteram occupatus erit titulus sequens.

Excessus in exstructione ecclesiæ, in præiudicium alterius erectæ.

§. II. Excedit ergo prælatus in ædificando, si in præiudicium alterius capellam vel aliam ecclesiam erigit, vel iam erectam reficit contra pristinam formam, contradicente eo, qui inde læditur, adeoque nouum opus nunciauit. *c. 1. X. h. t.* Id enim magnopere cavendum, *ne minores a maioribus opprimantur*, *sed vt prælati ita iurisdictionem exerceant in subditos*, *vt prodesse probentur potius*, *quam præ-*

esse, vt ait INNOCENTIVS III. *in c. 2. X. h. t.* quæ verba tamen a RAYMVNDO omissa. Hoc applicauit pontifex ad controuersiam, quæ inter archiepiscopum Cantuariensem & capitulum agitata est, de *ecclesia de Lambeth*, quam ille, hoc contradicente, exstruxerat; quia enim *canonicos seculares* in hac nouiter exstructa ecclesia collocauerat, iuste verebantur *monachi & canonici regulares*, ex quibus capitulum constabat, ne Archiepiscopus metropolitanam dignitatem ad ecclesiam nouam & collegium *canonicorum secularium*, quod ex nobilibus & literatis constabat, transferret. Causa ergo plenissime cognita, & quia constabat, contra *nunciationem noui operis* ecclesiam illam constructam esse, mandauit pontifex archiepiscopo Cantuariensi, vt *quicquid in ecclesia de Lambeth post noui operis nunciationem ædificatum esset, expensis suis infra triginta dies faceret penitus demoliri.* Addit rationem ex iure ciuili: *cum cautum sit legitima sanctione, vt si is, cui nouum opus fuerat nunciatum, ante remissionem ædificauerit, deinde agere cœperit, ius sibi esse, ita ædificatum habere, sibi debeat actio denegari.* Ex hoc textu sequentia obseruo: (1) optimum remedium, contra *excessum* in ædificando commissum, de iure canonico constitui in *nunciatione noui operis*, quæ efficit, vt ædificans interim ab exstructione desistere debeat, donec ius ædificandi in iure euictum fuerit; alioquin, si ædificans in exstruendo perrexerit, quicquid post nunciationem noui operis exstructum est, demoliendum esse, *siue iure siue iniuria exstructum fuerit*, hoc est, non obseruata exceptione, quod iure ædificauerit, cum nunciatio omnem fecerit ædificationem illicitam. *c. 1. X. h. t.* (2) Etiam huic remedio locum esse contra exstructionem *ecclesiarum*, quæ quamuis alias insignem fauorem habeat, & *cultus diuini* speciem sapere credatur, quod *tom. III. p. 669.* notatum, in præiudicium alterius tamen non exstruenda, vt monstrant exempla in *c. 1. & 2. X. h. t.*; quocirca etiam demolienda, si contra *nunciationem* exstructa fuit, *quia sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adiuuantur*, quod duplici exemplo recentiori illustratum *tom. III. tit. de eccles. ædif. & repar. §. 78. & 79.* (3) Non esse admittendum prætextum, contra *nunciationem noui operis* factam, quod *pro vitando scandalo publico* integrum non fuerit, ab ædificando ecclesiam desistere. *c. 2. X. h. t.* Hanc exceptionem vrserat archiepiscopus Cantuariensis, & per eam exstructionem nouæ ecclesiæ palliare satagebat. Sed respondit pontifex, quod in his, quæ sine peccato mortali possint committi vel dimitti seu omitti, pro

quod exemplo illustratur,

adhibita nunciatione noui operis.

qua non seruata opus demoliendum,

etiam si ecclesia exstructa,

non obstante exceptione scandali.

pro tollendo scandalo cessandum sit potius, si alius inde lædatur in iure suo. Denique (4) etiam illud ex iure ciuili retentum est, vt, *facta nunciatione*, non statim nuncians teneatur *cautionem de demoliendo* acceptare, sed *trium mensium spatium* exspectandum sit, si intra illud præiudicium probare paratus est nuncians. *c. 3. & 4. X. h. t. l. vn. C. eod.* Variis modis etiam hodie tales committi posse excessus in exstruendis monasteriis vel templis inter diuersæ religionis consortes, obseruatum est *tom. III. tit. XXXVI. & XXXVII. §. 65. seqq.* Prætextus vt plurimum in *simultaneo* quæritur; quid vero hoc aliud est, quam *excessuum infinitorum farrago* per *sanctionem pragmaticam* imperii seuere prohibita? vt obseruaui *tom. III. tit. XLVII. §. 17. sq.*

TITVLVS XXXIII.

DE

PRIVILEGIIS ET EXCESSIBVS PRIVILEGIATORVM.

§. I.

Tria excessuum capita in priuilegiis.

Noua grauissimorum excessuum seges h. t. traditur, quæ sese exserit (1) in *nimia priuilegiorum indulgentia*, in qua grauissime ab omni æuo excessit curia Romana: (2) in eorum *extensione* vltra fines præscriptos, *c. 7. 19. 20. X. h. t.* stricte obseruandos: (3) in obstaculis, quæ legitimo eorum exercitio ab aliis poni solent. Paulo prolixius hæc argumenta quidem iam exposita sunt in dissertat. me præside habita *de finibus priuilegiorum regundis*; sed ne alienum laborem meum facere videar, potiora duntaxat ex *h. t.* depromam, quæ ad excessus circa priuilegia commissos spectant.

Ratio priuilegiorum singularis.

§. II. Rationem *priuilegiorum* iam exposui succincte in *dissert. prælim. tom. IV. §. 26. seqq.* eaque a *iure singulari* & *dispensationibus* distinxi; præterea illustri exemplo *tom. IV. tit. de consanguin. & affin. §. 57. p. 205.* docui, facilem esse in *dispensando* circa gradus prohibitos curiam Romanam, sed difficilem ex rationibus politicis in concedendo *priuilegio* contra prohibitionem graduum; vnde liquido diffe-

 rentia

rentia *dispensationis* & *priuilegii* apparet. Vtraque in eo conuenit, quod a *iure communi* recedat, & *exceptionem* a *regula* constituat, quamvis priuilegium speciatim legem intuitu *certæ personæ* vel *personarum ordinis* in genere in casibus quibuscunque euenientibus constituat. *Priuilegia enim sunt leges priuatorum, quasi priuatæ leges; nam priuilegium inde dictum*, quod in *priuum seu priuatum* feratur, *c. 3. D. 3.* sub quo etiam corpora, sodalitia, imo & personarum ordines veniunt, vnius personæ vice gaudentes. Vnde sequitur: (1) vt priuilegia singulorum non possint facere regulam seu legem communem, *c. 2. 4. C. 26. q. 2.* sed potius instar *exceptionis* a regula considerari debeant: (2) vt non amplianda sint, sed ita tenor eorum seruari debeat, ne eorum *metas* seu limites priuilegiati transgrediantur, *c. 7. X. h.* adeoque in dubio insistendum iuri communi: *c. 19. X. h.* (3) vt limites suorum priuilegiorum excedentes peccent, & pro ratione circumstantiarum puniri possint: *c. 20. X. h. t.* (4) vt limites potissimum ex mente & intentione eius, qui priuilegium concessit, colligi debeant. Vnde, qui priuilegium, de decimis non soluendis, impetrarunt, illud extendere nequeunt ad prædia conducta, quod imperans non eius intentionis fuerit, vt de his etiam immunitatem haberent: *c. 8. X. de decim.* (5) Vt, si de eorum tenore dubitatur, ante omnia sint inspicienda priuilegia: *c. 8. X. h. t.* (6) vt nemo sua auctoritate priuilegia sibi asserere possit, quæ ei non sunt indulta: *c. 9. X. h. t.* (7) vt priuilegia tantum ferre possit, qui legem constituit: (8) vt tamen legislator non intenderit, per priuilegium alicui præiudicium adferre, *c. 2. 5. X. de eccles. ædif. c. 2. X. de relig. domib.* alioquin illud censeatur per subreptionem obtentum: *c. 22. X. de V. S.* (9) vt proinde ita sint interpretanda, ne lædant iustitiam aliorum, *c. 10. X. h. t.* nec ad iniqua extendantur: *c. 8. X. de sentent. excomm.* (10) vt, quia priuilegium lex est, etiam ad casus futuros extendi debeat: *c. 22. X. h. t.* (11) vt, si noxium fieri incipiat, *c. 9. X. de decim.* & in *casu necessitatis*, illud allegari nequeat, quod alioquin *iniquum* fieri incipiat: *c. 2. X. de immun. eccles.* (12) vt priuilegium nemini concedendum absque prægnante & iusta causa: *c. 9. X. h. t.* (13) vt priuilegia ecclesiis & ordinibus sacris concessa per non-vsum XL annorum amitti queant: *c. 15. X. h. t.* (14) vt propter grauem excessum seu abusum & scandalum tolli queant: *c. 3. X. h. t.* (15) vt vnusquisque etiam suo priuilegio verbis vel factis renunciare queat: *c. 6. X. h. t. c. f. X. de vita & honest. cleric. c. 22. X. de præbend.* (16) vt pontifex per priuilegium nouum non censeatur in aliquo derogare

Conclusiones inde deductæ.

rogare

rogare priuilegio alterius a se ignorato, *c. 1. de constit. in 6.* quod ex conclusione in *n. 9.* fluit. Hæ similesue conclusiones ex natura *priuilegiorum* propria fluunt, insimulque ostendunt, infinitis modis intuitu horum *excedi* posse.

§. III. Etenim (I) exceditur a parte eius, qui priuilegia concedit, ea vltra modum multiplicando. Hoc excessu ab aliquot seculis laborauit *curia Romana*, infinitasque gratias per priuilegia regibus, principibus, aliisue potentioribus; præcipue vero ecclesiis, altaribus, monasteriis, sodalitiis, ordinibus, ceteris, concessit, vt succincte *differt. prælim. tom. IV. §. 62. seqq.* monstraui. Parce admodum & circumspecte vsque ad seculum XI. priuilegia olim concessa a sede Romana, non sine consensu episcoporum, inprimis quorum intererat, & approbatione Synodali, accedente etiam autoritate imperiali & regia, vt plenius ESPENIVS *P. III. iur. eccles. tit. 12. c. 3.* & IO. LAVNOIVS *tom. III. oper. P. 2.* monstratum iuerunt. Hoc modo in *regula* vbique subsistebatur, atque *iure æquali* & *communi* vtebantur vtplurimum ecclesiæ & monasteria. *Exemtiones* rariores, & hac præcautione indultæ, vt consensu eorum, quorum intererat, fierent, ceu *tom. III. tit. de statu monach. §. 25. seqq.* docui. Enimvero circa hoc tempus ad augendum immensum potentatum suum noua assumsit principia, sibique (I) vindicauit *absolutissimam* potestatis vniuersalis *plenitudinem*, ceu *tit. de excess. prælat. §. 1.* monui, omnesque limites, quibus antea inclusa fuit, prorsus respuit. Hunc in finem pontifices de amplitudine sui imperii, ac de summa potestate Petro data, tædiose in omnibus diplomatibus loquuntur, vt hæc principia omnibus inculcent, & se ad caussam legitiment. Præterea (II) ad hunc obtinendum finem necesse erat, omnium episcoporum & archiepiscoporum infringere iura, eorumque potestati subducere monasteria, hospitales domus, aliaque ordinum religiosorum sodalitia. Hoc modo enim pontifex vbique locorum sibi *immediatas diœceses* formabat, & acquirebat, episcoporum vero potestatem per *exemtiones quotidianas* minuebat, vt *tom. III. tit. de statu mon. §. 31. seqq.* docui, ad suam vero insignes faciebat accessiones, cum graui ecclesiarum scandalo & noxa. Quæ mala enim ex his *exemtionibus* nata fuerint, experientia docuit, vt posterior ætas in medicina huic rursus adferenda magnam adhibuerit sollicitudinem. (III) Pondus quoque grauissimum autoritati papali accessit per largissimas priuilegiorum concessiones, etiam regibus, principibus, & quibuscunque potentioribus indultas, quos hac gratiosa & indulgentissima

1) Excessus ratione concedentis, exemplo curiæ Romanæ.

In exemtionibus concedendis.

Ex rationibus politicis.

ma methodo ſub ſua deuotione, fide, & ſubiectione confirmabat, imo ſibi arctius conſtringebat. Quo vberior enim occaſio eſt, beneficia aliis conferendi, eo magis etiam alios nobis deuinctos tenemus. Quia etiam (IV) tam facilis erat curia Romana in concedendis priuilegiis, ab omnibus angulis mundi frequentiſſimus erat ad ſedem Romanam recurſus, neglecta & poſthabita epiſcoporum autoritate; eo ipſo vero effectum eſt, vt omnes pontificem adorarent, eius poteſtatem extollerent, & ſe ad principia aulæ Romanæ noua conformarent, vt etiam ab hoc theſauro immenſarum gratiarum aliquid participarent, vt illuſtratum *diſſert. prælim. tomi IV.* Sicuti vero (V) hæc profuſiſſima priuilegiorum conceſſio ſummam *inæqualitatem iurium* introduxit, alias in republica præcauendam; ita hæc pontifici quoque profuit, ad minuendam aliorum magiſtratuum eccleſiaſticorum poteſtatem, qui tandem more aliorum maieſtatem curiæ Romanæ ſubiectiſſime venerandam cenſuerunt, vt etiam variis gratioſis priuilegiis ſuas diœceſes & prælaturas exornarent, ne deterioris conditionis aliis eſſent. Inprimis (VI) ſchiſmata, quæ aliquoties ſedem papalem infecerunt, cumulum priuilegiorum auxerunt, quod ſinguli pontifices id curæ cordique habuerint, vt vires factionis ſuæ, quam *obedientias* vocarunt, augerent, omnibusque, qui ſibi adhærebant, ſponte & proprio motu gratioſas conceſſiones offerrent. Tandem (VII) curia Romana cognitum perſpectumque habuit, verum fundatumque eiſe principium, quod PETRONIVS in *Satyr. p. m. 500. ex edit. Hadrianidis* ex corrupti ſeculi ſententia laudat:

Inprimis ad corradendos theſauros.

Quisquis habet nummos, ſecura nauiget aura,
Fortunamque ſuo temperet arbitrio,

item:

- - - *quiduis nummis præſentibus opta,*
Et veniet, clauſum poſſidet arca Iouem.

Rarius gratis conceſſa priuilegia. Hæc optimus acquirendi modus fuerunt, vt Romæ *publica merces* facta, & cuicunque emtori venum expoſita. Etiam ab antiquo in curia Romana illud HORAT. *lib. II. ſat. 3.* valuit:

- - - - - - - - - *omnis enim res*
Virtus, fama, decus, diuina humanaque pulchris
Diuitiis parent.

Neque

Neque ſine ratione hoc commercium & nundinatio introducta, quod ſine *neruo rerum gerendarum* non poſſit diu vlla ſubſiſtere potentia, quamuis ab omni æuo a ſanioribus hæ ſordes notatæ & improbatæ fuerint, ceu prolixiori opera euicit M. ANTON. DE DOMINIS *de republ. eccleſ. lib. IX. c. 9.* Varios hoc ipſo aperui fontes, ex quibus *exceſſuum* inſignis farrago in rem chriſtianam prorupit, non absque grauiſſima rerum omnium confuſione & perturbatione. Quodſi alias gratioſas vias vel quaſi, per *diſpenſationes indulgentiasque* bene merendi his addideris, quas denudaui in *diſſ. præ lim. tom. IV.* immenſum *exceſſuum* papalium mare obuium erit, de quo tamen *h. t.* altum ſilentium. Hoc vero ſub grauiſſimo exceſſu vigor legum eccleſiaſticarum, quibus in *priuilegiis* derogatur, exaruit: diſciplina eccleſiaſtica deliquium ..gens paſſa: mutatio omnium rerum introducta: morum corruptio altiores egit radices, nihilque incolume & intactum ab hac perturbatione & confuſione relictum, ſed ſemina ad infinitas discordias, æmulationes, & lites ſparſa ſunt. Agnouerunt hoc etiam Tridentini, *ſeſſ. XXIV. de reform. c. 11.* faſſi, *priuilegia & exemtiones perturbationem in epiſcoporum iurisdictionem excitare, & exemtis occaſionem laxioris vitæ præbere.*

2) Priuilegiatorum exceſſus.

§. IV. Sed progredior (II) ad *priuilegiatorum exceſſus*, contra quos hic titulus directus. Horum exceſſuum plena ſunt omnia, quia ipſa ſedes Romana, omnium ceterarum eccleſiarum magiſtra, vti vocari voluit, limites poteſtatis ſibi conceſſæ *vltra modum* per omnia ſecula transgreſſa eſt, & quotidie adhuc eos egreditur. Huius exemplo etiam reliqui ex ordine clericorum priuilegiatorum vtendum credunt, maxime religioſi, qui *exemtionis priuilegio* a iurisdictione ordinarii muniti ſunt, & ea occaſione iura epiſcopalia inuaſerunt, atque omnia turbarunt. Notantur ſpeciatim in *c. 3. X. h. t.* fratres templi & Hoſpitalis aliique religioſæ profeſſionis, quod *indulta ſibi ab apoſtolica ſede excedentes priuilegia, contra epiſcopalem autoritatem multa præſumerent*, & vt dicitur in *c. 12. de exceſſ. prælat.* Abbates, *finibus non contenti, manus ad epiſcopalia extenderent.* Speciatim Templarii & Hoſpitalarii, *cum diu in honeſto ſe conſeruaſſent propoſito, neglecta humilitate, domino Patriarchæ Hieroſolymitano ſe ſubtraxerunt, obedientiam ei, quam eorum prædeceſſores eidem exhibuerant, denegantes*, vt ait WILHELMVS TYRIVS *lib. XII. hiſtor. Hieroſolymit. in vita Balduini II. regis c. 7.* Exemtionem enim a ſede Apoſtolica impetrarunt, eique *immediate* ſubiecti ſunt, quo ipſo pontifex ingentem numerum

Maxime templariorum, hoſpitalariorum aliorumque religioſorum,

bene-

beneficiorum ecclesiasticorum & dioecesium immediatarum sibi acquisiuit, ipsi vero ordines cristas admodum contra episcopos erexerunt. Huc (2) refertur in *c. 3. X. h. t.*, *quod ecclesias & decimas de manu laicorum sine consensu episcoporum* reciperent, easque per *vicarios* administrarent, reditus vero potiores inde redundantes suos facerent, quod qua ratione accipiendum, secundum historiam & mores temporum optime explicat PETRVS DE MARCA *in not. ad c. 7. concil. Claromont.* in calce *tract. de concord. sacerd. & imp.* a me adiectis. Cum enim pedetentim exemplo *regularium* se albo *clericorum* insertos animaduerterent, nihil prius nihilque potius iis fuit, quam altaria seu *ecclesias parochiales*, a laicis olim maxime in Gallia ex inuestitura regia possessas, ad sua trahere compendia. Hoc eo facilius efficere poterant, quod (a) paratam pecuniam in promtu haberent, laici vero (b) diutius eas metu excommunicationis, quo perculsi erant variis in conciliis, retinere non possent, & quamuis (c) in pristinam libertatem sub episcopis essent restituendae, hoc (d) tamen non fiebat, postquam horum ordinum potestati subiiciebantur, id quod episcopis admodum graue & permolestum fuit. (3) *Quod excommunicatos & interdictos ad ecclesiastica sacramenta & sepulturam in suis coemeteriis admitterent. c. 5. X. h. t.* Vtut enim quaedam monasteria ea gaudeant immunitate, vt tempore *interdicti* sacra administrare queant; ea tamen non est ad abusum trahenda, & ad eos extendenda, qui excommunicati & speciatim interdicti erant. *c. 24. X. h.* (4) *Quod in ecclesiis suis, quae ad eos pleno iure non pertinebant, praeter episcoporum conscientiam instituerent & amouerent sacerdotes*, & sic iura episcopalia affectarent. *c. 3. vers. in ecclesiis. X. h. t.* Sic enim ait pontifex in *c. 7. X. h. t. eos volumus priuilegiorum suorum seruare tenorem, quod eorum metas transgredi minime videantur.* Pariter (5) huc quorundam religiosorum pertinet excessus, quibus per priuilegium datum erat, vt, si forte ad locum interdicto subiectum venirent, in eorum *iucundo aduentu* semel in anno aperirentur *ecclesiae*, vt exclusis speciatim excommunicatis, diuina ibidem officia celebrarentur, quod illis lucrosum, interdictis vero solamen adferebat. Quia vero *ecclesiarum* in numero plurali mentio in priuilegio facta erat, religiosi id ita accipiendum credebant, vt *omnes* loci interdicti *ecclesiae* illorum celebrationi libere paterent. Hos in *excessu* peccasse censet pontifex in *c. 24. X. h. t.* atque priuilegium tale stricte de *vna* tantum *ecclesia* intelligendum; quamuis etiam verba priuilegii circumspecte magis

magis concipienda fuissent, ne hunc excessum generare potuerint. Alium excessum (6) notat pontifex in *c. 10. X. h. t.* quod templarii & hospitalarii, oratoria in suis domibus habentes, campanas in eis suspenderent, pulsarentque, quod pontifex reprobat, addito hoc epiphonemate: *ita sint suo iure contenti, quod iustitiam non impediant aliorum.* Quantum itaque fieri potest, priuilegium stricte accipiendum, ne lædat nimium *ius commune;* alioquin *excessus* committitur, qui si enormior est, amissionem priuilegii operatur. *c. 24. X. h.*

§. V. Sed etiam (III) excedere possunt, qui priuilegiatos in vsu iuris quæsiti impediunt, illudque ita restringunt, vt prorsus *inane & sine effectu* imo *elusorium* fiat. *Plenissimam* in beneficiis fieri *interpretationem* pontifex in *c. 22. X. h. t.* ait, quod ita accipiendum sana ratione, vt *effectum plenum* habeat, quem is, qui priuilegium concessit, ei tribuere voluit. Quocirca (α) si pontifex *indefinite* decimas episcopales remisit monasterio, hoc non tantum intellexisse videtur de decimis possessionum illius temporis, sed etiam *futuri*, vt ad postea adquirendas trahi debeat, quod *indefinita immunitas* alias *plenum effectum* non haberet. *c. 22. X. h. t.* (β) Constat ex *c. 30. X. h. t.* fratribus prædicatoribus & minoribus indultum fuisse, vt, vbicunque fuerint, sine parœcialis iuris præiudicio cum *altari viatico* seu *portatili* celebrare missam valerent. Quidam stricte interpretando hanc indulgentiam asserebant, fratres prædictos hoc *sine prælatorum adsensu* facere non posse. Enim vero recte obseruat pontifex in *c. 30. X. h. t.* hanc interpretationem esse mere sophisticam, eaque stante, reuera per *indulgentiam* memoratam illis nihil collatum fuisse, sed priuilegium plane otiosum; etenim si ad eius vsum *assensu prælatorum* opus esset, etiam *citra indulgentiam papalem* cum altari viatico diuina celebrare possunt, vbi episcopi consenserint. (γ) Singularis quidam excessus refertur in *c. 26. X. h. t.* quo callida machinatione priuilegium effectu omni destituebatur. Impetrauerant monachi Cluniacensis congregationis a PIO IV. priuilegium, vt ab episcopis excommunicari aut interdicto subiici haud possent. In fraudem huius priuilegii quidam episcopi vel eorum officiales non directo quidem excommunicabant, sed *per indirectum* tamen, in eos, qui cum eis per commercia publica communicabant, in eorum molendinis molebant, vel eis vendebant, aut ab eis emebant, sententias excommunicationis proferebant, & sic *priuilegiorum apostolicorum non vim & potestatem sed sola verba seruantes dicti ordinis monachos quodammodo excommunicabant*, dum

3) **excessus eorum, qui callida interpretatione priuilegia impediunt.**

eis alios communicare non finebant, in quo primarius *excommunicationis* effectus consistebat. Quia vero hoc *in fraudem priuilegiorum* excogitatum, merito ferendum non fuit. Conf. *l. 1. §. 2. ad municip.*

TIT. XXXIV.

DE PVRGATIONE CANONICA.

§. I.

Vsus huius thematis.

Insignis est *iuramenti purgatorii* vsus hodie *in criminalibus*, forensi teste praxi, quæ vnde ortum traxerit, in quo fundata sit, in contentionem vocatum est. Forsan vero inutile ineptumque dici posset, in *fundamentum iuris* inquirere, cuius *existentiam* nemo in dubium vocat. Sufficere fortasse videtur, iuramentum hoc in *criminali* praxi esse medium eruendi veritatem, æque vt *torturam* & *territionem*: secundum hanc sententiam quotidie ius dici: denique vsum, obseruantiam, communemque doctrinam præsidium tutissimum huic praxi præbere. Ita vero philosophantur, quibus volupe est, iurisprudentiam reddere lubricam, incertam, hiulcam & prorsus deformem. Etiam vsus atque obseruantia *fundamento* iuris niti debet, alioquin vim nullam operari potest. Quod enim primum *errore* receptum, deinde *consuetudine* obtentum, in aliis similibus haud obtinebit, *l. 39. de LL.* Sed non adeo ambigendum de natalibus huius *iuramenti*, cuius fundamenta *hic titulus* adeo aperte prodit, vt, si ex antiquitatibus, prout decet, illustratur, vera huius iuramenti ratio, in *criminalibus* maxime, in propatulo sit.

Indoles iuramenti purgatorii.

§. II. Iuramenti *purgatorii* indoles non adeo in obscuro est. Defertur id *reo*, & quidem a iudice, *ex officio*, ad se purgandum a *suspicionibus*, quibus grauatus est; quo præstito, absolui debet. *Necessarium* hoc iusiurandum vocant, quod non dependeat ex *delatione litigantium*, sed ex *iudicis decreto* & *impositione*. *Inuito* ergo etiam defertur, imo & inuito aduersario. Qui illud, postquam delatum est, præstare renuit, pro confesso habetur, atque condemnatur. De hoc iura-

Status controuersiæ.

iuramento itaque quæritur, vtrum eidem locus ſit, ſi *criminaliter* de crimine agitur, ad hunc effectum, vt poſt eius præſtationem abſolui, poſt recuſationem vero condemnari debeat? & ſi locus eſt, (id quod *fora criminalia* hodie calculo ſuo atque ſuffragio profitentur) quo iuris fundamento hæc admiſſio nitatur? Vtrum *certo iure* conſtet, an vero *error* ei inſeruiat?

§. III. Non deeſſe enim inter ICtos grauiſſimos, huius ſententiæ, quæ vſum hunc damnat reprobatque, auctores patronosque, ante omnia oſtendam, vt ſimul ob oculos ponam, non ſine ratione fundamentum huius vſus in dubium vocari. Iam olim hæc quæſtio magnis animi motibus agitata fuit inter MARTINVM & IOANNEM antiquiſſimos gloſſatores: illum eius vſum prorſus reprobantem, nulloque iuris fulcro niti aſſerentem; hunc vero in contrarias euntem partes, cuius ſententia præualuiſſe videtur. ANTONIVS MATTHAEI *de criminibus lib. 47. tit. vlt. c. 1. n. 6. in f.* itidem MARTINI doctrinam recipit, &, *neque enim*, ait, *in cauſis criminalibus rei exacto iureiurando interrogantur; tametſi id Italiæ totius conſuetudine obtinuiſſe teſtentur; neque honeſtum eſt aut pium ſatis, iuſiurandum deferre ei, quem ſciamus peieraturum eſſe, vt recte c. qui exigit. C. 22. q. 2. traditur. Quid enim proficiemus aliud, niſi vt crimen crimini adiiciatur, quique iam reus homicidii aut furti eſt, adiungat etiam ad priora ſcelera periurium? Itaque ſi delatum fuerit, & peierauerit reus, detecto periurio, duplici pœna dignum putauerim; & quod peierauerit, & quod criminis, cuius inſimulabatur, conuictus ſit.* Prolixius hanc doctrinam illuſtrauit, variisque argumentis roborauit IO. ZANGER. *in orat.* tract. *de quæſtione* ſubiecta, *de controuerſo iuris articulo: vtrum reus in delictis, quæ pro atrocitate vel pœnam ſanguinis vel infamiam merentur, ſub iuriſiurandi fide interrogari debeat?* MARTINI ſe diſcipulum ſectatoremque in hac doctrina eſſe profitetur, nec vllum ei præſidium ex SS. literis adeſſe cenſet. Inprimis vero vrget, dictum *Exod. XXII, 11.* accipiendum de damno dato, reſpectu cuius *ciuiliter* agitur, in quo caſu iuramentum hoc admittit; id vero ad *crimina publica*, iudicio publico vindicanda, non extendendum: magnam eſſe diuerſitatem inter cauſas *ciuiles* & *criminales*: in his metum præſentiſſimi adeſſe periurii, nec dubitandum, eum, qui deliquit, vt vitam aut famam redimat, peieraturum, vel ſuſcepto periurio crimen ante patratum negaturum: exiſtimaſſe ſapientiores, illum ſtulte dubitare de peierando, qui facinus periurio par non dubitaſſet committere: metu pœnæ perturba-

Fundamentum huius thematis a quibusdam in dubium vocatur, vt a Martino,

Antonio Matthæi,

Zangero.

turbatum hominem vix vnquam maiorem fidei ad homines habiturum rationem, quam pietatis erga Deum, quem turpitudine sceleris offendere antea non est veritus: iudicem, dum occasionem præstat periurii, socium fieri eiusdem periurii: non esse hoc adeo necessarium, vt omitti non possit aut debeat, cum nec lex Dei, nec humana id exigat, adeoque iudicem contra legem hoc iuramentum imponere: tutius iudicem facere, si nocentem dimittat, quam permittat, vt nomen Domini vane vsurpetur: esse præterea hanc delationem admodum *periculosam* intuitu eius, qui deliquisse dicitur, quem, si iurare recusat, (quod forsan ab omnis iuramenti præstatione alienus sit) omnes condemnandum censent, id quod crudele censendum: hoc modo tædio vitæ reum iuramentum recusare posse: ceterum iurantem minime innocentiam propterea ostendere, cum plerique tam impii sint, vt metu pœnæ periurium committant, id quod cum vt plurimum fiat, ab eo, non quod rarius fit, desumendas coniecturas: non obstare *vsum forensem;* non enim sequendum, quod hominum opinione introductum, sed quod legi diuinæ & humanæ consentaneum est; amicum Platonem, amicum Socratem, magis vero amicam esse debere veritatem. His præmissis argumentis, IOHANNIS glossatoris fundamenta examinant, iisque satisfacit, quæ statim in medium producam.

Patroni huius iuramenti in criminalibus,

§. IV. Liquet vero ex dictis, vsum *purgatorii iuramenti* telis haud spernendis peti, imo vero prorsus destrui atque conculcari. Quid ergo ad hæc IOANNES *Glossator?* quid eius sequaces, vt CARPZOVIVS *in praxi crim. qu. 116. n. 62.* LAVTERBACHIVS *tit. de iureiur. §. 46.* aliique? Prouocant ad varios iuris ciuilis textus, indeque suæ sententiæ fulcra deriuant. Etenim *lege Cornelia de iniuriis* permittitur actori iusiurandum reo deferre, vt iuret, se non fecisse; condemnatus autem de iniuria non tantum infamiæ, sed alia etiam pœna afficitur, *l. f. D. de iniur.* & consequenter, qui se ipsum condemnat, quod iurare forsan nolit, recte infamis censendus & puniendus. Etenim vero 1) probari nequit, etiam deferri posse iuramentum in iniuriis, quoties ex lege Cornelia *criminaliter* agitur. 2) Dubitat ZANGER *cit. l.* cum DONELLO aliisque, vtrum, si ex *iureiurando* vel *recusato* vel *relato* reus condemnatus, infamis fiat? de quo mox mentem declarabo meam, &, si vel maxime hic effectus sequatur, inde tamen *in criminalibus* vsus huius iuramenti non euincitur, quæ ad pœnam atrociorem tendunt. Sed ab vlteriori responsione facile abstineo, cum otium mihi hic fecerit ICtus Belga præstantissimus IOANNES *van de* WATER *lib. II. obs.*

eorumque fundamentum.

n. obs. iur. Rom. c. 10. vbi etiam sugillat sententiam criminalistarum, quam hic examino, & ait: *In criminibus publicis, si quando ab vtraque parte sunt dubia probationum argumenta, opinantur, reo a iudice iusiurandum, quod barbare vocant* PVRGATIONEM, *deferri posse, quo se a crimine liberet, suamque innocentiam iudici persuadeat. Habuit hæc sententia autores Castrensem, Bartolum, Iasonem aliosque, quorum ingenia inculta & obscura sequioris æui barbaries obnubilabat.* Ceterum quod in *l. 9. §. 2. de iurei.* aliisque etiam condemnationi ex iureiurando effectus *infamiæ* tribuatur, id ex *voluntate* rei factum videtur. Quid enim, si actor in causa famosa iuramentum reo *detulerit*, ille vero actori *retulerit*, atque hic iurauerit? Merito sua propria voluntate, æque ac is, qui paciscitur, fit infamis. At vero inde non arguendum, etiam eum infamem fieri, qui a iudice delatum iuramentum præstare recusauit, quoties *ciuiliter* agitur. Nam etiam de causa ciuiliter mota intelligendus VLPIANVS in *l. 6. §. 4. de his qui not. infam.* vbi ita: *sed & si iureiurando delato iurauerit quis, non deliquisse, non erit notatus, nam quodammodo innocentiam suam iureiurando approbauit.* Loquitur ICtus *de iureiurando delato* ab actore, quod ad causas *criminales* trahi nequit, in quibus iuramenti delatio regulariter cessat. Effectum præstiti iuramenti quoque ostendit, quod *quodammodo* innocentiam suam iureiurando approbauerit, vnde euincitur, per iuramentum innocentiam plene ostendi atque probari non posse, quod tamen in *criminalibus* desideratur.

Noua argumenta patronorum huius sententiæ.

§. V. Grauiora supersunt pondera, a ZANGERO ne quidem tacta, in quorum ἐνέργειαν inquirendum erit. Primum desumitur *ex l. 6. §. 4. vers. sicubi C. de his qui ad eccles. conf.* quæ in fauorem eorum, qui ad ecclesiam fugerent, lata, simul tamen prouisum, ne debitorum, profugium in templis quærentium, bona a clericis abscondantur. *Sicubi*, ait, *deposita vel commodata dicuntur, inquirendi talem volumus esse cautelam, vt si sola suspicione apud aliquem adseruantur abscondita, de sua etiam conscientia satisfacere auctoritate venerabilis antistitis iubeatur. De causa ciuili* in hoc textu agi, nemo forsan in dubium vocabit, a qua argumentum ad causam *criminalem* trahere admodum temerarium est. Eadem est ratio *l. f. §. 5. C. de iure domin. impetr. l. f. §. 10. C. de iure delib. l. f. C. de fid. instrum. l. f. §. vlt. in f. de bon. aut. iud. poss. l. 26. in f. C. de vsur.* & tamen hos textus coaceruat CARPZOVIVS *cit. l.* eosque pro imponendo iuramento purgatorio his, qui *crimine suspecti* sunt, adducit, qui tamen, si quid probant, tan-

tantum euincunt, eidem locum esse in *causa ciuili*. Propius ad rem facit *auth. nouo iure C. de pœn. iud. qui male iudic.* quæ de *corrupto magistratu* agit, disponitque, qua ratione cum negante corruptionem procedendum. *Sed si datum*, ait imperator, *vel promissum probare litigator nequiuerit, persona, quae dicitur suscepisse, iuret, quod neque per se, neque per aliam personam accepit, aut promissionem habuit, & sic libera sit - - Sed si persona a litigatore manifestata prædictum iusiurandum refutauerit, memoratis subiaceat pœnis.* Ad *iuramentum purgatorium* hæc referenda esse sole clarius esse videtur, quod etiam agnoscunt RICHTER *ad cit. auth. in f.* STEPHANI *ad nou. 123. n. 2.* indeque plerique inferunt, generaliter merito recipiendum esse in quibuscunque *caussis criminalibus*, quod hic in iudice corrupto *speciatim* constitutum est. De hac doctrina tamen dubitasse iam olim videtur BRVNNEMANNVS *ad cit. auth. n. vlt.* & plura singularia in *hac auth.* occurrere censet. Id inprimis inter *singularia* referendum, *quod*, vt ait BRVNNEMANNVS, *iuramentum iudici deferatur, licet pars nihil probauerit*, quod constitutum esse in odium corruptorum iudicum arbitratur. Addere posses, alias quidem alleganti propriam turpitudinem non credi in præiudicium tertii; hic vero litigatori fasso, se iudicem corrupisse, eatenus fidem haberi, vt ille vel iurare, vel pœnas subire teneatur. Id vero ad *iuramentum purgatorium* referri nequit, quod nemini ex *doctrina communi* defertur, nisi indiciis atque suspicione admodum oneratus fuerit. Sola imputatio *socii criminis* neminem grauat; quis autem negaret, *corrumpentem* æque *socium criminis* fore ac quidem *corruptum?* in pari vtique sunt reatu; & tamen corrumpentis confessio hic operatur, vt iudex iurare, se nihil accepisse, aut pœnam subire debeat. Quæ cum ita sint, quis ex hoc textu colligeret, in genere in *criminalibus* deferri posse suspicione grauato iuramentum purgatorium? cum quod *singulari iure & exorbitanter*, constitutum, non sit trahendum ad consequentias, *l. 14. D. de Leg.* sed potius *exceptionem* constituat, *a regula* deuiantem, quod etiam agnoscit ANTON. MATTHAEI *de crimin. lib. 48. tit. 15. c. 6. n. 1. in f.* Denique sicuti iuxta *nou. 124. c. 1.* litigantes in quauis causa statim ab initio litis iurare debent, se nihil iudici dedisse corruptionis causa, quod iuramentum tamen ad illam speciem, de qua hic agimus, referri nequit; ita pari ratione iudex aliquando *idem iuramentum* præstat, videlicet, si quis ex litigantibus fassus fuerit propriam turpitudinem. Pertinet hoc ad capitula

iura-

iuramenti calumniæ, adeoque ad hoc potius, quam *purgatorium* diſpoſitio IVSTINIANI referri poteſt.

§. VI. Nullum ergo ſolidum præſidium pro vſu iuramenti purgatorii in *criminalibus* ex *iure ciuili* peti poſſe, hactenus euictum eſt, quod etiam analogia iuris Romani corroborat. Prætor in edicto, quo iusiurandum tuetur, tantum de *actione*, non *accuſatione* loquitur. Addit MATTHAEI *cit. l.* nullum huius rei exemplum apud veteres Romanos legi. Accuſatoris enim erat, crimen imputatum probare, & quidem *euidenter*, *perſpicue*, *plene*; ſi crimen probari non poterat, reus dimittebatur, & accuſator ex *vinculo inſcriptionis* condemnabatur: quandoque tamen in defectu *legitimarum probationum* ad *torturam* iudex procedebat, ſi indicia & argumenta veroſimilia iudicem mouebant, & perſonarum conditio id patiebatur. *l. 8. §. 1. l. 12. C. de quaeſt. l. 1. pr. §. 4. l. 8. l. 9. l. 18. §. 1. l. ſ. D. eod.* Ita vero *iuramentum* reus non admittebatur, quod nec accuſator ei deferre poterat, nec iudex: non ille, ob metum præſentiſſimum periurii, & quia tantum in ciuilibus controuerſiæ per *delationem iuramenti* decidebantur: non iudex, ob easdem rationes, easque, quas ſupra ex ZANGERI *oratione* in medium protuli. conf. ANTON. MATTHAEI *cit. c. 7.*

Deficit fundamentum in iure ciuili.

§. VII. Abunde ergo origo huius moris, ab inſtitutis legum ciuilium alieniſſimi, peti, ſimulque oſtendi debet, qua ratione tandem in praxin noſtram criminalem deriuatus fuerit. Videlicet primarium huius doctrinæ fundamentum latitat in *hoc titulo*, aliisque *iuris canonici* ſcitis, vnde in leges ciuiles aliorum populorum translata, & legibus domeſticis Germaniæ tandem approbata eſt. Quo tempore, quaque lege eccleſiaſtica demum introductum fuerit, non ſatis expediri poteſt. Qui GREGORIVM M. autorem huius *purgationis* faciunt, recte a CIRONIO *ad h. tit.* notantur erroris; quamuis enim in huius pontificis ſcriptis ſæpe numero huius moris ſeſe purgandi per *iuramentum* fiat mentio; eius tamen vt inſtituti antiquioris mentio iniicitur, ſicuti ante eum quoque PELAGIVS papa ſponte eo vſus legitur circa medium ſeculi VI. Ita enim ANASTASIVS *in vita eius: Eodem tempore Narſes & Pelagius papa conſilio inito data litania a S. Pancratio, cum hymnis & canticis ſpiritualibus venerunt ad S. Petrum Apoſtolum. Qui Pelagius tenens euangelium & crucem Domini ſuper caput ſuum in arborem aſcendit. Et ſic ſatisfacit cuncto populo & plebi, quia nullum malum peregiſſet contra Vigilium.* Ad hoc remedium haud confugiſſet papa, niſi iam in morem diu abiiſſet, ſeſe purgandi per *iuramen-*

Vnice ex iure canonico fundamenta huius ſententiæ petenda: non tamen Gregorius primus huius iuramenti autor fuit. cum iam Pelagius eo vſus fuerit.

Seculo V. iam in LL. Salicis eius mentio facta.

mentum. Imo iam seculo V. eius vsum hinc inde fuisse, vel ex *legibus Salicis* colligi potest, in quibus vestigia quædam occurrunt, vt fere credam, hoc seculo passim hanc purgationem obtinuisse, non quidem *lege quadam scripta ecclesiastica*, sed magis *non-scripta*.

Vsus huius iuramenti apud gentes plurimas,

ex iure ecclesiastico,

§. VIII. Hæc res effecit, vt GONZALEZ ad *can. 16. X. h. t.* suspicione illa caperetur, genus hoc *purgationis* apud varias gentes inualuisse; qua vero occasione contigerit, non declarat. Ceterum omnino atque expeditum est, plures populos hunc morem recepisse; vt *Francos*, *Alemannos*, *Anglos* &c. ceu leges eorum declarant, vtrum vero hi illum ab *ecclesia*, an vero hæc ab illis petierit? non adeo euictum est. Prius probabilius existimo; quamuis enim *lex ecclesiastica* deficiat, quæ primos eius natales tradat; non desunt tamen coniecturæ, ex *doctrina ecclesiastica* hunc morem gentibus commendatum, traditum, atque in praxin deductum fuisse, quia tunc demum in *leges forenses* receptus est, quo sacra christianorum recepta & publice approbata sunt. Huc sine dubio respexit HINCMARVS, *tom. 1. oper. de diuort. Loth. & Tetb. p. 600.* &, *quæ sacramenti purgatio*, ait, *in ecclesiasticis & in exteris legibus vsitatissima, & de fidei veritate etiam a primis seculis esse constat exorta.* Tribus prioribus seculis ab eius vsu sine dubio abstinuere Christiani, cum ab *omni iuramenti præstatione* essent alienissimi, censentes, Christianum salua pietate iurare non posse. Ast seculis sequentibus iuramenta passim restituta & a *laicis* exacta: dico a *laicis*, cum *clerici* pristino mori diutius insisterent, & ab vsu iuramentorum extra casum *summæ necessitatis* abstinerent.

Olim duello gentes bellicosissime sese purgabant.

§. IX. Videlicet apud bellicosissimas gentes, Francos, Longobardos, Alemannos ceterosque iam dudum in morem abierat, vt *duello* lites finirent, & innocentiam suam manifestarent. Hæc *monomachia* erat species *purgationis publicæ*, quæ adeo altas egerat radices, vt per plura secula eradicari haud potuerit, dum legibus antiquis non tantum approbata, sed etiam variis modis determinata, & vsque ad tempora *speculi Saxonici* producta, in quo plurima de hoc *duellico iudicio* occurrunt. Non dubitandum est, hunc morem primum *moribus* gentium *bellicosis* & ad feritatem pronis adscribendum esse. Memorat VELLEIVS *lib. II. c. 118.* Germanos solitos fuisse lites *armis discernere*, non *iure terminare*, de quo plenius agit BASNAGE *dans son traité historique sur les duels.* Populis hisce ad sacra Christianorum conuersis non desiit vsus *monomachiæ*; interim vt speciem *pietatis* & *iustitiæ* haberet, nouo quodam commento inuolui debuit.

Dei

Dei iudicium in tali certamine agi, creditum traditumque fuit, quod *iusto* suo iudicio Deus manifestaret rei veritatem, & ex euentu duelli ostenderet, vtrum reus criminis esset innocens an plectendus? Sub hoc encomio passim in legibus antiquis monomachia approbata & præscripta est. In *LL. Longobard. lib. I. tit.* 15. §. 2. dicitur: *tunc per campionem i. e. per pugnam ad* DEI IVDICIVM *decernatur.* In *lege Burgund. tit.* 45. *ita vt vnus de iisdem testibus, qui ad sancta conuenerant sacramenta,* DEO IVDICANTE *confligat.* In *LL. Baiuuar. de anno* 630. *tit.* 2. *c.* 2. *apud* BALVZ. *tom. I. capit. p.* 101. eadem traditio repetitur: *Si autem vnus fuerit testis, & ille alter negauerit, tunc* DEI *accipiant* IVDICIVM, *exeant in campo, & cui Deus dederit victoriam, illi credatur.* Similiter *tit.* 17. *in f. tunc spondeant pugnam duorum & ad* DEI *pertineat* IVDICIVM. Adeo vero hæc sententia communis fuit, vt scriptores passim eius mentionem iniiciant. GREGORIVS Turonensis *lib. VII. c.* 14. eam his verbis confirmat: *Ast si quis est similis mihi, qui hoc crimen impingat occulte, veniat nunc palam & loquatur, tu, o rex piissime, pones hoc in* DEI IVDICIO, *vt ille discernat, cum nos in vnius campi planitie viderit decertare.* Præter monomachiam etiam alii modi innocentiam purgandi recepti erant, qui itidem sub inuolucro *iudicii* alicuius *diuini* defendebantur, quod inter alios ostendit AGOBARDVS in *libr. de diuinis sententiis digesto cum breuissimis annotationibus contra damnabilem opinionem putantium, diuini iudicii veritatem igne vel aquis vel conflictu armorum patefieri.* In compendio GERHARDVS du BOIS in *histor. Paris. eccles. tom. II. lib.* 12. *c.* 3. originem moris huius sistit his verbis: *erat scilicet ea existimatio, vt ex* DEI IVDICIO *liber criminis videretur, qui sine adustione ferrum candens tangeret, immotus & inoffensus in aqua frigida aut feruenti aliquo tempore consisteret, aut partem corporis illæsus mergeret, is quidem mos peruersus a barbaris gentibus dimanauit. Germanis in vsu fuisse Tacitus tradit: & Longobardos eo quoque vsos, leges, quæ eorum nomine extant, fidem faciunt. Gundobadus rex Burgundiorum de hoc iudiciorum genere legem tulit. Postquam barbaræ gentes inuaserunt imperium Romanum, facile hanc consuetudinem in christianos mores induxerunt; in eam scilicet eo procliuius christiani iuerunt, quod sæpius primis temporibus Deus innocentiam fidelium signis manifestis ostenderat.*

Inter Christianos iudicium Dei sub duellis quæsitum.

imo etiam sub aliis se purgandi modis.

§. X. Quamuis itaque quidam purioris iudicii facile animaduerterent, nullum in his purgationibus *iudicii diuini* vestigium adesse, sed magis opinione quadam erronea damnabilique niti, vt plenius AGO-

Quæ opinio non ab omnibus olim reprobata.

AGOBARDVS *cit. tr.* docuit, plurimi tamen inter ecclesiasticos sese ad hunc morem superstitiosum composuerunt, imo exemplis suis doctrinisque approbarunt, quod *iudicii diuini* certissimum esset indicium & argumentum. In *c. 10. X. de excess. prælat.* adfertur exemplum, quo episcopus de furto suspectum admisit *ad iudicium ferri candentis*, qui tamen combustus est. Etiam olim in conciliis vsus eius approbatus. *c. 1. X. h. t.* Denique hominibus suis seu vasallis episcopi pugnam permittebant, & tunc inprimis ad hoc *iudicium* prouocabant, si *coniuratores* iis deessent. Docet id ipsum exemplum Petri episcopi Verdunensis, coniurationis in CAROLVM M. incusati, qui se hoc modo purgauit. In *capitul. Francofurd. de anno 794. c. 7. apud* BALVZ. *tom. I. capit. p. 265.* series rei gestæ his refertur verbis: *Definitum est etiam ab eodem Domino Rege siue a sancta synodo, vt Petrus Episcopus contestans coram Deo & angelis eius iuraret cum duobus aut tribus, sicut sacrationem suscepit, aut certe cum suo Archiepiscopo, quod ille in mortem Regis siue in regnum eius non consiliasset, nec ei infidelis fuisset. Qui Episcopus, dum, cum quibus iuraret, non inuenisset, elegit sibi ipse, vt suus homo ad* DEI IVDICIVM *iret, & ille testaretur absque reliquiis & absque sanctis euangelii, solummodo coram Deo, quod ille innocens exinde esset, & secundum eius innocentiam Deus adiuuaret illum suum hominem, qui ad illud iudicium exiturus erat. Et exiuit tamen eius homo ad* IVDICIVM DEI, *neque per Regis ordinationem, neque per sanctæ synodi censuram, sed spontanea voluntate. Qui etiam a Domino liberatus, idoneus exiuit. Clementia tamen Regis nostri præfato Episcopo gratiam suam contulit, & pristinis honoribus eum ditauit, nec passus eum est sine honore, quem prospexit de proposito crimine nihil male meruisse.*

Vt illustrat optime Basnage.

Illustrat id ipsum optime BASNAGE *cit. tr. chap. 14.* cuius verba hic adscribam: *On ne s' est pas contenté d' autoriser les Duels par l' usage, & par les Loix Civiles & Canoniques, mais on y a fait entre venir Dieu d' une maniere extraordinaire; & on s' est fait une espece de devotion de se battre, & de se vanger de son ennemi en le tuant.*

Tantum religio potuit suadere malorum.

En effet, on faisoit dépendre l' innocence & le droit de ces combats personnels. Dieu y entroit comme Juge, & on vouloit, que se conformant a la fureur des hommes, il fit toûjours un acte de justice exacte, en donnant à l' innocent l' avantage sur se Coupable; on croyoit consulter Dieu, & savoir de lui, ce qu' il pensoit de la conduite des accusez & des innocens. Il reveloit par là les crimes secrets & cachez; il developoit

les

les droits incertains de l' Eglise, ou des Particuliers sur certaines terres; il iustifioit par là les femmes contre les soupçons d' un Mari jaloux; il empechoit le scandale, qui pouvoit naître de la conduite imprudente d' un Ecclesiastique. En un mot, on croioit, que Dieu exerçoit par des Duels un jugement semblable a celui, qu' il exercera au dernier jour du Monde, puis qu' il rendoit à chacun selon ses oeuvres.

§. XI. Opinio hæc de IVDICIO DEI in *occultis* adhibendo, præter monomachiam similiaque commenta, non potuit non nouos parere modos, *voluntatem diuinam* eiusque iudicium exquirendi, ex ipsa *religione* desumtos. Admodum enim faciles fuere viri ecclesiastici in permiscendis ritibus *profanis* cum *sacris*, vt vel *sortes sanctorum*, a sortibus *Virgilianis* & *Homericis* desumtæ, more admodum profano, indicant docentque. Non dubitarunt veteres probare innocentiam per *eucharistiam*, & in eius sumtione IVDICIVM DIVINVM constituere, vt docet *c. 23. C. 2. q. 5.* & plenius illustrat Dn. SCHMIDT diss. *de modo probandi innocentiam per eucharistiam.* Huic addiderunt etiam *iusiurandum ad SS. reliquias* præstandum, existimaruntque, etiam per hoc patefieri posse *iudicium* ipsius *Dei.* Etenim nemo est, qui ignorat, iam post decursum seculi III. in magna *veneratione* fuisse *reliquias sanctorum*, ex qua non leues abusus prognati sunt. Plura iis *miracula* adscripta: ingens & fere incredibilis virtus iis tributa, & adeo doctrina publica ad earum *venerationem* composita fuit, vt non potuerit non sanctissimum quendam horrorem animis hominum imprimere. Inde paulisper factum, ut in *iurisiurandi straestatione* reliquiæ sanctorum præsentes essent, vt metu & veneratione earum deterriti homines a periuriis abstinerent, cogitarentque, *virtute diuina & miraculosa* per has reliquias IVDICIVM DEI manifestatum iri. Neque enim deesse credebantur exempla, diuinitus mox punitorum, qui periurium commiserant: hæc horrorem incutiebant: hæc sæpe mouebant hos, qui probatione conuinci non poterant, vt sponte delicta commissa confiterentur. Hæc doctrina eo modo semel formata, hominumque mentibus impressa, a legislatoribus etiam recepta & in leges Baiuuaricas, Longobardicas aliasque ex *doctrina ecclesiæ* de *iudicio Dei in occultis* consulendo traducta fuit.

Hæc de iudicio diuino in occultis adhibendo nouos modos se purgandi peperit, veluti per eucharistiam & ius iurandum ad SS. reliquias præstandum, propter miracula reliquiis adscripta, quibus iudicium DEI manifestaretur.

§. XII. Ceterum, quo de hac doctrina eo minus dubium vllum superſit, ostendam, I) hanc per iusiurandum purgationem *iudicium diuinum* dictam fuisse, & quidem II) non alia de causa, quam ex reliquiarum *præsentia* & *virtute*, qua occultissima & secreta *modo miraculoso*

Sub iuramento iudicium Dei latitare credebant,

& purgationem miraculosam, teste Augustino.

culoso manifestari censebantur. Id indicat AVGVSTINVS *epist. 78. nou. edit. paris.* simulque ostendit, suo tempore iam hanc *purgationem miraculosam* in vsu fuisse. Ait: *Nos nouimus, Mediolani apud memoriam sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eius locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere.* Vtrumque præterea illustri loco apud GREGORIVM Turonensem *lib. II. de mirac. c. 19.* confirmari potest. En verba: *Vsque quo vterque contendimus, sub* IVDICIO *omnipotentis* DEI *ponamus. Eamus ad tumulum martyris, & quod sub sacramenti interpositione dixeris, discernat virtus* SANCTI PATRONI. His verbis *iudicium Dei* in interpositione iuramenti quæritur, & quidem ideo, quod ad *tumulum martyris* seu *super altari*, sub quo corpora martyrum olim condebantur, illud præstitum atque publica traditione inculcatum esset, *virtute miraculosa martyrum atque reliquiarum* continuo periurium punitum & occulta reuelatum iri. Idem tradiderunt patres in *concilio Meldensi de anno 845. c. 39.* apud HARDVIN. *tom. IV. concil. p. 1489.* de periurio eiusque atrocitate ita edisserentes: *Tantum namque hoc malum est, vt ad sanctuaria martyrum, vbi diuersorum ægritudines sanantur, ibi periuri, licet manifeste interdum vexari non videantur, iusto Dei iudicio a dæmonibus arripiantur, sicut S. dicit Gregorius: Ad horum corpora ægri veniunt & sanantur: dæmoniaci veniunt & curantur: periuri veniunt & a dæmonio vexantur.* Hac de causa iuramentum *verum* & *iustum iudicium*, item *diuinum iudicium* passim appellatum fuit, vt antiquitates docent. GREGORIVS *in c. 1. C. 33. q. 1.* de impotentia coniugali edisserens, desiderat probationem per *iustum iudicium*, id quod *in c. 1. & 5. X. de frig. & malef.* de *iureiurando* accipitur. Ita enim in *cit. c. 1. Si probari potest per* VERVM IVDICIVM, *ita esse, vt dicitis, separari poteris, ea tamen ratione, vt, si post aliam acceperis, reus* PERIVRII *iudiceris.* - - - Per *verum iudicium* hic intelligi *iuramentum*, ipse contextus docet, qui simul *periurii* mentionem facit. Eadem est sententia COELESTINI in *cit. c. 5.* qui de *frigiditate mariti* edisserens, constituit, vt si ea probari non possit, vsque ad triennium cohabitent, *quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint,* (forsan legendum *valuerint*) *& iuxta decretum Gregorii* (iamiam adductum) *mulier per* IVSTVM IVDICIVM *de viro probare potuerit, quod cum eo coire non possit, accipiat alium.* Per *iustum iudicium* hoc loco intelligi *iuramentum*, euidenter ex eo colligitur, quod pontifex præsupponat casum, quo

Inde vocatur iustum & verum iudicium.

quo *frigiditas prius probari non possit*, vt verbis eius vtar, quamuis LINKIVS *de iusto iuris canonici iudicio c. 3. n. 9.* aliam quoque probationem hic non excludi, veluti per *inspectionem ocularem*, existimet, id quod tamen cum adducto textu non satis congruit. Neque in *cit. diss.* satis accurate in hanc doctrinam de *diuino iudicio* inquisiuit, adeoque probationem quamlibet sub hac appellatione latitare credidit. conf. *tom. IV. tit. de frigid. & malef §. 29.* Denique in *c. 25. C. 2. c. 5. diuini iudicii* occurrit mentio: *Statuit quoque sancta synodus, vt si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negauerint, & orant sibi concedi, vt alter illorum vtrosque diuino purget iudicio, si vnus in hoc ceciderit, ambo rei habeantur.* Non præfracte negauerim, monomachiam etiam hic intelligi posse; interim quia etiam *iusiurandum* hac appellatione venit, nihil prohibet, quo minus hæc *purgatio* etiam *cit. l.* intelligi possit.

Id quoque demonstrat antiquus iurandi modus ad reliquias martyrum,

§. XIII. Eo grauius autem atque certius iudicium innocentiæ ex *iureiurando* desumebatur, quod iurantes haberent ipsos *testes martyres*, veritatem confirmaturos, periuria vero *miraculo* quodam edito indicaturos. Modus antiquus iurandi in casu inculpationis optime traditur in LL. Alemannicis *de anno 630. tit. 6. c. 7. apud* BALVZ. *tom. I. capitul. p. 60. Ista sacramenta debent esse iurata, vt illi coniuratores manus suas super capsam* (aliis *capellam* dictam, in qua reliquiæ SS. conditæ erant) *ponant, & ille solus, cui causa requiritur, verba tantum dicat, & super omnium manus manum suam ponat, vt sic illi Deus adiuuet vel illæ reliquiæ ad illas manus, quas comprehensas habet, vt de illa causa, vnde interpellatus est, culpabilis non sit.* Similia traduntur apud MARCVLFVM *lib. 1. form. 38. fuit iudicatum, vt de quinque denominatis idem ille apud tres & alios tres sua manu septima tunc in palatio nostro super capellam domini Martini, vbi reliqua sacramenta percurrunt, debeant coniurare.* Variis idem aliis testimoniis illustrat HIERONYMVS BIGNONIVS *in not. ad form. Marculf. cit. l.* apud BALVZ. *tom. II. capitul. p. 925.* quibus addi possunt, quæ hac de re tradit ECCARD. *ad LL. Salicas tit. 51. p. 94.* Tali ritu autem iuramenta præstita fuere, quod persuasissimum haberent, sanctos, ad quorum reliquias iurabatur, mox *vindices periuriorum* fore. Talem virtutem vt plurimum adscribunt *sanctis*, qui vitas eorum compilarunt. Id commemorat ALBERTVS le GRAND *in vita S. Heruæi c. 3. in actis SS. de 17. Iun. p. 366. seqq.* relatus aitque: *Hic sanctus periuriorum osor est: peierantes enim ad capsam reliquiarum eius grauiter fuere puniti; vnde antiquitus sacramenta solennia iussu magistratuum*

Quod vindices periuriorum essent, miraculo quodam edito,

tuum supra reliquias S. Heruaei emittebantur. In *vita S. Saluii* relata *in act. SS. d. 26. Iun. c. 3. p. 203.* controuersia sub CAROLO M. de hereditate mota, per solenne iusiurandum decisa refertur. Sorores ducis cuiusdam prouocabant ad iuramentum his verbis: *Ecce habemus hic patronum neophytum, quem Deus nobis manifestare dignatus est. Si hereditatem earum vis possidere, vade & da sacramentum super eius sanctum sepulchrum: forsitan tunc* MANIFESTABIT DOMINVS DEVS, *per ipsius* INTERCESSIONEM, *si iustum tibi sit, ad possidendum, an eis reddi deberet actio.* En veram rationem, qua ostenditur, in quem finem ad *iuramenta* confugerint, aliis destituti eruendi veritatem mediis. Pergit vero scriptor vitae eius: *Tunc infelix ille cum magno gaudio acquiescens verbis eius ad sacrum sancti peruenit sepulchrum, iniectasque manus suas super illud cum audacia magna iurauit. - - - Et peracto iuramento statim medius crepuit, & disrupta sunt omnia viscera eius, & per secretam alui eius naturam stercora proruperunt, & ex oculis eius & auribus & ore exiuit sanguis & cadens in terram factus est velut mortuus &c.* In *vita S. Ehrendrudis* relata *in act. SS. d. 30. Iun. p. 583.* similis pene casus refertur his verbis: *Ipse frater, flexis genibus coram archiepiscopo, erecta manu & indicto sibi iuramento dixit: sic me Deus adiuuet & beata virgo & S. Ehrendrudis. Hoc dicto & iuramento imperfecto procidit ad pedes Archiepiscopi saepe dicti, & mortuus est: cunctisque stupentibus & mirantibus cum luctu deportabatur, mercedem suae fraudis recepturus iusto iudicio Dei.* Pariter in *vita S. Amabilis* relata *in actis SS. d. 11. Iun. p. 470.* haec traduntur: *Ad huius sepulchrum, inquit idem Gregorius, energumenum vidi mundatum periurantem diriguisse vt ferrum &c.* Porro *in vita* MEINWERCI *episcopi Paderborn.* relata *in actis SS. d. 5. Iun. p. 533.* itidem miraculosa poena affertur: *illico allatis reliquiis de ecclesia vicina Rene constructa in honore S. Cunisii, in quibus iurare consueuerunt, episcopus eas abiecit, & prolatis de apothecis suis reliquiis SS. Petri & Pauli & S. Blasii, super eas eos iurare fecit. Qui votis dominae suae temerariis satisfacere volentes, VII. viri ad reliquias accesserunt, & manus, vt iurarent, apponentes mox caelesti plaga percussi, quatuor ex eis oculos amiserunt, aliis tribus erectae manus obriguerunt, & omnibus diebus vitae eorum tali plaga multati permanserunt.*

Id vlterius illustratur ex doctrina Augustini.

§. XIV. Plura huius generis documenta addi possent, si de eo vllus dubitandi locus superesset. Vnum tamen adhuc adiiciam locum

locum ex *vita S. Paulini* relata *in act. SS. d. 22. Iun. 212.* qui optime declarat intentionem eorum, qui hoc iusiurandum pro diluenda omni criminis ſuſpicione elegerunt. Ita vero ſcriptor vitæ eius: *S. Auguſtinus cum permoleſta incidiſſet cauſa inter Bonifacium presbyterum ſuum & eius accuſatorem, neque veritas conſtare poſſet, illo rogante,* (forſan negante) *hoc vrgente crimen; pro more eius ætatis, quo finiri tales controuerſiæ iureiurando ad martyrum ſepulchra concepto ſolebant, vtrumque Nolam ad S. Felicem miſit, aſſerens cauſam, cur e martyribus, ad quorum monumenta in eo genere miracula edebantur, Felicem præcipue delegiſſet. Multis, inquit, notiſſima eſt ſanctitas loci, vbi Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quo volui, vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque ſcribi poteſt, quicquid in eorum aliquo* DIVINITVS *fuerit* PROPALATVM. Voluerunt ergo per hæc iuramenta purgatoria expiſcari voluntatem diuinam, veritatem *miraculoſo modo* exquirere, & in manifeſtationem abſconditorum IVSTO DEI IVDICIO *penetrare*, vel vt dicitur in *vita S. Eligii lib. II. c. 59. per ſacramentum* DEI IVDICIVM *expectare.* Hæc opinio ſi iuramentis non fuiſſet ſuperaddita, nunquam pro diluendo crimine & oſtendenda innocentia in *cauſis criminalibus* iusiurandum adhibitum & in leges *Salicas, Longobardicas, Alemannicas, Baiuuaricas, Friſionum, Ripuarias & capitularia* translatum fuiſſet, quorum aſſenſum adſert CANGIVS *in gloſſar. voc. iuramentum.*

Docetque rationem, cur ad criminalia iuramentum tractum.

§. XV. Demonſtraui generatim natales huius iuramenti, vſumque in *criminalibus:* inquirendum nunc eſt vlterius, quando etiam illud *clericis* impoſitum imperatumque fuit. Peregre & refugientes clericos iuraſſe olim, notum eſt, ſimulque ex CASSIANI presbyteri teſtimonio, in *concilio Chalcedonenſi* apud HARDVINVM *tom. II. p. 555.* edito liquet. Quia vero priſcis ſeculis *puritati* & *integritati vitæ* admodum ſtudere debebant *clerici*, vt grauioribus criminibus infecti in clero non tolerarentur, imo & de crimine commiſſo infamati ſeſe purgare tenerentur, *c. 2. X. h. t.* quo fine ſcandalo rebus ſacris vacare poſſent, *c. 2. X. h.* de mediis innocentiam ſuam oſtendendi cogitatum fuit. Inter hæc *religio martyrum* & *præſtatio iuramenti* ad *eorum ſepulcra* præcipuum fuit, quæ res effecit, vt hac occaſione, cum alia deeſſent eruendi veritatem media, iuramenta etiam imponerentur clericis. Iam ab ipſo AVGVSTINO hanc *purgationem miraculoſam* in praxin fuiſſe deductam, obſeruaui. Series rei geſtæ hæc eſt: quidam e monaſterio Auguſtini, nomine Spetius, impuritatis a Bonifacio

Tandem clerici quoque ad hanc purgationem admiſſi,

propter religionem martyrum,

quod ex Auguſtino illuſtratur,

cio presbytero accusatus fuerat; iste crimen in Bonifacium reiecit, pertendens, illum sese hoc ipso contaminasse flagitio, quamuis neuter alterum conuincere posset. Cum vero non ita diu post ad clerum euehi petiisset Spetius, ipsique hoc ab Augustino fuisset negatum, opposuit, nec Bonifacium in clericatu manere posse, cum a se accusatus esset, siquidem ipse clericus fieri non posset, quia accusatus erat. AVGVSTINVS, vt docet *epist.* 76. cum res euidentibus argumentis nec refelli nec firmari posset, vtrumque iussit adire *sepulcrum martyris* Felicis Nolensis, vt *miraculo* & *iudicio diuino* transigeretur negotium, quod ibi & innocentes *absolutionis* & rei *damnationis* sententiam, *facto divinitus signo*, sentire solerent. Vtrum vero hæc miraculosa purgatio, interueniente *iureiurando*, ab iis fuerit facta, non adeo euictum est. Verba AVGVSTINI sunt hæc: *elegi aliquod medium, vt certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos, vbi terribiliore opera Dei non sanam cuiusque conscientiam multo facilius aperirent & ad confessionem, vel pœna vel timore compellerent. Vbique quidem Deus est & nulli continetur vel includitur loco, qui condidit omnia & eum a veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto audiens, in occulto etiam iustificet & coronet. Verum tamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota fiunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim est notissima sanctitas loci, vbi beati Felicis Nolensis corpus conditum est: quo volui, vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest, quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum.* *Iuramenti* non fit mentio, sed *orationis* & *precum*, vt probabile sit, noluisse AVGVSTINVM adstringere presbyterum & monachum ad illud præstandum contra morem eius seculi; neque enim omnis purgatio ad *corpora sanctorum* mediante iuramento fiebat, vt vel GREGORII testimonium *in c. 8. & 9. C. 2. q. 5.* euincit: vel sola *sanctorum reliquiarumque præsentia* eam vim habere credebatur, vt *miraculoso modo* assertio vel negatio confirmari posset. Laici ab eius præstatione non erant liberi, *c. 4. & 6. X. h. t.* atque hi apud *memoriam sanctorum* iureiurando sese purgare solebant, vt de fure quodam refert AVGVSTINVS *cit. l.* cuius verba supra adducta sunt *§. 12.* Hic mos tandem adeo in vsum constantem fuit deductus, vt etiam *clerici maiores* & *minores* se hoc modo purgare cogerentur.

Qui omnem efficaciam ex miraculosa martyrum virtute petit, etiam citra iuramentum.

§. XVI.

§. XVI. GREGORIVS M. inprimis hanc disciplinam clericis præscripsit, voluitque, vt *iureiurando solenni* ab omni imputata macula criminum sese purgarent. Id indicant varia loca a GRATIANO C. 2. q. 5. adducta. Nam in *c. 5.* GREGORIVS ita censet: *Presbyter vel quilibet sacerdos si a populo accusatus fuerit, & certi non fuerint testes, qui crimine illato approbent veritatem, iusiurandum in medio erit, & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aperta sunt omnia.* Porro in *c. 6.* exemplo LEONIS episcopi id illustrat: *quoniam quædam contra sacerdotale propositum de Leone fratre & coëpiscopo nostro sinister rumor aspersit, vtrum vera essent, districta diutius fecimus inquisitione perquiri, & nullum in eo de his, quæ dicta fuerunt, culpam inuenimus. Sed ne quid videretur omissum, quod nostro potuisset dubium cordi remanere, ad B. Petri sacratissimum corpus districta eorum ex abundanti fecimus sacramenta præbere. Quibus præstitis magna sumus exultatione gauisi, quod huiusmodi experimento innocentia eius euidenter enituit.* Ita vero vel solus *sinister rumor* vel *accusatio* aut *diffamatio* sufficiebat, vt clerici se purgare cogerentur, quod ab omni *delicti* vel cuiuscunque *facinoris* suspicione liberi esse deberent. Id euidentissime IDEM in *c. 7.* docet, adfertque exemplum coëpiscopi MENNAE, quem in nullo quidem culpabilem esse inuenerat, & tamen *insuper ad sacratissimum corpus Petri Apostoli sub iureiurando satisfaciens ab his, quæ obiecta eius opinioni fuerant, se demonstrauerat alienum.* Nouo exemplo MAXIMI scilicet Salonitani episcopi praxin huius iuramenti declarat. Erat hic de *simoniaca labe* suspectus, & de aliis quoque excessibus diffamatus. Decreuit Pontifex in *c. 8. & 9.* eum de illa *sese, præstito iureiurando, purgare; de aliis autem ante corpus S. Apollinaris tantummodum requisitum, innoxium se esse, respondere debere.* Erat ergo duplex purgatio: *simplex* sine iuramento; *iurata* cum iuramento, quamuis vtraque ante *corpus sancti* cuiusdam, ob *miracula* edita celebratissimi, fieret.

Gregorius inprimis hanc purgationem clericis imposuit.

§. XVII. **Successores huius pontificis non minus strenui fuere in vsu huius purgationis promouendo, quo magis religio erga *sanctos* & *martyres* creuit. Ipse Papa SIXTVS III. in concilio sese purgauit coram omnibus *sponte*, vt omnem fugeret suspicionem; addit tamen in epistola, relata in *c. 10. C. 2. q. 5. sed non aliis, qui noluerint, aut sponte hoc non elegerint, faciendo formam exemplumque dans.* SIXTI exemplum secutus est LEO III. pontifex, cuius purgatio, sed *imperfe-***

Gregorii Pontificis successores vsum huius iuramenti promouerunt, proprio suo exemplo.

&c, habetur in *c. 18. C. 2. q. 5.* Plurima illi obiecta erant crimina a persecutoribus: detrusus in custodiam, multisque affectus iniuriis, tandem feliciter euasit, & ad CAROLVM M. confugiens, non tantum honorifice exceptus, sed in pace ad suos dimissus est anno 799. Sequente anno CAROLVS M. Romam profectus causam LEONIS in *synodo* congregata discutiendam proposuit; sed *primae sedis auctoritatem* non admittere crediderunt patres, vt a quoquam iudicaretur. Inde LEO consilium de se purgando suscepit, &, *praedecessorum pontificum vestigia*, ait, *sequar, & de talibus falsis criminationibus, quae super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum*, vt ex ANASTASIO refert BARON. ad *ann. 800. n. 4.* Ipsa *formula vurgationis*, quam in ambonem ascendens recitauit, haec est: *Ego Leo Pontifex S. R. E. a nemine iudicatus, sed mea voluntate impulsus, purgo me praesentibus vobis coram Deo & angelis eius, qui conscientiam nouit, & beato principe Apostolorum, in cuius conspectu consistimus, neque sceleratas res, quas mihi obiiciunt, perpetrasse, neque perpetrari iussisse, Deum testans, in cuius iudicium venturi sumus & in cuius conspectu consistimus. Et hoc facio non legibus vllis constrictus, neque hanc consuetudinem aut decretum in sancta Ecclesia successoribus meis & fratribus coepiscopis imponere cupiens, sed vt certius iniquis vos suspicionibus liberem.*

Leonis III. suasu in legem perpetuam transiit.

§. XVIII. Miror, LEONEM III. protestatum fuisse, se coepiscopis legem aut necessitatem, vestigia eius premendi, haud impositurum esse. GREGORIVS iam eam ipsis imposuerat episcopis aliisque clericis. In *concilio Francofurtensi* sub CAROLO M. *anno 794.* celebrata *c. 7.* apud BALVZ. *tom. I. capit. p. 265.* PETRO episcopo ab *ipsa synodo* purgatio imposita est, *vt contestans coram Deo & angelis eius iuraret cum duobus aut tribus, aut certe cum suo Archiepiscopo, quod in mortem Regis siue in regnum eius non consiliasset, nec ei infidelis fuisset.* Nondum tamen *forma purgandi* quoad *sacerdotes plene* & *perpetua lege* tradita fuisse videtur vsque ad tempora LEONIS III. id quod adducta indicat clausula. Ipse CAROLVS M. circa *annum 799.* apud HARDVIN. *tom. IV. concil. p. 946.* & BALVZ. *tom. I. capit. p. 831.* pertractandum esse censuit, *quid de illis presbyteris criminosis, vnde approbatio non est, & semper negant, faciendum sit.* Nam, pergit, *hoc saepissime a nobis & progenitoribus atque antecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus definitum.* Quod ergo intuitu *sacerdotii* adhuc *illiquidum* erat, ad *certam* & *constantem*

formam

formam reducere ſtuduit, atque deſuper LEONEM pontificem conſuluit. Tandem cognito conſilio LEONIS ceterorumque Romanæ eccleſiæ, & qui in regno eius erant, epiſcoporum, accedente reliquorum fidelium & cunctorum conſiliariorum conſultu hac de re *anno 803. conſtitutionem certam* edidit, recitatam *lib. V. capitul. c. 36.* apud BALVZ. *tom. I. capitul. p. 832.* & HARDVINVM *cit. l.* Cautum enim eſt, vt ſi ſacerdos criminis alicuius accuſatus legitime conuinci poſſit, canonice damnetur. Additur vero: *Si vero cum ſupraſcripto prætextu adprobare ipſe accuſator minime poterit, & hoc canonice definiatur. Ipſe ergo ſacerdos ſi ſuſpicioſus aut incredibilis ſuo Epiſcopo aut reliquis ſuis conſacerdotibus ſiue bonis & iuſtis de ſuo populo vel de ſua plebe hominibus fuerit, ne in crimine aut in prædicta ſuſpicione remaneat, cum tribus aut quinque vel ſeptem bonis ac vicinis ſacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, qui duodecim presbyteros in ſua purgatione habuit, vel eo amplius, ſi ſuo Epiſcopo viſum fuerit, aut neceſſe propter tumultum populi ineſſe perſpexerit, & cum aliis bonis & iuſtis hominibus, ſe ſacramento coram populo ſuper quatuor euangelia dato purgatum eccleſiæ reddat.* Refertur hæc conſtitutio etiam a GRATIANO in *c. 19. C. 2. q. 5.* ſed ſub nomine LEONIS ad CAROLVM M. ſcribentis, quod *fictioni monachi* huius tribuendum eſt. Interim quod LEO ſponte ſuſceperat, nec vlli obtrudere volebat, CAROLO ſuaſiſſe videtur, vt *lege perpetua* apud Francos ſanciretur.

Et praxi ſequenti vſus eius firmatur.

§. XIX. Hoc modo *purgatio ſacerdotum* per *iuramentum religioſum* in conſtantem abiit morem, variisque decretis & pontificum & conciliorum repetita deprehenditur. ARTALDI epiſcopi purgatio ante conſecrationem refertur in *c. 2. C. 8. q. 4.* *Arelatenſem* hunc epiſcopum nominat GRATIANVS ſatis mendoſe, cum in aprico ſit, *Arerelatenſem* non ſubfuiſſe *Narbonenſi* Archiepiſcopo, adeoque pro *Arelatenſi* ſubſtituendum: *Artaldus Alenenſis vel Elenenſis epiſcopus*, obſeruante PETRO de MARCA *de concord. ſac. & imp. lib. V. c. 41. §. 3. ſeqq.* Pariter INNOCENTIVS II. Tridentino epiſcopo commiſſæ Simoniæ poſtulato, purgationem hanc in *c. 17. C. 2. q. 5. & c. 5. X. de purg. canon.* præſcripſit: *Idem epiſcopus ſuper ſancta euangelia iurabit, quod pro eccleſia S. Petri de Pado presbytero Paulo danda neque ipſe per ſe, neque per ſubmiſſam perſonam, neque alius pro eo, ſe ſciente, pretium receperit. Deinde vero purgatores* (tres epiſcopi & quatuor abbates) *ſuper ſancta Dei euangelia iurabunt, quod ſicut ipſi iurabunt, verum iurauit.* In *LL. eccleſ.* CAROLI regis *c. 5. de anno 1032.*

 apud

terfuerant, ipſumque obſeruauerant, & vicini erant, *c. 11. X. h. t.* iurare compellebantur. Ne vero facile reiici poſſent compurgatores, ſufficiebat, (α) ſi ab eccleſia eſſent tolerati: (β) bonæ famæ in ſuis ordinibus miniſtrantes: (γ) in nullo iudicio pro crimine condemnati. *c. 9. X. h. t.* In *laicorum* iuramento itidem ad teſtium *conditionem* reſpiciebatur, quæ legibus determinata atque præſcripta erat. Eligebantur hi quandoque ab *accuſatore*, quandoque a *reo*, ſecundum diverſam legis diſpoſitionem. Secundum *LL. Aleman. tit. 6. l. 2.* apud BALVZ. *tom. I. capitul. p. 59.* electio *accuſatori* dabatur his verbis: *Tunc debet homo, qui cauſam requirit, tres electos denominare, & ex denominatis tribus licentiam habet excuſator reiicere duos; tertium vero non licet reiicere, ſed ipſum ſecum in ſacramento habere debet.* item in *lege 8: Tunc qui cauſam perſecutus fuerit, electionem faciat de coniuratoribus, vnde excuſator, quales duos reiicere voluerit, poteſtatem habeat, & cum duobus iuratoribus iſte ordo ſeruandus eſt &c.* Idem ex *legibus Longobardicis* illuſtrat CANGIVS *cit. l.* qui & de ceteris circumſtantiis plura congeſſit, vt vel binis verbis eas tetigiſſe ſufſecerit.

Singulariter electi.

§. XXI. Numerus *compurgatorum* pro *grauitate cauſæ* admodum variauit, vt itidem plenius declarat CANGIVS, oſtenditque, aliquando cum *centeſima* imo *trecenteſima manu* iurari debuiſſe. *Manus* denominatio, numero teſtium attributa, inde deducta, quod vel *porrectis manibus* iurarent, vel tactis ſacroſanctis euangeliis, aut altari, aut etiam, quod frequentiſſimum erat, ſanctorum reliquiis, vt recte cenſet HIERONYMVS BIGNONIVS *in not. ad Marculf. lib. I. c. 38.* apud BALVZ. *tom. II. capitul. p. 923.* Vnde hic loquendi vſus in perpetuum abiit morem, oſtenditque, auctoritatem huic iuramento primario acceſſiſſe ex hoc *religioſo contactu*, quem nemo metu præſentiſſimi imminentis mali ſuſcepturus credebatur, niſi ſe optima fide iuramentum præſtare poſſe, conuictus eſſet. Dixi, *numerum compurgatorum variaſſe.* Si coniuges ſeparationem petunt, & confitentur ſe nunquam coire potuiſſe, *cum ſeptima manu propinquorum vel vicinorum bonæ famæ, (ſi propinqui defuerint) tactis ſacroſanctis euangeliis, iurare iubentur* in *c. 5. X. de frigid. & malef.* Epiſcopo de hæreſi grauiter ſuſpecto INNOCENTIVS III. purgationem *quartæ decimæ manus ſui ordinis* indixit in *c. 10. X. h. t.* Purgationis cum *duodecima* manu paſſim fit mentio in antiquis *legibus & capitularibus* apud BALVZ. *tom. I. capitul. pag. 118. inf. 117. 122. 126. 320. 1265. tom. II. p. 331. 333.*

Numerus variauit.

Manus appellatio euoluitur,

quandoque cum ſeptima manu iuratum, aliquando cum XIV, cum XII.

333. 485. In *formulis* MARCVLFI apud BALVZ. *tom. II. capitul. p. 486.* occurrit formula ſe purgandi cum ſua *trigeſima ſeptima manu*, quod XXXVI. adhibiti teſtes. Similem fere purgationem ſubiit PASCHALIS pontifex teſte THEGANO *de geſtis Ludouici pii imperatoris c. 30. Poſtea miſit legatos ſuos in partibus Romæ propter quandum inſolentiam, quam Romanorum populus ſuper Romanum Pontificem Paſchalem dixit, imputantes ei, quod nonnullorum homicida fuiſſet, qui ſupra dictus pontifex cum iuramento purificauit ſe in Lateranenſi patriarchio coram ſupra dictis legatis & populo Romano cum epiſcopis XXXIV. & presbyteris & diaconibus quinque.* Prætereo alia documenta, quæ plena manu congeſſit CANGIVS *cit. l.*

cum XXXVI.

Ius feudale Longobardicum hunc vſum approbauit.

§. XXII. Ex legibus antiquis Longobardicis eundem iurandi morem in *ius feudale Longobardicum* quoque receptum fuiſſe, eo minus mirandum, quod eo tempore hæc *ſacramentalium* adhibendorum praxis fere vniuerſalis eſſet. In *II. F. 33. §. ſacramentum.* deſiderantur *duodecim ſacramentales*, & quidem ſi a iudice defertur iuſiurandum alterutri, id cogitur præſtare cum XII. ſacramentalibus, quod antiquo iuri eccleſiaſtico conforme eſt. *c. 1. X. h. t.* Si *vaſallus* id præſtare debet, inter illos ſacramentales ad minimum *ſex* de eius *cognatione* eſſe debent, reliqui etiam ex *extraneis* eligi poſſunt. Sin *domino* illud defertur, ſacramentales illi duodecim aut eius *cognati*, aut eius *vaſalli*, aut partim *vaſalli*, partim *cognati*, eſſe debent. *Iure Saxonico prouinciali* itidem purgatio hæc per iuramentum approbata eſt æque, ac *vulgaris* per *duellum.* Etenim *lib. I. art. 15.* dicitur: Schuldiget man den Mann um das, ſo er unter ihm nicht hat, das entgehet er mit ſeiner Unſchuld (oder Eyde vt *in f.* additur) item *lib. I. art. 18.* Das alles was ein Mann vor Gerichte nicht thut, wie wiſſentlich das ſonſten wäre, deſſelbigen möchte er mit ſeiner Unſchuld entgehen, und man möchte ihm das nicht überzeugen. Rationem addit Gloſſator: Daß der Sachß für alles ſchweren möge, ſo man ihm nicht leiblich kan überweiſen, ſolches iſt nicht ſo unbillig. Denn was man einen allein mit Worten bezüchtiget, darmit rettet er ſich billig auch mit Worten, indem er darüber ſchweret. Denn es billig iſt, daß man ſeinen Worten und Eyde ſo wohl Glauben gebe zu ſeiner Entſchuldigung, als jenen bloſſen Worten, die ihn beſchuldiget haben. Infamis tamen non poterat admitti ad iuramentum purgatorium, per *c. 1. X. h. t.* h. e. *qui antea forſan deprehenſus erat in furto, aut periurio, aut falſo teſtimonio* vel vt dicitur, *lib. Iur. Sax. art.*

& ius Saxonicum prouinciale.

39.

39. die ihr Recht durch Dieberey oder mit Raub verlohren haben, ob man sie Dieberey oder Raubes anderweit beschuldiget, sie mögen mit ihrem Eyde nicht unschuldig werden. His ergo *purgatio vulgaris* proposita erat, h. e. das heisse Eisen zu tragen vor ihre Unschuld, oder aber in einen wallenden Kessel zu greiffen, biß an den Ellenbogen, oder mit Kämpffen sich zu erwehren. Iam olim id constitutum fuisse docet *c. 15. C. 2. q. 5.* & *c. 1. X. h. t.* (quod ex *concilio Tribur. de anno 895. c. 21.* apud HARDVINVM *tom. VI. p. 446.* quoad *sensum* desumtum videtur:) *Si antea deprehensus fuerit in furto aut periurio aut falso testimonio, ad iuramentum non admittitur; sed ferventi aqua vel candenti ferro se expurget.* Iuramenti cum *septima manu* fit mentio *lib. I. art. 63.* Und da er das gewehren kan auf den Heiligen selb siebende. Item *lib. II. art. 69.* ob er das selb siebend gezeugen mag. Similiter *lib. II. art. 4.* iuramenti huius vsus demonstratur in eo, qui se a banno vult liberare: Wer sich aus der Acht ziehen will, dem soll der Richter Fried würcken (saluo conductu interueniente) vorzukommen, ob man es seinethalben begehret. Wenn er sich denn auf den Heiligen auszeuget, (h. e. vt latina versio habet, *postquam se iuramento expurgauerit*,) so soll ihm der Richter und das Land-Volck daraus lassen, mit Finger und mit Zeugen, das ist mit Worten und mit Wercken. Pariter patri *lib. II. art. 17.* conceditur, vt filii sui, nondum a se separati, innocentiam iuramento demonstrare queat: also, daß er schwere auf den Heiligen, daß der Sohn der That unschuldig sey. Alius huius iuramenti vsus traditur *lib. II. art. 65.* Schlägt ein Mann ein Kind, oder raufft es bey den Haaren, oder schlägt es mit einer Gerten um seine Missethat, er bleibet es ohne Wandel, thät er das gewähren auf dem Heiligen, daß er es durch anders Willen nicht geschlagen habe, denn durch seiner Missethat willen. conf. *lib. 3. art. 32. 39. 47. 89. 91.*

Vsus huius iuramenti agnitus in recessibus imperii.

§. XXIII. Adeo deinceps vsus huius iuramenti propagatus est, vt legibus publicis Germaniæ in *criminalibus* approbatus fuerit. In *R. I. Treuir. & Colon. de anno 1512. tit.* von GOttes-Lästerern §. und nach dem. variæ *violentiæ* species reprobantur, quæ si probari haud possint, & tamen suspicio quædam reum grauet, pro re nata actor ad iuramentum admittitur: Daß er glaube, wiewohl er die That dieser Zeit nicht beybringen könte, daß solche Articul des Verdachts wahr seyn. Und so er das gethan hat, so soll der beschuldigte schuldig seyn, sich dasselbe mit dem Eyde zu *purgiren*.

Und

Und ob die verdachte Person also größlich verdacht wäre, daß die mit purgiren (compurgatores) nothdürfftig, das soll der Bescheidenheit des Richters befohlen werden, ihm die aufzulegen oder nicht. Sic itaque *compurgatores* adhibendi arbitrium iudici relictum est, quod etiam antiquis congruit legibus. Quid vero si se non purgauerit? thåt aber der Beschuldigte solche purgation nicht, so soll er des, so er Verdacht gewesen, schuldig gehalten, und gegen ihn, wie es nach gestallt der Sachen sich in solchen gebühre, procediret und gehandelt werden. In quem finem vero hæc purgatio approbata fuerit, in sequentibus his adiicitur verbis: und ist solche purgation darum dermassen gesetzet, damit der Beschuldiger desto förderlicher zu seiner Klage, und der Beschuldigte desto förderlicher zur Schuld oder Unschuld kommen, auch solches an unsern Käyserl. Cammer-Gerichte mit geringern Kosten, Mühe und Arbeit erlanget und vollführet werden möge. Idem repetitum est in *ordinatione pacis public. Wormat. de anno 1521. tit. 7. §. 8. sqq.* ibi: alsdenn soll der Verdacht schuldig seyn, sich persönlich derhalben mit seinem Eyde zu *purgiren*. Iudicis tamen simul arbitrio relictum, vtrum *coram commissariis*, an *in loco iudicii ordinario* hoc iuramentum præstari debeat? Si vniuersitas criminis fractæ publicæ pacis postulatur, so soll der zweyte Theil derselben commun Rath, vor den gegebenen Commissarien persönlich zu schweren schuldig seyn. De compurgatoribus adhibendis id cautum: und ob der Beschuldigte also größlich verdacht, daß zu purgiren nothdürfftig, solches soll der Bescheidenheit des Richters befohlen werden, ihm die aufzulegen oder nicht: die denn schweren sollen, daß der oder die, so sich mit dem Eyde entschuldigen, recht geschworen haben. Und so er solche purgation gethan, so soll er des Verdachts ledig seyn, ꝛc. Quid si tali suspicione oneretur Elector vel princeps imperii? Ei permissum, daß er solchen Eyd vor dem Richter, durch seinen vollmächtigen Anwald, der zum wenigsten einer von Adel seyn soll, in seine Seele schweren lasse. Porro in **Erklährung des Land-Friedens** *de anno 1522.* contra eos, qui reos criminis prædicti recipiunt, sed se ignoranter id fecisse protestantur, cautum, daß sie mit einem leiblichen Eyde zu GOTT und den Heiligen solches betheuren sollen. Denique in *ordin. Cam. P. II. tit. 10. §. 1.* idem fere iisdem verbis repetitum, vt regustare illud superuacuum videatur.

cum compurgatoribus.

§. XXIV.

§. XXIV. Quod si per omnes *ordinationes prouinciales* iuris, omnes ad vnum in eo concordant, *iuramenti purgatorii* vsum præcipuum esse in *criminalibus*, vt inter reliquos docet *constit. elect. Sax. 27. P. 1.* Ob wohl das iuramentum purgationis fürnehmlich in peinlichen und in Ehe-Sachen aus richterlichem Amte, da es gleich nicht gebethen, dem Beklagten, wo ein rechtlicher Verdacht wider ihn ausgeführet, kan auferlegt werden, etc. Est ergo *remedium ordinarium* eruendi veritatem, modo reus 1) suspicionibus grauatus, & 2) eiusmodi delicti reus sit, in quo *tortura* locum habere nequit, vel si 3) tale adsit delictum, non tamen indicia ad torturam dictandam concurrant. Conf. CARPZOV. *ad cit. const. def. 1.* In *Ordin. Criminal.* potentiss. Regis Borussiæ *c. 9. §. 28.* speciatim desideratur, daß vor der Abnahme des Reinigungs Eydes dem inquisito eine Bedenck-Zeit, um sein Gewissen zu prüfen, gegeben, und er nicht allein von den Gerichten, sondern auch nach befundenen Umständen ins besondere, wenn der inquisit geringe Erkäntniß GOttes und seines heiligen Worts hat, von einem Prediger ermahnet werden soll. Hoc fere vniuersaliter obseruari solet, vt quando iuramentum hoc per sententiam dictatur, addatur clausula consueta: worzu auch gestalten Sachen nach ein Geistlicher zu gebrauchen. Alias ordinationes prouinciales enarrat atque refert MARTINI *in comment. ad proc. iur. Sax. tit. 32. n. 12.*

Item in ordinationibus prouincialibus.

Adhibito pastore ecclesiæ.

§. XXV. Aperui fontes huius praxeos in *caussis criminalibus* & *ciuilibus*, simulque fundamenta eius denudaui. Si solo viueremus iure Romanno, vsus omnis huius iuramenti in his caussis deficeret sine dubio. Forsan expediret etiam, vt secundum huius iuris tramitem viueremus, & tot periuriis, quæ euitari in his caussis nequeunt, occasionem præscinderemus. Rarissima in praxi deprehenderis exempla eorum, qui, postquam hoc iis per sententiam impositum est, metu Numinis diuini illud præstare recusarunt, ne pro confessis & conuictis haberentur. Imo in vtramque partem grauissima adsunt pericula, vt sæpe vel innocens condemnari, vel nocens dimitti non tamen aliter, quam commisso nouo periurii crimine, possit. Aut enim iuramentum hoc præstat, aut illud subire recusat. Priori casu vt plurimum delicto commisso addit nouum *periurii* crimen: posteriori habetur pro confesso, pœna ordinaria in eum statuitur, *c. 7. & 15. X. h. t.* & tamen *vera confessio* deest, solaque *præsumtione* pœnam mortis sæpe subit. Accedit, quod *origo* & *fundamentum* huius iuramenti ostendat, veteres *miraculoso*

Iudicium de vsu huius iuramenti in criminalibus.

Inprimis quoad protestantes.

loso quodam *modo*, per præſentiam corporum ſanctorum eorumque *reliquiarum*, veritatem eruere & *iudicium diuinum* in occultis adhibere voluiſſe, vt hiſtoria huius iuramenti euincit. Hoc ſi Proteſtantes penitius ponderaſſent, & rationes eius examinaſſent, minus proni forſan fuiſſent in vſu eius approbando, præſertim in *criminalibus*. Conſtat enim, quæ ſit noſtrorum doctrina circa *ſanctorum cultum*, *reliquiarum venerationem*, & *miracula* iis tributa: nouimus, quæ dubia a noſtratibus moueantur contra *iudicia diuina*, quæ in eo collocari ſolent, vt Deus extraordinario quodam modo occulta in lucem protrahat, & *miraculo* quodam nocentem deſignet. Ab hac doctrina alieni ſumus, nec tamen relinquimus concluſionem, quæ inde originem, cauſam, & fundamentum traxit.

An per ſolennia plura metus periurii euitetur?

§. XXVI. Equidem, vt *periurii* periculum tollatur, in quibusdam locis plura recepta ſunt ſolennia, quibus mens iurantis percellenda, ne vindictam incurrat diuinam. Talia ſunt, 1) quod candelæ accendantur: 2) caput cadaueris in conſpectu inquiſiti, 3) cum imagine crucifixi ponatur: 4) feneſtræ aperiantur: 5) menſa nigro tegatur panno: 6) gladius euaginatus, & 7) chirotheca ferrea menſæ imponatur. Quis huius ritus ſignificatus ſit, declaratur in VOLCKMANNO *emendato P. 1. c. 79.* his verbis: Bey denen brennenden Lichtern wird der Schwerer erinnert, daß Chriſtus JEſus ſey das Licht der Welt, und das wahrhaftige Licht des Lebens, *Ioh. VIII. v. 2.* bey welchem er ſchweret und bittet, daß Chriſtus JEſus bey dieſen weltfinſtern und unklahren Gedancken ihn bey der Wahrheit wolle erhalten. Da er aber falſch handelt, ſo bittet er, daß ihm ſolches Gnaden-Licht in Ewigkeit ſoll entzogen, und er an ſeinen Leibes- und der Seelen Lichtern zeitlich und ewig geblendet werden. Bey dem *Crucifix* bedencket der Schwerer die groſſe Marter und Pein, und bittern ſchmählichen Todt JEſu Chriſti, welcher er ſich durch betrüglichen Eyd gantz verluſtig machet, und mit dem betrüglichen Schächer zur lincken Seite Chriſti ſich ewiger Verdammniß unterwirfft. *Luc. XXIII.* Bey dem Todten-Kopfe erinnert er ſich ſeiner Sterblichkeit, dabey er alles zeitliche, ſo er etwan durch falſchen Eyd zu erhalten gedencket, als Leib, Leben, Ehre, Gewalt, muß hinter ſich laſſen, und daß ſolches nicht lange anſtehet, ſondern ehe man ſichs verſieht, ſo erwürget der Todt einen ſolchen Schwerer, wie denn Ananias und Sapphira nur über bloſſen Lügen erfuhren. *Actor. V.* Bey dem eiſern Handſchuh und Gerichts-Schwerd wird der

Schwe-

Schwerer ermahnet, daß ihn die Obrigkeit bey der Wahrheit wolle schützen, aber da er falsch schweret, so wolle und solle ihn die Obrigkeit auch darum strafen, als die das Schwerdt nicht umsonst trägt, *Rom. XIII.* ja GOtt selbst hat sein Schwerdt gewetzet, *Ps. VII.* daß es über ihn blincken soll, *Ezech. XXXII. v. 10.* damit er ihn richte und tödte. *Es. LXVI. v. 16.* Vtrum vero his solennibus adhibitis *periurii periculum* euitari & innocentia rei erui possit, alii viderint. Qui *metu Numinis* eiusque præsentia, quam omnes profitemur, non tangitur; nec inermibus hisce solennibus percellitur, vt semet prodat, & supplicio subdat. Appetitus, semet conseruandi in suo statu, efficit, vt parum moueatur animus his signis, imo efficere potest, vt inepte credat iuraturus, se non iniuste agere, cum, quod quis ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur. Tales insulsas sententias quidam fouent, vt *crimen periurii* commissum tegant, & conscientiam suam reatu liberent, quamuis admodum *peruerse* atque *scelestissime* semet ipsos decipiant.

Iudex non debet esse facilis in dictando hoc iuramento.

§. XXVII. Hæ rationes, licet vsum huius iuramenti, tot suffragiis eruditorum recepti, eradicaturæ non sint, ad minimum tamen euincunt, *iudicem* non adeo *facilem* aut *pronum* esse debere in eo dictando, quippe cuius arbitrio vsus eius est relictus. Præstat sæpe dimittere potius reum, quam eum periculo periurii præsentissimo subiicere, vel si admodum grauatus est, & tamen confiteri nolit, ei *pœnam extraordinariam* dictare, cum sibi imputare debeat, quod causam ei dederit, sua pessima viuendi ratione, seseque suspectum reddiderit. Facilius forsan reus hanc eligit, quam vt nouum crimen periurii committat. Et vtinam leges prouinciales hanc potestatem iudici *expresse* indulgerent, vt pro circumstantiarum diuersitate vel *hoc* vel *illo modo* pronunciare posset, id quod tamen nondum in iis obseruare licuit, adeoque plures iudices, stricte verbis legum inhærentes, nimis timidi sunt in hoc arbitrio sequendo.

Quandoque hoc iuramentum vel pœna extraordinaria statim dictatur, antequam reus ad articulos responderit.

§. XXVIII. Ceterum regulariter ad hoc iuramentum non recurritur, quam si reus ad articulos responderit, & defensione sua satis auditus fuerit. Contigit vero nonnunquam, vt reus ante responsionem ad articulos petat se admitti ad *defensionem pro auertenda*, non tamen omnes suspiciones diluere queat, quo casu pro abbreuianda inquisitione, si iudex præuideat, iuramentum dictatum iri, suadere quidam solent, vt statim ipsi iuramentum hoc imponatur sequente formula: Daß inquisit etwas, so ihm zu statten kommen möchte, in seiner de-

fension nicht ausgeführet, dannenhero er ad articulos inquisitionales zu antworten schuldig, ꝛc. er wolte sich denn so fort vermittelst Eydes reinigen ꝛc. Reprobarunt hanc methodum Lipsienses apud Dn. BERGERUM in *elect. iurispr. crim. pag.* 202. ex his causis: 1) quod ordo processus inquisitorii hoc modo plane inuertatur & negligatur: 2) quod, sicut *tortura* dictari non possit ante responsionem ad articulos, ita nec hoc *iuramentum*: non iniquum tamen 3) censent, vt, nach vorhergehender summarischer Vernehmung, aliquando statim reus pro re nata ad id admitti, & ita ab inquisitione liberari possit, quo famæ eius parcatur. Wittebergenses magis inclinant in affirmatiuam, adhibita tamen omni, quantum fieri potest, præcautione & personarum ratione, apud EVNDEM *cit. loco pag.* 205. *seqq.* ex quorum consilio hæc repetam: Bey welcher Bewandniß wir um so viel desto mehr die in denen Landes-Gesetzen ohne diß so hoch anbefohlne Behutsamkeit zu gebrauchen, und ie zuweilen nach Beschaffenheit derer ereigneten Fällen, mit Hindansetzung der förmlichen Requisition ad articulos inquisitionales, alsbald euentualiter auf das iuramentum purgatorium, oder eine gewisse Geld-Busse zu milden Sachen zu erkennen, bewogen worden, ie mehr Schimpf und Nachtheil angeregte Responsion nach sich zu ziehen, auch zu geschehen pfleget, daß, wenn eine und andere Person, so sonst in einem gewissen Ehren-Stande sitzet, oder sonsten einen guten Ruff hat, durch Unvorsichtigkeit und Verleitung in Ungelegenheit verfället, durch Anstellung des Inquisitions Processes um ihr zeitliches Glück gebracht, und dargegen in das äusserste Verderben gesetzt wird: wobey zugleich iedennoch wir allezeit ferner gute Vorsichtigkeit und Bescheidenheit gebraucht, und, ehe und bevor der Reus vor Gerichte, iedoch nur summarisch, vernommen worden, oder wenigstens in einer übergebenen Defensions-Schrift seine Antwort erstattet, auf obige Maasse nicht erkandt. Hiernechst bey solcher Erkäntniß fürnehmlich auf die verhandenen indicia, so wohl die Strafe, welche das gerügte Verbrechen nach sich ziehet, unser Absehen gerichtet, und da wir nach wohl bedächtiger und reiffer Überlegung aller vorkommenden Umstände so viel, daß ein mehrerer Verdacht nicht zu erlangen, oder auch die Strafe sich höher nicht als auf eine Geld-Busse erstrecken könne, wahrgenommen, zu Vermeidung grosser und undienlicher Weitläufftigkeit, auch unnöthiger Geld-Spelderung den Zweck ergriffen, und also Reum in mehrere Weiterung zu verwickeln angestanden. Gestalt denn der durch Gewohn-

rationes dubitandi.

rationes decidendi.

Sententia Wittebergensium.

wohnheit eingeführte Processus Inquisitorius an die Formalien des Processus accusatorii nicht gebunden, sondern meistentheils allein in regulis rectæ rationis gegründet, und dahero nicht abzusehen, warum des Rei summarische Aussage, nach Gelegenheit dißfalls, nicht zulänglich, und an statt einer förmlichen Responsion ad articulos inquisitionales gelten könne, da besonders wir ferner vermercket, daß Ew. Churfürstl. Durchl. sich in ereigneten Inquisition-Fällen die Hände keines weges binden lassen, sondern zum öftern durch Dero löblichen Landes-Regierung, dem Reo, auf vorhergehendes unterthänigstes suppliciren, unterschiedene defensiones pro auertenda inquisitione gestattet, und daraus so viel, wie sie mit Anstellung und Fortsetzung des Inquisition-Processes allenthalben gute Vorsichtigkeit gehalten, und selbigen mehr eingeschräncket, als extendiret wissen wollen, so wohl unsern, zu solchem Ende eingeführten modum pronunciandi, Ihr in Gnaden gefallen lassen, klärlich an den Tag geleget. Anderer Gestalt auch dergleichen defensiones schlechte Würckung haben würden. Wannenhero daß des Ew. Churfürstl. Durchl. alleine in diesen Landen zustehenden iuris aggratiandi wir auf einigerley Art uns anzumassen, oder dem Richter die fructus iurisdictionis zu entziehen gemeynet gewesen, mit Bestande nicht gesaget werden mag, in mehrerer Erwegung, daß Reus solcher Gestalt keinesweges dimittiret, sondern denselben zu Vermeidung der bevorstehenden Inquisition, sich der in casum condemnationis erfolgenden Strafe zu entwerffen frey gestellet wird, wie er denn, ehe und bevor er des gerügten Verbrechens geständig, oder zur Nothdurft überführet, berührten iuris aggratiandi keines weges benöthiget, vielweniger mit einiger Strafe schlechterdings zu belegen, und dahero dem iudici inquisitionis noch zur Zeit kein Recht erwachsen, vielweniger dahin zu stellen, ob nicht, wenn der inquisition ihr ordentlicher Lauf gelassen würde, Inquisit vermittelst der Haupt-defension so viel, daß er von der angestellten inquisition entweder absolute, oder auf vorgehenden Reinigungs-Eyd zu absoluiren, ausführen möchte, wodurch denn nicht allein der piæ causæ das commodum entzogen, sondern auch, wenn Inquisit nullo facto illicito zur inquisition Anlaß gegeben, die aufgewendeten Unkosten dem Richter Amts wegen aufgebürdet würden; da hingegen ein und anderer Reus, wenn er zumalen in facto illicito begriffen gewesen, ohnerachtet er sonst des gerügten Verbrechens halber unschuldig, zu Vermeidung des Inquisition-

Processes und Rettung seiner Ehre lieber zu einer gewissen Geld-Busse sich zu bequemen pfleget, wie denn auch dergleichen transaction, immassen sie bevorab von uns exerciret worden, der analogiæ iuris nicht ungemäß, in Betrachtung, daß, gleichwie, vermöge Käyserlicher Rechte, magistratus competens dem Ankläger aus erheblichen Ursachen die abolition gestatten kan, *L. 2. C. de abolit. L. 30. C. ad L. Iul. de adulter.* also nicht abzusehen, warum die Obrigkeit, welche im Inquisition-Processe des Anklägers Stelle vertritt, nicht gleicher Gestalt mit dem Reo transigiren könne;

Prosper. Farinac. Prax. Crim. lib. 1. tit. 1. qu. 50. n. 3.

Dazumal hierdurch publica satisfactio keines weges hinterzogen oder gehemmet, sondern vielmehr befördert wird, immassen auch die bekandte Regul: daß in pœnis arbitrariis alternatiuis non Reo, sed iudici, die election zustehe, dißfalls keinen Abbruch leidet, indem selbige Reum confessum vel conuictum, adeoque absolute condemnatum præsupponiret, da hingegen im gegenwärtigen Fall solches suppositum cessiret, und die Strafe nicht schlechterdings, sondern allein zur Vermeidung des bevorstehenden Inquisition-Processes erkandt wird. Allermassen nun, daß berührter unser bißheriger modus pronunciandi nicht ohne Grund, wir in denen festen Gedancken begriffen; also stellen Ew. Churfürstl. Durchl. hocherleuchtetem Ermessen lediglich anheim, ob Sie, nach Beschaffenheit derer vorfallenden Inquisitions-Fälle, es bey obigem modo, iedoch, wenn zuförderst allezeit Reus vor Gerichte summarisch vernommen worden, gnädigst bewenden lassen, oder aber, damit der iudex inquisitionis sich über einigen Abgang derer fructuum inquisitionis desto weniger zu beschweren Ursache haben möge, mehrberührten modum dergestallt, daß nichts minder dergleichen Geld-Strafe ermeldtem Richter zugesprochen werden solle, attemperiren wollen, wie wir denn zugleich den Grund dieses gantzen Wercks, woran dem gemeinen Wesen trefflich gelegen, Ew. Churfürstl. Durchl. gnädigster Verordnung in Unterthänigkeit untergeben, damit zuförderst des Herrn Carpzouii doctrin, welche dißfalls zu weit zu gehen, und guten Theils zu denen obhabenden differentien Gelegenheit gegeben zu haben scheinet, nothdürftig erläutert, in welchen Fällen eigentlich der Inquisition-Procefs statt haben solle, eine genauere und gewissere Verfassung eingerichtet, und künftig der

Unter-

Unterscheid in pronunciando unterbrochen werden möge. E re esse duxi, hanc ICtorum Wittebergensium sententiam hic regustare, quæ optime monitum *§. antec.* adductum illustrat, atque defendit, vt non possim non eam quoque calculo meo approbare.

TIT. XXXV.

DE
PVRGATIONE VVLGARI.

§. I.

Quæ probata & recepta fuerit in iure canonico *ostensio innocentiæ*, præcedente titulo exposui: nunc *spuriam*, *falsam* & *erroneam* ostendam methodum, qua olim Rei suam innocentiam probare, & indicia diluere conati sunt, quam *vulgarem* hic titulus nominat *purgationem*, quod a prudentioribus, maxime vero a Pontificibus Romanis, esset reprobata, a vulgo tantum recepta. Huius ineptiam vt eo facilius denudare possim, præmitto, omne in criminalibus ferre punctum *legitimam probationem* vel *criminis* a parte *accusatoris*: vel *innocentiæ* a parte *inquisiti*, quæ proinde ad *substantiam iudicii* merito refertur. Si *accusator* prorsus deficit in probando, reus absoluendus, quem secundum iura condemnare non licet, nisi *confessum* aut *legitime conuictum l. f. C. de custod. reor.* Ita recte rationes subduxit CONSTANTINVS M. in *l. 1. C. Theod. quorum appell. non recip.* constituendo, prouocationes eorum non esse suscipiendas, quas *confessio propria vel dilucida & probatissima veritatis quæstio probationibus atque argumentis detexerit.* His idem imperator principiis instruxit iudicem, quæstionibus præpositum, atque in *l. 16. C. de pœnis* ita cauit: *qui sententiam laturus est, temperamentum hoc teneat, vt non prius capitalem in quempiam promat seueramque sententiam, quam in adulterii, vel homicidii, vel maleficii crimine aut sua confessione, aut certe omnium qui tormentis vel interrogationibus fuerint dediti, in vnum conspirante concordanteque rei finem, conuictus sit.* Testes olim quandoque torturis subiecti, vt sub tormentis veritatem dicerent, *l. 21. §. 2. D. de testib.* vt ne quidem clerici exciperentur, exceptis presbyteris, *l. 8. C. de epis.* quorsum collineat CONSTANTINVS in *cit. l. 16.*, de qua materia plenius

Probatio legitima in criminalibus.

per probationes dilucidas.

nius agit GVAZZINVS *de defens. reor.* Verum hoc iam non ago, vt quæ huc pertinent, enucleem: sufficit ostendisse, *argumenta dilucida*, *manifesta* & *probatissima* in criminibus desiderari, vt quis condemnari queat, præsertim si capitale supplicium condemnato imminet.

quæ talis sit? *Dilucida* vero atque *manifesta* argumenta dicuntur, quæ *luce meridiana* clariora, & ita comparata sunt, vt instar luminis cuiusuis animum de *veritate rei* informent, eumque conuincant, adeoque nulla obscuritate laborent, h. e. per rectam rationem facultatemque illam, qua rationes subducimus, & verum a falso separamus, *clare* & *distincte* cognosci & intelligi possint. *Probatissima* denique vel ideo appellantur, quod nullum dubitationibus locum relinquant, sed plene concludant, vt *certitudo facti* seu assensio firma intellectus nostri, orta ex sensionibus euidentibus & rationibus adductis, inde nascatur, aduersus quas nullas amplius dubitandi rationes adferre queamus.

Certitudo facti vel absoluta vel moralis.

§. II. Illa vero argumenta, quibus animus iudicis de *veritate facti* conuincitur, pariunt vel *certitudinem absolutam*, quæ fallere nequit; vel *moralem*, quæ in tali *verosimilitudine* consistit, quæ quidem fallere potest, sed rarissime fallit, atque operatur, vt homines recta ratione vtentes ei tamdiu assensum præbeant, donec probetur contrarium.

absoluta, *Absoluta certitudo* facti vel rei operatut *scientiam*, qua instructus, *certam* habet rei *cognitionem*, quam demonstrare & deducere potest ex principiis indubitatis, imo etiam ex *sensibus*, quod vel *inspectio ocularis* demonstrat. Si ergo ex illa constat, virginem esse grauidam & ex grauiditate partum edidisse, stuprum plene probatur.

moralis. *Moralis certitudo* operatur *opinionem* vel *fidem* eiusmodi, qua instructi non possunt non assertioni affirmatiuæ vel negatiuæ assentiri, vt vel ex depositione testium duorum, omni exceptione maiorum, liquet. Rarissime hæc fallit, fallere tamen potest, si *mendacii* testes conuinci queant, quod contigit in testibus, honoratis admodum quidem, sed de falso conuictis in iudicio contra Susannam edito. Interim etiam ex decreto diuino duobus testibus tam diu *fidem* habere decet in factis controuersis, donec fuerit contrarium euictum. Talis fides admitti debet in *rebus facti*, quæ logice demonstrari regulariter nequeunt, adeoque assensum meretur propositio, tum propter *fidem & auctoritatetem asserentis*, tum propter *rationem*, qua dicti sui certitudinem firmat. Non aliter enim certa nostro animo ingenerari potest opinio & fides, quam si constat, tum quod *possit* veritatem facti referre, tum etiam quod vera dicere

dicere *velit*, ex quibus duobus principiis fides testibus conciliatur, vt plene in iudiciis quibuscunque probare queant.

§. III. Sicuti vero *probabilitatis* varii sunt gradus, prout argumenta, quibus efficitur, id suadent; ita recte asseri potest, hunc esse summum eius gradum, qui *certitudinem moralem* operatur, vt homines recta ratione vtentes ei assensum præbere queant, prout de *duobus testibus* dictum, & de *documentorum indubitatorum fide* constat. Infimus fidei gradus ex eiusmodi argumentis trahitur, quæ vtplurimum fallunt, aliquid dubii tamen relinquunt, & *leuem suspicionem* operantur, quorsum *fama* plerumque pertinet, quæ fallax, & homines facile decipit, interim suspicioni locum apud plerosque relinquit. Qui interrogatus pallet, suspectus creditur, naturalis tamen timor in causa esse potest, cur palleat. Canonistæ illud exemplo clerici, in amplexibus mulieris deprehensi, illustrare solent, quod non ex *libidine* sed *animo benedicendi* id facere credendus sit, quamuis non omnis desit suspicio sinistra. *conf. c. 14. C. 11. q. 3. c. 8. D. 96.* Inter summum & infimum collocandus est *medius* probabilitatis *gradus*, qui *veritati* propius accedit, non tamen omni caret dubio, quod non raro fallere queat, quorsum illa argumenta ex iure criminali pertinent, ex quibus *tortura* dictari potest. Interim omnes hi gradus ita comparati sunt, vt fundamentum suum in *recta ratione*, vnde quid colligimus, habeant, & per eam vel *certo* vel *probabiliter* cognosci queant, vel ad minimum aliquid *suspicionis* operentur, adeoque ad *artem cogitandi* seu *logicam* proprie spectant, vnde illa ICtus assumit, & legislatores atque iudices trahunt. Ex eiusmodi naturalibus principiis fluebat iudicium SALOMONIS, quod etiam in *c. 2. X. de præsumt.* memoratur, ex quibus colligebat, quæ esset legitima infantis mater; facile enim coniectura assequi poterat rex sapientissimus, *affectum naturalem* non posse non matrem legitimam prolis manifestare. Si solus cum sola, nudus cum nuda in eodem lecto iacentes deprehensi fuerint, matrimonio inter se non iuncti, probabiliter *adulterium* commisisse creduntur, quod rursus naturalem habet rationem ex hominum indole deductam. *c. 12. X. de præsumt.* Quæ magnopere a vero absunt, vt fidem non mereantur, ea rursus per *rectæ rationis* regulas habentur & ostenduntur, vt pontifex in *c. 15. X. de præsumt.* rationes subducit, & pro episcopi Hungarici, de adulterio accusati, innocentia demonstranda has rationes adfert: *Quis de facili crederet, quod vir præditus scientia literarum, propriæ salutis oblitus, ad eam passionis ignauiam se conuerteret, vt cum propria nepte abomi-*

Gradus certitudinis summus,

infimus,

medius,

in recta ratione fundati.

nabilem perpetraret incestum? cum etiam secundum sententias ethnicorum naturale fœdus inter tales personas nihil permittat saui criminis suspicari. Denique *loci*, qui vulgo vocantur *topici*, nihil aliud sunt, quam *sedes argumentorum*, *a recta ratione* suppeditatorum, ex quibus aliquid vel *probabiliter* vel *certo* colligi ab homine sanæ mentis potest, de quibus QVINCTILIANVS *lib. V. c. 10.* in compendio agit. IDEM postquam *lib. V. c. 10.* recte asseruisset, *ex præteritis æstimari solere præsentia*, ex recta ratione hoc *lib. VII. c. 2.* illustrat: *ducitur coniectura a præteritis. In his sunt personæ, causæ, consilia. Nam is ordo est, vt facere voluerit, potuerit, fecerit. Ideoque intuendum ante omnia, qualis sit, de quo agitur.*

Spuria probatio a recta ratione aberrans.

§. IV. Hæc principia in *recta ratione*, tum *naturali* tum *iuris* fundata, liquido ostendunt, quæ sit *spuria* in criminalibus *probatio*, cum oppositorum opposita sit ratio. *Spurios* autem illos *modos* voco, quos nulla *ratio iuris* vel in *principio* quodam *naturali* fundata assequitur, nec in sede quadam argumentorum logicorum ordinaria offendit, sed vel superstitiola credulitas, ab omni tamen ratione aliena, vnice produxit, vel gentilium instituta idololatrica post se reliquerunt, vt sunt probationes *per ignem* & *aquam*, per *duellum* & similes. Tales probandi *modi spurii* penes illos duntaxat assensum merentur, qui *vsum rationis* abiiciunt, sola *superstitione*, qua olim potissimum *monachi* ducebantur, ducti. Hæc enim *temerariam* & *irrationabilem credulitatem* operatur, quod eius genuina & certa ratio dari non possit, adeoque merito ab his repudiatur, quos ab omni superstitione & vulgi opinione inepta liberauit cultior intellectus saniorque philosophia.

Origo ex idololatriæ reliquiis & superstitione,

§. V. Quod si *originem* huius *spuriæ innocentiæ ostensionis*, quam *vulgarem* vocant *purgationem*, intuemur, ad illa tempora eius initia referenda, quibus tot barbaræ gentes, gentilismo idololatrico relicto, CHRISTO nomen dederunt, sed simul eo tempore ad christianam religionem accesserunt, quo iam *superstitionum* omnia plena, & tenebrarum caligo lumen cœleste ita obscurauerat, vt nubem pro Iunone facile acceperint. Hæc corrupta rei ecclesiasticæ ratio lubens permisit, vt a gentilibus conuersis ex institutis & moribus antiquis plura retinerentur, ipsius CHRISTI doctrinæ aduersa: adeoque admodum probabile est, plerosque spurios probandi innocentiam modos *gentilium* deberi institutis, & eo facilius, gentilibus ad fidem conuersis, retentos, quod *superstitio* illis iam principiis eam instruxerat, quæ hos irrationabiles modos propugnare & facilius legitimare possent.

a gentilibus deducenda,

Tri-

Triplex ergo fundamentum hanc purgationem *vulgarem* vel *spuriam* per plura secula inter christianos probauit, videlicet: 1) *paganismus* in christianismo a gentibus barbaris seculo V. recepto propagatus, parum reformatus: 2) *dominatus monasticæ superstitionis*, regni tenebrarum veri initii, quod hoc seculo in clericatum cooptarentur inprimis monachi, & *superstitione*, speciem *sanctioris vitæ* præ se ferente, omnia implerent. SIRICIVS papa *epist. 1.* desiderium cooptandi monachos in clerum his prodit verbis: *monachos quoque, quos tamen morum grauitas & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari & optamus & volumus.* Laudauit more suo hoc institutum THOMASSINVS *tom. I. de vet. & noua eccl. discipl. lib. 3. c. 14. §. 5.* &, *nec tantum*, ait, *vt aptetur quis sacerdotio, opportunissima est monastica institutio: sed etiam vt sacerdotii sanctissima ministeria ea, qua par est, sanctimonia impleantur.* Ex communi præiudicio edisserit THOMASSINVS, quo creditum fuit, *sanctitatem vitæ* per *affectatos* quosdam & secundum *regulas* compositos *mores* effici, & pietatem in *simplici* & *irrationabili credulitate* consistere, qua tot falsa pro veris assumta sunt. Accedebat quoque 3) nimium *miracula expetendi*, imo quacunque occasione a Deo extorquendi, *studium*, quorum frequentiam in hoc vel illo monasterio aut ecclesia alius laudabat, alius confirmabat, rursus alius nouis augebat fabulis, vt simpliciores, parum in rudimentis fidei exercitati, lubenter narratiunculis assensum præberent, & in eo, quod Deus *extra ordinem* facere solet, ordinariam omnipotentis DEI viam & modum operandi imo *iudicium diuinum* quærerent, vt hi ipsi modi spurii testantur.

primum fundamentum, paganismus, secundum est superstitio monastica, tertium est miraculorum appetitus.

§. VI. Veritatem huius assertionis quodammodo suspectam reddere voluit B. Dn. HOFFMANNVS, professor quondam in Viadrina celeberrimus, in tr. *de orig. & natura legum Germanic. sect. 2. §. 2. p. 39. sq.* censuitque, vnicum duntaxat fundamentum horum *spuriorum modorum* constituendum esse, scilicet in *superstitione*, nec a *gentilibus* aut *ritibus paganicis* eos, maxime vero duella, repetenda, quod demum eorum vsus inter gentes barbaras referatur, postquam Christo nomen dederunt, adeoque corruptis christianismi principiis in effectu natales adsignat. Quemadmodum vero facile admitti potest, *superstitionem* credulam & pronam in *miracula* ambienda voluntatem admodum promouisse, illegitimos *innocentiam* probandi modos; ita negari nequit, ritus paganicos, vulgo *religiosos* creditos, haud plane a gentilibus depositos, postquam vtplurimum peruersa methodo ab his ad

Confirmatio horum fundamentorum.

fidem christianam tracti, qui vulgo *sancti* dicti & crediti, quorum tamen vita, mores, gesta, aliud quid indigitant, & ab *integritate apostolica* longe recedunt. Hi mores gentilium inueteratos cum prorsus abolere non possent, nouis quibusdam sacris eos muniendos & condecorandos censuerunt, vt etiam accedentibus ad fidem christianam relinqui possent. Neque enim credibile est, modos hos vnice inter ipsos christianos nasci potuisse, qui principiis regulisque christianismi aduersantur, quamuis semel in *paganismo* nati inter christianos peruerse conversos facilius propagari atque augeri potuere. Speciatim id ipsum demonstrat B. THOMAS. *de occas. concept. & intent. constit. crimin. carol.* §. 19. *in not. lit. z.* exemplo *duellorum* apud plerosque septentrionales populos, antequam ad fidem christianam accederent, vsitatorum, quibus vel innocentiam vel crimen imputatum vel aliud quid probare intenderunt. Mores horum populorum bellicosi, priuatis certaminibus assueti, tali iudicio omnino conueniebant, adeoque minus probabile est, ex sententia Dn. HOFFMANNI hoc demum *post assumtam fidem christianam* ab his populis natum fuisse. Quamuis enim variis postea *sacris ritibus* hic modus innocentiam vel veritatem rei ostendendi condecoratus fuerit, vt *pietatis* & *religionis* quandam vmbram spiraret, hæc tamen prima eius initia haud demonstrant. Idem iudicium quoque ferendum de probatione per *ignem*, *aquam frigidam*, & per *sortes*, quorum modorum semina iam apud gentiles obuia sunt, quibus pedetentim noui quidam adiecti; veluti per *crucem*, *eucharistiam*, *caseum exsecratum*, imo etiam per *iuramentum*, vt *præced. titulo* docui.

Primum fundamentum ex reliquiis paganismi demonstratur.

§. VII. Primum ergo horum modorum fundamentum secure constitui potest in *profanis paganismi principiis*, quibus hi admodum conformes erant. Miraculosas probationes huiusmodi, vt sacris suis ritibusque fidem facerent, excogitarunt mystæ gentiles, penes quos fuit sacra & mysteria populo proponere & explicare. Variis præterea *diuinationibus idololatricis*, *oraculorum responsis*, aliisque *profanis ritibus* deceperunt populum credulum, vt non mirandum sit, eos etiam spurios huiusmodi modos, quos *sacris* annumerarunt, admisisse & inculcasse, vt ANTON. VAN DALE *de oracul. vet. ethnicor.* item *de idololatr. superstit. & diuinat. orig. & progressu* plena manu docet. Variis id ipsum testimoniis illustrat probatque BECMANNVS *de iudicio Dei* §. IV., quæ ostendunt, *miraculosam* quandam & *diuinam* his modis spuriis *virtutem* a gentilibus adscriptam fuisse, occultissima etiam

etiam eruendi. Testis est EVSTATHIVS (quem alii EVMATHIVM vocant) *de amoribus Ismeniæ & Ismenes lib. VIII. & XI.* Artycomide & Daphnopoli fontes fuisse, quibus pudicitia in virginibus probata est. *Hi fontes*, ait, *virginem ereptamque virginitatem indicant*, quod in sequentibus plenius enucleat. Hoc miraculoso modo Tucciam virginem vestalem incesti criminis ream castitatem suam probasse refert VALERIVS MAXIMVS *lib. VIII. c. 1. §. 5.* additque, eam *conscientia certæ sinceritatis suæ spem salutis ancipiti argumento petere ausam fuisse. Arrepto enim cribro, Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admovi manus, effice, vt hoc hauriam e Tiberi aquam, & in ædem tuam perferam. Audaciter & temere iactis votis sacerdotis rerum ipsa natura cessit.* Neque *ignis iudicium* ignotum fuisse gentilibus, liquet ex iis, quæ enarrat SOPHOCLES *in Antigone* de CREONTE rege, qui cum publico decreto mortisque pœna indicta corpus Polynicis sepeliri vetuisset, & Antigone clam fratrem sepulcro tradidisset, custodes regii semet ipsos grauiter incusare cœperunt, quod culpa vnius foret, non omnium, custodia per noctis partes cuilibet distributa. Cumque de ea re solertissime inquirerent, remque ad regem CREONTEM referrent, in hoc modo dixisse legitur:

> *Nemo deprehensus est, nosque latuit,*
> *Sumus vero parati & candens ferrum manibus tollere,*
> *Et per ignem serpere, Deosque iurare, nec fecisse nos, nec fuisse conscios*
> *Eius, qui hac de re consilium habuerit, nec eius, qui eam fecerit.*

Ita vero liquet, etiam *iuriurandum* ad probandum fuisse admissum, sed adhibito quodam *iudicio diuino*, vnde iuramento fides conciliari posset. ACHILLES TATIVS *de amor. Clitoph. & Leucippes lib. IX.* hoc ipsum nouo probat argumento, *Cum violatæ pudicitiæ aliqua arguitur, ea in fontem* (Stygis nomine prope Ephesum) *compellitur, cuius vnda vix medias tibias attingit. Iudicium autem fieri hoc pacto consueuit. Quæ delata est, falso se insimulari iurat, iusiurandumque in tabella descriptum collo suo alligatum sustinens, in fontem descendit. Ac si verum iusiurandum iurauerit, aqua omnino immota manet; sin minus, intumescit, atque ad collum vsque se attollens tabellam contegit. Aquæ iudicium* Celtis olim vsitatum fuisse, variis

testimoniis probatum dedit FRIDERICVS HEINIVS *de probatione, quæ olim fieri solebat per ignem & aquam p. 26.* Alludit huc sine dubio CLAVDIANVS *lib. II. in Rufinum vers. 110.*

Inde truces flauo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos nascentes EXPLORAT *gurgite Rhenus,*
Quosque rigat retro pernicior vnda Garumnæ.

Etenim Germanicarum & Gallicarum nationum accolæ Rhenensis tractus in more habuisse dicuntur, infantes recens natos fluuio imponere, vt si natare scirent, vel enatassent alueum, *legitimi* haberentur; *illegitimi* vero, si cederent flumini, vt obseruat BARTHIVS *in not. ad cit. l.* Denique Germanos lites *armis discernere*, non *iure terminare*, autor est VELLEIVS *lib. II. c. 118.* vnde aperte constat, *monomachiæ* iudicium iam populis his bellicosis vsitatum fuisse, antequam albo christianorum inscriberentur.

Fundamentum alterum in monastica superstitione positum demonstratur.

§. VIII. Alterum momentum constitui potest in *monastica superstitione*, quæ mores gentiles, ad quos recens conuersi admodum proni erant, approbauit, nouis tamen palliauit coloribus, præceptisque illis instruxit, quæ speciem quandam *deuotionis & religionis* habere possent, haud memores illius dicti prophetici: *Ierem. X, 2. Sic dicit Dominus: viam gentium ne discatis.* Asseruerunt enim, in rebus occultis ambiguisque deficere *humanum*, quærendum vnice *diuinum iudicium*: explorandam voluntatem supremi Numinis per *signa*, & veritatem facti *extraordinaria ratione* ab eo expetendam, qui fallere nescit: DEVM, qui corda singulorum rimatur, *innocentiam* vel *veritatem criminis* signo quodam indicaturum esse, sicut olim beneficio *aquæ amaræ* manifestabatur vxoris vel innocentia vel reatus, *Num. V, 15. sqq.* atque remedio *sortis* extraordinario furtum Achani: *Ios. VII.* ecclesiam hac diuina virtute præditam esse, vt naturam elementorum immutare, & pro manifestanda veritate *extraordinarium motum* ab eis extorquere possit. Hanc ob rem *DEI iudicium* æque vt in *iureiurando* in his probandi modis quærebant, eoque encomio eosdem ab *impietate* vel *superstitione* liberare studebant. Optime id obseruat GERARDVS DV BOIS *in histor. Paris. eccl. tom. II. lib. 12. c. 3. erat scilicet ea existimatio, vt ex* DEI IVDICIO *liber criminis videretur, qui sine adustione ferrum candens tangeret, immotus & inoffensus in aqua*

Quod DEI iudicium his modis miraculosis adesset.

qua frigida, aut feruenti aliquo tempore consisteret, aut partem corporis illæsus mergeret: is quidem mos peruersus a barbaris gentibus dimanauit. Germanis in vsu fuisse TACITVS *tradit: & Longobardos eo quoque vsos, leges, quæ eorum nomine extant, fidem faciunt. Gundobadus rex Burgundiorum de hoc iudiciorum genere legem tulit. Postquam barbaræ gentes inuaserunt imperium Romanum, facile hanc consuetudinem in christianos mores induxerunt; in eam scilicet eo procliuius christiani iuerunt, quod sæpius primis temporibus DEVS innocentiam fidelium signis manifestis ostenderet.* Ad hoc *iudicium diuinum* prouocauit CAROLI Crassi coniux RICHARDIS, cum ex *zelotypia mariti* adulterii insimularetur. *Illa* enim *non solum ab eius* (mariti) *sed etiam ab omni virili commixtione se immunem esse profitetur, & de virginitatis integritate gloriatur, idque se approbare* DEI OMNIPOTENTIS IVDICIO, *si marito placeret, aut singulari certamine, aut ignitorum vomerum examine, fiducialiter affirmat,* vt ait REGINO *lib. II. chron. 887.* apud PISTOR. *tom. I. ex edit. Struu. p. 78.* Pariter veritatem religionis christianæ hoc *testimonio diuino* olim probatam fuisse refert STIRNHOECK *lib. I. iur. Sueo-Gothici c. 8.* aitque: *Poppo, qui primus in Boream ad verbi diuini plantationem venit, in præsentia Erici Sueciæ regis iniecta manui chirotheca ferrea ignita dubiam populo doctrinæ veritatem sic approbauit. Inde factum est, vt deinceps in omni re dubia ad eiusmodi* DEI TESTIMONIVM *prouocaretur, & mos iste in legem abiret.* Hoc *testimonium* eo maiorem fidem operari inter homines credebatur, quod *diuino signo* & *miraculo* esset munitum, & iudicium in re dubia falli nescium. Nec minus *duellis* inesse *iudicium diuinum* credebant, vt *tit. praeced. ab init.* docui. Hoc præiudicio imbutus fuit dux BOSO apud GREGORIVM Turonensem *lib. 7. histor. Franc. c. 14.* regem GVNTHERAMNVM ita alloquens: *At si aliquis est similis mihi, qui hoc crimen impingat occulte, veniat nunc palam, & loquatur. Tu, o rex piissime, ponens hoc in* DEI IVDICIO, *vt ille discernat, cum nos in vnius campi planitie viderit dimicare.* In *legibus Burgundionum tit. 45.* apud LINDENBROGIVM *in cod. LL. antiq. p. 284. sq.* & COINTIVM *in annal. Francorum ad ann. 534. tom. I. n. 56.* hoc testimonium exæquatum fuit cum ipso *iuramento*, quod *de rebus incertis plerumque sacramentum offerre non dubitent, & de cognitis iugiter periurare*, vt si is, cui iuramentum delatum, iurare nolit, possit prouocare ad hoc testimonium, *ita vt vnus de iisdem testibus, qui ad danda conuenerant sacramenta,* DEO IVDICANTE, *confligat.*

Exemplis adductis Richardis Reginæ

Popponis.

Ducis Bosonis

Expres-

irrationabilius fingi poteſt. Aſt communis perſuaſio de *iudicio DEI* hoc modo manifeſtato legitimauit hoc edictum, obſeruantiæ imperii prorſus repugnans. Inde *Ordalium*, & *Vrtellum*, Waſſer-Ordel, Feuer-Ordel, qua voce olim hæc *iudicia* vel *teſtimonia* deſignarunt. vid. SCHILTERVS in *gloſſario Teuton. voce* Ordel; IOACHIMVS IO. MADERVS *de duello, vt Ordalei quondam ſpecie*; HENRICVS BANGERTVS *de duello, vt diuino iudicio*, Maderi tractatui adiectus.

His modis ad miraculum diuinum prouocabant

§. IX. Denique vt etiam de *tertio* horum ſpuriorum modorum *fundamento* aliquid addam, palam eſt ex eccleſiaſticis annalibus, fabulas ex monaſteriis tanquam ex equo Troiano prodiiſſe *de miraculorum* cumulo, quo ſanctitatis opinionem plerique captabant; & in quouis caſu ſingulare quid quærebant. Accedebat, homines, vitæ monaſticæ adſuetos, melancholico fuiſſe præditos temperamento, ad *ſigna* & alia *extraordinaria prodigia* credenda aptiſſimos & pronos, & inde in eam iuiſſe ſententiam, a DEO *ſigna* extorqueri poſſe, imo *miraculis edendis* eccleſiam noui fœderis eſſe ſpeciatim deſtinatam, præſertim ſi accederent eccleſiaſtici *ritus*, *preces*, *exorciſmi*, cetera, quibus carminibus inſignis imo *diuina vis* ineſſe credebatur. Hoc credulis propoſitum: a monachis infinitis monumentis fabuloſis confirmatum & per plura ſecula propagatum. Fata monachi PETRI, *ignei* dicti, quod *probationi per ignem* ſe ſubieciſſet, hunc pruritum, ad miracula prouocandi, & per ea *voluntatem DEI* explorandi, ſatis ſuperque indicant, ſi vera ſunt. Inſimulatus erat PETRVS epiſcpus a monachis, quod per *ſimoniam* in vrbe Florentina epiſcopatum obtinuiſſet. Hic iuramento innocentiam ſuam oſtendere paratus erat; verum aliud placuit IOANNI *abbati Vallis vmbroſæ*, qui, *monaſtico more*, aduocato populo, dixiſſe fertur: *quoniam verba non proſunt*, VENIAMVS AD SIGNA. *Conſtruatur rogus, & igne ſuppoſito accendatur, per quem vnus e noſtris* (monachis) *ingrediatur, & vtrum vera an falſa ſint, quæ de epiſcopo dicimus*, DOMINO DISCERNENTE, *probetur. Placet vtrique parti ſententia. Rogus mox duodecim pedum menſura conſtruitur, intra quem parua ſemita, qua vnius tantum hominis perſona tranſire poſſet, relinquitur: qua etiam ex accenſis lignis, ne ibi aliquis locus a flamma vacaret, conſternitur. Interim dum hæc præparantur, prafatus Abbas Iohannes, Petro ſuo diſcipulo, reuerendiſſimo ſcilicet viro, qui poſtmodum in Albanenſi vrbe epiſcopus ordinatus eſt, quique etiam adbuc ſupereſt, eandem eccleſiam regens, præce-*

Exemplo Petri monachi.

ATTONITIS. Circumſtantiæ adductæ inſignem *ſuperſtitionem* & ſimul *mentis hebetudinem* in adſtantibus deſignant. Nam 1) nocte proxima ad ſepulcrum S. Swinthoni peruigilauit, eiusque opem implorauit, vt huic ſancto *nouum miraculum* attribui poſſet: 2) conſuetis ritibus vomeres ardentes & exorciſmis adhibitis ad fucum populo faciendum præparati dicuntur, vt his quoque ſua autoritas ſtaret: 3) a duobus cincta epiſcopis, quorum latera *ſpectaculi veritatem* facile adſtantibus ſubtrahere potuerunt, per nouem vomeres tranſiit: 4) curſu præcipiti vſa: 5) ſtupente rege & populo attonito, inter metum atque ſpem incertam poſito, & ita ſenſuum vſu deficiente: denique 6) quia e re ſancti prædicti erat, edi *miraculum* quoddam, quis, præiudiciis omnibus ſepoſitis, crederet, ſine artibus adhibitis tale quid contigiſſe? Addam aliud ſpectaculum ad fidem ſanctis faciendam. Simili videlicet miraculo monaſtico ſibi fidem conciliauit in translatione S. Helenæ monachus, cuius meminit NOTCHERVS abbas *de translat. S. Sindulfi & S. Helenæ p. 154.* apud MABILLON. *in act. Benedict. ſec. VI. P. 2.* circa *annum 866.* his vſus verbis: *iudicauerunt itaque, non aliter eſſe credendum, niſi monachus ille, qui eam* (S. Helenam,) *ad nos transportauerat, manifeſtum iudicium* (per miraculum) *feciſſet, & in calidam aquam toto corpore nudatus intraret. Sed vt Deus vel veritatem manifeſtius panderet, ita hunc intra feruidas aquas conſeruauit illæſum, ſicut & ab ipſo mendacio, quod dicebatur, fecerat alienum.* Quis ignorat, reliquias dubias ſanctorum, quorum multitudine monaſteria laborant & celebriores eccleſiæ, olim *igne* probatas fuiſſe, vt *interueniente miraculo* & ſigno indubitato (refragante licet doctrina Chriſti, *Matth. XII, 38. 39. XVI, 1, 4. Ioh. II, 18. IV, 48.*) Deus præcaueret, ne falſæ pro veris aſſumerentur. Id cautum *anno 592. in concilio Cæſar-Auguſtano c. 2. Statuit ſancta ſynodus, vt reliquiæ in quibuscunque locis de Ariana hæreſi inuentæ fuerint, prolatæ a ſacerdotibus, in quorum eccleſiis reperiuntur, pontificibus præſentatæ igne probentur.* Exempla miraculorum in probatione reliquiarum contingentium refert EDMVNDVS MARTENIVS *tom. III. de antiq. eccl. diſcipl. lib. III. c. 8. §. 2. p. 495.* quæ prouocantur per ſolennes preces, in monaſteriis ſedulo obſeruatas, *vt* IDEM *p. 496.* obſeruat. Solennis oratio hæc fuit: *Domine Deus IEſu Chriſte, qui es rex regum & dominus dominantium & amator omnium in te credentium, qui es iuſtus iudex, fortis, & potens, qui ſacerdotibus tuis tua ſancta myſteria reuelaſti, & qui tribus pueris flammas ignium mitigaſti: concede nobis indignis famu-*

Item cuiusdam monachi.

Reliquiarum igne probatarum.

Adhibitis ſolennibus precibus.

 famu-

famulis tuis, & exaudi preces nostras, vt pannus iste, vel filum istud, quibus inuoluta sunt ista corpora sanctorum, si vera non sint, crementur ab hoc igne; & si vera sint, euadere valeant, vt iustitiae non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati, quatenus veritas tua tibi declaretur, & nobis omnibus in te credentibus manifestetur, vt cognoscamus, quia tu es Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

Adhibebantur in his probandi modis sacri ritus, & exorcismus, praecedente missa,

§. X. Erant haec *examina* & *iudicia* non vulgi imperiti methodi, sed spectacula ab ecclesiis plurimis probata, & *certis sacris precibus* exornata, vt eo maiorem veritatis haberent speciem. *Exorcismi* inprimis vsitati, quibus in his tenebris magna vis tribuebatur ex *potestate ecclesiae*, a qua praescripti, determinati, & hac praediti virtute, ex illorum temporum credula opinione, vt *miraculosos effectus* edere crederentur. Tales formulae cum omni apparatu ex antiqua disciplina erutae sunt atque publicatae a BALVZIO, MARTENIO, GOLDASTO, aliisque, quarum quasdam duntaxat sistam. BALVZIVS *tom. II. capitular. p. 641.* in iudicio *aquae calidae* hanc exhibet: *Exorcizo te creatura aqua in nomine Dei patris omnipotentis & in nomine IEsu Christi filii eius domini nostri, vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & omne phantasma diaboli; vt si hic homo, qui manum suam in te missurus est, innocens extiterit de hac culpa, vnde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum, &, si, quod absit, culpabilis est, & praesumtuose in te manum mittere ausus fuerit, eiusdem Omnipotentis virtus super eum hoc declarare dignetur, vt omnis homo timeat & contremiscat nomen sanctum gloriae Domini nostri, qui viuit & regnat Deus per omnia secula.* Plenior est illa, quae *pag. 642. ibid.* occurrit, vnde liquet, quam insignes effectus vulgo *adiurationibus ecclesiae* adscripti fuerint pro *imperio sacro*, quod in *creaturas inanimatas* quoque sacerdotes exercere intendebant. *Te autem*, dicere iussi sunt, *creatura aqua, adiuro te per Deum sanctum, adiuro te per Deum viuum, vt efficiaris fons exorcizatus ad effugandum & euacuandum & comprobandum omne mendacium, & inuestigandam & comprobandam omnem veritatem &c.* Quemadmodum autem (I) *aquae frigidae iudicium* huc potissimum directum fuit, vt innocens ab aquis susciperetur, & *modo naturali* submergeretur, nocens vero super aqua nataret; ita speciatim in plerisque formulis, *virtute ecclesiae putatiua*, iussa est aqua, hanc vel illam edere operationem, prout in eam missus *nocens* vel *innocens* repertus credebatur. *Ordo III.* apud MARTENIVM *de antiq. eccl. ritib. tom. III. lib. 3. c. 7. p. 461.* notabilem habet apparatum sacrum, quo hoc iudicium olim peractum fuit. Formula

vt in iudicio aquae calidae

& frigidae.

mula *adiurationis* inter alia præceptum continebat: *adiuro te - - vt nullo modo ſuſcipias hominem iſtum, ſi culpabilis eſt, - - ſed fac eum natare ſuper aqua - - adiuro te per nomen Chriſti, & PRAECIPIO tibi, vt nobis per nomen eius OBEDIAS* &c. Tam efficax creditum fuit *imperium eccleſiæ*, vt etiam ſeſe exſereret in *res inanimatas*, & earum *motum ordinarium* miraculoſo modo ſiſtere vel mutare poſſet. Plenior eſt *Ordo V.* quo totus apparatus miſſaticus, qui præcedebat *iudicium aquæ frigidæ*, refertur, & ſimilis *imperioſus iuſſus* ad aquam frigidam dirigitur: *adiurata autem præcipimus tibi, vt per nomen eius obedias, cui omnis creatura ſeruit.*

§. XI. Præ ceteris notari meretur ritus *probationis per aquam frigidam*, qui EVGENIO II. vulgo adſcribitur, quem refert MABILLON. *in veter. analect. p. 161. nouiſſ. edit. in fol.* in cuius calce hæc repeRitus ob Eugenio II. præſcriptus huic iudicio dicitur.riuntur: *Hoc autem iudicium creauit omnipotens Deus, & verum eſt, & per dominum EVGENIVM Apoſtolicum inuentum eſt, vt omnes epiſcopi & abbates, comites, ſeu omnes chriſtiani per vniuerſum orbem eum obſeruare ſtudeant, quia a multis probatum eſt, & verum inuentum eſt. Ideo enim ab illis inuentum eſt & inſtitutum, vt nulli liceat ſuper ſanctum altare manum ponere, neque ſuper reliquias vel ſanctorum corpora iurare.* Eundem ritum exhibet BALVZIVS *cit. l. p. 644.* in cuius fine refertur, *hoc iudicium, petente domino* LVDOVICO *imperatore, conſtituiſſe beatum* EVGENIVM, & miſiſſe in Franciam, vt addit MABILLON. in *annot. cit. l. p. 162.* Ad petitionem LVDOVICI hunc ritum conditum fuiſſe, vix probabile eſt, quod poſt obitum EVGENII idem imperator anno 828. *in concilio Aquisgranenſi examen aquæ frigidæ interdixerit*, id minime facturus, ſi ad *ipſius inſtantiam* papa hunc ritum conſtituiſſet. Ex vetuſto codice MSCto primus ſub hac formula hunc ritum edidit FR. IVRETVS in *not. ad epiſt. Iuonis p. 91.* vnde ſine dubio BALVZIVS eum repetiit. Sed iuuat, ipſum modum a pontifice præſcriptum hic adiicere: *Cum homines vis mittere ad probationem, ita facere debes: accipe illos, quos voluntatem habes mittere in aqua: duc eos in eccleſia, & coram omnibus illis cantet presbyter miſſam, & faciat eos ad ipſam miſſam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam communicent, interroget eos ſacerdos cum coniuratione ita dicens: Adiuro vos homines per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per veſtram chriſtianitatem, quam ſuſcepiſtis, & vnigenitum filium DEI, & per ſanctam trinitatem & per ſanctum euangelium, & per iſtas reliquias, quæ in iſta ſunt eccleſia,*

Ritus probandi per aquam frigidam Eugenianus.

sia, vt non præsumatis vllo modo communicare, neque accedere ad altare; si vos hoc fecistis, aut consensistis, aut scitis, quis hoc egerit. Si autem omnes tacuerint, & nullus hoc dixerit, accedat sacerdos ad altare, & communicet eos. Postea vero dicat ad illos, quos communicat: corpus hoc & sanguis domini nostri IEsu Christi sit vobis ad probationes hodie. Expleta missa, faciat aquam benedictam, & accipiat sacerdos ipsam aquam, ibitque ad illum locum, vbi homines probabuntur. Cum autem venerint ad ipsum locum, det illis bibere de aqua benedicta, dicens ad vnumquemque: hæc aqua fiat tibi ad probationem. Postea vero coniuret aquam, vbi illos mittit. Post coniurationem aquæ, exuat illos vestimentis eorum, & faciat eos per singulos osculare sanctum euangelium & crucem Christi. Et postea super vnumquemque adspergat de aqua benedicta, & proiiciat singulos in aqua. Hæc omnia facere debes ieiunus; neque illi ante manducent, qui ipsos mittunt in aqua. Ipsa coniuratio hominis hac formula continetur: *adiuro te homo N. per inuocationem domini nostri IEsu Christi & per iudicium aquæ frigidæ. Adiuro te per patrem & filium & spiritum sanctum, & per trinitatem inseparabilem, & per dominum nostrum IEsum Christum, & per omnes angelos & archangelos, & per diem tremendi iudicii, & per quatuor euangelistas, Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem, & per duodecim apostolos, & per duodecim prophetas, & per omnes sanctos Dei, & per principatus & potestates, per dominationes & virtutes, & per thronos, Cherubin & Seraphin, & per tres pueros Sadrac, Mesach & Abdenago, & per centum quadraginta quatuor millia, qui pro Christi nomine passi sunt, & per illum baptismum, quo sacerdos te regenerauit: vt si de hoc furto scisti, aut vidisti, aut baiulasti, aut in domum tuam recepisti, aut consentiens aut consentaneus exinde fuisti, aut si habes cor incrassatum, vel induratum, euanescat cor tuum, & non suscipiat te aqua, neque vllum maleficium contra hoc praualeat, sed manifestetur. Propterea obnixe te deprecamur, domine IEsu Christe, fac* SIGNVM *tale, vt si culpabilis est hic homo, nullatenus recipiatur ab aqua. Hoc autem, domine IEsu Christe, fac ad laudem & gloriam per inuocationem nominis tui, vt omnes cognoscant, quia tu es Dominus noster, qui cum patre & spiritu sancto viuis & regnas DEus in secula seculorum. Amen.* Rursus ex hac formula testatissimum est, id hac coniuratione actum fuisse, vt *signo quodam miraculoso* Deus manifestaret crimen, de quo quis insimulatus erat. Hoc pariter omnes intenderunt, qui *criminis magiæ* probationem per *aquam frigidam* necessariam vtilemque crediderunt, in

formula coniurationis,

quæ miraculum prouocatur,

in quo merito Proteſtantes, hunc adhibentes probandi modum, culpandi, qui α) *exorcismis* aut *adiurationibus* non vtuntur, nec ſe ſalua conſcientia vti poſſe credunt; nec β) *ſigna miraculoſa* more *ſuperſtitionis monaſticæ* a DEO, qui *ſignis* non tentandus, extorquere intendunt; nec γ) denique iudiciorum Weſtphalicorum ruderibus, ex quibus in *magia* hæc probatio diu retenta fuit, aliquem amplius locum relinquere poſſunt, poſtquam *Carolina conſtitutione* ſanior proceſſus ſubſtitutus. Sed ſupereſt, vt *orationem ad aquam benedictam* ex ritu EVGENIO adſcripto addam: *Suppliciter te, domine IEſu Chriſte, deprecamur, tale præſentialiter facere dignare* SIGNVM, *vt ſi iſte, quod ei obiicitur, eſt in aliquo culpabilis, non ſuſcipiat eum hæc aqua, ſed euaneſcat ipſe, & nullatenus modo intro recipiat. Hoc autem, domine IEſu Chriſte, fac ad laudem & gloriam, ad inuocationem nominis tui, vt omnes cognoſcant, quia tu es Deus verus, & præter te non eſt alius, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate ſpiritus ſancti per infinita ſecula ſeculorum. Amen.* Rurſus hæ preces indicant, ritum hunc eo directum fuiſſe, vt *miraculo quodam* Deus veritatem facti manifeſtaret.

formula orationis ad aquam.

§. XII. Sicuti vero iam obſeruaui, LVDOVICI inſtinctu ab EVGENIO II. hunc ritum vniuerſis eccleſiis non eſſe præſcriptum, ita merito in dubium vocat quoque NATALIS ALEXANDER in *hiſtor. eccl. ſeculi IX & X. cap. 1. art. 4. tom. VI. p. 6.* vtrum EVGENIVS II. autor huius ritus habendus ſit? Aſſerere id non dubitauit MABILLON. *cit. loc.* & cum eo HERTIVS *de inſpect. ocul. §. 18.* fide *membranæ Remigianæ* peruetuſtæ *ſeculo IX.* exaratæ. Verum facile concedo, hanc membranam ſuperſtitioſo hoc ſeculo exaratam fuiſſe; eius tamen autor non EVGENIVS II. papa, ſed *monachus* quidam ineptus in Gallia fuit, qui ſub nomine EVGENII II. hunc modum, per *aquam frigidam* probandi delinquentes, determinauit, vt eo maiorem autoritatem in *Gallia* & *Germania*, quæ huic probationi ſuperſtitioſe adhæſerunt, ei acquireret. Ipſa formula adiurationis magis ad *monaſteriorum ſordes*, quam EVGENII II. *doctrinam* eſt compoſita, nec credendum, pontificem praxin iuramentorum, in eccleſia huc vsque vſitatorum, poſtpoſuiſſe huic ſpurio probandi modo, & prohibuiſſe vſum iuramentorum ſuper altare vel reliquias martyrum. Nec denique LVDOVICVS pius, EVGENIO II. admodum deditus, hunc abrogaſſet ritum in *concilio Aquisgranenſi*, ſi ab hoc pontifice approbatus fuiſſet. Verba *canonis* 12. ſunt: *vt examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, a miſſis noſtris interdicatur, ne vlterius fiat.* Anno 829. hic canon conditus, vix

Ritus tamen iſte per fabulam adſcribitur Eugenio II.

vix mortuo EVGENIO II, cuius memoriam perstrinxisset imperator, si pontifex eundem sanciuisset. Sed fabricator pseudo-Eugenianæ formulæ sine dubio id vnice egit, vt huic canoni opponeret au oritatem EVGENII II. ad minimum post lapsum temporis, quo quæuis fabulæ olim facilius fidem merebantur. Neque enim hæc formula seculo IX, quo exarata est, innotuit, aut eius mentio facta est, quod paucis demonstrandum. Eodem seculo adhuc floruit HINCMARVS Remensis, qui *tom. II. epist. 39. p. 676.* ad Hildegarium episcopum Meldensem de *iudicio aquæ frigidæ* epistolam scripsit, illudque qualibuscunque argumentis propugnare annisus est. Argumenta pro iudicii huius defensione adlata parum stringunt, & *mysticum* vnice redolent *spiritum.* Nullum solidius vero pro eius patrocinio adferre potuisset fulcrum, quam ex EVGENII II. ritu, si hunc ipsum determinasset, si omnibus episcopis atque comitibus eum iniunxisset. Format sibi grauem dubitandi rationem *p. 684.* inquiens: *nec prætereundum, quia legimus in capitulis Augustorum, fuisse vetitum aquæ frigidæ iudicium.* Facile vero hunc potuisset soluere nodum, si EVGENII II. in promtu fuisset sanctio, cuius autoritate præceptum LVDOVICI sine negotio diluere potuisset. De illo vero altum silentium: id vnice regerit, id non fuisse vetitum in illis capitulis *synodalibus, quæ de certis accepimus synodis,* vt eius verba referam. Nam opinatus est, hanc causam, vtrum verbo diuino & doctrinæ ecclesiæ repugnet nec ne? prius examinandam in synodo patrum, quod *ecclesiastica,* iudicium Dei concernens, non *secularis* sit. Si ergo iam ab EVGENIO II. fuisset hæc lis composita, frustra & sine ratione prouocasset ad *synodum.* Cetera argumenta HINCMARI lusum magis ingenii mystici quam veritatis demonstrationem spirant. Inepte petit a baptismate ratiocinium hoc: *Nam & quando qui putatur & qui est noxius in aquam examinandus dimittitur a dimittentibus, secundum quendam modum formæ baptismatis, Dominus inuocatur, quatenus veritas, vnde requiritur, demonstretur, & tenebras ignorantiæ nostræ inluminare dignetur, ne aut innocens iniuste a nobis damnetur, aut nocens sua negatione aut diabolica fraude aliquo modo impunitus euadat &c.* Absurde prouocat ad apostoli verba *1 Cor. V, 7. expurgate vetus fermentum:* quæ paraphrasi sequente circumscribit, vt causæ suæ seruiant: *reputatum de crimine atque negantem, quem idoneis testibus iudiciario ordine comprobare nequitis, aut sacramento aut Dei iudicio expurgate.* Ineptior interpretatio excogitari non potuit, cuius occasio inde capta est, quod hi modi probandi purga-

Hincmaro hæc fabula ignota.

Licet insulsis argumentis ritus ipse ab eo probatur.

purgationes appellati fuerint, adeoque censuerit, PAVLVM in verbo: *expurgate*, iam digito monstrasse hos spurios probandi modos. IDEM de *diuortio Lotharii & Treutbergæ* anno 860. *opusculum tom. I.* edidit, in quo rursus *aquæ feruentis & frigidæ iudicii p. 604. sqq.* causam agit, ad EVGENII II. *præceptum* tamen minime prouocat, certo indicio, illud adhuc latitasse, quod tamen ad *episcopos Galliæ* misisse dicitur. Rursus vero argumentis mysticis hanc causam instruit, sed admodum futilibus. Putat, sicuti mare, baptisma designans, nihil in se mortuum retinet, sed eiicit; ita criminibus infectum & spiritualiter mortuum aquis non mergi, sed ab eis eiici: *conligari eum fune, qui examinandus in aquam dimittitur, quia funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur.* Addit p. 609., baptisma esse *iudicium, vnde & Iordanis, baptisma designans, interpretatur riuus iudicii, quo princeps mundi mendax & pater eius foras eiicitur, & baptismus Dei est consilium:* DIVINI VIRI *ad ignota inuestiganda inuenerunt iudicium aquæ frigidæ, in quo aquæ frigidæ iudicio, ad inuocationem veritatis, quæ Deus est, qui veritatem mendacio cupit obtegere, in aquis, super quas vox Dei maiestatis intonuit, non potest mergi, quia pura natura aquæ naturam humanam per aquam baptismatis ab omni mendacii figmento purgatam, iterum mendacio infectam, non recognoscit puram, & ideo eam non recipit, sed reiicit vt alienam &c.* A *diuinis viris* hoc iudicium *aquæ frigidæ* inuentum somniat HINCMARVS, nisi forsan intelligat *monachos*, superstitione stupidissima infectos, quorum superstitio fucata huiusmodi stupidis fulcris erat munienda.

§. XIII. Denique nullo idoneo argumento demonstrari potest, has spurias probationes vnquam papas approbasse, quas potius strenue damnarunt, & iuriiurando omnem *iudicii diuini* autoritatem dederunt. ALEXANDRI II. sententia, quæ in *c. 7. C. 2. qu. 5.* refertur, & cum *c. 11. ibid.* coniungenda est, id aperte docet: *vulgarem denique ac nulla canonica sanctione fultam legem, feruentis scilicet siue frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inuentionis (quia fabricante hæc sunt omnino ficta inuidia:) nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare, imo apostolica autoritate prohibemus firmissime.* Idem censuit STEPHANVS V. in *c. 20. C. 2. qu. 5. nam ferri candentis vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri a quolibet, sacri non censent canones, & quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum.* Vix probabile est, pontifices tam *absoluta prohibitione* reprobasse

Nunquam pontifices hos spurios modos probarunt.

basse has *spurias probationes*, si ab EVGENIO II. iudicium *aqua frigidæ* receptum, ipsique iuramento prælatum fuisset. Qua de causa IVO Carnutensis episcopus *epist. 91.* tanta fiducia ad has sanctiones prouocat, & spurias probationes ab omni *canonica doctrina* alienas pronunciat. Nec minus LVCIVS III., cuius sententia refertur in *concil. Lateran. III. de anno 1179. cap. 50.* apud HARDVIN. *tom. VI. P. 2. pag. 1870.* & a RAYMVNDO in *c. 8. X. de purgat. canon.*, placita prædecessorum secutus *aquæ frigidæ iudicium* reprobauit. Relatum ipsi erat, presbyterum quendam, de homicidio infamatum, *iudicio aquæ frigidæ innocentiam suam purgauisse, & episcopum suis illum literis absoluisse. Quia vero*, pergit, *cum peregrina iudicia a sacris canonibus sunt inhibita, purgationem, quam præstitit, non sufficere putamus.* Mandat itaque, vt cum septima vel quinta manu *per canonicam purgationem suam innocentiam ostendat.* Modum posteriorem *canonicum* esse censuit, quod canonibus antiquis & doctrinæ curiæ Romanæ conformis; prior autem *peregrinus*, antiquatus, seu populis peregrinis & barbaris proprius esset. Rectius forsan diceres, eum *quisquiliis monasticis* accensendum. Cum enim tot formulas in his iudiciis vsitatas offendamus, a quibus abhorruerunt saniores, vix probabile est, extra claustrum monachorum, in quibus *superstitio* sedem habuit, eas procusas & fabricatas fuisse, in quorum conditoriis & bibliothecis etiam diligenter asseruatæ sunt.

Exorcismorum abusus.

§. XIV. Neutiquam vero prætereundum, abusum *exorcismorum* his probationibus accessisse, non ex instituto quodam patrum ecclesiæ, qui illos his vsibus non destinauerant, vt *rerum inanimatarum naturam* immutarent, & *imperium* quoddam *miraculosum* in eas exercerent, sed sine dubio ex *superstitiosis monachorum inuentionibus*, vt his incantationibus miraculum quoddam prouocarent. Hæc doctrina cum institutis ecclesiæ & patrum minime conspirabat, ad *superstitionem* vero *monachorum* propius accedebat, quo *autoritatem diuinam* his ritibus acquirerent. *Exorcizare* olim nihil aliud erat, quam diabolum ex corporibus, quæ obsederat, exigere, addita per DEI nomen obtestatione, quam vulgo *coniurationem* vel *adiurationem* vocabant. Dono hoc miraculoso quosdam in primitiua ecclesia, etiam laicos instructos fuisse, plus quam notum est, teste TERTVLLIANO *de corona milit. c. XI.* & *de idololatr. c. XI.* Nescio vero, quo consilio factum fuerit, vt ea, quæ *extraordinario dono* vnice accepta ferenda, ad *munus ordinarium* in *ecclesia Latina* fuerint relata, *exorcistis* in vsum

quid olim fuerint?

hunc

hunc institutis. Horum officium tamen vnice versabatur circa *energumenos* & *baptizandos.* Hunc in finem formulæ *exorcismorum* præscriptæ, ab exorcistis recitandæ. Nam ex ISIDORI Hispalensis *epist. ad Landefredum* constat, *ad exorcistam pertinere, exorcismos memoriter retinere, manus super energumenos & catechumenos exorcizandos imponere.* Tempore MARTINI episcopi, monasticis præceptis instituti, iam *turbo verborum* adhibebatur, a quibus tamen ipse abstinebat. Ait SVLPICIVS SEVERVS *dial. III. c. 6. Si quando autem exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepisset, neminem manibus attrectabat, neminem sermonibus increpabat, sicut plerumque per clericos rotatur turbo verborum; sed, admotis energumenis, ceteros iubebat abscedere, &, foribus obseratis, in medio ecclesiæ cilicio circumtectus, cinere respersus, solo stratus orabat.* His verbis iam notauit clericos sui temporis SVLPICIVS, *carminibus exorcismorum* vnice omnem virtutem *eiiciendi dæmones* adscribentes; ast maior abusus accessit, postquam virtus eorum etiam extensa ad *rerum inanimatarum* naturam per *miraculum* transformandam, eisque singularem & nouam virtutem adsignandam. conf. *tit. de sortileg.*

vsus antiquus.

§. XV. Occasionem huic abusui dederunt tot noui ritus, in *coniurationibus Dæmonum* adhibiti, veluti per adspersionem *aquæ benedictæ*, & *salis* adhibitionem. His rebus inanimatis, peruerso plane more, adhibiti exorcismi, hac intentione, vt singulares operationes, eiectis dæmonibus, ederent. Hinc formula in *benedictione aquæ* adhibita apud MARTENIVM *tom. III. de antiq. eccl. ritibus lib. III. c. 9. p. 499. adiuro te* CREATVRA AQVAE *in nomine IEsu Christi Nazareni, filii Dei diui, regis & iudicis nostri, vt sis purgata in sanctificationem omnibus, & ne communiceris vllo spiritui immundo, sed dabis honorem viuenti atque regnanti patri & filio & spiritui sancto in secula seculorum.* Pariter in benedictione *salis* apud EVNDEM *cit. l. p. 507. Exorcizo te* CREATVRA SALIS *per Deum creatorem & creaturarum omnium creatorem; & qui inter reliqua sua opera adiungere dignatus est virtutem salis & ignis, vt armata per spiritum sanctum virtute cœlesti grauissimum persequaris inimicum. Vnde* TV CREATVRA *salis in præsenti opere implicata, in virtute sancta domini nostri IEsu Christi persequere diabolum, & omnes insidias eius, & ab hominum, vbicunque perfusa fueris, visceribus absque vlla molestia omnes infirmitates expelle, & omni accipienti animæ profutura ad salutem perpetuam fias, & perniciem perpetuæ vltionis excludas. Per eum,*

Abusus recentior in exorcizandis rebus inanimatis vt aqua, sale,

qui venturus. Hunc morem conſtanter retinuit eccleſia Romana, vt quoties *ſal benedictum* cum *aqua* adhiberi debet, vt in *conſecratione eccleſiarum* &c. per formulam exorciſmi ad *creaturam ſalis* & *aquæ* directam hoc expediri debeat, ceu docet formula in *pontific. Romano p. 282. ſq.* Simili formula vtitur in *benedictione olei infirmorum* iuxta *pontificale Rom. p. 572.* in qua tamen magis dirigitur ad Dæmonem ſeu immundiſſimum ſpiritum, vt recedat ab hoc oleo, quaſi illi incumberet. Huiusmodi ritus facile opinionem monachis aliisque clericis ingenerare potuere, per *exorciſmos* a creaturis inanimatis expelli Dæmones, atque, his eiectis, illis miraculoſam diuinamque virtutem attribui poſſe, vt etiam occultiſſima per illas manifeſtari poſſent. Id indicant tot *exorciſmi*, tot *preces*, tot præcepta *autoritate imperatiua* ad creaturas directa, quæ in credulis perſuaſionem cœcam & irrationabilen, in ſanioribus vero iuſtum dolorem & indignationem operantur, quod ſuperſtitio his *carminibus* quotidie promota fuerit. Non ergo mirandum, hos exorciſmos HINCMARVM aliosque induxiſſe, vt probationes has ſpurias propugnarent, ſibique ac aliis perſuaderent, exorciſmis *aquæ frigidæ*, *calidæ*, *ferro candenti*, *pani*, imo ipſi *rogo* accenſo imperari poſſe, vt *motum naturalem* ſeu *ordinarium* vel in caſu innocentiæ, vel criminis commiſſi ſiſterent, & *motum extraordinarium*, ſuæ naturæ contrarium, ederent. Quodſi allegas, hoc ſuperſtitioſum & ideo prohibitum eſſe; recte regeri poteſt, exorcismos hos tamen adhuc hodie *ex eadem intentione* in benedictione *ſalis*, *aquæ*, *olei* &c. adhiberi, vel, hoc negato, inanes & æque ſuperſtitioſas eſſe. Hoc quodammodo admittit DANDINVS *de ſuſpect. de hæreſ. c. II. ſect. II. ſubſect. 3. §. 3. n. 6. p. 174.* aſſerens, exorciſmos, licet miniſtrentur a viris ſanctiſſimis, non obtinere certo effectum. *Non eſt enim conforme*, ait, *ordini diuinæ prouidentiæ, vt exorciſmi noſtris temporibus, quibus non indigemus fidei noſtræ teſtimoniis, ſcilicet miraculis, vt dæmonum expulſionem operentur; nec eccleſia inſtituit exorciſmos, qui ex opere operato inſtar ſacramentorum agerent; ſiquidem ſolo imperio in primitiua eccleſia pellebantur Dæmones; ſed tantum inſtituit quasdam orationes imprecatorias, quibus probibuit aliquid addi ob vaniuatis periculum.* Si ergo ex ſententia DANDINI Dæmonum expulſionem non operantur *exorciſmi*: ſi non poſſunt *miraculum* edere, fruſtra & in vanum tot apparatus ſacri fiunt: fruſtra diabolo *vi imperatiua* iniungitur, vt recedat a *creaturis inanimatis*: imo fruſtra intenditur, vt nouam hæ virtutem, expulſo diabolo, accipiant. Videlicet omnis in

oleo,

aquæ frigidæ, calidæ, ferro, rogo, pane,

de quibus Dandini iudicium adfertur.

in hoc est DANDINVS *cit. l. §. 153.* vt Dæmoni magnam virtutem in quæuis elementa adſcribat, vt in *aquam*, *terram*, *ventos*, aliaque operari queat, adeoque, quod tamen diſſimulat, inde inferre debuit, prius expellendum eſſe diabolum a *creaturis ſalis*, *aquæ*, *olei*, ceterarum, vt *virtutem diuinam* accipere queant, id quod inſigne *ſuperſtitionis* argumentum eſt.

§. XVI. Denique, vt reuertar, vnde abii, poſtquam hic ritus cum ſimilibus decretis tum pontificum tum imperantium damnatus eſt, clericorum officium prorſus tandem in his ceſſauit, imo plerique penitus abrogati ſunt, ſi *iudicium per aquam frigidam* exceperis. Hoc enim in *crimine magiæ* ex antiqua iudiciorum Weſtphalicorum praxi adhuc circa finem ſeculi præcedentis in vſu fuit, vt ex actis obſeruaui; imo anno 1686. editus eſt tractatus IACOBI RICKII *de examine ſagarum ſuper aquam frigidam proiectarum*, in quo vſum eius in tractu Colonienſi oſtendit, atque ineptiſſimis argumentis defendit. Adiecta eſt GVILIELMI ADOLPHI SCRIBONII epiſtola *de purgatione ſagarum ſuper aquam frigidam proiectarum*, in qua de vſu Lemgouienſi agit, eamque ibidem propugnat. Enimuero dicam huic ſcripſit, & SCRIBONII argumenta explodit, HERMANNVS NEVWALDTVS *in exegeſi purgationis ſiue examinis ſagarum ſuper aquam frigidam proiectarum*, quæ coniunctim cum prioribus edita eſt. Ne dicam de Hungaria, in qua purgatio hæc adhuc regnat, vt in *Lexico vniuerſali Hiſtorico Lipſiæ* B. FRITSCHII *ſumtibus edito ſub articulo* Siebenbürgen *tom. IV. p. 343.* refertur. Quia vero clericis iniunctum eſt, ne exorciſmos & reliquum apparatum ſacrum probationi per *aquam frigidam* adhiberent, his omiſſis, (quod ſtultius eſt) fiduciam vnice in *aqua* collocarunt omnem, & ab ea per ſummam ſtultitiam iudicium veri petere cœperunt. Id etiam obſeruauit DELRIO, notante CANGIO *in gloſſ. voce aqua frigida*, docetque, *examen per aquam hæſiſſe poſtmodum in ſolo crimine maleficii ſeu magiæ, ita tamen, vt ſine vlla DEI inuocatione, ſine vllo ritu, pietatis aliquid præſerente, quaſi per ludum iudices abutantur in quibusdam Germaniæ regionibus. Quas enim*, pergit, *fama vel altarum depoſitione ſuſpectas habent, eas ſtatim abſque vlteriori inquiſitione capiunt, captasque extra vrbem deducunt, & in aquam frigidam ita coniiciunt, vt dextra manus ſiniſtro pedi ſit alligata, & ſi ſupernatant, veneficas vehementius ſuſpicantur, & idcirco duriori ſubiiciunt quæſtioni: ſin ſubmergantur, innocentes eſſe putant: magicis præſtigiis, vt par eſt credere, adſcribentes, ſi ſupernatent.* Hæc methodus noua, a pri-

Supereſt adhuc hodie in quibusdam locis iudicium aquæ frigidæ

ſine exorciſmis

in magia.

a prisco modo probandi reos delicti cuiusdam prorsus discrepans propius accedit ad antiquorum populorum Germaniæ *credulitatem* & *persuasionem idololatricam*, qua simpliciter virtutem explorandi ignota *Rheno* adscribebant, postea, prohibitis ritibus sacris, quibusuis aquis adscriptam.

Probatio spuria secunda per lancem & stateram.

§. XVII. Sed etiam aliæ & nouæ rationes adsumtæ, creditumque, sagas, a diabolo possessas, pondus naturale amittere, & ita mergi non posse. Qua ratio forsan (II) nouæ illi probationi, *per pondus* seu *lancem* & *stateram* explorandi sagas, originem dedit, quæ etiam olim in Germania vsitata fuit, si credendum MARTINO DELRIO in *disq. mag. lib. IV. c. 4. qu. 6.* Hanc in eo consistere volunt, si sagæ vltra certum pondus veluti librarum 14. vel 15. stateram deprimere non possunt, quamtumuis sint obesæ & proceræ. Huius *spuriæ probationis* diaria ante aliquot annos mentionem fecere, quorum verba hic repetam: Segedin vom 26. Julii Anno 1728. Da ohnlängst allhier unterschiedliche Personen beyderley Geschlechts in gefängliche Verhaft eingezogen worden, weil selbige einiger Hexerey beschuldiget worden, als ist mit denselben nicht allein ein scharfes Examen vorgenommen, sondern auch, nach Befindung derer Sachen, über sie das Urtheil, verbrannt zu werden, gesprochen worden. Ehe und bevor aber solches an ihnen vollzogen worden, hat man die Verurtheilten, nach hiesigem Gebrauch, zur Probe gebracht, nemlich mit zusammen gebundenen Händen und Füssen, und einem langen Strick um Leib ins Wasser gelassen, welche aber nach Hexen-Art, gleich einem Pantoffel-Holtz, auf dem Wasser geschwommen: nach diesem wurden sie so gleich zur andern Probe gebracht, nemlich auf die Wage gelegt, um zu sehen, wie schwer einer oder der andere sey, dabey dann höchst zu bewundern gewesen, daß ein grosses und dickes Weib nicht mehr als 1½ Quentlein, ihr Mann, welcher auch nicht von den Kleinesten war, nur 5 Quentlein, die übrigen aber durchgehends entweder 1 Loth, 3 Quentlein und noch weniger gewogen haben. Den 30 dieses Monats, als am vergangenen Freytag, wurde darauf das Urtheil an 13 Personen, nemlich 6 Hexen-Meistern und 7 Hexen vollzogen, und sie sämtlich lebendig verbrennet, worunter auch der vorigen Jahres gewesene, und von jederman sonst geachtete Stadt-Richter, seines Alters 82 Jahr, den Scheiter-Hausen gezieret. Es ist fast nicht zu beschreiben, wie entsetzlich dieses Spectacul anzusehen war; es wurden drey Scheiter-Hausen eine Stunde vor

vor der Stadt aufgerichtet, alwo in der Mitte eines jeden ein grosser Pfahl eingegraben stunde; an diesen Pfahl nun wurden auf einem jeden Haufen vier Maleficanten mit Stricken angebunden, alsdann eine Weibes-Person, welche nur vier Jahr unter ihrer Rotte gewesen, und den Brand noch nicht gehabt, decolliret: und auf dem mittlern Haufen zu den angebundenen vieren, welche nach ihrer Charge oder Würde Ober-Capitain, Lieutenant, Fähndrich und Trompeter, genannt wurden, geworffen, darauf wurden alle drey Haufen zugleich angezündet, und in volle Flammen gesetzt; und ob schon die Maleficanten eine gute viertel Stunde in denen umgebenden Flammen gelebet, so hat man dennoch nicht das geringste Geschrey von ihnen gehöret, und ohngeachtet, daß sie auch alle äusserliche gute Zeichen gegen die ihnen zusprechende Geistlichen haben spühren lassen, so wollen doch viele an deren Seligkeit zweifeln. Bey dieser Compagnie wurde auch eine Hungarische Hebamme zu Asche verbrannt, welche über 2000 Kinder ins Teufels Namen getauft. Mit nächsten soll das Urtheil überschickt werden. Es sitzen noch achte in Verhaft, selbige sind auch schon geschwemmet und gewogen worden, und halten die Hexen-Probe: eine ist darunter, welche grosses Leibes ist, und soll der Satan, nach Aussage obiger verbrannten Personen, mit derselben umgegangen seyn. Gestern sind abermal 20 Personen, eingezogen worden. Man erzehlet unter andern, daß diese Hexen-Rotte durch Veranlassung eines Schuster-Sohns entdecket worden sey. Dieser spielte eines Tages mit einem andern Knaben auf der Gasse, und sagte unter andern dieses zu demselben: **Heute will ich denen Segedinern einen Spaß machen, denn sie werden vermeynen einen Regen zu bekommen, sie werden sich aber betrogen finden, ich will ihnen ein grosses Wetter machen, wilst du auch mit halten?** Jener antwortete: **er könne es nicht.** Dieser versetzte aber: **ich will dir es schon lernen, es ist gantz leicht;** und hat ihm, was er zu Machung der Wetter gebraucht, erzehlet. Der andre aber sagte: **nein, ich verlange es nicht zu lernen;** und gehen darauf von einander. Als es nun Mittag worden, und dieser Knabe bey seinen Eltern zum Essen war, erhub sich ein grausam starckes mit Hagel vermischtes Wetter, welches die dasigen Weingärten in Grund zu Boden zerschlagen. Indessen sagte des Knabens Vater bey dem Tisch: dieses Wetter kan unmöglich von sich selber also seyn, es muß etwas gemach-

gemachtes darunter stecken. Worauf sein Sohn ihm erzehlte, was sich denselben Morgen zwischen ihm und des Schusters Sohn zugetragen: der Vater zeigte es so gleich der Obrigkeit an, da wurde des Schusters Sohn ohne Verzug dahin gebracht, welcher gleich alles gestanden, und zugleich auch unterschiedene Personen angesagt, diese wurden so denn in Verhaft gezogen, worunter auch obbemeldeter Stadt-Richter samt seinem Weibe begriffen waren.

Probationis spuriæ species III per aquam feruentem.

§. XVIII. Pari ritu sacro olim peragebatur (III) *iudicium aquæ feruentis siue calidæ*, vti vocatur apud LEIBNITIVM *tom. I. script. Brunswic. p. 564.* cuius ratio in eo consistebat, vt probandus manum nudam in *aquam feruentem* & vehementia caloris bullientem immitteret, ita vt cocta manus nocentem, illæsa vero per *miraculum* innocentem ostenderet. Laudat hunc ritum pariter HINCMARVS *cit. l.* & variis mysticis rationibus more suo munit. Vt vero miraculo diuino certitudo, credulis vero maior fiducia accederet, sacri ritus itidem cum *missa* & *exorcismis* huic probandi modo præscripti erant, quos recitat MARTENIVS *tom. III. de antiq. eccl. ritib. lib. III. c. 7. p. 473. 479. 490.* inprimis vero *p. 492. sqq.* Huic simile fuit (IV) iudicium per *ferrum candens* vel per *vomeres ignitos*, cuius fit mentio in *c. 10. X. de excess. prael.* Hoc enim autoritate episcopi Albiganensis, suadente iudice loci, defurto suspecto fuerat dictatum, cui tamen male cessit, quod combustus fuerit. Quocirca non inique censuit pontifex in *cit. tx.* episcopum non solum *in iudicio ferri candentis*, verum etiam *in furis suspensione*, quia in hoc iudicio defecerat, grauiter deliquisse, adeoque ab episcopatu prorsus remouendum esse, quod ex hac *spuria probatione* suspensus esset. Denique per (V) *rogum accensum*, quem probaturus innocentiam suam pertransire cogebatur, *purgatio* fiebat. Vtriusque exempla iam supra *§. VIII. & IX.* adducta sunt. Alia addit LEIBNITIVS *tom. I. script. Brunsw. p. 563. tom. II. p. 608.* & *tom. III. p. 309.* & HEINSIVS *de probat. quæ olim fiebat per ignem & aq. p. 3. sqq.* inter quæ eminet KVNIGVNDAE HENRICI S. vxoris probatio per *vomeres ignitos*, quam refert AVTOR *vitæ S. Henrici* apud CANISIVM *in lect. antiq. tom. III. P. 2. p. 29. edit. Basnag.* Conf. PISTOR. *tom. II. p. 329. edit. Struu.*

Quarta per ferrum candens & vomeres ignitos.

Quinta per rogum.

6) crucis iudicium

§. XIX. (VI) Per *crucis iudicium* probatio facta sine dubio eamdem originem cum iudicio per *iuramentum ad reliquias* vel *sepulcra SS.* habuit. Obseruaui *§. XII. sqq. tit. præced.* iuramenti huius originem deducendam esse ex *virtute miraculosa reliquiarum* vel *sepulcrorum*

rum

vorum martyrum, in quorum præſentia iuramenta hæc præſtabantur, & credulis terror hoc modo incutiebatur, ne fidem temere fallerent, perſuaſiſſimumque haberent, Deum hoc iudicio veritatem *miraculoſo modo* reuelaturum eſſe. Pari ratione *impoſitio* vel *præſentia crucis*, cuius magna olim veneratio, obſeruante LIPSIO *de cruce c. XVI.* atque miraculoſa virtus, eandem ingenerauit credulis perſuaſionem, hoc ſigno Deum occulta in lucem protracturum eſſe. DAMASCENVS *lib. IV. de orig. fid.* magnam *cruci* adſignat virtutem: *Eſt*, ait, *clypeus & armatura, & tropæum contra diabolum, ſignaculum, ne tangat nos euerſor, iacentium erectio, ſtantium fulcrum, infirmorum ſcipio, paſtorum virga, reuertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ conſeruatio & corporis, omnium malorum auerſio, omnium bonorum conciliatio, peccati pernicies, ſtirps reſurrectionis, lignum vitæ æternæ.* Inde *aſylum* confugientibus ad crucem in vita poſitam indultum *in concilio Claromont. de a. 1093. c. 29. ſeq.* Miraculoſæ virtutes *crucis* paſſim in actis ſanctorum traduntur, vt ſine hæſitatione ſuperſtitioſa probatio per *crucem* inde naſci potuerit, quæ tamen admodum variaſſe legitur, vnde tot interpretum ſententiæ relatæ a CANGIO *in gloſſ. voc. crux*, & a B. HOFFMANNO *de orig. & nat. legum German. p. 35.* Communior ratio huius probationis hæc fuiſſe videtur, vt contendentes vel *crucem* ſibi imponerent, vt cenſet MARTENE *cit. l.* vel *ad crucem ire & ſtare* iuberentur, miſſa interim celebrata; ad cuius euangelii lectionem vel alium terminum iudicii euentus apparere credebatur; innocens enim immotus ſtare, nocens vero ad terram cadere dicebatur, quod indicant teſtimonia apud CANGIVM *cit. l.* Improbatum tamen merito hoc *crucis iudicium* a CAROLO M. *lib. I. capitul. 102.* apud BALVZ. *tom. I. capitul. p. 724.* *Sancitum eſt, vt nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præſumat, ne Chriſti paſſio, quæ glorificata eſt, cuiuslibet temeritate contemtui habeatur.*

Cuius magna olim autoritas.

§. XX. Nouus probandi modus (VII) ſupereſt æque ſuperſtitioſus per *caſeum* vel *panem coniuratum* ſeu *execratum*, quem reus comedere iubebatur, eumque vomitu eiecturus credebatur, ſi delicto imputato ſeſe maculaſſet. Rurſus in miſſa, adhibitis *exorciſmis*, quibus panis execratus ad hunc actum præparabatur, hunc ritum peregerunt ſuperſtitioſi, cuius formulas recitat MARTENIVS *cit. l. p. 479. & 482.* Frequens etiam (VIII) fuit *modus probandi innocentiam per euchariſtiam*, quem peculiari diſſertat. explicuit B. SCHMIDIVS Tho-

7) Probatio per panem execratum.

8) Per euchariſtiam.

Theologus Helmstadiensis. Eius rudera ex *concilio Wormatiensi, anno 868.* celebrato, quo superstitiosi modi probationum admodum vsitati fuisse leguntur, ipso HINCMARO teste, repetiit GRATIANVS in *c. 23. C. 2. q. 5.* vnde constat, hanc subeuntes probationem in hæc verba iurasse: *corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.* Exemplis illustribus hanc probationem illustrat SCHMIDIVS, quæ rursus indicant, hoc iudicium electum fuisse, vt prouocarent extra ordinem quoddam *miraculum*, qua de causa non raro *terribiles adiurationes* & *execrationes* ante sumtam eucharistiam factæ, *cit. l. §. 12.* adductæ. Atque ita rursus apertum est, in summum abusum tractam fuisse *eucharistiæ perceptionem*, a cuius fine prorsus hic modus probandi adhorret. Vlterius (IX) *probatio miraculosa* peracta est per *sortes*, quibus tum *diuinationes* tum *explorationes rerum occultarum* fieri posse credebant gentiles vel TACITO teste; imo id quoque *sortes Virgilianæ* & *Homericæ* monstrant, mox a Christianis in vsum sub titulo *sortium SS. Apostolorum* tractæ. De modo peragendi hoc *sortium iudicium* agit *lex Frisonum tit. XIV.* apud LINDENBROGIVM in *cod. leg. antiq. p. 496.* de quo supra *tit. de sortileg.* specialius actum.

9) Per sortes.

10) Per duellum.

§. XXI. Sed etiam (X) *iudicium* putatiuum *Dei per duellum*, seu *pugnam*, probatum est, quod κατ' ἐξοχὴν ita dictum fuit, vt loca non tantum *§. VIII.* adducta, sed etiam AVTOR vetus de *benefic. §. 100.* denuo a B. THOMASIO in *select. feud.* editus, docet his verbis: *tamen* IVDICIVM DEI *non est licitum adhiberi per vllam causam, nisi cuius veritas per iustitiam non potest aliter reperiri, hoc terminabitur* IVDICIO DEI. Legibus antiquis *Boioaricis* vocatur das *Webadinc* teste *synodo Dingolfingana* sub *Thassilone §. 16.* repetita ab ill. Dn. ALVDEWIG *de princip. pot. in sacris ante pac. relig. cap. 4. pag. 69.* DINC *enim est indicium & Web* seu *Weba* vel potius *Webr*, vti VELSERVS *lib. V. rerum Boic.* legendum credit, denotat *bellum*, vnde Gallorum *Guerre* ortum traxit. Ita autem *synodo* cautum erat; *de eo quod & si quis de quocunque reatu accsatus ab aliquo, potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare* h. e. transigere, *antiquam pugnam, quæ Webadinc vocatur, permittat.* Alibi *LL. Boioaricæ tit. XI. c. 5.* idem designant. *Si alia probatio non est, spondeant inuicem* WEHADING. *Et cui Deus dederit fortiam & victoriam, ad ipsum pertineat.* Ipsa *iudicia duellica* prolixiori apparatu explicata sunt a MAVRITIO *de duellis*, EPHRAIMO GERHARDO *de iudicio duellico*, BASNAGIO in *tr. historico de duellis* gallice conscripto, aliisque, quæ adeo

adeo altas radices egerunt, vt diuturno tempore eradicari haud potuerint, prout *tit. de duellis* supra dictum. Id produnt *leges Longobardicæ lib. I. tit. 9. cap. 32. incerti sumus de* IVDICIO DEI, *& multos audiuimus per pugnam, sine iusta causa, suam perdere; sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum* LEGEM IMPIAM *vetare non possumus.* Speciatim impietatem huius iudicii suo æuo ex sacris, adductis multis sententiis, denudauit AGOBARDVS in *libro contra damnabilem opinionem, putantium, diuini iudicii veritatem igne vel aquis vel conflictu armorum fieri.*

§. XXII. Non regustabo modum huius *iudicii*, ab aliis satis superque explicatum, imprimis a MADERO supra laudato, sed spicilegium tantum quoddam paucis adiiciam. Videlicet (1) nec hoc iudicium *sine sacris* peractum. Diserte AVTOR *mirac. S. Bertini lib. 2. c. 15.* apud MABILLON. in *act. Bened. Sec. III. P. I. p. 142. n. 709. veniente igitur statuto die se duello præparabat, tamen iuxta promissum, aliquos suo venturos auxilio, hoc ipsum abbate exspectabat. Itaque post celebratam a presbytero missam, deuota finita prece, eucharistia digne percepta, quod extra ecclesiam forte iacebat, super saxum magnum adsedit.* (2) Si testes aderant, sed discrepantes, *iudicio duellico* litem terminabant. ADREVALDVS in *mirac. S. Benedicti in Gallia* apud MABILLON. in *act. Benedicti sect. II. p. 381. circa ann. 653.* testis est: *Enimuero longiuscule litem iudicibus protrahentibus, eo quod nec hi cedere illis, nec illi assensum aliis præbere vellent, tandem adiudicatum est, vt ab vtraque parte testes exirent, qui post sacramenti fidem scutis ac baculis decertantes finem controuersiæ imponerent.* (3) Etiam *seruis monasteriorum* per *priuilegium*, quod regulariter *ius armorum* non haberent, indultum, vt quascunque causas hoc modo decidere possent, maxime *ecclesiarum* & *monasteriorum*, alia probatione destitutorum. Diplomate memorabili LVDOVICI VI. Francorum regis Theobaldo, abbati Fossalensi anno 1118. concesso, id declarat MABILLON. in *act. Bened. sec. IV. P. 2. p. 394. vt serui eius monasterii adversus omnes homines tam liberos quam seruos in omnibus negotiis liberam haberent testificandi &* BELLANDI *licentiam.* Sed hoc iudicium literis ad abbatem & monachos Fossalenses datis postea prohibuit pontifex. (4) Etiam in ipsis comitiis imperii, in quibus lites statuum imperii decisæ, huic iudicio locus fuit. Anno 979. coram imperatore accusatus Gero comes de Alesleue a Waldone, atque captus. *Deinde conuocatis in Magdeburg cunctis regni principibus, ingressi sunt*

Eucharistia premissa.

A testibus discrepantibus quoque susceptum.

Imo a seruis ecclesiæ ex priuilegio.

In comitiis imperii iunctum.

sunt hi duo iudicio in insula quadam singulari certamine. Vulneratus Waldo bis in certamine ardentius insequitur hostem, percutiensque ictu valido in caput prostrauit eum. Interrogatus autem Gero, si plus posset pugnare, coactus est confiteri, quod iam defecisset. Waldo egressus aqua refocillatus armis depositis & post tergum mortuus cecidit. Tunc Gero iussus est decreto iudicum & voce imperatoris a carnifice quodam decollari III. id. Aug. Hunc lugubrem & lubricum habuit euentum hoc iudicium descriptum in *act. Bened.* MABILLONII *ad sec. V. p. 591.* Plura alia memoratu digna de *iudicialibus duellis* IDEM *ad seculum XI.* pertinentia tradit in *praefat. ad sec. VI. P. I. §. 43. sq.* His addo (5) eius magnum quoque vsum fuisse olim in *causis feudalibus*, legesque peculiares passim duellis feudalibus datas, vt testantur *leges antiquae Flandriae feodales*, relatae ab OLIVARIO VREDIO *in histor. comit. Flandriae tom. I. in addit. p. 76.* quarum seriem ipsemet in compendio refert in *ipso tractatu p. 474. seq.* Ipsum *processum duellicum*, in causis feudalibus vsitatum, eleganter & solide exposuit vir immortalis memoriae B. Dn. a COCCEII *de probat. feudali c. 2.*

& causis feudalibus.

11) Per iuramentum,

§. XXIII. Tandem (XI) quoque his probandi modis certa ratione adiungendum ipsum *iuramentum purgatorium*, non quod *per se medium* veritatem exquirendi *spurium* dicendum, sed quod intuitu *modi* ex iisdem fluxerit principiis, ex quibus ceterae *probationes spuriae*, vt *tit. praeced* monstratum. Quocirca (α) post *iusiurandum*, quo innocentiam suam reus declarauerat, accedebat quandoque iudicium *aquae feruentis* vel *ferri candentis*, ceu docent monumenta apud MARTENIUM *tom. III. de antiq. eccl. ritibus lib. III. p. 460.* & CANGIUM *in glossar.* voce *aquae feruentis iudicium. p. 282.* vbi lex antiqua: *quicquid iurent, per examen caldariae* (aquae feruentis) *demonstrent.* (β) Quandoque *aquae frigidae* examen addebatur iuramento, ex formula apud EUNDEM *cit. l. p. 483.* (γ) Nonnunquam, praestito iuramento de *innocentia*, duello prouocabatur *iudicium diuinum*, obseruante GERHARDO *de iudic. duell. cit. l. §. 5.* (δ) *Sortis iudicium* etiam post iuramentum praestitum vsurparunt, quod *leges Frisonum tit. 14.* designant. (ε) Excogitatum quoque est aliud *medium miraculosum*, aeque tamen superstitiosum, vt iuramenta ad *tumulum martyrum* vel *reliquias SS.* fierent, quo virtute miraculosa martyrum vel reliquiarum Deus manifestaret veritatem, vt *cit. l.* explicui. Denique omnibus his probandi modis vitium hoc commune adhaeret, quod iis tentetur

tur Deus, prouocentur *miracula*, *signa* postulentur, & *iudicium diuinum* iis inesse credatur.

§. XXIV. His tamen non obstantibus, per leges varias gentium, & conciliorum decreta hæ *spuriæ probationes* olim admissæ, & potissimum in *criminalibus* approbatæ, atque specialius determinatæ fuerunt. Nam vt (I) a *duellis* incipiam, ipse FRIDERICVS I. in constitutione, quæ 2. *f.* 27. refertur, sanciuit, occisorem capite plectendum esse, *nisi per* DVELLVM *probare possit, quod vitam suam defendendo illum occidit.* Pariter 2. *f.* 39. §. 2. prouocatur ad *legem Longobardorum*, qua cautum, *vt de infidelitate* PVGNA *fiat.* Nec minus imperator HENRICVS 5. *f.* 2. edixit, vt feloniæ accusatus *per pugnam* se defendat. In *LL. Baiuuar. l.* 2. *c.* 1. §. 2. cauetur itidem: *si vnus fuerit testis, & alter negauerit, tunc* DEI *accipiant iudicium: exeant in campo, & cui Deus dederit victoriam, illi credatur.* Passim alibi idem medium probandi his legibus probatur, de quo etiam plura habet *Sueuicum speculum* a B. a COCCEII *cit. l.* §. 2. *seqq.* adducta. Conf. *LL. Alemannicæ tit.* 56. *tit.* 84. *LL. Normannicæ lib.* 2. *c.* 46. §. 5. in *reliq. MSCt.* ill. Dn. a LVDEWIG. *LL. Longobardicæ lib.* 1. *tit.* 7. *l.* 1. *item lib.* 1. *tit.* 10. *l.* 4. *lib.* 2. *tit.* 55. *l.* 11. 40. *ius prou. Sax. lib.* 1. *art.* 63. *lib.* 2. *art.* 12. *&c.* (II) Iudicium per *ferrum candens* vel *aquam feruentem synodus Triburiensis c.* 13. approbauit, *Si quis fidelis libertate notabilis tanto talique crimine publicatur, vt criminosus a populo publicetur, per ignem candenti ferro caute examinetur.* Nec minus *concil. Remens. c.* 11. & leges *Frisionum tit. III.* §. 6. 8. *& tit. XIV.* §. 3. idem probant cum *LL. Ripuar. tit.* 30. §. 1. *LL. Longobard. lib.* 1. *tit.* 9. *l.* 29. 34. 39. *LL. Wisigothor. l. VI. tit.* 1. *c.* 3. ex edit. P. PITHOEI *p.* 128. (III) Iudicium *aqua frigida* magnopere laudauit HINCMARVS, receperunt *iudicia occulta* Westphalica eiusque leges, & prout ritus sacri in hoc examine olim vsitati demonstrant, etiam plures clerici & monachi, ab eo sine dubio alienissimi, si eius vsum haud approbassent. Quia tamen olim legum approbatio expressa huic probationi defuit, eam per mendacium EVGENIO II. obtrudere voluerunt, vt supra iam indicatum. Denique vsus eius in Germania tam fuit communis, vt eum ADELHEIDIS abbatissa Quedlinburgensis anno 1068. in diplomate a KETTNERO *in antiq. Quedlinburg. p.* 169. relato approbauerit his verbis: *Cum autem aliquis illorum ob aliquam insolentiam incusatus fuerit, siue querimonia villici accusatus, ferro ignito examinetur, aut* FRIGIDA AQVA, *vel iuramento simpliciter sola manu expurgetur.*

Legibus tamen olim hæ probationes spuriæ probatæ

1) per duellum

2) per ferrum candens vel aquam feruentem

3) per aquam frigidam

Neque vero hoc adeo mirandum eſt, cum vſus harum *purgationum* etiam in *ſpeculo Saxonico* vt ius quoddam commune paſſim referatur vt *lib. 1. art. 39. 93. 62.* (IV) Probationem per *eucbariſtiam* in *concilio Wormatienſi* admiſſam & ſtabilitam iam ſupra oſtenſum, nec ab ea receſſit *concilium Triburienſe c. 21.* (V) Iudicio *crucis* fauent *capitula ſynodalia* PIPINI *de anno 752. c. 17.* apud BALVZ. *tom. I. capit. p. 164. capitul. Caroli M. de anno 779. c. 10. ibid. pag. 197. item de anno 803. c. 35. ibid. pag. 397. item de anno 806. c. 14. ibid. pag. 444.* item *lib. IV. capitular. cap. 34. LL. Longobard. lib. II. tit. 55. l. 24.* (VI) IVDICIVM ſortis per leges *Friſonum* vim iuris accepiſſe, ſupra iam obſeruatum eſt. (VII) In legibus KANVTI *c. 6. panem execratum* probari obſeruat CANGIVS *voce Cornſned.*

4) per eucha-riſtiam

5) per crucem

6) per ſortem

7) per panem execratum.

Damnata tandem pleraque

§. XXV. Enimuero damnarunt hæc *iudicia Dei* vulgo dicta pontifices, vt paſſim oſtendimus & *hic tit.* plenius docet; imo quædam *leges antiquæ Francorum*, vt *aquæ frigidæ* & *crucis.* Ex iis rationibus vero, quæ ab initio attulimus, & fontibus, ex quibus deriuata, facile fundamenta peti poſſunt, ex quibus vt *ſpuriæ probationes* reiici debent. Non reperi autem, probationi *per eucbariſtiam* dicam ſcripſiſſe pontifices, quamuis vitio non careat, vt ſuſius probatum didit SCHMIDIVS *de probat. per eucbariſt. in f.* Non alia, vt auguror, huius exceptionis ratio eſt, quam quod obſeruauerint curiæ Romanæ proceres, GREGORIVM VII. ſe hoc medio a criminibus obiectis purgaſſe, teſte LAMBERTO SCHAFNABVRG. *ad annum 1077.* cuius autoritati vulnus graue inflixiſſent, ſi æque hanc probationem damnaſſent, cum inter *ſanctos* relatus fuerit, quod tam maſcule pro imperio ſacro extendendo & ampliando pugnaſſe legatur. Denique conſtat, *iuriiurando* etiam vim probandi innocentiam relictam, vtut vitio *ſuperſtitionis* non careat. Non repetam argumenta *theologica* & *moralia*, quæ ab aliis, inprimis BECMANNO *de iudic. Dei c. 6.* allata ſunt, contra has *probationes ſpurias*, ſed generatim duntaxat aſſero, illas æque fallaces fuiſſe, ac quidem quorundam theologorum vaticinium, qui ex voce IVDICIVM, cuius *literæ* omnes *numerales* ſunt, hoc tulerunt fallaciſſimum iudicium, extremum iudicium anno 1613. aduenturum eſſe. Memorat hoc vaticinium ANDREAS CAROLVS *in memorab. ſec. XVII. lib. 2. c. 11. pag. 311.* *Noſtro hoc ſeculo ex vocula* IVDICIVM, *in quo omnes literæ ſunt numerales, non pauci collegerunt, anno 1613. iudicium vltimum & vniuerſale futurum, eoque videtur D. Menzerus etiam theologus Gieſſenſis celeberrimus, & ab omni quidem ſana-*

hæc iudicia vt fallaciſſima

fanaticiſmo prorſus alienus, collimaſſe in dedicatione exegeſeos Auguſtanæ confeſſionis, quam hiſce claudere voluit verbis: anno a nato Chriſti 1613. quem enumerat vox iam olim ominoſa IVDICIVM. Non raro etiam male ceſſerunt hæ probationes illis, qui hiſce ſe commiſerunt, quod patuit exemplo eius, qui, capta Antiochia in expeditione ſacra, per ignem probare volebat, lanceam per reuelationem fictam effoſſam illam ipſam eſſe, qua Chriſti latus perforatum erat. Reuelationis & effoſſionis hiſtoriam tradit RAIMONDVS DE AGILES in *hiſtor. Hieroſol.* relatus in *geſtis Dei per Francos pag. 150. ſeqq.* qui & tranſitum PETRI BARTHOLOMAEI, hominis ſimplicis, in manu tenentis lanceam, per ignem *pag. 168.* refert, qui adeo infeliciter ei ceſſit, vt poſt paucos dies obiret. Neque enim diſſimulat *cit.* AVTOR *p. 168.* aliquam *aduſtionem in cruribus* eius fuiſſe. Planius & apertius euentum ſiniſtrum huius probationis FVLCHERIVS CARNOTENSIS in *geſt. Dei per Francos p. 392.* enarrat, quamuis WILHELMVS TYRENSIS *ibid. pag. 739.* addat, a plurimis cauſam veram mortis eius diſſimulatam, & ſuggeſtionibus monachorum creditum fuiſſe, eum illæſum per *ignem* tranſiuiſſe, de quo ſane dubio longe rectius contrarium retulit MAIMBOVRG *dans l' hiſtoire des croiſades lib. II. tom. I. p. 177.* Diutius adhuc vſus harum *purgationum* durauit, maxime *aquæ frigidæ*, vt ne quidem pontificum decretis eradicari potuerit, maxime in Saxonia. Hac de cauſo GREGORIVS XI. in bulla, qua, prout ſupra *p. 251.* monſtraui, quosdam articulos huius iuris damnauit, etiam ſequentibus dicam ſcripſit: SEXTVS, *quod ſi quis fuerit interfectus in ſpeu ſolio furto, pro quo conſanguineus interfecti ſe præbeat ad duellum, talis per duellum repellit omne teſtimonium, nec tunc talis mortuus ſine duello poterit conuinci.* OCTAVVS, *quod quicunque appellatus ad duellum ſecundum formam ſpeculi Saxonum, talis non poteſt duellum denegare, niſi ſit appellans minus bene natus, quam appellatus.* NONVS, *quod quicunque perdit ius ſuum ratione furti vel ſpolii, talis incuſatus ſecundo de furto vel ſpolio non poteſt ſe liberare ſuo iuramento, ſed electionem habet ad ferrum ignitum, aquam bullientem, vel ad duellum. Huius articuli pars vltima, quæ electionem habet ad ferrum &c. erronea eſt.* Conuenit hic articulus reprobatus cum *decreto concilii Triburienſis*, quod adhuc refertur in *c. 1. X de purgat. canon.* quamuis ſe purgandi modos vulgares in fine omittat RAYMVNDVS iuxta *vulgatam* editionem.

Non & luctuoſa.

TIT.

TIT. XXXVI.

DE INIVRIIS ET DAMNO DATO.

§. I.

Ex factis illicitis est obligatio ad satisfactionem priuatam & quandoque ad pœnam. Si delictum concurrit.

Delicta & facta illicita vel legitime probata, vel *canonica purgatione* elisa sunt. Hoc casu regulariter sequitur *absolutoria sententia;* illo vero *condemnatoria* vel ad *pœnam* & *satisfactionem ciuilem* atque *refusionem expensarum* simul, vel tantum ad *satisfactionem ciuilem priuatam expensasque.* Prius contingit, si ob *factum illicitum* agitur, quod simul *delictum* vel iure *ciuili* vel *canonico* continet, & obligationem ad *pœnam* subeundam ex his legibus accepit. Neque enim vtroque iure *facta illicita* constituunt simpliciter *delictum punibile*, sed in commerciis hominum plura contra leges committuntur; quæ tamen *pœnam* nullam acceperunt, sicut nequidem omnes *excessus* pœnam merentur, vt *ad tit. de excess. prælat.* dictum, licet *factum illicitum* contineant. Quod in contractibus contra *leges iustitiæ* actum, obligat quidem ad *damnum* resarciendum, sed non ad *pœnam*, quod alioquin supplicia in infinitum essent extendenda. Non nego, ius canonicum plura noua delicta *punibilia* inuenisse, iure ciuili non agnita, sed primario duntaxat, quoad *clericos* & *monachos*, quod hi *exemplo integerrimæ vitæ* a laicis distingui deberent; interim non quæuis facta illicita *pœnis* subiecit, quamuis ad damnum præstandum lædentem obliget, vt *tom. II.* in materia *contractuum* docui.

Ex delictis etiam tantum est obligatio ad damnum restituendum quoad heredes.

§. II. Ex *accidente* quandoque etiam ex *facinore* duntaxat obligatio superest ad damnum expensasque restituendas, obligatio vero ad *pœnam* deficit. Hoc contingit in *heredibus*, qui secundum *ius canonicum ex delicto defuncti* quidem obligantur ad damnum a defuncto datum resarciendum, sed non ad pœnam loco defuncti subeundam. Prius iam illustratum est supra *tit. 17. huius libri p. 242 seqq.* atque euidens discrimen inter ius *ciuile* & *canonicum* adductum. Sicuti vero posterius se fundat in principio *æquitatis naturalis*, quod damni refusionem ad *æs alienum* defuncti, ab herede soluendam, refert, eique præter-

præterea addit aliud fundamentum, *quod peccatum* non remittatur, nisi restituatur ablatum; ita, quod mirandum, ius canonicum etiam inuenit remedium, quo tum *delinquens*, tum eius *heres* ab hac obligatione prorsus liberari queat. *Indulgentias* intelligo, quæ etiam quandoque ad hunc iuris articulum porrectæ sunt, vel *secundum quid*, vt in *instruct. summaria pro subcommissariis*, indulgentias a LEONE X. concessas vendentibus a Dn. KAPPIO professore Lips. celeberrimo *edita* in der Samlung vom Päbstl. Ablaß *p. 159. sqq.* vel *absolute* et *indefinite*, vt nihil restituendum sit. Huius specimen insigne exhibet WHARTON. *in Anglia sacra P. I. p. 538.* atque refert, anno 1478. in Anglia IOANNEM GIGLIS siue DE LILIIS, gente Italum, *quæstorem* Pontificis egisse, atque anno 1489. ab INNOCENTIO VIII. papa potestatem accepisse, *vsuram, simoniam, furta, homicidia, rapinas, adulteria, stupra, et quacunque fere crimina remittendi; præterea indulgendi et dispensandi, vt tam bona aliena, quam fraude acquisita salua conscientia aliquis retinere posset, soluta aliqua eorum parte papæ commissariis seu eorum vices agentibus.* En egregium remedium, delinquentes ab *obligatione satisfaciendi* liberandi, læsosque ab actione excludendi per *exceptionem* litis ingressum impedientem *indulgentiarum*, quæ æque heredibus eorum proderit. Si enim partem de tunica seu iniusto lucro accipit pontifex, plene quibuscunque læsis satisfactum est. Has infaustas conclusiones peperit doctrina de *indulgentiis*, ad iniquissima extensa, cuius fundamentum tradidi in *diss. prælimin. ad tom. IV. iur. eccl. §. XIV. sqq.*

Quam obligationem tamen tollere potest indulgentia.

§. III. Varia itaque est obligatio ex facto illicito: 1) ad *pœnam*, de qua *tit. sq.* demum agendum: 2) ad *damnum* resarciendum in patrimonio tali occasione datum: 3) ad *expensas*. De duabus obligationum speciebus composuisse videtur RAYMVNDVS hunc titulum, qui de *iniuriis et damno dato* conceptus est, agitque magis de *damno iniuria dato*, vt fere omnes textus indicant. Sic in *c. 1. sqq.* de damno per culpam dato iura sacra adducuntur; speciatim vero in *c. 7. X. h. t.* populus Florentinus propter *iniuriam banni* seu exilii, quo episcopum Fesulanum adfecerat, in *expensas* et *damna tali occasione data*, atque per iuramentum in litem taxanda, condemnat. Denique in *c. 9. X. h. t.* plura coaceruat, quæ ex iure communi de *damnis* per *iniuriam* vel ab *animalibus* datis, depromta et regustata sunt, hic non explicanda.

De obligatione ad damna refundenda et expensas h. t. agitur.

Etiam hodie inique torti agunt ad interesse et expensas.

§. IV. Duo tantum obseruo. Primum est, quod in *ordin. Carol. crimin. art. XX.* ad ductum *c. 7. X. h. t.* constitutum fuisse videatur, vt inique tortus propter *iniuriam*, *expensas* et *damna* agere queat: Es soll auch keine Obrigkeit oder Richter in diesem Fall keine Uhrpfehde helffen schützen oder schirmen, daß der Gepeinigte seine Schmach, Schmertzen, Kosten und Schaden mit Recht, doch alle thätliche Handlung ausgeschlossen, wie recht, nicht suchen möge. Etenim in *cit. c. 7. X. h. t.* iuxta *lectionem Lugdunensem* de anno 1605. populus Florentinus (α) propter *iniuriam banni*, *et* (β) *expensas*, et (γ) *damna tali occasione* data in mille libras vsualis monetæ episcopo Fesulano condemnatur. *Vulgata* et *fratrum Pithæorum* editio ab hac non adeo differt, nisi quod particula *et* ante *expensas* omittatur et hoc modo legatur: *propter iniuriam banni*, *expensas*, *et damna tali occasione secuta*. Hanc lectionem etiam seruat codex antiquissimus MSCtus membranaceus, descriptus a MCCCLI. optimæ notæ, quem ill. Dn. Cancellarius huius academiæ DE LVDEWIG possidet, et ex instructissima sua bibliotheca pro affectu, quo est in me singulari, mihi communicauit. Enimuero in GONZALEZII editione duntaxat *expensarum* et *damnorum* ratio in condemnationem deducitur, eius vero fundamentum in *iniuria banni* ponitur, hoc modo: *propter iniuriam banni in expensas et damna tali occasione secuta condemnandum*, hoc sensu, vt propter *iniuriam banni* in *expensas et damna* condemnari debeat populus. Priorem tamen formulam vel ideo præferendam esse prorsus arbitror, quod (a) *fundamentum* condemnationis, h. e. PROPTER *iniuriam banni*, *expensas et damna tali occasione data* ab ipsa (b) condemnatione: *in mille libris vsualis moneta*, euidenter distinguatur: hæc in quantitate pecuniaria; illud vero in *tribus* collocetur, in *iniuria*, *expensis*, *damno*. In inique torto addit CAROLVS V. quartum: Schmach, Schmertz, Schaden und Unkosten, additurque: wie recht, qua formula sine dubio ad dispositionem iuris canonici præsentem respexisse videtur. Ceterum *iuramento* in litem *præmisso*, taxatio fieri, vel a iudice *ex officio* determinatio eius, quod præstandum est, decerni potest. Prius *iuri communi*, maxime in casu admissi *doli* et *damni* dati, est conueniens, *l. 9. C. vnde vi*, quod *iuramentum in litem* potissimum ob *dolum* commissum introduxit, *l. f. §. 1. C. de iure domin. impetr.*, et HONORIVS III. in *c. 7. X h. t.* sequitur, maxime quod æstimatio damni expensarumque adeo incerta et difficilis esse possit, vt absque *iuramento* ad

ad liquidum deduci nequeat. Posterius vero hodie fieri solet, si aliunde determinatio *iniuriæ*, *expensarum*, et *damni fieri queat*, sine *taxatione iurata*. Quocirca (α) si *æstimatorie* ob iniurias agitur, iniquum foret, *iuramento præuio* pœnam determinare, quam iudex *ex officio* temperare potest, ceu recte CARPZOV. in *praxi crim. qu. 95. n. 21. sqq.* obseruat, vt fere dicere possis, contrariam plurimorum sententiam, ex *cit. c. 7.* non recte examinato, profluxisse: (β) qui hodie *dolorum* quoque rationem secundum *art. 20. cit.* in æstimatione et taxatione habendam esse asserunt, prout *vsus fori* fert, id tantum, me iudice, indigitant, æstimationem *iniuriæ* ex grauitate *dolorum* et *vulnerum*, quæ directo non recipiunt æstimationem, *l. 7. pr. ad L. Aquil. l. 3. si quadrupes. l. f. de his qui effud. vel deiec.*, augendam esse. (γ) Denique *expensarum* in litem factarum refusio adhuc distinguitur a damnorum datorum restitutione, adeo vt qui hanc remisit, illam non remisisse intelligatur, quod remissio stricte accipienda, *c. 8. X. h. t.* quia damnum ad *deminutionem patrimonii* refertur. Idem quoque applicari debet ad casum iniquæ et contra ius factæ incarcerationis, quæ sine *sufficiente fundamento* decreta est, adeo vt iudex non tantum iniuriarum, sed etiam damna, interesse et expensas resarcire teneatur per *c. 7. X. h. t.* de LYNCKER. *decis. 656.* Dn. de WERNHER. *P. I. obs. 7.* COLER. *decis. 161. n. 8.* Iure Saxonico per *art. 34. lib. 2. et art. 45. lib. 3.* soluenda est inique incarcerato *emenda Saxonica*, die Busse, h. e. Tag und Nacht 30. Schilling-Pfenning, vt ZOBEL *ad art. 34. lib. 6.* obseruat. Faciunt autem 30. *solidi* quantitatem 40. *grossorum argenteorum*, iuxta computationem communem, secundum quam *solidus* ein Schilling 16. *nouos misnenses nummos* vel 2. Marien-Groschen continet, et ita 30. *solidi* faciant 60. Marien Groschen, vel 40. gute Groschen, testibus COLERO *cit. l. n. 69.* CARPZOV. *pr. crim. P. III. qu. 111. n. 72.* BERGERO in *œconom. iur. lib. 3. tit. 9. p. 790.* Atque hanc *emendam* non tantum hodie adhuc *iudex*, qui inique incarcerauit, sed *priuatus* etiam, ad cuius instantiam facta est incarceratio, soluere cogitur, vt CARPZOVIVS præiudiciis illustrat. Nec hoc abludit a principiis *iuris canonici*, quod in hac emenda contineatur satisfactio ratione *iniuriæ*, *damnorum*, et *expensarum*.

Vt et inique incarcerati.

Praxis iuris Saxonici.

§. V. Alterum est, quod etiam absolutus reus aliquando *expensas* ferre vel refundere debeat, nec ab accusatore eas repetere possit, qui *harum* et *iniuriæ* nomine cauit. *art. 12. C. C. Car.* Etenim processu vel *accusatorio* vel *inquisitorio* actum est. Illo casu si accusator

Quandoque absolutus expensas soluere debet.

ſator probabilem cauſam accuſandi habet, compenſantur expenſæ ſecundum *art. 201. conſt. crim.* quod CAROLVS V. in *art. 166.* exemplo quodam illuſtrat. Inprimis vero huc pertinet, ſi reus ita grauatus eſt, vt vel *torturæ* et *territioni* ſubiiciendus ſit, vel *iuramento* ſe purgare debeat, quod hoc caſu ſua culpa accuſationi cauſam dederit per *art. 61. conſtit. crim.* In *proceſſu inquiſitorio* idem hoc caſu aſſerendum, quod ſua culpa has expenſas cauſauerit, vt iudici ea refundere teneatur inquiſitus, prout plenius a me declaratum eſt in *diſſ. de expenſ. criminal. c. III. §. 2.* Denique, inquiſito mortuo ante litem finitam, heredes quoque ad refuſionem expenſarum condemnandos eſſe, *cit. l. §. 6.* euictum eſt. Etenim (α) expenſas has a *damnis* vel *pœnis* diſtingui, liquet ex *c. 7. et 8. X. h. t.* (β) Si *expenſarum* refuſio ſimul *damnis* in ſenſu latiori annumeranda, ſecundum *c. f. X. de reſcript.*, heredes tamen ab horum refuſione ex facto defuncti hodie non ſunt immunes, maxime ſi *culpa* ſua defunctus damnum dederit; cum etiam (γ) de eo teneantur, ſi defunctus *ſuo delicto* illud intulerit, vt ſupra *p. 242. ſqq.* dictum. Quo ipſo fit, vt ex *patrimonio defuncti* expenſæ in inquiſitionem factæ, tanquam *æs alienum* heredes refundere cogantur, ſi ei defunctus ſua culpa cauſam dederit. Equidem (δ) *condemnatio in expenſas* etiam ſolet dici *pœna calumniæ* et audaciæ temere litigantium ſecundum *c. 4. X. de pœn.* et *tit. I. de pœn. tem. litig.* adeo vt in cauſis pecuniariis ſeu ciuilibus victus victori condemnetur in expenſas *cit. c. 4.* Aſt id ipſum ad *cauſas criminales* in caſu adducto minime trahi poteſt, in quo expenſæ vnice ob *culpam* præſtandæ, quippe quæ ex duplici fundamento adiudicari ſolent: (α) *in pœnam temeritatis*, quod victus temere litem mouerit: *c. 4. X. de pœn.* (β) *in ſatisfactionem* eius, quem ad inquiſitionem ſuſcipiendam *culpa ſua* coëgit, quæ ſine moleſtiis a iudice inſtitui nequit.

Vel eius heredes.

Quod culpa inquiſitioni cauſam dederit.

TIT. XXXVII.

TIT. XXXVII.

DE

POENIS.

§. I.

Ecclesiam in *statum ciuilem* tandem coniectam, et formam *reipublicae* assumsisse sub *magistratibus ecclesiasticis*, a ciuili potestate independentibus, multoties obseruatum est. Cum vero nulla respublica, et magistratuum autoritas sine *poenis* salua et incolumis esse queat, non mirandum est, etiam in hac republica *ius puniendi* exerceri, et fora ecclesiastica, aeque ac secularia, ius de plectendis et coercendis his, qui *salutem* eius et *tranquillitatem* turbant, dicere, atque RAYMVNDVM ea de causa hunc titulum *de poenis* suae compilationi adiecisse, cuius vera indoles eruenda, atque docendum, etiam *poenas ecclesiasticas* eundem cum *poenis secularibus* scopum et modum habere. Hac generali consideratione praemissa et absoluta, ad *species poenarum ecclesiasticarum* transeundum, ita quidem, vt hoc titulo de *remotione* et *degradatione clericorum* agatur, simulque, quatenus *honeste* clerici mitti queant, exemplo ceterorum officialium, inquiratur; in reliquis autem duobus titulis *poenitentiam*, *excommunicationem*, *suspensionem* atque *interdictum* ex mente iuris canonici exponam.

(I.)
De poenarum ecclesiasticarum indole.

§. II. Videlicet conclamatum est, quo magis *felicitatis humanae* conseruatio in *statu ciuili* est necessaria, et ad generis humani salutem omnimodam pertinet, eo minus inter homines, si vsum eorum communem consideraueris, eius rationem haberi solere, conatibus consiliisque humanis in peius et contraria ruentibus, quibus a *vera felicitate* quam longissime receditur. Sunt hominum mores ex innata concupiscentia, ad discordias et bella intestina procliui, ita comparati atque compositi, vt pro *vero* eligant *bonum apparens*, et si libertati

A felicitate homines vt plurimum alieni,

et ad discordias proni sunt.

tati suæ relinquuntur, nihil non audeant, quod societatis humanæ vinculum destruat, rumpat, soluat, atque ima summis misceat. Quod ne fiat, *coactione congrua* in *statu ciuili* opus est, quo homines rebelles in officio contineantur, et suum cuique tribuant, vtpote sine quo salus hominum *in hoc statu* subsistere nequit, quæ *prima* et *suprema lex* esse debet. Atque inde non tantum in *statu ciuili* auctoritas *iudiciorum*, *imperium*, et *legum* vigor deriuanda sunt, sed inprimis POENAE originem traxere, quæ nihil aliud sunt, quam *medium coactiuum retinendi homines ad deuia pronos in officio et tranquillitatem generis humani promouendi atque confirmandi.* Optime CICERO *Philipp. VIII. In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, vri, secarique patimur, vt membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: sic in reipublicæ corpore, vt totum saluum sit, quicquid est pestiferum, amputetur.* Huc enim inprimis *pœnarum propositio et executio* tendit, ne iniuriæ, damna, vel delicta, quibus tranquillitas publica potissimum turbatur atque læditur, fiant atque committantur, non vero, vt erga delinquentem *iræ impetus* aut *vindicta* exerceatur. *Nam, sicut* PLATO *ait, nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur*, vt verba LACTANTII *de ira Dei c. 18. n. 5.* mea faciam. Planius forsan pleniusque rem his illustrat verbis SENECA *de clement. lib. I. c. 22. in iniuriis vindicandis hæc tria lex secuta est: aut vt eum, quem punit, emendet: aut vt pœna eius ceteros meliores reddat, aut vt, sublatis malis, securiores ceteri viuant.* Præterea IDEM *Lib. I. de ira c. 16.* PLATONIS sententiam paulo clarius explicat, et rationem omnium pœnarum his declarat verbis: *Hoc semper in omni animaduersione seruabit, vt sciat, alteram adhiberi, vt emendet malos: alteram, vt tollat. In vtraque non præterita sed futura intuebitur. Nam, sicut Plato ait, nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Reuocari enim præterita non possunt,* (seu facta infecta fieri nequeunt) *et quos volet nequitiæ malæ cedentis exempla fieri, palam recidet, non tantum vt pereant ipsi, sed vt alios pereundo deterreant.*

Ergo ad officium cogendi — etiam per pœnas — quarum ratio, explicatur.

§. III. Constat vero, pœnas esse vel *seculares* vel *ecclesiasticas;* illas quidem exerceri in *foris criminalibus*, et ad mortis supplicium pro re nata extendi; has vero in *iudiciis ecclesiasticis* infligi sontibus, ast ab omni supplicio sanguinis esse alienas, iuxta vulgatum illud: *ecclesia non sitit sanguinem.* Insignem vero præterea diuersitatem inter has pœnas constituunt ratione *finis* et *effectus*, censentque, secularibus quidem tantum impediri *delicta futura*, et *tranquillitatem externam*

Pœnæ sunt vel seculares vel ecclesiasticæ — inter quas vulgo diuersitatem insignem constituunt

ne

ne quisquam eam infringat, circumuallari; *pœnas ecclesiasticas* autem et inprimis censuras esse *spirituales*: scopum *spiritualem* habere: intendere bonum et salutem animæ: homines interne bonos et christianos efficere, et quod *coactionis* in eo apparet, esse magis fraternam, amicam, spiritualem, piamque compulsionem, medicinam animæ ægrotantis, remedium contra peccata, et charitatiuum medium, quo sordes peccatorum abstergi possint. Vno verbo: esse nonnunquam magis *censuram* quandam *morum emendandorum*, quam *pœnam proprie dictam*. Ac ne quid temere effingere, aut somnia in scenam producere videar, placet nonnullorum iuris canonici interpretum sententiam in medium proferre. Ex professo de hoc themate egit IOSEPHVS GIBALINVS, e societate Iesu Theologus, *de sacra iurisdictione in ferendis pœnis et censuris ecclesiasticis*, vbi *disquis. I. q I* ante omnia de conceptu *pœnæ* ecclesiasticæ sollicitus est, eamque esse dicit; *quæ a sola ecclesia in delicti alicuius coërcitionem infligi potest, cuiusmodi pœna est duntaxat spiritualis*. Pœnas *temporales* et *corporales* non recte dici *ecclesiasticas*, quamuis etiam ab ecclesia infligantur, censet, *quod illi hæ pœnæ sint communes in politica et temporaria principum potestate.* Addit tamen, pœnas has infligi aliter a *seculari* aliter a *spirituali potestate*; ab hac non aliter, *nisi aut propter connexionem, quam habent cum pœnis spiritualibus, aut certe propter finem aliquem spiritualem et animarum salutem, quam vnam spectat tota hæc sacra politia.* Inde tandem concludit: *quare sola spiritualis, ecclesiastica iure merito dici poterit, et vicissim omnis pœna ecclesiastica, spiritualis erit, siue quia proficiscitur a spirituali potestate, siue quia in* FINEM SPIRITVALEM *tendit, siue quia pœnam spiritualem, quam ex quadam necessaria consecutione comitatur, præsupponit; siue denique, quia obiectum spirituale habet, quæ postrema est omnium maxime proprie pœna spiritualis et ecclesiastica*, de qua *specie primaria* se in supra allegato tractatu acturum, pollicetur.

quod illustratur ex Gibalino

qui spiritualem effectum in ecclesiasticis quærit,

si vel maxime cum republica sunt communes.

§. IV. Ita quidem generatim philosophandum esse ex mente ecclesiæ Romanæ censet. Specialius tamen iuxta scholasticorum doctrinam discrimen facit *c. I n. 2 seqq.* inter *pœnas ecclesiasticas* et *censuram*; quod illa sit *priuatio bonorum spiritualium per ecclesiasticam potestatem in criminis alicuius punitionem sontibus inflicta*; hæc vero sit *pœna spiritualis et ecclesiastica, priuans vsu quorundam bonorum spiritualium ad rei correctionem imposita* Ita vero videntur distingui, vt *genus* et *species*, vt quidem omnis *censura* sit *pœna ecclesiastica*, non vice ver-

Distinguit tamen censuras a pœnis ecclesiasticis.

versa. Conuenire enim dicuntur in eo, quod *priuationem bonorum spiritualium* contineant, h. e. eorum bonorum, quæ *publici iuris* et *omnibus in ecclesia communia* sunt, quorum dispensatio *ecclesiæ* i. e. clericis, et inprimis maioribus, a CHRISTO fuit concredita, quorsum pertinent sacramenta, sacrificia, beneficia ecclesiastica, spiritualis iurisdictio, publica suffragia, cetera. Habet enim ecclesia *thesaurum* amplissimum, exhauriri nescium immensumque, variis gratiis et bonis spiritualibus refertum, quem sicuti effundit in bene meritos fideles et obsequentes liberos; ita eiusdem subtractione punit sontes. Vtrumque facere dicitur vt *pia mater*, quia etiam ecclesia dum punit, *salutem animæ* et *bonum spirituale* intendit.

Species censurarum ex mente Gibalini.

§. V. Sed in quo specialius differat *censura* a reliquis *pœnis ecclesiasticis*, paulo subtiliorem meditationem meretur, qua delectantur scholastici, adeoque necesse erit, varias species tum *pœnarum* tum *censurarum* referre. Quæsitus INNOCENTIVS III. in *c. 20. X. de V. S.* quid per *censuram ecclesiasticam* intelligi debeat, cum huiusmodi clausula in rescriptis apposita fuerit; respondet, quod per eam non solummodo *interdicti* sed *suspensionis* et *excommunicationis sententia* valeat intelligi. Hæc diuisio ansam interpretibus dedit disputandi, vtrum *adæquate* et *complete* omnes species censurarum hic relatæ fuerint? Quod negare videtur GIBALINVS *cit. l. q. 22.* et cum eo GONZALEZ ad *cit. c. 20.* aliis id affirmantibus, vt hac in re sibi non satis constent. Præter has species enim aliæ adhuc pœnæ ecclesiasticæ sunt, quæ in *adducto principio*, quod vulgo tradunt, conueniunt, vt *irregularitas ex delicto*, *depositio*, *degradatio et cessatio a diuinis*, quibus septem speciebus absoluit catalogum *pœnarum* et *censurarum* ecclesiasticarum stricte dictarum. Miror, huc non fuisse relatam *ademtionem priuilegiorum*, *aliorumque iurium ecclesiasticorum*, quæ etiam *bona spiritualia* creduntur, quia omne, quicquid ab *ecclesia* et ex eius *thesauro* proficiscitur, *spirituale* dicitur, quam ob causam supra GIBALINVS iurisdictionem ecclesiasticam quoque ad *bona spiritualia* seu patrimonium ecclesiæ spirituale retulit. *Detrusionem in monasterium* et *pœnitentiam ecclesiasticam* prorsus silentio omittit, cum illa tamen *clericis* in *pœnam*, hæc vero *quibuslibet delinquentibus* imponi soleat, nihilque frequentius sit in iure canonico, quam *pœnitentiam* dici *pœnam*. Forsan id ideo factum esse reor, quod conceptum *pœnæ ecclesiasticæ* adeo cum plerisque coangustauerit, vt eam primario in *priuatione boni spiritualis* constituerit, credideritque, eam nunquam consistere in *indictione* ali-

Species pœnarum ecclesiasticarum stricte dictarum.

quibus non accenset pœnitentiam et detrusionem in monasterium.

alicuius rei positiua, quod in vtraque ſpecie tamen fieri videtur. *Si enim*, ait *q. 1. n. 2. daretur aut fingeretur eiusmodi qualitas, quanam ratione per illius impreſſionem torquerentur rei?* Quod tamen non adeo fingendum eſt, cum euidentiſſimum ſit, in *pœnitentia* et *detruſione in monaſterium* homines grauiſſime torqueri, præſertim ſi illa *cum carena* coniuncta eſt, et ſecundum antiquos cruciatus conſideratur. Denique non diffitetur GIBALINVS *diſq. I. q. 1. n. 1.* eccleſiam etiam pœnas *temporales* et *corporeas* infligere, vt *mulctas*, *carceris* temporalis vel perpetui, *confiſcationis* bonorum, *verberum* ſeu *flagellationum*, imo etiam *exilii* ſupplicia, quæ tamen, quia communia ſunt cum *politica poteſtate*, a canonibus omitti ſolent, interim tamen in verbis §. 3. adductis faſſus eſt, eas aliter infligi ab *eccleſia*, aliter a *magiſtratu politico*, vt *qualitatem* imaginariam *ſpiritualem* omnibus pœnis eccleſiaſticis tribuere queat.

Recepit etiam eccleſia pœnas temporales.

§. VI. Si recte mentem GIBALINI concipio, tres veluti claſſes *pœnarum*, quas eccleſia infligit, conſtituendæ ſunt. Prima comprehendit *cenſuras eccleſiaſticas* ſtricte dictas, potiſſimumque in tribus adductis ſpeciebus conſiſtit, quibus tamen IDEM in *tractatu de irregularitate C. 1. qu. 2.* addit *irregularitatem ex delicto.* Altera continet reliquas *pœnas eccleſiaſticas*, eccleſiæ proprias, vt *degradationem*, *depoſitionem*, et *ceſſationem a diuinis.* Vltima claſſis occupat *pœnas*, vtrique reipublicæ, tam *eccleſiaſticæ* quam *ſeculari communes*, vt tamen illa in diuerſum finem eas exerceat h. e. *propter finem ſpiritualem et animarum ſalutem*, quam vnam ſpectare dicitur ſacra politia ex mente GIBALINI. Ad CENSVRAS quod attinet, earum has proprias qualitates, quibus a reliquis *pœnis* diſtinguuntur, conſtituit: 1) quod priuent hominem tantum *vſu bonorum ſpiritualium communium*, et quidem 2) *ad tempus*, vt non ſit *perpetua*, ſed tolli debeat, quamprimum reus reſipiſcit. Denique 3) quod vnice intendat *emendationem* et *correctionem* delinquentis vel contumacis. Ceterarum *pœnarum eccleſiaſticarum* ſtricte dictarum contrarias qualitates eſſe cenſet GIBALINVS, quod α) ſpolient delinquentem non nudo *vſu*, ſed *poteſtate* etiam et *facultate*, vt *degradatio*, *depoſitio* (et ſic etiam *irregularitas ex delicto* contracta contra ſententiam GIBALINI:) β) quod *perpetuum effectum* ſua natura habeant, atque γ) primario intendant *criminis commiſſi punitionem*, *ſeu vindictam ex iuſtitia commutatiua.* Hunc diuerſum *finem intrinſecum* late exponit GIBALINVS *diſq. 2. qu. 1. n. 3.* et ex ſcholaſticorum mente ita depingit: *pœnam* (quatenus a *cenſura* diſtin-

Inde tres pœnarum harum claſſes, 1) cenſuræ, 2) pœnæ eccleſiaſticæ ſtricte dictæ, 3) pœnæ temporales, quibus etiam eccleſia vtitur.

cenſurarum propriæ qualitates,

qualitates pœnarum ceterarum,

diſtinguitur) *inferens eccleſia nihil aliud primo et per ſe ſpectat, quam criminis commiſſi punitionem, qui ſcopus eſt iuſtitiæ vindicis, quæ in commenſuranda pœna cum delicto occupatur; vnde ad iuſtitiam commutatiuam eam pertinere omnes æque conſentiunt, non modo quia iudex obligatur ex quodam veluti contractu, quem iniit cum republica, tum partis læ a ſatisfactionem petentis ius tueri, tum rempublicam ipſam ab illatis iniuriis vindicare; ſed maxime quia ſeruat æqualitatem rei ad rem, et pœnæ ad culpam.* Hac diſtinctione præmiſſa, *disq. 1. qu. 2.* GIBALINVS ad ſpecies progreditur, et quidem (1) *ſuſpenſio* ipſa *pœna* eſt, ſi ob *delictum; cenſura* vero, ſi ob *contumaciam* infligitur, vt prior *vindicatiua* poſterior *medicinalis* dici poſſit, quia deprehendit, ſæpe in iure canonico ſuſpenſiones dictari ad *certum tempus*, velut ad *triennium* in *pœnam delicti commiſſi*, vt in *c. 33. in f. de teſtib. clem. 2. de pœn. clem. 1. verſ. verum de hæret. c. 1. in f. X. de elect. Cenſura* autem ad *certum tempus* non poteſt imponi, ſed tantum *medium ſalutare* eſſe dicitur, reducendi homines ad meliorem frugem. Quocirca ſuſpenſio, quatenus eſt *pœna*, elapſo tempore ceſſat, non item quatenus *cenſura*, quæ *abſolutione* indiget, præuiamque *admonitionem* deſiderat, non item quatenus in *pœnam* infligitur. Pariter (2) *interdictum* ex mente GIBALINI, in ſcholaſticorum ſcholis innutriti, aliquando eſt *cenſura*, aliquando *pœna*, æque vt de *ſuſpenſione* obſeruatum eſt. De *excommunicatione* nihil addit, cum tamen hæc quoque non tantum ob *contumaciam*, ſed etiam ob *delictum commiſſum*, citra omnem *admonitionem* incurratur, adeo vt quandoque *ipſo iure* ſeſe exſerat.

[Margin: ſuſpenſio quandoque dicitur pœna, quandoque cenſura, idem de interdicto prædicat.]

§. VII. Pariter WIESTNERVS *ad hunc tit. n. 1 ſeqq.* diſtinguit *pœnas* a *cenſuris;* de his ſpeciatim agens *ad tit. X. de ſentent. excommunicationis, ſuſpenſionis et interdicti*, quod in eo titulo tres illæ ſpecies, ab INNOCENTIO III. indigitatæ, explicentur, vt vel rubrica, prout ab eo eſt allegata, indicat. *Pœnam* ipſe definit *delictorum ſeu criminum coercitionem, inductam ad diſciplinæ publicæ emendationem*, adeoque *vindicatiuam* eam nominat, quod ſpecies eius ad *vindictam delictorum commiſſorum* ſint ordinatæ, iure eccleſiaſtico approbatæ, atque in tribunalibus ſacris receptæ. Species harum *pœnarum eccleſiaſticarum* recenſet *ad h. tit. n. 21 ſeqq.* atque in earum cenſum refert 1) pœnas *pecuniarias*, in pios vſus conuertendas, ex decreto *concilii Tridentini ſeſſ. XXV. de reform. c. 3.* 2) *flagellationes* per *c. 1. de calumn.* olim etiam in capitulis vſitatas ſub titulo *diſciplinæ virgarum*, vt obſeruaui *tom. II. iur. eccleſ. tit. ne ſede vac. aliquid innou. §. 8. ſeqq.* et *tit. de clero percuſſore.*

[Margin: Wieſtneri ſententia. Species pœnarum vindicatiuarum eccleſ. ex mente eius.]

cussore. 3) *Torturam*, quamuis hæc non inter genera pœnarum referatur, sed potius *medium sit eruendi veritatem:* 4) *exilium et relegationem: c. 8. in f. D. 45. c. 13. in f. C. 26. qu. 5.* 5) *detrusionem in arctius monasterium, c. 6. h. t.* quæ olim monachis et clericis adulteris vel alio scelere inquinatis imposita in *c. 28. C. 27. q. 1.* et repetita in *c. 2. X. de adult. c. 10. X. de purgat. canon.* quod variis conciliorum decretis illustratum dedit GONZALEZ. *ad c. 1. X. de regular. n. 10.* Fiebat hæc detrusio *pœnitentiæ peragendæ gratia*, adeoque hæc ipsa quoque inter *pœnas* referri debuit, quam ob rem in *concil. Tolet. VIII. c. 6.* clerici *sub oneribus pœnitentiæ in monasterium relegari* et *c. 7. monasterii claustris sub pœnitentia detrudi* dicuntur. 6) *Incarcerationem* quoque huc refert, tam perpetuam, *c. 15. in f. X. de hæret.* quam temporalem: *c. 3. et 5. h. t. in 6.* 7) *ergastula: c. 11. C. 27. q. 1.* 8) *confiscationem bonorum c. 10. de hæret. c. 25. de V. S.* 9) *irregularitatem*, quatenus ob delictum contrahitur: 10) *infamiam:* 11) *priuationem beneficii* et *depositionem:* 12) *degradationem.* His adde 13) *priuationem feudorum* ecclesiasticorum *c. 10. et 12. X. h. t.* et 14) *absolutionem vasallorum et subditorum a vasallagio et homagio c. 13. X. h. t.*

§. VIII. Ab his distinguit, *pœnas ecclesiæ medicinales*, quibus accenset tum *pœnitentiam* ad *tit. de pœnit. et remiss.* qui immediate titulum de *pœnis* subsequitur; tum *censuras* h. e. *excommunicationem, suspensionem* et *interdictum*; quod 1) hæ dicantur *medicinales*, vt indigitat INNOCENTIVS IV. in *c. 1. de sentent. excomm. in 6. cum medicinalis sit excommunicatio non mortalis: disciplinans non eradicans: dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat: cum se prouideat iudex ecclesiasticus, vt in ea ferenda ostendat, se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis.* 2) quod, delinquente correcto, relaxandæ sint per *c. 11. X. de constit. c. 25. X. de appell.* Vnde *censuram* definit, quod sit *pœna spiritualis, qua potestas ecclesiastica exterior fideles suos delinquentes et contumaces bonorum quorundam spiritualium vsu priuat ad eorum correctionem.* Inde quoque 3) addit, *monitionem* vel *censurarum comminationem* præcedere debere, *c. 26. de appellat.* His præmissis, ad tit. *de sentent. excomm. n. 27.* tantum in tribus adductis speciebus strictissime subsistit, et prorsus ab eis excludit *degradationem, depositionem, irregularitatem*, atque *cessationem a diuinis.* Eodem prorsus modo philosophatur ENGEL. in *colleg. iur. canon.* tum ad *h. tit.* tum ad *tit. de sent. excommunic.* et §. *1. n. 26.* tantum tres supra adductas species *censuræ* agnoscit.

Species medicinalium pœnarum iuxta eundem,

sententia Engelii.

M. A. de Dominis aliter distinguit,

§. IX. MARCVS ANTONIVS de DOMINIS *lib. V. c. 9. §. 6. seqq.* separat etiam *pœnam ecclesiasticam* stricte dictam a *censura*, et hanc esse dicit, *quæ potestate clauium a Christo suæ ecclesiæ tradita exercetur*, et sic etiam *vinculum coram Deo* inducere dicitur. Inde vero, quod a communi scholasticorum doctrina abit, concludit, aliam esse *excommunicationem*: quæ *censura*; aliam vero, quæ non nisi *vera pœna* dicenda. Huc refert illam speciem maxime vsitatam, quam *abstentionem* dicebant, qua episcopi renunciabant communioni cum episcopo continuandæ, qui canones implere recusabat, vt in *c. 10. et 12. D. 18.* Episcopi scilicet in episcopos alios *censuram* exercere non poterant, *iurisdictione in coæquales* destituti; quam tantum virtute eius exercendam et in *clauium potestate* positam esse credebant; poterant tamen suam *communionem* aliis denegare, quod iam seculo II. VICTOR episcopus Romanus erga Asiæ minoris episcopos ausus est, teste EVSEBIO *lib. IV. c. 24.* imo etiam STEPHANVS erga CYPRIANVM, et ceteros Africæ sacerdotes. Id enim maxime curæ cordique fuit episcopis primitiuæ ecclesiæ, vt *iura fraternitatis* inter se conseruarent, et communicarent, quod variis indiciis ostendebant. Hoc vinculum si rumpebant, *abstentio* inde nascebatur, quæ quædam *excommunicationis* species erat, quod a *communione ecclesiastica* ceterorum abstentum repelleret, sed, vt ait MARCVS ANTONIVS de DOMINIS *cit. l. §. 10. in animam penitus nihil operabatur, nec ligabat coram Deo*, nisi forsan culpabiles fuerint, quo casu non propter *excommunicationem*, sed *reatum culpæ* coram Deo ligati dicebantur. Agnoscit etiam hoc discrimen ESPENIVS de *iur. eccles. P. 3. tit. II. c. 3. §. 3. sqq.* illamque *excommunicationis* speciem, quam *abstentionem* appellaui, a *censura* in eo distinguit, quod abstento episcopo libera suæ ecclesiæ communio, nec non passiua et actiua sacramentorum administratio relicta fuerit, quam adimit illa species, quam *censuram* vocant, et quidem ob *contumaciam*, quod audire nolit ecclesiam, ad pœnitentiam contumacem per *monitionem trinam* vocantem, vt *c. 6. cit. l. §. 1. seqq.* declarat, et inde forsan a patribus *medicinalis* dicta est.

excommunicationem quandoque veram pœnam esse censens, vt et abstentionem.

Consentit quoque Espenius.

§. X. Sed audiendus etiam præ ceteris IO. de DICASTILLO, societatis Iesu Theologus, qui operosiori tractatu *de censuris et pœnis ecclesiasticis* egit, et plura clarius exposuit præ reliquis. Videlicet *disp. I. dub. 1. n. 6. sqq.* supponit, *in ecclesia dari potestatem infligendi censuras et puniendi suos subditos pœnis etiam spiritualibus, non solum in foro conscientiæ interiori, sed etiam in foro exteriori*; id quod probat ex *iure*

Sententia Io. de Dicastillo,

iure ligandi et soluendi, traditione antiquissima, pontificum decretis, et hac inprimis ratione: *quia omnis respublica bene instituta indiget potestate iurisdictionis tam directiua condendi leges, quam coactiua puniendi rebelles, et priuandi illos bonis propriis ipsius reipublicæ, vnde omnis respublica habet vtramque potestatem, vt per se lumine ipso naturali manifestum est; ergo etiam ecclesia, quæ est respublica perfectissima, habet hanc potestatem.* Constituit tamen differentiam hanc inter vtramque rempublicam, quod *ciuilis* finem habeat *temporalem*; *ecclesiastica* vero *spiritualem* et *supernaturalem*, nempe *claram Dei visionem* et *gloriam æternam*, et cum media fini proportionata esse debeant, inde concludit, arma quoque, quibus se defendit, præmia et supplicia *spiritualia* esse debere. *Hoc tamen*, subiungit n. 12. *sic intelligendum est, vt quamuis ecclesia directe versetur circa spiritualia, simul etiam indirecte possit versari circa temporalia; neque enim esset satis ecclesiæ prouisum, si careret potestate puniendi pœna temporali; ac proinde si aliquis princeps defecerit a fide, summus Pontifex illum priuare regno et alium substituere potest. Potest etiam abrogare leges principum secularium, si aduersentur fini spirituali* (hierarchiæ et dominatui sacro) *et rectæ rationi.* (quatenus a clero informata et instructa est.) Ita vero *ecclesiasticæ pœnæ* sunt proprie dicta *remedia coactiua*, eundem cum *pœnis* quibuscunque scopum habent, et *reipublicæ ecclesiasticæ* conseruationem et salutem intendunt, quæ in *dominatu sacro* vel *hierarchia* consistit.

Fundamentum pœnarum ex mente eius,

et natura.

§. XI. Censuram *cit. l. dub. II. n. 13.* definit, quod *sit pœna ecclesiastica spiritualis et medicinalis ab ecclesiastica potestate imposita, sic vt ab eadem semper tolli et absolui possit.* In hoc differe ait eam a ceteris *pœnis ecclesiasticis, quæ perpetuæ sunt, et absque spe remissionis imponuntur.* Fundamentum vnicum *censurarum* collocat in *contumacia* per *c. 11. X. de rescript.* vnde colligit, *proprium terminum censuræ tantum esse debere, quantum contumacia durauerit;* resipiscentes autem statim admittendos esse ad communionem. Addit *n. 15.* eam esse tantum *pœnam medicinalem, et in eum duntaxat finem dirigi, vt homo priuatus spiritualibus bonis, et eiectus extra ecclesiam, experturque Dæmonis tyrannidem, qui extra ecclesiam liberius sæuit, recedat ad se, cognoscens propriam infirmitatem et miseriam, ac resipiscens pareat: pro peccatis autem præteritis alias pœnas proprie dictas infligi, etiam postquam resipuerit delinquens.* Hisce præsuppositis *n. 38.* tres errores putatiuos refellit, aitque *turpiter errasse* Glossam in *c. quodcunque*

Censuræ definitio ex mente eius,

ob contumaciam infligendæ tantum,

tres ab eo errores putatiui notati,

C. 24. q. 1. asserentem, *excommunicationem nihil operari apud ecclesiam triumphantem, sed tantum apud militantem: impie dixisse* ERASMVM *in colloquio de fide, quod excommunicatio territet pueros, non vero viros fortes: impiissime dixisse* LVTHERVM, *excommunicationem tantum esse pœnam externam, tantumque priuare externo conuictu, et plus esse optandam quam timendam.* Circa species censurarum *dubit. III.* sollicitus est, et reiectis aliorum sententiis, in *tribus* supra relatis *speciebus* subsistit, et quidem vel ideo, quod hæ propter *contumaciam* infligantur, vt contumax ad seriam mentem redeat. *Pro excommunicatione, interdicto vel suspensione innodatus absoluendus statim est, atque vult parere, non obstante, quod pars læsa reclamet et appellet, dummodo censura ligatus det cautionem, quod iudicis competentis sententiæ stabit*, vt philosophatur *cit. l. n. 70.* idque probat *ex c. 25. X. de appellat.*

species censurarum.

Quis ex eius mente censuras infligat.

§. XII. Cum censura sit *imperii sacri actus*, et *pœna* seu *medium coactiuum*, is demum ius ferendi censuras habet, qui *iurisdictione ordinaria* in exteriori foro est præditus, vt late euincit DICASTILLO *disp. I. dub. 6.* Supponendum enim est, et pro articulo fidei in Romana ecclesia habendum, *ecclesiam esse perfectissimam rempublicam*, et sic omnia in ea ad schemata politica componenda et adornanda, operamque dandam, ne illa iacturam patiatur, quod metuendum esset, si deesset medium, rebelles subditos, reges etiam et principes, per *pœnas* ad officium reducendi. Id indicat his verbis *n. 114. quia potestas spiritualis fori exterioris ordinatur ad punienda delicta et coercendos subditos rebelles; sed hoc fit per censuras: ergo tali potestati annexa debet esse potestas ferendi censuras.* Atque hanc potestatem exercent iudices ecclesiastici, *etiamsi non sint sacerdotes, nec vllo ordine insigniti, sed tantum prima tonsura signati, dummodo sint confirmati vel prouisi prædictis officiis*, vt ait *n. 118.* Ita prisco more non amplius *ius clauium* deducitur ex *ordinatione* et *sacerdotio*, quod rei ecclesiasticæ hodiernæ non amplius commodum videbatur, exceptis presbyteris, quibus secundum hypothesin antiquam *ius clauium* per *ordinationem* tribuebatur. Ratio status non semper admittit, vt prælati et episcopi statim ordines accipiant, quibus tamen expedit, vt statim *imperium sacrum* exercere possint. Quæ cum ita sint, quid prohiberet, quo minus etiam feminæ *iurisdictionem ecclesiasticam* exercere et *censuras* infligere possent, quamuis ad ordines recipiendos inhabiles sint, id quod etiam certo modo *n. 126.* admittit. E contrario *laicus* ad *censuras* inferendas plane incapax est, vt nequidem ex *delegatione episcopi*

ſcopi hac poteſtate frui queat, ſolo Papa excepto, qui hoc modo delegare poteſt. Fertur tantum cenſura in *ſubditos*. Nemo enim ſe ipſum vel ſibi æqualem cenſura innodare poteſt. Rationem hanc ſuggerit *dub. VII. n. 140. poteſtas coactiua, qualis eſt poteſtas ferendi cenſuras, non operatur niſi in ſubſidium; nemo autem eſt ſibi ipſi ſubditus proprie loquendo, nec æqualis eſt ſubditus alteri æquali, multoque minus inferiori.* Sed obſtat, quod etiam confeſſionarius poſſit abſoluere epiſcopum multo ſibi ſuperiorem. Reſpondet DICASTILLO *n. 150. ſqq.* varie ad hoc dubium, quod non reguſtabo.

Nota hæc doctrina et diuiſio in cerebro ſcholaſticorum,

§. XIII. Tædium me capit, aliorum referre ſententias adeo inter ſe diſcrepantes, et tot ſcopulis inuolutas, vt in his tricis enodandis atque ſoluendis fruſta tempus impendatur. Doctrina hæc, quatenus tam ſollicite genera *pœnarum* et *cenſurarum* diſtinguit, prorſus noua, et in *ſcholaſticorum* cerebro, non *antiquitatum eccleſiaſticarum* peritia, ſed fecibus corruptarum doctrinarum imbuto, nata atque producta fuit, vt non diffitetur MORINVS *de adminiſtrat. ſacram. pœnit. lib. VI. c. 25. § 12.* Inter alia vero eleganter oſtendit, nouam hanc *ſcholaſticorum* doctrinam a mente et vſu veteris eccleſiæ alienam eſſe. *Cordatus quisque*, ait, *in auctorum eccleſiaſticorum, qui vndecim ſeculorum ſpatio ſcripſerunt, lectione tantillum verſatus, mihi facile concedet, artem illam ſtricte præciſeque et ſecundum formalitates logicas, de cenſuris eccleſiaſticis loquendi et philoſophandi, ante illud tempus ab eccleſiaſticis auctoribus non fuiſſe vſurpatam. Vt enim prætercam Burchardum Wormatienſem epiſcopum et Iuonem Carnutenſem, canoniſtarum ſuo tempore coryphæos, in quorum collectionibus nihil eiusmodi deprehenditur; Hugonem Victorinum his poſteriorem tot ſcriptis celebrem, in quibus tamen nihil eiusmodi agitat: Lombardus et Gratianus ἀκρότατοι κεφαλαί, ille theologorum, hic canoniſtarum, qui annis poſt Iuonem quinquaginta et ſeculo XII. in decimum tertium inclinante, per orbem Chriſtianum celeberrimi fuerunt, nihil tamen ſcripſerunt, ex quo conici poſſit, hunc de cenſuris præciſum et artificialem loquendi modum illis fuiſſe cognitum, imo de Gratiano facile demonſtrari poſſet, illis fuiſſe prorſus incognitum, aut hunc velut paucis ſic philoſophantibus plane præteritum. Vnde enim apud eos colligetur eſſe tantum tres cenſuras? depoſitionem et degradationem eo nomine non eſſe cenſendas: Interdictum cenſuram eſſe, non autem ceſſationem a diuinis: irregularitatem impedimentum eſſe canonicum, non cenſuram: cenſuras ad forum externum pertinere, non ad internum ſiue ſacramentum*

ex confeſſione Morini,

tum pœnitentiæ: imo vbi apud eos ipſum cenſuræ nomen ſic acceptum, et a ceteris pœnis et impedimentis eccleſiaſticis diſtinctum? Iſtius generis quaſtiones plures fieri poſſunt, de quibus apud iſtos autores nulla memoria, licet de clauibus eccleſiæ, e quibus originem ducunt, multus ſit et frequens ſermo.

et Eſpenii,

§. XIV. Pari *integritate* et ingenuitate ducitur ESPENIVS *cit. l. c. 2. §. 8.* atque fatetur, definitionem *cenſuræ* communem vulgatamque apud antiquos non reperiri, *nec veterum de cenſuris phraſi et diſciplinæ aptatam, ſed potius accommodatam iis, quæ poſt gloſſas et decretalium interpretes, ſcholaſtici paſſim de cenſuris tradiderunt.* Præterea idem §. 13. obſeruat, *ſuſpenſionem* (quam inter cenſuras ex *iure clauium* ſcholaſtici numerant) *antiquitus non æque ac hodie cenſuris, a poteſtate clauium dependentibus, fuiſſe annumeratam*, cum tamen cenſurarum fundamentum primarium in *iure clauium* hodie conſtituant. *Antiquæ doctrinæ*, ab *hodierna* alienæ, elegans exemplum eſt in *c. 12. X. de maior. et obed.* vbi abbatiſſa refert, *ſe canonicos ſuos et clericos ſuæ iurisdictioni ſubiectos, propter inobedientias et culpas eorum, ab officio et beneficio ſuſpendere, qui tamen confiſi ex eo, quod eadem abbatiſſa eos excommunicare non poterat, ſuſpenſionem huiusmodi non obſeruabant. Iurisdictionem* habebat abbatiſſa: vi illius *ſuſpendebat* ab officio et beneficio clericos; eos tamen excommunicare non poterat, quod hæc poteſtas ex *iure clauium*, per *ordinationem* demum olim collato, dependeret, a qua *ordinatione* remotæ erant mulieres. Hodie prorſus inuerſa diſciplina eſt. *Suſpenſio* cenſuris, ex *iure clauium* tractis, annumeratur; hoc vero ius non per *ordinationem* epiſcopo demum confertur vt olim: ante eam etiam illud exercet. Quis enim ignorat, epiſcopos hodie etiam ante *conſecrationem* ea peragere, quæ ſunt *iurisdictionis epiſcopalis*, et omnes *cenſuras* infligere? cum ab hac vnice hodie trahi ſoleant. Aliud antiquæ diſciplinæ documentum occurrit in *c. 3. X. de offic. iudic. ordin.* vnde liquet, plebanos in clericos et laicos tempore ALEXANDRI III. *interdicti* vel *excommunicationis* ſententiam quandoque ferre potuiſſe, quod *iure clauium*, *ordinationi* cohærente, gauderent, quod in hac poteſtate olim ſufficiebat. Anxii ſunt interpretes circa interpretationem huius decreti, idque agere ſolent vt plurimum, vt ſalua theſi ſua de *cenſuris*, a quibus *parochos* arcent, deciſionem hanc admittere poſſint, quem in finem varia fingunt, ſupponunt, et comminiſcuntur, quæ tamen omni fundamento carent.

quod illuſtratur ex c. 12. de maior. et obed.

et ex c. 3. de offic. iudic. ord.

§. XV.

§. XV. Retuli atque enarraui bona fide doctrinam interpretum communem, non tamen satis sibi constantem, de *pœnis ecclesiasticis* et *censuris*, de quarum *indole vera* et *genuina* ante omnia disspiciendum. Cardo controuersiæ huc redit potissimum: *vtrum hæ pœnæ et censuræ sint proprie dictæ pœnæ, a temporalibus* distinctæ, vt *diuersum finem* habeant, et an *vera qualitas spiritualitatis* illis assignari queat? Deinde: an et quatenus ius hoc modo puniendi *ecclesiæ* attribui queat? Harum quæstionum examen vel ideo necessarium est, vt inde liqueat, quatenus et a quibus hoc ius in *ecclesiis Protestantium*, in quorum gratiam hæc scribo, exerceri queat? Id quod vt obtineri possit, ostendendum erit, (1) nullam olim differentiam inter *censuram* et *pœnam*, nec definitiones traditas olim cognitas fuisse: (2) ecclesiam priscam proprie dictum *ius puniendi*, quod *reipublicæ* proprium est, non affectasse; interim pro statu suo peculiari, in quem coniecta erat, per tria priora secula, simile quid, quod *pœnæ* imaginem haberet, inter se *mutua conuentione* introducere potuisse: (3) constitisse hanc *pœnam conuentionalem* tum in *excommunicatione* laicorum, tum *depositione* clericorum; non item *pœnitentia:* (4) degenerasse, tribus elapsis seculis, ecclesiaque in *rempublicam specialem* mutata, hos puniendi modos in *pœnas proprie dictas*, eisque etiam per deformem metamorphosin additam *pœnitentiam*: (5) mox qualitatem *spiritualitatis* cuiusdam iis superadditam ex nouo de *iure clauium* principio: (6) pedetentim nouos puniendi modos, etiam cum *republica seculari* communes, receptos, et publice agnitum fuisse, *pœnas* has virtute *iurisdictionis* et *imperii* exerceri, quo reipublicæ ecclesiasticæ vigor in omnes reges principesque eo magis consolidaretur: (7) has pœnas *forensi more* in *inuitos* et *reluctantes* regulariter exerceri, et sic *vera* ac *mera media coactiua* esse: (8) abstinuisse iudicia ecclesiastica tantum a *pœnis sanguinis*, quæ ab antiquo *criminales* proprie et tantum fuerunt, de cetero rationes ceterarum rerum publicarum, quas *seculares* vocant, in suos traxisse vsus. Ex his principiis (9) quædam consectaria eruenda sunt, in foris Protestantium vsum habitura.

Cardo controuersiæ, an pœnæ ecclesiasticæ sint proprie dictæ pœnæ, vt a secularibus non distinguantur?

Capita primaria dicendorum.

§. XVI. Antequam vero in explicationem harum obseruationum me immittam, paucis rationem *pœnæ proprie dictæ*, prout est medium continendi homines in officio in *statu ciuili*, præmittam, vt tamen a *pœnis diuinis*, theologice pertractandis, abstineam, quarum ratio alterius disciplinæ et fori est. Nam vbi de pœnis *ecclesiasticis* siue *secularibus* sermo est, *ius puniendi* intuemur, quatenus ab *hominibus* in certa *societate* exerceri potest, quod cum *iure Dei ipsius* conferri

Præmittitur pœnæ humanæ conceptus.

ferri non poteſt in omnibus. Vnde nec *pœnæ naturales* huc pertinent, quas CICERO *de LL. lib.* 1. diſtinguit a *pœnis iudicialibus*: *aliquo contaminati probro, pœnas luunt, non tantum iudiciis, quæ quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla ſunt, et vt ſint, tamen perſæpe falſa ſunt; ſed etiam agitatione furiarum, quæ inſectantur eos, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ fraudisque cruciatu.* In eo ſenſu vero, quem prænotaui, communiter definitur POENA, quod ſit *malum paſſionis vel poſitio mali, quod virtute imperii ab imperante in ſocietate inæquali ſubditis inuitis infligitur ob malum actionis vel inobedientiæ, in ſalutem totius vniuerſitatis, et correctionem inobedientis.* B. BVDDEVS *in theol. moral. P.* 2. *c.* 4. §. 5. B. THOMAS. in *iurispr. diu. lib.* 3. *c.* 7. §. 28. In omni pœna ergo (I) proponitur *malum* ſeu *dolor*, quod homines fugere ſolent, et non niſi ægre patiuntur, vt huius intuitu et *metu* deſiſtant a re maxime cupita. Feruntur homines in omne malum morale; quia tamen eorum natura abhorret ab his, quæ ei maxime aduerſantur, quorſum pertinent mors, cruciatus corporis, exiſtimationis, bonorum, ciuitatis, libertatisque priuatio, cetera: horror hic malos inducit, cogitque, vt a *malis moralibus*, quæ vincula inter homines tollunt rumpuntque, eo facilius abſtineant. Parum autem refert, vtrum hoc malum conſiſtat in *priuatione boni*, an in *inflictione poſitiui mali*, quia vtrumque terret cogitque malos. (II) In pœnis deſideratur *malum actionis* ſeu *delictum* vel *inobedientia;* quæ alicui eueniunt incommoda et mala citra antegreſſum delictum; *pœnæ* rationem non habent, adeoque contingere poteſt, vt quis ex delicto alterius, eique inflicta pœna, *incommodo* quodam ſimul adficiatur, quod tamen, licet dolorem pariat, moleſtumque ſit, *pœnæ* rationem proprie non habet, vt oſtendi *diſſ. de pœna ſine crimine.* (III) Ius puniendi *vi imperii* exercet tantum *imperans*, qui ius *imperii* et *coactionis* habet, et in hunc finem ad principatum et imperium admotus eſt, vt inordinatos, rebelles et tumidos in officio contineret, et legum executioni ſtuderet. Doctoribus, qua talibus, *ius puniendi* datum non eſt, ſed tantum *corripiendi admonendique*, quorſum *elenchus* et *epanorthoſis paſtorum* pertinet. Nec probabile eſt, CHRISTVM ius *puniendi* doctoribus eccleſiæ dediſſe, cum omne *imperium* iis abiudicauerit, nec *ſtatum politicum* ordinauerit. Prout autem ratio *imperii* ſeſe habet, ita *pœnæ* ratio quoque æſtimanda, nec dubium, quin in *ſocietate domeſtica*

et definitio.

In qua 1) præſupponitur malum,

2) delictum,

3) ſuperioris imperium,

ſtica pater vel dominus ſuo modo liberos vel ſeruos caſtigare poſſit, in quantum limites *imperii*, ipſis conceſſi, id patiuntur.

§. XVII. Exercetur ius puniendi (IV) in *ſocietate inaequali*, vtpote quae tantum imperio armata eſt, vt *ciuilis* et *domeſtica*. Gentium ſocietas *aequalis* eſt, et nemini in alterum competit imperium, adeoque ius puniendi genti in gentem attribui cum GROTIO nequit, vt recte tradit B. BVDDEVS *cit. l.* §. 7. Pari ratione nulli collegio, *quà tali*, ius puniendi attribuendum, quippe quod *ſocietatem aequalem* conſtituit, *imperio* carens *coactiuo*, vnde tamen ius puniendi fluit. Recte Dn. PFAFFIVS *de origine iuris eccleſ. p. 205. collegium proprie loquendo nullam habet iurisdictionem, quia ſuperioritate omni et vi coactiua, quae ciuilis eſt, prorſus caret.* Quamuis enim hoc *omni collegio* datum cenſeri debeat, vt ſocium, legibus collegii recalcitrantem omniaque in ſocietate perturbantem, a ſe abigere, eiicere, et communi conſenſu eum excludere queat; id tamen non tam fluit ex quodam *imperio*, quam ex natura *pacti*, quo receptus eſt in collegium. Hac lege quilibet in *ſocietatem* recipitur, vt, niſi ſe ad eius rationes peculiares compoſuerit, et promiſſa impleuerit, tandem vt *inidoneum* huius ſocietatis *membrum* excludi poſſit. Vnde conficitur, vt etiam collegium, quod alias ſine *imperio* eſt, mutua *conuentione* ſeſe adſtringere poſſit ad quandam *poenam*, quo eo rectius finem ſibi propoſitum et ſalutem *ſocietatis* ſeu *collegii* obtineat, quam poenam, dum reus ſubit, conuentionem implet, ad quod iure naturae obſtrictus eſt. Similiter dum collegium hanc poenam ab eo exigit, id non iure *imperii*, ſed *vi pacti* initi facit, et ſic iure ſuo agit, qualis *poena conuentionalis* etiam inter *priuatos* recepta eſt, a natura tamen *poenae proprie dictae* magnopere abludit. Interim hae *poenae pactitiae*, cum in abuſum trahi et *dominatum* in *collegio aequali* generare poſſint, ſubſunt inſpectioni et directioni imperantis in *ſtatu ciuili*, cui ipſum collegium ſubeſt, cum eius interſit, ne nouus in republica dominatus emergat, et inde detrimentum reſpublica capiat.

4) exercetur in ſocietate inaequali.

non in collegio,

niſi ex pacto tam expreſſo quam tacito.

§. XVIII. Exercetur poena (V) in eos, qui punientis imperio ſubſunt, in qua differt a *vindicta*, quam etiam *par* in *parem* exercet, quaeque vnice alterius malum propriamque ſatisfactionem et ſecuritatem intendit, in ſtatu *ciuili* vero prohibita, in *naturali* tantum permiſſa. Vnde in quos ius puniendi quis exercet, hos non poteſt non ſibi ſubiectos aſſerere, quod facit curia Romana, cum ſuo Praeſule ius puniendi in imperatores, reges, et principes, mira rerum metamor-

5) infligitur ſubditis,

tamorphosi, sibi arrogans, quo ipso grauissimum *maiestati* eorum et *independentiæ* infligitur vulnus. Porro exercetur (VI) in *inuitos*, quia remedium *coactiuum* est, quod *inuitum* præsupponit. Etsi vero hoc non sit accipiendum eo sensu, vt delinquens *resistere* debeat executioni pœnarum, quin potius certum sit, quemlibet obligari ad pœnam patiendam, quam iudex ipsi imponit; palam tamen est, *animo* non *spontaneo* sed prorsus *reluctante* eam suscipi, multo minus delinquentem obligari, vt *sponte* se pœnæ offerat, adeo vt dici soleat etiam in ecclesia corrupta: *de occultis non iudicat ecclesia.* Qui *pœnas spontaneas* fingunt, vt plurimum credulam plebem præsupponunt, cui sub *necessitate salutis æternæ* vel *meriti singularis acquirendi* hæc necessitas imposita, vt *sponte* se doloribus et cruciatibus adficiant, et flagellis se subiiciant, qua circumstantia præsupposita, magis *inuiti*, quam *volentes* esse videntur, adeoque cauendum est, ne *externo colore* decipiamur, sed rem ex *veritate* æstimemus.

6) inuitis,

§. XIX. Denique (VII) exercetur *pœna in salutem societatis totius*, vt huic bene sit, et quilibet in officio contineatur, atque id ipsum est, quod asserit ICtus in *l. 1. de iustit. et iur.* quod per *pœnarum et præmiorum propositionem bonos facere intendat* legislator, h. e. *ciues bonos*, qui pacifice et cum *obsequio* in re publica degant. Videlicet per *pœnarum executionem* primario intenditur vtilitas, et commodum totius societatis ciuilis, vt exemplo eius, qui punitur, ceteri absterreantur a re maxima cupita; tum etiam vt ab eius impetu noxio omnes sint securi, et is quoque, qui læsus est; quem in finem aliquando e medio tollendus, vel ita constringendus delinquens, ne in posterum nocere, pacem publicam turbare, aut iussibus magistratus resistere possit. Præterea cum salus reipublicæ in *imperio* et *subiectione* contineatur, pœnæ potissimum etiam huc tendunt, ne subditi effrenes vinculum *subiectionis* perrumpere audeant, ad quod satis proni sunt. Vno verbo: pœnis continentur subditi in *subiectione conuenienti*, deterrentur a delictis, et securi atque immunes ab omni violatione et noxa præstantur. *Emendatio* ipsius delinquentis per *pœnas* nec obtineri potest, nec ad quasuis pœnas, veluti *capitales*, quadrat. *Coactio* neminem emendat *intrinsece*, sed tantum operatur, ne mali affectus, qui intra pectus dominantur, facile erumpant, vt iussibus pareat, quo tandem fit, vt homines *externe* dicantur emendati. Talis vero *emendatio* admodum fragilis est, et tantum, donec *periculum subeundæ pœnæ* imminet, durat. Hoc si deesse videtur, facile erum-

7) in salutem societatis totius.

Non primario in emendationem delinquentis.

erumpunt praui affectus in aliorum iniuriam. Satis neruose Dauus apud HORATIVM *lib. II. sat. 7. v. 71.*

> *Non sum mœchus, ait, neque ego hercule fur, vbi vasa,*
> *Prætereo sapiens argentea: tolle periclum,*
> *Iam vaga prosiliet frænis natura remotis.*

Quos duntaxat metus pœnarum retinet in officio, id quod intendit legislator, *boni* quidem *externe* redduntur, quatenus a delictis abstinere *coguntur; interne* tamen mali permanent, nisi diuinioribus remediis emendati fuerint.

Species pœnæ apud Romanos fuit censura.

§. XX. In hoc distinguunt *censuram morum* a *pœnis*. Censores apud Romanos erant *magistratus maiores*, primum quidem ad *censum peragendum* constituti, paulatim etiam id negotii iis datum, vt de *statu* et *moribus ciuium* censerent, et *mores populi regerent*, vt ait CICERO *III. de LL. c. 3.* ea forsan occasione, quod constituere deberent, quinam in censum seu *libros censuales* referri deberent, quod seruis, peregrinis, mulieribus, aliisque denegatum, adeoque de *statu* simul censebant, qui multum a *moribus* dependet. *Regendis moribus ciuitatis*, ait ASCONIVS PEDIANVS in *Cicerone pag. 20. Censores quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus ciues sic notabant, vt qui senator esset, eiiceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebeius, in cæritum tabulas referretur, et ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset ciuis tantum, vt pro capite suo tributi nomine æra penderet.* Pertinebant ad iudicium de moribus *vitia* hominum, non *crimina*, pœnis publicis coërcita, h. e. illa, quæ non erant contra *leges*, seu non *iniusta*, sed tantum non *honesta*. Non enim omne, quod *licet*, seu quod leges non prohibent, *honestum* est, cum impossibile sit, vt leges circa *mores* hominum quoscunque et *decorum* rogari possint. Quæ *vitæ honestatem* violant, non semper *pacem publicam* turbant, id quod per *delicta* et *crimina publica* demum fit. Qui *honestatem vitæ*, v. c. temperantiam, respuebat, negligebatque, *indecore* viuebat, sed non *iniuste*, adeoque legum coërcitioni non subiacebat, quamuis censores mores eius indecoros notarent, vt plenius declarat B. THOMASIVS *de iudicio et censura morum c. 1. et 2.* Cui illa quoque ratio accedebat, quod olim Romani stricte legibus suis insisterent, quæ tamen ab initio pauciores erant. De quibus nihil cautum erat *legibus*, permissa censebantur, quod non essent prohibita. Plura postea legibus prohibita sunt, quæ ab initio *iudicio cen-*

A censoribus moribus regendis præfectis inflicta.

Ob vitia et indecoras actiones.

 sorio

ſorio tantum ſubiecta fuere, prout *rationes reipublicae mutatae* id poſtulare videbantur, vt quae circa poenas *coelibatus* legibus Iuliis conſtituta fuere.

Cenſores exercuerunt iurisdictionem,

§. XXI. Sicuti vero hoc inſtitutum Romanae reipublicae proprium fuit; ita obſeruo, 1) cenſores, qui regendis *moribus ciuium* praeerant, fuiſſe *magiſtratus maiores*, adeoque *iurisdictione* et *imperio* praeditos. 2) Iudicium tamen *de moribus*, quod ferebant, non eodem modo, vti iudicium de cauſis criminalibus, fuiſſe peractum, ſed citra *proceſſum ordinarium*, ſummaria praecedente informatione; qua de cauſa *nota cenſoriae* non habebant vim effectumque *rei iudicatae*, vt CICERO *pro Cluentio c. 42. ſq.* diſerte docet apud THOMASIVM *cit. l. c. 21.* Proinde *notae cenſoriae* poterant a magiſtratibus negligi, a populo reſcindi, et a iuratis iudicibus repudiari, vt CICERO ait. Quin etiam nec 3) nota cenſoria *infamiam iuris* inferebat, ſed tantum *infamiam facti* ſeu *ignominiam*, quae tamen facile abſtergi ſeu dilui poterat, vel mutatis moribus, vel ſpreta a populo nota cenſoria. Interim 4) *nota cenſoria* erat ſpecies quaedam *poenae* ſeu *coactionis*, cum etiam ad remotionem ab officio et gradu dignitatis ſeſe extenderet. Id obſeruat BODINVS *de republica lib. VI. c. 1.* aiens: *Ego cenſorum notam, ignominiam, reprehenſionem omnibus omnium magiſtratuum iudiciis ac ſententiis acerbiorem fuiſſe puto. Cum enim luſtrum agerent, ciuibus in Campum Martium coactis, aderant interdum quingenti, aut quod minimum trecenti ſenatores, ordo equeſtris duplo maior, plebs ipſa, quantum quidem loci amplitudo capere poterat; omnes trepidi et anxii, qua quisque ignominia notaretur.* Conf. THOMAS. *cit. l. §. 22.* Ita vero 5) *nota cenſoria* aeque caſtigabat *vitia moralia* hominum, ac quidem *ſententia iudicialis coërcebat delicta*, et vtriusque idem erat finis, ſcilicet vt metu *cenſurae* et *poenae* ciues absterrerentur a *vitiis* et *delictis*, et ita ſalus reipublicae et tranquillitas ſalua et incolumis eſſet. Tam in *cenſura* quam *poena* intendebatur *coactio*, quae tamen *vitia* non corrigit *interne*, ſed tantum efficit, vt homines *externe* honeſte viuant *metu cenſurae*. Quamuis ne hoc quidem *cenſura* ſua obtinuiſſe Romanos, obſeruat THOMASIVS *cit. l. §. 3. §. 11.* doceatque, in republica Romana per *cenſuram* nihil minus quam *vitia* fuiſſe eradicata.

ſine proceſſu, infamia facti notabant turpiter viuentes, et ſic puniebant, ob finem poenis communem.

Progreſſus ad poenas eccleſiaſticas, primum membrum quod

§. XXII. Hiſce praeſuppoſitis ad eorum articulorum explicationem probationemque deuenio, qui §. *XV.* allati ſunt. *Primus articulus* eſt, veteres iuris eccleſiaſtici ſcriptores nullum feciſſe diſcrimen inter *cenſuram* et *poenas eccleſiaſticas*, ſed his appellationibus promiſcue

miscue vsos fuisse, nec vllam habuisse rationem, eas distinguendi, prout iam obseruauit MORINVS supra laudatus. Id quod si verum est, certum quoque atque conclamatum est, in modis *castigandi*, seu *disciplina ecclesiastica* vnum eundemque *finem scopumque* habuisse ecclesias, non alium in his, alium in aliis castigandi modis, prout constituerunt canonistæ, distinguentes inter *censuram pœnamque.* Omnis disciplina et castigatio, in priuatione vel *communionis ecclesiasticæ*, vel *officii sacri* consistebat, quod agnoscit CYPRIANVS *epist. 3.* Rogatiano scribens, vt diaconum contumacem vel *deponat* vel *abstineat.* Vltra in puniendo nec progrediebantur Christiani, nec progredi poterant. Vtraque *disciplinæ* species, vel *pœna* vel *censura* vocabatur, et quidem posterior appellatio vel ideo placuisse videtur primæuis in Romano imperio Christianis, quod *censura* apud Romanos etiam in *priuatione iuris* vel *dignitatis* consisteret, vt modo obseruatum est. Ita TERTVLLIANVS excommunicationem vocat *censuram diuinam in apolog. c. 39.* In *tractat. de pudicit. c. 16. p. m. 568. lit. b.* condemnationem libidinum pœnalem hoc modo depingit: *vt intelligas, quanta securi censura omnem syluam libidinum cædat et eradicet.*

primæui Christiani a censuris non distinxerunt pœnas,

vt tamen censuræ appellatione sæpe vterentur, docente Tertulliano

§. XXIII. Euidentius hanc thesin demonstrat CYPRIANVS, qui *epist 59. edit. Bremens. ad Cornelium*, de FELICISSIMO ob crimina plurima condemnato scribens ita infit: *legi literas tuas ecclesiasticæ disciplinæ et* SACERDOTALIS CENSVRAE *satis plenas*, quia CORNELIVS *eundem* condemnauerat atque eiecerat. Hinc in sequentibus addit: *non esse relinquendam ecclesiasticam disciplinam aut* SACERDOTALEM CENSVRAM. IDEM *epist. 11.* pœnas diuinas, quas peccatoribus minatur Deus, vocat *diuinam censuram.* Porro *epist. 55. p. 110. censuræ obstinationem* de iis prædicat, qui pœnitentibus pacem in perpetuum denegabant. *Depositionis* et *excommunicationis* pœnas, primis tantum seculis vsitatas, sub appellatione *pœnæ* coniungit IDEM *epist. 52. p. 97.* scribens: *Hanc conscientiam criminum iam pridem timebat, propter hoc se non de presbyterio excitari tantum, sed et communicationi prohiberi pro certo tenebat, et vrgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa eius ageretur, nisi persecutio ante venisset. Quam iste voto quodam euadendæ et lucrandæ damnationis excipiens; hæc omnia commisit et miscuit, vt* QVI EIICI DE ECCLESIA *et* EXCLVDI *debebat, iudicium sacerdotum voluntaria discessione praecederet; quasi evasisse sit* POENAM, *præuenisse sententiam.* Hoc quoque confirmat *epist. 43. §. 82.* his verbis: *Et quidem de Dei providen-*

et Cypriano,

quæ in excommunicatione et depositione quæsita fuit.

videntia, nobis hoc nec volentibus, imo et ignoſcentibus et tacentibus, POENAS, *quas meruerant, rependerunt, vt a nobis non eiecti, vltro ſe eiicerent, ipſi in ſe pro conſcientia ſua ſententiam darent, ſecundum veſtra diuina ſuffragia, coniurati et ſcelerati de eccleſia ſponte ſe pellerent.* De eiectorum pœnis IDEM *p. 59. p. 131.* ſic ediſſerit; *ſi autem quis vltro et crimine ſuo perierit, et pœnitentiam agere atque ad eccleſiam redire noluerit, nos in die iudicii inculpatos futuros, qui conſuluimus ſanitati; illos ſolos, in* POENIS (in ſtatu excommunicationis) *remanſuros, qui noluerint conſilii noſtri ſalubritate ſanari.* Ceterum quamuis ab initio *pœnitentia* non *pœna* aut *cenſura* proprie dicta, ſed *medium, pacem in eccleſia recuperandi*, et reſtitutionem in integrum impetrandi, eſſet; pedetentim tamen, poſtquam certa tempora, quibus interim pro *excommunicato* habebatur, variique labores pœnitentiales determinati ſunt, in *cenſuram* et *pœnam* degenerauit, vnde etiam paſſim a CYPRIANO nomine *cenſuræ* venit. In *epiſt. 55. p. 101.* ſe purgat a ſuſpicione, quod *animum ſuum a* DISCIPLINA et CENSVRA *priori deflexiſſe videatur, vt his, qui libellis conſcientiam ſuam maculauerint, vel nefanda ſacrificia commiſerint, laxandam pacem putauerit.* In ſequentibus adfert temperamentum, quo cum lapſis agendum, quibus nec in totum ſpes communicationis et pacis deneganda, *nec tamen rurſus* CENSVRA EVANGELICA *ſoluenda, vt ad communicationem temere proſilirent, ſed traheretur diu pœnitentia.* Tandem *p. 111. ibid.* id demonſtrat exemplo ipſius Dei: *In Pſalmis enim legimus,* CENSVRAM *pariter et clementiam Dei, comminantis ſimul atque parcentis,* PVNIENTIS *vt corrigat, vt cum correxerit, reſeruantis.*

pedetentim etiam in pœnitentia,

§. XXIV. Quamuis vero ex hactenus dictis liqueat, clericos olim et ab officio remotos, et quandoque ſimul *eiectos;* laicos vero tantum *eiectos* ſeu excommunicatos, et receptum ambientes *cenſuræ pœnitentiali* ſubiectos fuiſſe; obſeruauit tamen MORINVS *de adminiſtrat. pœnit. lib. IV. c. 3.* pedetentim eo deuentum fuiſſe, vt propter quæ peccata laici eiiciebantur, et pœnitentiæ ſubdebantur, propter eadem clerici deponerentur. Id illuſtrat ex BASILIO aiente: *Epiſcopus vel presbyter vel diaconus fornicationis vel periurii vel furti conuictus deponatur, et non ſegregetur; dicit enim ſcriptura, non vindicabis bis in id ipſum, ſimiliter reliqui quoque clerici.* Rationem inter alia quoque hanc addit, quod laici eiecti rurſus in eum, ex quo exciderant, locum recipiantur, non autem clerici depoſiti reſtituantur. *Tanquam ergo,* ait, *ei non reddendo diaconatu in ea ſola punitione ſteterunt.* Acceſſit poſt

laici magis excommunicati, clerici vero depoſiti,

et pedetentim ſuſpenſi,

post trium seculorum priorum lapsum *depositioni* clericorum *suspensio ab officio*, quæ ἀφορισμὸς *segregatio* quoque dicta est, quatenus *depositioni* opponitur, quod indicant *canones apostolorum* hoc tempore collecti. Etenim *c. 5. de clerico* cauetur: *Si eiecerit praetextu religionis vxorem*, SEGREGETVR, *et si perseueret*, DEPONATVR; quemadmodum etiam in *c. 57. et 58.* hæc duo opponuntur. v. HARDVINVS *tom. I. concil. p. 11. et 23.* Vlterius postquam *pœnitentia* quoque instar *pœnæ* esse cœpit, inde factum, vt quandoque laici ob *minora* delicta ab *excommunicatione* quidem immunes redditi, inter *pœnitentes* tamen, qui iam gradum *primum secundum*que sustinuerant, constituti fuerint, qui etiam adhuc segregati erant a *fidelibus*, prout accipienda esse existimo, quæ MORINVS *cit. l.* adfert, et post eum SVICERVS *in thes.* voce ἀφορίζω.

laici quandoque non eiecti, sed inter pœnitentes collocati.

§. XXV. Qua de causa antiquæ *censuræ* vel *pœnæ* huc reduci possunt. PRIMA eius species erat *excommunicatio*, seu priuatio communionis totalis: SECVNDA, *depositio clericis* infligenda, quo ipso *laicam* accipere dicebantur *communionem*. *Communio laica erat*, vt verbis ALBASPINAEI *lib. I. de veter. eccles. ritib. obs. 4. n. 5.* vtar, *esse in ecclesia et de ecclesia tanquam laicum, ita vt qui ecclesiasticus laicæ communioni deputabatur, gradu suo perpetuo excideret, et ex clerico fieret laicus.* Neque enim tunc cognitum erat anathema Tridentinum, iis dictum, qui docent, clericum ordinatum, maxime presbyterum, laicum rursus fieri posse. TERTIA *segregatio*, vel *suspensio ab officio*, erat, quorsum meo iudicio commode referri potest censura *peregrinæ communionis*, latinis dicta. Cautum quippe erat, ne clerici sine *litteris formatis* peregre abirent. Si absque his aduenirent, forsan quod eis excidissent, non quidem *excommunicatis* accensebantur, sed nec ad ecclesiæ communionem admittebantur, quod de eorum statu nondum constaret, *(v. can. Apost. 32.)* donec tandem ecclesia, ad quam venerant, aliunde de illis satis informata esset. In effectu ergo *suspendebatur* interim *communio* cum eis, vt *clericis*, vnde postea genus *pœnæ* ortum traxit, vt clerici delinquentes *communionem peregrinam* acciperent, h. e. ad aliquod tempus suspenderentur ab officio ecclesiastico, donec ad frugem rediissent. Hi itaque restituebantur, non item *depositi.* Conf. ALBASPINAEVS *cit. l. obs. 3.* QVARTA est *pœnitentia*, et quia status *electorum*, sed per *pœnitentiam* ad ecclesiam redeuntium ita comparatus erat, vt nondum *perfecte* communioni essent restituti, inde genus *pœnæ* et *censuræ* paulisper enatum est, vt quosdam delin-

Vnde obtinuit, 1) excommunicatio, 2) depositio, 3) suspensio, 4) pœnitentia

quentes non excommunicarent *expresse*, sed tamen eosdem *ad tempus* inter pœnitentes in certo gradu collocarent, vt cum his tantum communicarent, adeoque hæc pœna dici posset, *communio pœnitentium*.

Omnis pœna in priuatione communionis varia ratione quæsita fuit.

§. XXVI. Omnis itaque pœna et censura in *priuatione communionis* consistebat, et quidem α) *excommunicatio* in priuatione *totali* communionis ecclesiasticæ, qua desinebat esse *membrum* ecclesiæ *externum*, non tamen internam vnionem cum Deo amittebat, si inique eiectus esset: β) *communio laica* in priuatione *communionis clericalis*, qua desinebat esse membrum inter clericos, et laicus fiebat: γ) *communio peregrina* in priuatione officii sacri ad tempus, quia *suspendebatur communio* cum clerico, qua tali, vt tamen non fieret laicus: δ) *communio pœnitentialis*, qua quodammodo desinebat esse membrum ecclesiæ, et ad tempus *communio plena* cum fidelibus suspendebatur, et leuius delinquens in quendam gradum pœnitentium detrudebatur. ε) *Denegatio simplex communionis*, quam *abstentionem* dicebant, quam episcopi inter se exercebant, si cum aliis, a quibus discrepabant, communicare nolebant, quæ tamen non erat *perfecta* et *plena excommunicatio*, vt supra iam dixi. Denique ζ) *pœnitentia plena* et *legitima*, quam eiecti subire tenebantur, et quam diu in eo statu erant, nondum communioni perfecte restituti erant, adeoque eorum *communio imperfecta* erat. MORINVS *cit. l. lib. IV. c. 15.* Alias *pœnas* et *censuras* ignorauit ecclesia prisca per aliquot secula, donec corruptior eiusdem status, postquam ad *dominatum* et *πολιτείαν* omnia composita fuere, plures nouas ex *statu* ciuili receperit, et inde subtilia quædam discrimina inter *pœnas* et *censuras* excogitauerit. Diuersis autem appellationibus hæ censuræ distinguebantur, tum a *Græcis* tum a *latinis*, quod ad varias difficultates ansam præbuit, vti vel, quæ MORINVS *cit. l.* adfert, abunde testantur.

Membrum II. de iure ecclesiæ has censuras exercendi,

§. XXVII. Tradidi censurarum varias species pedetentim receptas, imo paulisper tractu temporis immutatas: consequens est, vt addam, *quo iure ecclesia has exercere potuerit?* cum ex multis argumentis constet, ecclesiam priscam non fuisse *rempublicam*, *imperio externo* et *iurisdictione* propria a CHRISTO haud instructam, nec ab episcopis primæuis per schemata politica gubernatam, quamuis hoc interpretes antea allati vno ore supponant et pro vero assumant. Atque in hoc consistit *membrum secundum*, quod explicandum suscipio. Videlicet ecclesiarum quarumcunque primitiuarum structura et ratio ostendit, eas cohæsisse ad instar *corporum æqualium*, in quibus *imperii* et *iu-*

ecclesia primitiua non fuit respublica.

et *iurisdictionis* exercitium concipi nequit. Id ab aliis iam ſatis probatum eſt euictumque, inprimis Dn. PFAFFIO *in orig. iur. eccleſ.* et PVFFENDORFFIO *de habitu relig. ad vitam ciuilem*, et a me *tom. I. tit. de maior. et obedientia.* Quæ pro aſſerenda *hierarchia* ab eccleſiæ Romanæ doctoribus, vt HALLIERIO, M. A. de DOMINIS, PETRO de MARCA, BOZIO, BELLARMINO aliisque in medium adferuntur, non examinabo, cum inter Proteſtantes pleroſque conclamatum ſit, illa eſſe ἀσύςατα, et ab intentione Saluatoris et praxi Apoſtolorum aliena. Hoc vero poſito, ius *puniendi* delinquentes quoque ceſſare debuit, quod etiam agnoſcit Dn. PFAFFIVS *de orig. iur. eccleſ. p. 38.* aiens: *Ordo hic et hac directio in eccleſia iſta primitiua ſine vlla dirigentium ſupereminentia magiſtrali, ſine vllo Dominio*, SINE ETIAM POENIS, (*Spirituales illas miraculoſasque, quas Apoſtoli facultate extraordinaria præditi malis infligebant, excipimus*) *omnique tyrannide procul habita exercita fuit.* De exceptione adducta, *p. ſeq.* ita ediſſerit: *Apoſtoli quippe pœnis miraculoſis poteſtate hac a Domino inſtructi peccatores affligebant, dirisque ipſos et ſatanæ, anathemate ſubinde adiecto, deuouebant. Nec velim*, addit *p. 66. aias, hinc pateſcere et eluceſcere, Apoſtolos autoritate ciuili quadam a Chriſto ad regendam eccleſiam donatos fuiſſe, a minori ad maius valere conſequentiam. Iam enim ab extraordinariis χαρίσμασι et punitionibus miraculoſis et θεηλάτοις ad ordinariam facultatem, quæ et iis adſcribitur, qui miracula patrare haud valent, conſequentia non valet.* Hoc ipſo reprobat eorum doctrinam, qui *traditionem ſatanæ*, a PAVLO exercitam, *ordinariæ poteſtati epiſcoporum* adſcribunt, vt *pœnam quandam ſpiritualem* eccleſiæ proprio iure attribuere poſſint.

Ergo iure imperii punire non potuit.

§. XXVIII. Duo vero omnino ſunt fundamenta, quibus tum *ius*, tum *vſum* primitiuæ eccleſiæ legitimare, præterea vero diſcrimen inter hodiernam eccleſiæ Romanæ doctrinam et antiquam ſinceritatem oſtendere poſſum. Primum *ex ſtatu peculiari primitiuæ eccleſiæ petendum:* alterum ex ratione et natura *collegiorum* atque *conſociationis* hauriendum. Quod ad primum attinet, etſi eccleſiæ, vt ſodalitia alia æqualia, eſſent *in* et *ſub republica*, et ſic præſidio eius merito frui debuiſſent; hoc tamen infideles magiſtratus et imperatores eccleſiis non tantum denegarunt, ſed etiam eas et ſacra in iis peracta diriſſimis vexarunt perſecutionibus, publicisque edictis exterminare anniſi ſunt; quo ipſo factum, vt ex odio gentiles eccleſias prorſus reprobarent, vt *collegia illicita* damnarent, et *pacis* tempore etiam, quod quandoque diuino bene-

Duo fundamenta iuris puniendi, 1) ex ſtatu peculiari primitiuæ eccleſiæ,

beneficio iis datum est, indignas eas iudicarent, quarum curam haberent, quarumque res saluas atque incolumes cuperent. Hoc modo Christiani eorumque sodalitia reipublicæ præsidio omni destituta, diuina principaliter gubernata sunt prouidentia, et *intrinseco* quodam *regimine*, quod, ex *necessitate communi et æquali*, sibi communi consensu constituerunt, gubernata. Hoc modo Christiani, omni reipublicæ tutamine destituti, res suas sibi habere, et a semet ipsis omne præsidium, auxilium, et remedium quærere coacti fuere, et sic non potuere non *iure collegii*, quo ad minimum *inter se* gaudebant, *per pacta* determinare, quæ in rem suam facere videbantur, quæque ordinem, pacem, et tranquillitatem conseruabant. Hoc modo *ex accidente* Christianorum corpora libera erant ab *omni imperio ciuili*: si a Deo discesseris, a semetipsis dependebant: rationibus reddendis nemini obnoxia quoad regimen, ab illis collegiis tantum exactis, quæ *publica* munita erant *approbatione*: propriis sustentabantur legibus et pactis, legibus reipublicæ *ex accidente* soluta, quod intuitu eius *personam moralem* haud sustinerent, vt ostendi *tom. I. iur. eccles. ad tit. de maior. et obed. §. 22. seq.* et *diss. XII. iur. eccles. antiq. ad Plinium secundum et Tertullianum.* Suis porro constabant *iudiciis*, mutua confœderatione firmatis, *in quibus magno cum pondere, vt in conspectu Dei, iudicabatur*, vt ait TERTVLLIANVS *in apolog. c. 39.*: eas inter se *pœnas* constituebant, quas *natura collegii* permittebat, sine vlla prouocatione ad tribunalia reipublicæ: soli visitationi et inspectioni suorum Præpositorum suberant, et vt binis dicam verbis, a republica in *regimine interno* vel ideo non dependebant, quod ab ea essent derelicta, oppressa, conculcata, fugata et inter *non entia moralia* relata, destituta scilicet *approbatione ciuili*, qua omnia collegia et corpora ex legibus Romanis indigebant per *l. 1. 2. 3. D. de colleg. et corpor.*

quæ omni præsidio reipublicæ destituta fuit, sibi relicta,

§. XXIX. Hic *status* vero *ecclesiis*, quatenus vt *collegia* et *corpora* externa considerantur, *per se* non erat proprius, sed *ex accidente* iis obueniebat. Quia ecclesiæ seu fideles, *in vno cœtu* considerati, in et sub republica viuebant, exemtionem ab omni *subiectione ciuili*, vtpote cui omnia *corpora*, qua talia, suberant, sibi asserere nec poterant nec debebant. Hoc quidem certum expeditumque est, ex ratione *finis* et natura, omnibus collegiis communi, permissum iis fuisse, quæ ad *finem* propositum spectabant, determinare et *ordinem* talem seruare, quem res Christianæ spectabant. Quandoquidem generatim hoc permissum erat collegiis quibuscunque probatis, iuxta *l. 4. pr. de colleg.* vbi CAIVS ita:

qui status ex accidente iis accessit,

ita: *sodales sunt, qui eiusdem collegii sunt, quam græci ἑταιρίαν vocant. His autem potestatem facit lex, pactionem, quam velint, sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant.* Neque vllo *imperio* aut *potestate ciuili* ad eius directionem fuisset opus, si omnia et singula membra in veræ pietatis tramite ambulassent, et Spiritus sancti regimini vnice sese commisissent, quia sic demum *coactio* omnis quieuisset, remedia ciuilia locum haud inuenissent, et *iudiciorum* vigor omni applicatione destitutus fuisset. Inanis est legum terror, vbi omnia *spontaneo spiritu* fiunt: arma ciuilia facessunt, quando turbatores pacis et euersores boni ordinis desunt, his ipsis demum compescendi; denique si lites, iurgia grauiora et seditiones deficiunt, vel facili opera sedari possunt, *iudicia coactiua* ab his collegiis abesse possunt. Vno verbo: regiminis ciuilis ratio ad ecclesias ita comparatas, instructas, et effigiatas sese non extendit, quia *legum terror, arma ciuilia, pœnæ,* et *iudicia coactiua ex imperio supremo* rebuspublicis propria sunt, inordinatis, inquietis et malis tantum obiicienda.

regimen tamen quoddam desiderauit,

§. XXX. Enimuero vbi tales *ecclesiæ externæ* in hoc imperfecto rerum statu deprehensæ fuerint, vt verum fatear, ignoro. Equidem egregia et excellens fuit plerorumque primorum Christianorum virtus; sed Zizania in optimo etiam agro hinc inde prorupit: admiranda infinitorum fidelium fuit pietas et solida in Christum fides; sed etiam *hypocrises* et *schismatum semina* sub ipsis Apostolorum temporibus paulatim sparsa sunt, vt non defuerint *hostes* ecclesiarum *interni*: humilitatis studium insigne plerisque propositum, et a plerisque etiam excultum fuit; quis vero ignorat φιλοπρωτεύοντας, imperium quoddam in ecclesiis affectantes et turbas dantes? *III. epist. Ioh. vers. 9. epist. Iud. v. 12.* Seculi secundi mores iam declinarunt, et seculo III. pleraque adeo in peius ruere cœperunt, vt seditiones, factiones internæ, et turbæ hinc inde, maxime Romæ et in Africanis cœtibus, auditæ, aliisque variis malis domesticis afflictæ fuerint ecclesiæ. Quis crederet, iam seculo II. fulcra *dominatus sacri* quodammodo iacta, et subsequente adeo corroborata fuisse, vt subito, omni exuta æqualitate, *episcopatus* in quendam *principatum* degenerauerint, viresque hic sequentibus temporibus sumserit? Præterea persecutiones multos in auersam ab ecclesia mentem traxerunt, vt infiniti *lapsorum* casus ostendunt, qui sedatis ecclesiæ rebus Christianis rursus annumerari malebant. Hic status ecclesiarum singularis desiderauit aliquam *disciplinam*, ne *hostes interni* eas destruerent, aut impii fidelibus mixti traducendi

ob varia mala, in ecclesiis erumpentia,

quæ disciplinam quandam desiderarunt,

ducendi Christianos occasionem gentilibus præberent, (ad quod admodum proni et procliues erant) quoscunque desperatæ atque deperditæ conditionis homines in cœtibus fidelium tolerari, foueri, recipi. Inde cogitandum de mediis purgandi ecclesias facinorosis hominibus, et calumnias gentilium, quas collegit KORTHOLT *in pagano obtrectatore*, ipso facto retundendi, quod pluribus illustraui *diss. 3. ad Plinium II. et Tertull.*, §. 2. *seqq.*

Membrum III.

§. XXXI. Quamuis vero plurimi ea ducantur opinatione, *disciplinam* hanc in sacris determinari, et præscribi, vt ex nonnullis locis, scilicet *Matth. XVIII, 15. Ioh. XX, 23.* aliisque colligunt; plurima tamen sunt, quæ hisce fundamentis apparentibus opponi queunt, a me *cit. l. §. 6. seqq.* adducta, quæ non repetam. Planius atque euidentius fundamentum, quod *ad membri tertii* illustrationem pertinet, adferunt hi, qui mores primæuos Christianorum tradiderunt, qui ad *confœderationem mutuam* tum ecclesiarum inter se, tum eorum, ex quibus cœtus constabant, prouocant, docentque, TERTVLLIANO in *apol. c. 2.* interprete, Christianos in tam *extraordinario statu* collocatos, de *disciplina confœderanda* in suis egisse cœtibus, seque, vbi per baptismum in cœtum fidelium recepti, sub *manu antistitis*, congregata tota ecclesia, obstrinxisse de delictis *sub iactura iuris fraternitatis* vitandis, teste EODEM ad *Scapul. c. l. de coron. c. 3. et 13.* Qua de causa de eo, qui eiiciendus erat ob lapsus grauiores, *iudicium quoddam* agebatur coram tota ecclesia, præsidente *episcopo* cum *presbyteris*, vt rursus TERTVLLIANVS *in apol. c. 39.* docet. Plenius vero hanc praxin tum *Romanæ* tum *Africanarum* ecclesiarum enarrat atque probat CYPRIANVS. Aequum enim erat, vt, quoties de membro abscindendo, *ex præcedente peccato*, agebatur, omnes quoque consentirent, qui eum in *fraternitatis iura* admiserant. Hoc intuitu vero hæc *pœna* erat *conuentionalis* et *pactitia*, non vero, vt in republica, virtute *iurisdictionis* et *imperii sacri* infligebatur, a qua potestate adhuc plerique episcopi alieni erant, quamuis seculo III. quidam *principatum* quendam et *magistratum* iam affectarent. Prouocat quoque ad hanc *confœderatam disciplinam* passim pl reuerend. Dn. PFAFFIVS *in orig. iur. eccles.* ostenditque, libertati hoc ecclesiarum datum fuisse, vt *certum ordinem regiminis* inter se introducere potuerint.

introductam per confœderationem continens.

Inde pœna conuentionalis nata.

Præterea 2) ex natura collegiorum hæc pœna fluxit,

§. XXXII. Præter *confœderationem ecclesiarum*, status quoque ecclesiarum, quatenus *collegii iura* exercere poterant, idem ius iis indul-

dulgebat, vt excludere et a cœtu ſuo ſeparare eos poſſent, qui contra datam in baptiſmo fidem delictis et lapſibus grauioribus ſeſe maculauerant. In hoc alterum fundamentum iuris *excludendi* a cœtu fidelium delinquentes colloco, id quod ſicuti cuiuis collegio, qua tali, concedendum eſt; ita rurſus inde liquet, potuiſſe eccleſias primæuas hoc ius ſine vlla *iurisdictione* aut *imperio ſacro*, quod ab iis admodum alienum fuit, exercere, vniuerſis, qui in eo cœtu erant, membris ad hunc *excludendi* actum concurrentibus. Quamuis vero ab vna *particulari eccleſia* eiectus, in aliis haud receptus, donec ab eccleſia eiiciente in integrum reſtitutus fuerit, quod exemplum MARCIONIS docet, teſte IRENAEO *lib. I. adu. hareſ. c. 3.* id tamen ex *intima vnione omnium eccleſiarum inter ſe* profectum eſt, quæ non permittebat, vt factum vnius eccleſiæ ab aliis improbari potuerit. Id vero omnino factum fuiſſet, ſi reliquis eccleſiis ab aliis eiectos in ſuam fraternitatem recipere licuiſſet, quod ita alterius eccleſiæ iudicium *iniquitatis* accuſaſſent, prout presbyteri Romani, nulla adhuc ambitione *imperii* cuiusdam ducti, egregie agnouere in MARCIONIS exemplo, teſte IRENAEO *cit. l.*

citra conceptum imperii.

§. XXXIII. Fundamenti huius veritatem placet illuſtrare verbis DVPINII *de diſcip. eccleſ. diſſ. 3. in præloq.* vbi ita infit: *Nulla eſt hominum ſocietas, cui ius non ſit et poteſtas eorum expellendorum, qui leges ſocietatis infringunt, vel eius bono aduerſentur. Quemadmodum enim in corpore humano membra putrida ſunt reſecanda, ne totum corpus inficiant, aut ſicut in gregibus morbidæ oues a ſanis ſecernenda ſunt, ne per totum ouile morbus graſſetur; ita etiam in hominum ſocietatibus neceſſe eſt, eos, qui ſocietati peſſimis factis vel exemplis obſunt, expelli, tum ne ſocietatem perturbent, tum ne cæteri in eandem trahantur peruerſitatem. Id vero ſi qua in ſocietate neceſſarium, maxime in eccleſia. cuius finis eſt, rectam fidem et bonos mores in hominum animis conſeruare, vt beatitudinem æternam conſequi poſſint. Nam ſi non poſſet eccleſia homines praua facientes aut docentes a ſua ſocietate remouere, breui tempore quamplurimi eorum exemplo in eandem traherentur impietatem. Corrumpunt enim bonos mores tum colloquia, tum exempla praua. Non eſt ergo denegandum eccleſiæ illud ius, quod omnibus ſocietatibus competit, vt poſſit homines ſocietate ſua indignos, quantum in ſe eſt, ab ea remouere.* Ita vero recte omnino ſentit, ſi modo per eccleſiam haud intelligeret *epiſcopos*, *presbyteroſque*, neque his fere vnice hanc *eiiciendi poteſtatem* vindicaret, vt

Quod illuſtratur teſtimonio Dupinii,

cum epiceriſi quadam.

cx

ex iis, quæ *c. l.* tradit, liquet. Recurrit enim (1) ad *ius clauium*, et eiectionem hanc *vi illius* fieri, et olim factam fuisse censet. Enimvero constat, in ecclesia Romana sub hoc iure quæri *iurisdictionem* et *imperium* quoddam *sacrum*, virtute cuius omnes eiusmodi actus expediuntur, et ecclesia redigitur in *rempublicam* proprie dictam, cui præsunt *sacerdotes* cum *imperio*, quod minime ferendum. (2) Quamvis non neget, *claues* ecclesiæ vniuersitati datas fuisse, et in vniuersa residere ecclesia, *quo nomine*, ait, *in sacris literis non sacerdotes soli, sed vniuersus fidelium cœtus intelligitur;* mox tamen vela retrahere videtur additque, omnes fideles ad exercitium huius iuris non concurrere, *sed solis sacerdotibus hoc esse reseruatum: vnde etiam*, pergit, *claues solis sacerdotibus datæ recte dici possunt.* Et tamen (3) concedit, primis ecclesiæ seculis non solos *episcopos*, sed etiam *presbyteros*, accedente etiam *laicorum consensu*, hoc ius exercuisse, ac PAVLVM autorem *vniuersæ Corinthiorum ecclesiæ* fuisse, vt incestuosum a se remouerent eiicerentque. Quæ si vera sunt (4) non clero soli *ius clauium* datum: aut asserendum, ex aliis fulcris, quam ex *iure clauium* ius hoc deriuatum fuisse, prout iam antea indicaui. Neque vero nunc me hic immittam in illos fluctus, qui circa *ius clauium* mouentur, qui tamen ita comparati sunt, vt ægre superari, vel ad minimum sedari ita possint, ne in castra ecclesiæ Romanæ, *iurisdictionem* quandam inde fabricantis, *pedetentim* transeamus. Tutius omnino est, adductis fundamentis insistere, quam incertum, ambiguum, et scopulis plenum loco eorum adoptare.

Ecclesiæ præterea iure collegii potuerunt remouere indignos clericos,

§. XXXIV. Sicuti vero ecclesiæ, quatenus *cœtum* denotant, ius eiiciendi delinquentes recte exercuere, sine *iurisdictionis* aut *imperii* cuiusdam prætextu; ita pariter *ius remouendi* presbyteros aliasque ecclesiasticas personas denegari non potuit, in quo etiam genus quoddam *pœnæ* constituitur. Rursus id cuiuis *collegio*, maxime tali, cuius respublica, in qua deprehenditur, nullam rationem habet, datum censeri debet, vt a se constitutos præfectos iustis de causis remouere queat, vt tamen nihilominus remoti *membra societatis* maneant.

citra imperii conceptum.

Inde vero nulla colligenda *iurisdictio* aut *imperium*, et sic in tali remotione nulla proprie dicta *pœna* quærenda est. Quin potius sicuti cœtui ius *eligendi* præfectos datum est, ita eidem denegari nequit ius indignos *remouendi*, quod in *officio* suo et *administratione* a cœtu et corpore dependeant, eique rationes de illa reddere teneantur. Quod quandoque in *statu ciuili* collegiis quibusdam tale *ius remouendi ab officio*

officio ademtum, vel admodum restrictum sit, id ob varios abusus; qui circa illud ante hac obseruati, quandoque etiam inde factum est, vt præcaueretur, ne in tali corpore quidam *magistratum* quendam aut *dominatum*, reipublicæ admodum noxium, affectarent.

§. XXXV. Atque hoc ius quoque primo seculo, quo fides Christiana incorruptior stetit, *ecclesiæ* qua tali tributum legimus in elegantissimo antiquitatis monumento, h. e. in CLEMENTIS *epistola ad Corinthios*, quam nomine ecclesiæ Romanæ scripsit, apud COTELERIVM *in collect. patrum, qui tempor. Apost. flor. p. 143 seqq.* Videlicet in *ecclesia Corinthiaca* inter ipsos fideles seu membra eiusdem orta erant grauissima dissidia, tam late tandem disseminata, vt presbyteros quosdam officio priuassent, innocentes quamuis, et nullo reatu infectos. Ad hæc dissidia interna sedanda, Romana ecclesia ablegauit quosdam ex suo gremio, iisque in mandatis dedit, vt dissidentes in concordiam reducerent, inique officio presbyterali spoliatos defenderent, idque adhortationibus suasionibusque agerent, vt restituerentur in integrum. Eleganter vero CLEMENS per totam epistolam ostendit, *ecclesiæ* qua tali ius hoc omnino competere; sed tamen inique et cum iniuria innocentis cleri haud exercendum esse. Dabo hic potiora loca, vt veritas rei omnium in oculos incurrat. In §. 44. de constitutione episcoporum presbyterorumque loquitur, hæc subiungens: *constitutos itaque ab illis* (Apostolis) *vel deinceps ab aliis viris eximiis, consentiente atque comprobante* VNIVERSA ECCLESIA; *qui inculpate ouili Christi ministrauerunt, cum humilitate, quiete nec illiberaliter; quique longo tempore ab omnibus testimonium præclarum reportarunt, hos putamus officio iniuste deiici. Neque enim leue erit nostrum peccatum, si eos, qui citra querelam et sancte offerunt dona, episcopatu priuauerimus. - - Videmus enim, quod vos nonnullos pie viuentes ex administratione, quam inculpate et honorifice exsequebantur, transduxistis.* Contra *presbyteros* autem hanc motam fuisse seditionem §. 47. declarat: *turpia sunt, dilecti, ac valde turpia et Christiana conseruatione indigna, audiri, firmissimam et antiquam Corinthiorum ecclesiam propter vnum aut alterum hominem contra presbyteros seditionem mouere.* Denique §. 54. euidentius ius *ecclesiæ* seu *totius cœtus* agnoscit his verbis: *Quis igitur inter vos generosus? qui misericors? qui caritatis plenus? dicat: si propter me seditio et discordia et schismata: discedo, abeo, quocunque volueritis, et facio QVAE a PLEBE MAN-*

Quod ex praxi primitiuæ ecclesiæ illustratur,

et imprimis ex Clementis epistola.

DANTVR, *solum ouile Christi in pace degat cum constitutis presbyteris.*

Vltra has pœnas primitius ecclesia non progrediebatur,

§. XXXVI. His censuris vel pœnis primitus tantum ecclesia vsa est, et quidem, non iure *imperii*, sed tum ex *mutua* quadam *consociatione*, tum etiam ex ratione ipsius *collegii*, prout demonstraui. Vltra non progrediebatur, quia *ius proprie dictum puniendi* non habebat, quemadmodum etiam in earum executione totus cœtus concurrere debebat, ne *magistratus* quidam in *ecclesiis* nasceretur. Equidem CYPRIANVS has pœnas iam vocat *censuras sacerdotales*, vt supra allata loca euincunt; enimuero *a potiori* ita dictæ fuere, quod *episcoporum auctoritas* in iis infligendis eo tempore iam magnum pondus haberet, plebe licet a *cognitione* nondum exclusa; quid? quod eo tempore iam episcopatus hinc inde in quendam *magistratum* degenerauerit, cuius vestigia ipse CYPRIANVS passim edit. Vnde hoc sensu sine dubio quoque accipiendi sunt, qui *excommunicationem* proprie sic dictam *pœnam* esse negant. Adferam hac de re sententiam B. BVDDEI in *theol. morali P. III. c. 3. §. 63.* ita edisserentis: *quod ad excommunicationem attinet, supponendum, eam, in SE SPECTATAM, neutiquam esse pœnam proprie sic dictam; cuius infligendæ potestas soli* MAGISTRATVI *competit, sed tantum declarationem, ab ecclesia vel nomine ecclesiæ factam, aliquem, qui emendationem omnem respuit, nec a peccatis suis vult desistere, non posse haberi pro vero et viuo ecclesiæ membro, donec resipiscat. Vnde et patet, excommunicationem* PER SE *neutiquam infamiam ciuilem secum trahere.* Id vero eo admitti potest sensu, quo cuilibet collegio datum censeri debet, vt possit putridum membrum a se remouere, saluo tamen recursu ad *magistratum* in republica, si *iniuriam* sibi factam fuisse quæratur exclusus. Tunc enim hic de *iniuria* tantum iudicat, *ius* autem *excludendi* collegio in dubium non vocat. Conf. *c. 7. X. de iniur. et damno dato.* Satis notanter vero Theologus magni nominis de *excommunicatione in se spectata* hoc prædicat, sine dubio ei opponens *excommunicationem in exercitio hodierno consideratam*, quod per secula pleraque habuit. Non diu in tali *simplicitate* stetit excommunicatio: in *pœnam* mox degenerauit *proprie dictam*, vt infra ostendendum erit. Vtrum vero in *ecclesiis protestantium* ab omnibus corruptionum sordibus ita purgata, et in *pristinam* restituta fuerit *simplicitatem*, vt excommunicationem sine *infamia* hodie concipere queamus, infra inquirendum est. Admittamus ergo secundum hactenus dicta, *excommunicationem*

et ita excommunicatio in se spectata proprie dicta pœna haud erat.

nem

nem in se spectatam a pœnarum proprie dictarum classe separandam esse, et eatenus duntaxat hoc nomine venire, quatenus *ius excludendi* corporibus attribui potest, quæ *exclusio* eiectum grauat atque molesta est.

§. XXXVII. Hoc ipso vero simul explicaui *membrum tertium*, quo ostendendum erat, *pœnam* priscam *conuentionalem* in *excommunicatione* laicorum, et *depositione* clericorum constitisse. Seculo IV. iam alias *pœnas* offendimus, eas videlicet, quas §. 25. *seqq.* recensui; sed eo tempore iam *prisca humilitas* consenuerat, *imperio* in ecclesiam introducto, episcopisque *magistratus* imo *principum ecclesiasticorum* potestatem affectantibus, vnde *pœnæ ecclesiasticæ* proprie dictæ natæ sunt. Id vero nunc quidem vlterius haud persequar, sed, quod in hoc *membro tertio* primarium momentum esse videtur, duntaxat euincam, *pœnitentiam*, si natales eius, et vsum primæuum sinceriorem respexeris, *pœnis conuentionalibus* annumeratam haud fuisse: *depositionem* vero et *excommunicationem* non ita fuisse distinctas, vt hæc tantum fuerit *temporaria censura*, *contumaciam* castigandi, hominesque reprobos ad pœnitentiam deducendi; illa vero *pœna delicti commissi* perpetua, vt somniarunt scholastici. Etenim iam obseruaui *in not. ad* FLEVRII *instit. iur. eccles. P. 3. c. 19. §. 5. lit. x.* inuersam plane esse rerum faciem, et hodiernam ecclesiæ Romanæ doctrinam a veteri praxi abludere. Primis ecclesiæ purioris temporibus *eiectio* seu *relegatio ab omni sacro commercio*, erat modus purgandi ecclesiam a facinorosis hominibus, et qui exclusus erat, desinebat esse membrum ecclesiæ *in perpetuum*, nisi gratia ipsi facta fuisset ab eodem cœtu, vnde eiectus erat. Pari ratione *depositio* erat *priuatio officii ecclesiastici perpetua;* nisi gratia ipsi facta, isque restitutus in integrum fuisset. In vtraque specie *pœnæ* cuiusdam *pactitiæ* ratio occurrebat, et quidem ex vna eademque causa; *depositus* enim indignus officio sacro: *excommunicatus* vero indignus communione ecclesiastica iudicabatur. Vtraque *priuatio* non ea fiebat intentione, vt restitueretur indignus suo tempore; sed primis Christianismi natalibus *depositus* non aliter quam per *gratiam* ad amissum redibat officium, et *eiectus* quoque eo modo iterum recipiebatur per viam *gratiæ*. Erroneum ergo est, excommunicationem ideo inflictam fuisse delinquentibus, vt *pœnitentiæ publicæ* tanquam *pœnæ* sese subiicerent; cum potius *pœnitentia* fuerit *medium spontaneum*, ab eiectis electum, sine quo in gratiam redire cum ecclesia non poterant. Per hanc erroneam hypothesin

Nec pœnitentia olim pœna proprie dicta fuit.

Olim præterea excommunicatio erat perpetua.

Nisi gratia delinquentibus facta fuisset.

Nec fiebat in hunc finem, vt pœnitentiæ se subiiceret eiectus,

thesin factum est, vt *pœnitentia* rationem pœnæ induerit, excommunicatio autem a classe *pœnarum* apparenter exclusa fuerit.

Cum electi nequidem indistincte reciperentur.

§. XXXVIII. Etenim palam est, ne quidem eiectos *indistincte* fuisse receptos, si vel maxime lacrymis et eiulatibus *gratiam* ecclesiæ ambirent. Aeuo TERTVLLIANI *idololatris* et *homicidis* pax *in perpetuum* negabatur, et ita excommunicatio effectum habebat perpetuum. Ait enim *de pudicit. c.12. in f. hinc est quod neque idololatriæ, neque sanguini pax ab ecclesia redditur.* De *mœchis* et *adulteris* eiectis idem constituendum esse contendebant Montanistæ, quod defendit acriter TERTVLLIANVS *cit. tr.* contra Romanæ ecclesiæ placita, quæ adulteros, pœnitentia peracta, recipiebat. In *Africanis ecclesiis* ante CYPRIANI tempora eandem obtinuisse praxin, docet prælaudatus Præsul Carthaginensis *ep 55. p. 110. edit. Brem. et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istis, in prouincia nostra dandam pacem mœchis non putauerunt, et in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt.* Rursus ergo eo tempore exclusio eorum erat perpetua sine *spe veniæ*, æque vt *depositio clericorum.* MARCIONIS exemplum hoc docet; *quamuis enim diu multumque patri* (episcopo) *supplicasset, ac pœnitentiam* POSTVLASSET, *hanc tamen ab eo precibus nullis obtinuit*, vt ait EPIPHANIVS *hæres. 42.* Rationem huius disciplinæ seuerioris hanc suppeditat INNOCENTIVS I. *epist. 3. ad Exuperium c. 2. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non reuocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia*, qua cum Deo poterant redire in gratiam, quæ ad *communionem externam* haud erat adstricta. Nonnullæ ecclesiæ quidem lapsos *prima vice*, peracta pœnitentia, recipiebant; ab omni spe receptionis vero eos arcebant, qui bis ad eundem, vt testis est CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. III. strom. p. m. 282.* Erat itaque disciplina hæc *arbitraria*, nec ecclesiæ mitiores his, quæ seueriores erant, quæstionem aut lites hac de re mouebant, quod indicat CYPRIANVS *epist. cit. 55. p. 110.* Postquam enim enarrauerat, antecessores suos *mœchis* pacem nunquam dedisse, hæc subiungit: *non tamen ab episcoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicæ ecclesiæ vnitatem, vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt; vt, quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de ecclesia separaretur.* Id tamen, meo iudicio, fieri debuisset, si eo tempore dogma ecclesiæ Romanæ hodiernum obtinuisset, excommunicationem tantum esse *medi-*

medium reducendi homines ad frugem et *resipiscentiam*, non item *pœnam perpetuam* et *proprie dictam.*

§. XXXIX. Vidisse et obseruasse has difficultates videtur FLEVRIVS *in inst. iur. eccles. P. III. c. 19.* §. 5. vbi antiquam et recentiorem doctrinam hoc modo in concordiam reducere tentat. Ait: *Sunt et aliæ pœnæ canonicæ, quæ ad priuationem bonorum spiritualium temporariam diriguntur, vt reus ad frugem redire instigetur, scilicet suspensio, interdictum, excommunicatio: quas* CENSVRAS, *quam* POENAS *appellare malim. Nam licet excommunicatio Christianum a societate fidelium excludat* IN PERPETVVM, *ecclesia tamen non intendit, vt perpetuo miser sit, sed vt resipiscat et peccati veniam petat. Aliud de clerico deposito, qui eo animo deponitur, vt per omnem vitam priuatus maneat ministerio, quo semet indignum reddidit. Nam si restituitur, id fit per dispensationem et ex gratia singulari.* Ita quidem rationes subducit ex principiis disciplinæ recentioris, qua *excommunicatio* potissimum contra *contumaces*, h. e. qui præceptis prælatorum morem gerere recusant, exercetur; vi veritatis adactus tamen negare non potuit, *excommunicationem* excludere delinquentem *in perpetuum* a communione, vt indignum putridumque membrum, licet *spem veniæ* hodie habeat, qua sæpe olim carebat, sicuti *depositus* non omnem *spem veniæ* amittit. Aeque difficulter olim restitutus fuit excommunicatus, ac depositus, si pœnitentiales labores gradusque sedula peruoluo mente. Denique olim nonnisi per *gratiam* ecclesiæ restituebatur *eiectus*, quæ etiam *depositum* in priorem locum, quem amiserat, reducebat. Sæpe enim eueniebat, vt eiecti, grauioribus criminibus irretiti, nonnisi magna cum difficultate *gratiam* ab ecclesia seu cœtu toto impetrarent, prout testatur CYPRIANVS *ep. 59. p. 137.* scribens: *O si posses, frater carissime, istic interesse nobiscum, cum praui isti et peruersi de schismate reuertuntur, videres, quis mihi labor sit, persuadere patientiam fratribus nostris, vt animi dolore sopito recipiendis malis, curandisque consentiant. Namque vt gaudent et lætantur, cum tolerabiles et minus culpabiles redeunt: ita contra fremunt et reluctantur, quoties inemendabiles et proterui, et vel adulteriis, vel sacrificiis contaminati, et posthæc adhuc insuper superbi, sic ad ecclesiam remeant, vt bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi persuadeo, imo extorqueo, vt tales patiantur admitti, et iustior factus est fraternitatis dolor ex eo, quod vnus atque alius, obnitente plebe et contradicente, mea tamen facilitate suscepti, peiores extiterunt, quam prius fuerant.*

Secundum quid id agnouit Fleurius.

Pœnitentia erat medium redeundi in gratiam cum ecclesia,

§. XL. Non aliter tamen eiecti recipiebantur, quam si *externis mœroribus* et præcedente *exomologesi* ostenderent, se ad frugem rediisse, quod plenius illustratum ex antiquitatibus *in diss. III. ad Plin. et Tertull. §. 13. seqq.* Hanc viam redeundi cum ecclesia læsa in gratiam, *pœnitentiam* vocarunt, quæ ab initio non per certos *gradus* et *tempora* erat determinata, sed iudicio ecclesiæ subiecta. Neque hæc eiectis per modum *pœnæ* imponebatur, verum hanc ipsimet *sponte* eligebant, vt medium, pristinum in ecclesia locum atque iura fraternitatis amissa recuperandi. Qui *hoc medium* respuebat, in perpetuum exclusus manebat; æquum enim erat, vt, qui suo facinore ecclesiam læserat, non aliter reciperetur, quam vti iniuriam illatam agnosceret, deprecaretur, atque argumenta idonea vitæ purioris inposterum agendæ ederet, quod ab initio sufficiebat. Inde quoque nemo *pœnitentiam* hanc subibat, quam *eiectus:* occulta delicta sicuti non operabantur excommunicationem, ita nec *pœnitentiam*: quid? quod nec *catechumeni*, nondum in iura fraternitatis suscepti, *pœnitentiæ* huic sese haud subderent, quod restitui non possent, quia nondum iura fraternitatis amiserant. Hæc vel binis verbis tantum tango, vt demonstrem, pœnitentiam non fuisse ab initio introductam, vt medium *puniendi* delicta. Enimuero postquam seculo III. tempora et gradus ei præscripti, et seuerius cum lapsis actum est, imo postquam quibuslibet delictis etiam *occultis* pœnitentiæ subeundæ iugum sub *iactura salutis æternæ* impositum, et tractu temporis dolores, cruciatus, et varia mala ei superaddita, pœnitentia et *esse* et *dici* cœpit *pœna*, prout etiam sub hoc conceptu in iure canonico traditur, adeo vt etiam *inuiti* et *reluctantes* his subiiciantur, vt iam tradendum est.

inuito non imposita sed sponte electa et suscepta.

Membrum IV. de immutatione huius disciplinæ ex statu ecclesiarum mutato,

§. XLI. Videlicet, quod *quartum membrum* dicendorum iuxta §. *XV.* constituit, post lapsum trium puriorum seculorum, facies *ecclesiarum* pristina, eaque adhuc sincerior, adeo immutata est, vt nouum prorsus statum induerint. Cum enim antea *societates æquales* fuerint, sine *imperio episcopali*, sine *iurisdictione ecclesiastica* a republica independente, quin potius disciplina recepta mutuo *cleri* et *plebis* consensu, prout in *societate æquali* necesse erat, perageretur; episcopi primarii postea *principatum* quendam in ecclesia ambierunt, et, plebe a deliberationibus ecclesiasticis exclusa, omnia *priuatiue* disposuerunt in ecclesiasticis, presbyteris duntaxat in consilium in caussis grauioribus adhibitis. Iacta iam sunt fundamenta *episcopalis imperii* seculo III. vt vel scripta CYPRIANI euincunt, seculo IV. magis corroborata,

et in rempublicam conuerso.

borata, et ſequentibus temporibus adeo aucta, vt ſtatus eccleſiæ in *politiam* degenerauerit, et pro articulo fidei habitum fuerit, *perfectisſimam rempublicam* in *eccleſia* dari. Cum vero hæc deſideret caput ſupremum, magiſtratus ſubalternos, leges, iudicia, pœnas, cetera, conditores huius *vaſtiſſimæ reipublicæ* operam dederunt, ne ei quid deeſſet, quod tandem etiam perfecerunt. Caput ſupremum *pontifex* eſt. Magiſtratus maiores, tanquam *proreges* quidam *eccleſiaſtici*, ſunt *epiſcopi*, in ſuis *territoriis eccleſiaſticis* ſeu *diœceſibus*, ſub quibus rurſus *minores* militant, vt hæc vaſtiſſima reſpublica optime cohærere videatur. Noui quidem Gallos ab hoc conceptu *reipublicæ* vaſtiſſimæ eſſe quodammodo alienos, *epiſcopale imperium* præferentes, ſingulisque epiſcopis in ſuis diœceſibus imperium ſacrum *proprio iure* attribuentes, nec pontifici Romano tam immenſam poteſtatem, quam Romana curia præoptat, indulgentes. Nihilominus tamen in conceptu *reipublicæ* ſubſiſtunt. Et tantum de forma regiminis diſputant. *Epiſcopale imperium* eis magis arridet, papæ duntaxat quadam prærogatiua relicta, adeoque in effectu *ſyſtema plurium rerum publicarum particularium*, in qua *pontifex* præeminet, condunt, atque ordinant. Id non ſatis (exemplo Dn. CYPRIANI in tract. vom Uhrſprung des Pabſtthums) animaduertunt, qui tantum *papatum* Romæ quærunt, qui potius in *imperio ſacro* et conceptu de *republica* in *eccleſia* quæri debebat, adeoque in *epiſcopatibus* quoque adeſt.

Indæ nouæ doctrinæ de pœnis eccleſiaſticis auditæ.

§. XLII. Hac ſtructura reipublicæ facta, nouæ prorſus auditæ ſunt doctrinæ: *excommunicationem* irrogari virtute *iurisdictionis eccleſiaſticæ:* eam præcipue eſſe remedium coërcendi *rebelles* ſeu *contumaces* in foro exteriori, vt *magiſtratui eccleſiaſtico* pareant, et iniuncta præſtent: vlterius eam non durare, quam contumacia durante: mox abſoluendum eiectum, ſi fidem de ſeruandis eccleſiæ præceptis dederit: nihilominus tamen delicta expianda et caſtiganda per *pœnitentiam*, quibus ſatisfit DEO et magiſtratui eccleſiaſtico læſo: ad eam, quæ iniuncta eſt, ſubeundam cenſuris opus eſſe, vt cogatur delinquens ad *ſatisfactionem:* hominibus peccata non remitti, niſi *pœnis ſpiritualibus* impoſitis; eas proinde neceſſario ſubeundas, niſi *indulgentiis* redemtæ fuerint, quæ *debitarum pœnarum relaxationes* dicuntur: non tamen ſufficere hæc *remedia coactiua:* pluribus opus eſſe, inprimis *interdicto* aliisque pœnis *politicis*, quibus affliguntur in republica ſeculari facinoroſi; depoſitionem ſuſpenſionemque clericorum pari modo autoritate *iudiciali* in foro exteriori exercendam: deni-

denique has omnes pœnas tantum infligi *subditis* proprie dictis, et sic *iudicem* punientem debere esse *competentem*.

V. membrum, quod pœnæ spirituales vocatæ fuerint.

§. XLIII. Sicuti vero imperantes *seculares* tantum *temporalia* gubernant, diriguntque; ita, quod ad declarandum *quintum membrum* pertinet, pontifex cum episcopis *spiritualia* h. e. *ecclesiastica*, dicitur dirigere cum imperio, *quæ tanto temporalibus sunt digniora, quanto anima præfertur corpori*, vt ait INNOCENTIVS III. *in c. 6. X. de maior. et obed.* Credendum fuit, *Deum duas instituisse dignitates, pontificalem autoritatem et regalem potestatem: sed illa*, ait pontifex *cit. l., quæ praeest spiritualibus, maior est: quæ vero carnalibus, minor, vt quanta est inter solem et lunam, tanta inter pontifices et reges differentia cognoscatur.* Hoc supposito, omnia *iura ecclesiastica*, qualiacunque fuerint, *spiritualia* dici cœperunt, quod ecclesia in sacris *spiritualis* diceretur, et ita quoque *qualitas* quædam *spiritualis* pœnis ecclesiasticis affingenda esset. Porro sicuti omnem potestatem et *imperium* sacrum in *iure clauium*, quod *spirituale* est, quæsiuerunt; ita quicquid inde emanat, etiam per remotissimam consequentiam, *spirituale* dicendum est. Et quidni pœnæ *spirituales* dici possent, cum *ius clauium* animæ saluandæ gratia episcopis sacerdotibusque concreditum sit, cuius exercitium non potest non ex mente Romanæ ecclesiæ *finem spiritualem*, non *temporalem* habere.

Quod ius clauium spirituale sit.

Ius hoc tamen id minime euincit.

§. XLIV. Enim vero id adhuc in quæstione est, vtrum *ius clauium* potestatem excommunicandi inferat, et an *imperium sacrum*, seu *iurisdictionem ecclesiasticam* inde eruere liceat? Respondet PAVLVS SARPIVS in tr. quem *consolatione della mente* inscribit, et de *iure principum contra excommunicationes papales* composuit: *questa scrittura tutto che dicono alcuni, che non s' adatti all' autorità di scommunica, non sia legame ma anzi taglio, e recisione d' un membro del corpo, ad ogni modo il sentimento piu sano delli autori catolici, l' interpreta alla facultà di scommunicare, e cosi l' vso dell' antica chiesa hà osseruata, quando appunto le dignità ecclesiastiche, non havevano altro patrimonio che l' honor di Dio & il più delle volte il martirio del Prelato, a questa opinione ci sotto scriviamo.* Verba hæc Gallus interpres ita vertenda esse censuit: *Il est vrai, que quelques uns pretendent, que ce passage ne doit pas s' entendre de l' excommunication, qui bien loin d' être un lien, est le retranchément d' un membre; cépendant les Auteurs Catholiques les plus sensez ont coutume de l' interpreter en faveur du Droit d' excommunier, et tel a été le sentiment de*

de l' ancienne Eglise, dans ces tems, où ceux, qui étoient elevez aux dignitez Ecclesiastiques, n' avoient pour patrimoine, que l' honneur de Dieu et, les plus souvent, que les tourmens du martyre, en ce sens nous y souscrivons volontiers. Vnicum ergo interpretationis vulgatæ fundamentum est *autoritas ecclesiæ*, et quidem *priscæ*, quamuis scriptores ecclesiasticos non indigitet. CYPRIANVS quidem in angustiis, in quas a schismaticis coniectus erat, prouocasse ad *ius clauium*, ex *epist. 39. et 75.* certum est; ast ante eum hæc doctrina vix audita, nec creditum fuit, ius *eiiciendi* improbos ex *clauibus* repetendum esse, adeoque ad minimum ad *æuum apostolicum* prouocare non potuit SARPIVS. Constat vero ex eruditorum obseruationibus, quam lubricum hoc fundamentum sit, et quam parum præsidii *vniuersus papatus* cum infinito et immenso eiusdem ambitu inde habeat. Verum huius locutionis intellectum plenius indagauit cancellarius Tubingensis meritissimus Dn. PFAFFIVS in *orig. iur. eccles. p. 13. seqq.* præ ceteris vero plurimum reuerend. Dn. D. LANGIVS in *histor. eccles. Sec. I. c. 4. m. 2. §. 10. p. 344.* ostenditque, ius *clauium*, *ligandi* et *soluendi*, non ad *disciplinam ecclesiasticam*, aut *ius puniendi*, vel *pro imperio in ecclesia agendi*, sed ad *officium docendi* pertinere, quorsum etiam *diss. 3. ad Plin. et Tertull. §. 7. seqq.* respexi.

Nec imperium aliquod designat.

§. XLV. Ceterum tale *fulcrum spirituale* erigendum fuit, quo grauius pondus autoritas ecclesiastica in *imperando*, *puniendo*, *mandando*, *constituendo* habere, et per illud animæ credulorum captiuari potuerint. Hunc in finem *effectus* plures *spirituales* censuris adscribuntur, de quibus plena manu agunt GIBALINVS *cit. tr. disq. VII.* et DICASTILLO *cit. l. disp. 2. sect. 4.* Hi potissimum in *priuatione omnis thesauri ecclesiastici* et inde manantium *spiritualium gratiarum* consistunt, quas in infinitum extendunt, vt huius priuatio eo maius malum imprimere possit. Excommunicatus enim dicitur esse extra ecclesiam, extra Deum, in potestate et sub tyrannide Dæmonis constitutus, cui tradi ipso facto per hanc censuram dicitur: in hoc vinculo decedens oblationibus ecclesiasticis priuatur, nec ecclesiastice sepelitur, adeoque ipsa priuatur vita æterna, quæ ex *iure clauium* est in manu ligantis. Ab omnibus præterea vitandus, adeo vt qui cum eo communicat, minori excommunicatione ligetur. *c. 39. X. de elect. etc.* *Interdictum* porro sacrorum exercitium sistit, quod tamen in salutem internam hominibus datum est, vt fructibus eius carere teneantur. Quæ enim infinita bona ex missa quotidiana seu *sacrificio putatiuo*

Prætextus varii, quod qualitas spiritualis his cohæreat pœnis.

tatiuo fluere dicantur, noto notius eſt, vt in his recenſendis ſcrinia aliorum compilare haud neceſſe ſit. Denique etiam ſuſpenſio *finem ſpiritualem* habere dicitur, vt contumax *ad frugem* redeat, pareatque eccleſiæ mandatis, quo facto, anima eius ab interitu vindicatur. Sed nec *ſpiritualitatis* conceptus reliquis pœnis, etiam mere *ſecularibus*, iuxta GIBALINVM eſt denegandus, quatenus hæ ab *eccleſia* infliguntur delinquentibus, absque quibus ſalua et incolumis eſſe nequit res eccleſiaſtica et imperium ſacrum, quod itidem *ſpirituale* eſſe creditur. Hoc enim ita *eccleſiæ* proprium et eſſentialiter eidem vnitum eſt, vt ſalus eiusdem, quæ *ſpiritualis* eſt, inde dependeat. Quicquid ergo facit ad *imperium ſacrum*, et *hierarchiam* eccleſiæ perficiendam, firmandam, augendam, ac conſeruandam, id *ſpirituale* omnino dicendum. Atqui pœnæ qualescunque eccleſiaſticæ id operantur. Ergo omnino *ſpirituales* dicendæ. Præterea cauſa eccleſiæ eſt *cauſa Dei* et *religionis;* quicquid autem pro cauſa Dei et religionis agitur, *ſpirituale*, non *mundanum*, *terrenum*, aut *temporale* eſſe poteſt etc.

Sunt vero hæ pœnæ eiusdem ſortis cum pœnis ſecularibus. In quibuscunque rebus Publicis.

§. XLVI. Oſtendi ſummatim momenta primaria, ex quibus primario *ſpiritualis qualitas* pœnis eccleſiaſticis attribui atque inde inferri ſolet, has pœnas plane diuerſum finem et effectum a ſecularibus, quæ in *republica ſeculari* exercentur, habere. Id vero inde manifeſtum eſt, omnem horum argumentorum vim fere vnice reſolui in decantatum illud *ius clauium*, in quo vniuerſum *imperium ſacrum*, *iurisdictionem* omnem *eccleſiaſticam*, et totam *hierarchiam* conſtituunt, quo fundamento deſtructo, omnis *ſpiritualis ratio* ceſſat et euaneſcit. Quamdiu in conceptu, quod *eccleſia* ſit *respublica* a Chriſto ipſo formata cum externo imperio, ſacerdotibus mandato, ſubſiſtitur, (quæ theſis ad *articulum fidei* in eccleſia Romana refertur) vix eſt, vt aliter rationes ſubduci poſſint. Interim tamen, quod

Membri VI. et VII. declaratio.

iam in *membris ſexto* et *ſeptimo*, ſupra §. XV. allegatis, explicandum eſt, facile etiam oſtendi poteſt, eccleſiam Romanam *pœnas* has *eccleſiaſticas* in ſua republica eodem tractare et exercere modo, vt exercentur in quibuscunque politiis, adeoque *pœnas* has idem præſtare, imo plus *coactionis* ex conceptu de *ſpirituali qualitate* in ſe continere, quam pœnas *ſeculares*. Plus vtique *terroris* incutiunt illis, qui fidem ſuam ſub traditionibus eccleſiæ Romanæ captiuare tenentur, quam *pœnæ ſeculares*, id quod *pœnarum finis* proprius eſt. Et ſicuti quælibet externa *coactio* neminem interne ſaluat, emendat, corrigit; ita et *pœnæ eccleſiaſticæ*, licet fucus de *ſpiritualibus effectibus* eisdem ſuper-

superadditus. Videlicet, quia *ecclesia*, *clerici*, *hierarchia*, seu *imperium ecclesiasticum*, et quæcunque alia instituta ecclesiastica ad *entia spiritualia*, ex decreto curiæ Romanæ et assectarum, relata sunt, et quidem hæc vel ideo, quia creditum fuit, hæc ad veræ *religionis* vsum, vigorem, conseruationem, imo etiam substantiam pertinere; inde consecutionem hanc deduxerunt, omnia media quoque debere dici *spiritualia*, quæ *effectum* hunc *spiritualem* h. e. religionis vigorem, operantur, ac propter *finem spiritualem* h. e. religionem, comparata sunt. Quod si ergo *religio Christiana* in *salute reipublicæ Christianæ*, in *sacerdotum potentia* et *clericorum dominatu* in laicos quoscunque collocanda est, omnia media, quæ *talem religionem* augent, ampliant, firmant, spiritualia dici debent, quod *religio* ipsa ad *entia spiritualia* præ ceteris reducenda sit.

Id quod probatur ex requisitis generalibus pœnarum.

§. XLVII. Duo vero adhuc obseruanda sunt, vt *indolem pœnarum ecclesiasticarum genuinam*, prout hodie sese habet, recte perscrutari et repræsentare queamus. Primum est: supra tradita requisita, quæ *pœnam* constituunt, locum quoque inuenire in *pœnis ecclesiasticis*: alterum: prætextum *spiritualis qualitatis*, iis affixum, esse argumentum certum atque euidens, *religionem* hoc modo constitui, et quæri in *sacerdotali imperio*, a quo Saluator noster abhorruit, aliisque præceptis discipulos suos et inprimis Apostolos instruxit. Quoad primum negari nequit, in pœnis ecclesiasticis esse (1) *malum passionis*, propositum subditis in *republica ecclesiastica*, vt eius terrore desistant, tum a *contumacia* h. e. ab *inobedientia*, et ita *imperantibus sacerdotibus* humillime pareant: tum ab omni eo, quod *saluti* huius structuræ *ecclesiasticæ* aduersatur, et *delicta ecclesiastica* constituit, quæ itidem a *secularibus* quandoque recedunt. Parum autem refert, vtrum *malum passionis* in *priuatione boni* alicuius, an in *inflictione mali positiui* consistat, quod vtroque modo quis terreatur, cogatur, et inducatur, ne contra *mandata* et *imperia sacerdotalia* agat. Inde vero liquet, differentias inter *censuras* et *pœnas ecclesiasticas* esse reuera inanes et solido destitutas fundamento, quod etiam antiquitus ignotum fuit, vt supra euictum. Quid enim?, si legislator legem tulerit, quod si vel collegia, vel singuli præceptis mandatisque suis non paruerint, illa quidem *interdicto*, hi vero ab officio vel *exclusione a cœtu ciuium*, omnique inde dependente commercio, prærogatiuis, iuribusque cum quadam infamiæ nota castigari debeant, donec ad frugem reuersi fidem publice dederint de præcepto imperantis stricte ob-

Nam 1) in iis est malum passionis.

Siue censuras siue pœnas ceteras respexeris,

 ser-

ſeruando, omnibusque, quæ ſibi iniuncta fuerunt, præſtandis? Quis tam ineptus foret, qui hunc *cogendi* ſubditos modum, quo magnopere affliguntur, magis *cenſuram* quam *pœnam* eſſe ſibi aliisque perſuaderet, et quidem vel ideo, quod *effectum perpetuum* non haberet. Nulla enim ratio deſiderat, vt talis effectus pœnis ineſſe debeat, ſed ſicuti datur carcer *temporalis* et *perpetuus*, relegatio *temporalis* et *perpetua*; ita dantur pœnæ, quæ modo *perpetuum*, modo *temporalem* effectum habere poſſunt. Præterea vero etiam illud obſeruo, excommunicationem non vnice in *priuatione boni* cuiusdam conſtituendam eſſe, prout hodie ſeſe habet; ſed eidem quoque cohærere ex principiis eccleſiæ Romanæ *inflictionem mali poſitiui*, quo excommunicatus torquetur. Fit enim infamis, *c. infames. C. 6. q. 1.* capite deminuitur, pro mortuo habetur, feudis eccleſiaſticis priuatur, *c. 53. §. fin. de ſentent. excomm.* a foro repellitur, *c. 1. in f. de except. in 6.* ſubditi et vaſalli ab eius nexu liberantur, *c. f. de pœn.* imo ipſe imperio ſummo priuatur, et in abiectiſſimum ſtatum coniicitur, vt extorris, exſul, et monſtrum humani generis videatur. vid. GIBALINVS *cit. tr. disq. VII. qu. 8. 9.* de DICASTILLO *cit. tr. diſp. 2. ſent. 4. dub. 33. p 113. ſqq.* Hæc omnia, quæ tantum in compendio retuli, euincunt probantque, magis hodie, quam in primitiua eccleſia, excommunicationem eſſe *ſupplicium grauiſſimum*, cum *capitis deminutione media* comparandum, quæ olim *pœnis capitalibus* annumerata fuit.

Quod effectus oſtendunt, excommunicationi tributi.

§. XLVIII. Præterea quoque (2) pœnæ eccleſiaſticæ infliguntur ob *malum actionis*. Hoc ad duo genera reducitur, vt vel *contumaciam* vel *delictum* aliud deſignet. Illa in eo quæritur, ſi quis a pontifice et epiſcopis imperata non præſtat, ſicuti *contumax* in iure dicitur, qui non paret præcepto magiſtratus. Grauiſſimum hoc cenſetur crimen, rebellioni non abſimile, quod iudicis eccleſiaſtici autoritatem lædat, violet, conculcet, a qua *ſalus reipublicæ eccleſiaſticæ et vigor religionis Chriſtianæ* dependere dicitur. Et ſi dicendum, quod res eſt, pleræque pœnæ in hac *republica eccleſiaſtica* huc comparatæ ſunt, vt in *obſequio*, *humilitate*, et *fidelitate* ſubditi eiusdem, qualescunque fuerint, contineantur. Obſeruauit iam SARPIVS in tractatu ſupra laudato, quem de *iure regum principumque contra excommunicationes papales*, occaſione excommunicationis a PAVLO V. Venetis inflictæ, conſcripſit, præſulem Romanum cum epiſcopis territoria, regalia, principatus, aliaque iura mere politica acquiſiuiſſe, et ſic ſæpe euenire, vt de his inter *ſacerdotium* et *imperium* contentiones

2) Præſupponitur delictum vel contumacia.

Atque his pœnis ſub prætextu contumaciæ pontifex principes cogit, ſibique in cauſa propria ius dicit.

tiones emergant, quas, ceu nodum Gordium, hoc *gladio spirituali* secare et dissoluere sueuit curia Romana cum asseclis ex capite *contumaciæ*. Hoc tamen rectissime reprobat, ostenditque, *excommunicationem* hoc modo *instrumentum dominatus* fieri, papamque cum episcopis constitui *iudicem in propria causa*. Addit *tom. I. p. 85. seq.* eo deuentum fuisse, vt regibus quibuscunque imperantibus imposita fuerit necessitas, de suis actionibus pontifici rationes reddendi, eosque, si iure suo id recusauerint, fulmini huic subiectos fuisse; de eiusmodi exorbitante potestate vero nec volam nec vestigium in euangelio occurrere, sed potius *inuentum* esse mere *politicum*, (*inventata du ragion di stato*) pro scopo *interesse mundanum* habens etc. Pariter *interdicta* ob *contumaciam* infliguntur, seu instrumenta *papatus* sunt, et laicis terror panicus iniectus, quo ipso reges, principes atque respublicas integras ad suum obsequium traduxerunt, effeceruntque, vt laicis liberrime dominari potuerint. Ceteræ pœnæ magis ob *delicta alia* commissa infliguntur, h. e. laicis quidem, *pœnitentia*, *denegatio honestæ sepulturæ*, *pœna pecuniaria* etc. clericis vero reliquæ species supra relatæ. *Pœnitentia* quidem adeo in *pœnam* proprie dictam degenerauit, vt loco eius in *iudiciis archidiaconalibus* certæ mulctæ exigi soleant, quod ab antiquo archidiaconis *visitationes* ab episcopis fuerint commissæ, in quibus de delictis per *pœnitentias* expiandis actum fuit. Sed rei suæ magis congruum esse censuerunt, si *delicta laicorum* ad sua traherent sacra. Hoc eo facilius fieri potuit, postquam animaduerterunt, *pœnitentias* in *pœnas* transmutatas fuisse. Reprobauit quidem ALEXANDER III. in *c. 3. X. h. t.* hunc morem, quem *de radice cupiditatis et auaritiæ prodire* censuit; sed frustra reprobauit, prout *praxis Germaniæ* ostendit, quam *concil. Trident. sess. XXIV. can. 3.* certo modo probauit. vid. Dn. KRESSII, professoris Helmstad. celeberrimi, Erleuterung des Archi-Diaconat-Wesens *c. 6. p. 269. seq.*

Ita vero instrumentum dominatus facta, quod etiam de interdicto dicendum, pœnitentia quoque vt pœna exercetur.

§. XLIX. Has pœnas censurasque ecclesiasticas porro (3) vi *imperii* exerceri, supra ex doctrina de DICASTILLO §. *XII.* probatum dedi, adeo vt ius puniendi simpliciter *iurisdictioni ecclesiasticæ* per *electionem* in episcopum translatæ assignent, si vel maxime tantum *primam* acceperit *tonsuram*. Vlterius (4) sicuti ius proprie dictum puniendi *societati inæquali* proprium est; ita quoque idem asserendum de *pœnis ecclesiasticis*, quæ exercentur in *republica ecclesiastica*. Hæc præ ceteris dicitur *societas inæqualis* ex *imperantibus sacerdotibus* et *subditis* constans, vt rursus §. X. declaratum. In huius *conseruatio-*

Exercentur pœnæ eccles. vi imperii, in republ. ecclesiastica,

uem et *salutem* ius puniendi necessarium fuisse censent, æque vt in aliis quibuscunque rebuspublicis. A priori *simplicitate*, qua ecclesia olim constabat, dudum discessum, quæ cum *imperio sacro* stare non potuit. Illud quoque (5) repetunt trahuntque ex principiis *status ciuilis*, quod *ius puniendi* duntaxat exercendum sit *in subditos*, vti rursus ex DICASTILLO supra §. *XII.* probatum dedi. Fusius quoque dogma hoc explicat GIBALINVS *cit. tr. disquis. IV. q. I. sqq. p. 110. sqq.* indeque concludit, α) Romanum pontificem a nullo excommunicari posse, ex hypothesi assumta, quod nemini, nisi soli Deo, subditus sit: β) non posse aliquem censuris amplius innodari, vbi desinit esse subditus, quod illæ sint *actus iurisdictionis contentiosæ, et requirant subditum, in quem ius dicatur a superiori*, vt *p. 115.* docet. Illud quoque γ) in confesso est, exerceri pœnas ecclesiasticas *in inuitos*, quia volentes non coguntur, sed nolentes. Pœnas autem *remedia coactiua* esse, quis vnquam negauerit? De *pœnitentiis* forsan dubium moueri posset, quod hæ *sponte* subiri soleant, a confessionario impositæ. Sed (a) in *vindictam criminis commissi* pœnitentias infligi quandoque etiam *inuitis*, eosque ieiuniis macerari, docet ipsum ius canonicum. *c. 36. D. 80. c. 5. D. 82. c. 2. de sponsa duor.* etc. Detrusio in monasterium pœnitentiæ agendæ causa non ad *volentes* et *ambientes*, sed *reluctantes* pertinet, et ita *pœnæ* rationem habet, quod vel exemplo adulterarum liquet, quæ post fustigationem ex *lege* IVSTINIANI monasterio in hunc finem includendæ sunt. (b) Supra iam obseruaui, etiam pœnitentias a confessionariis impositas, magis ab *inuitis* quam *volentibus*, suscipi, quod *remissio peccatorum* ad eas adstricta sit, quæ ex Romanæ ecclesiæ traditione iniuncta pœnitentia nihil operatur.

[Margin: et quidem in subditos, / Inuitos, / quod etiam in pœnitentia accidit,]

§. L. Denique illud quoque (7) recipiendum est, exerceri pœnas in *salutem ecclesiæ* seu *hierarchiæ*, tum vt subditi in *obedientia filiali*, quæ summa est, conseruentur: tum vt purgetur hæc respublica malis hominibus, præcaueaturque, ne delictis quies eius turbetur. Breuiter: qualis finis est *pœnarum ciuilium* seu *secularium*, talis quoque est pœnarum *ecclesiasticarum*, et quod de *spirituali qualitate* iis affingitur, inane et ex iuris canonici principio: omnia, quæ *ecclesiæ* sunt, *spiritualia* esse, depromtum est. Transformauit ecclesiam ius papale in totum, et quæ *spirituali modo* regi debebat, *politica* et *ciuili* ratione gubernatur, atque in ea omnia *ad schemata politica* composita fuerunt. *Pœnas* igitur, quas exercet ob *rationes* mere *politicas*

[Margin: exercentur pœnæ eccles. in salutem reip. eccles. / modo politico.]

liticas, diuerſam naturam habere non poſſe, palam eſt. Ieiunum eſt aſſertum, *religionis* conſeruandæ cauſa has pœnas exerceri, et *rempublicam eccleſiaſticam*, prout conſtructa eſt, eſſe ipſius *religionis opus* et *ſubſtantiam*, adeoque finem *ſpiritualem* nominandum, quod religio *ſpiritualis* dicenda. Prorſus a ſua priſtina ſimplicitate et vera indole hoc modo *religio*, omnis *coactionis* ſua natura expers, deſciuit, vbi in *dominatum* mutata eccleſia, vbi religio ipſa in *cleri* dominantis collocata eſt *potentia*, et, neglectis mediis diuinis, *humana inſtituta* mere *politica* aſſumta ſunt. Quia itaque ductu ſcripturæ ſacræ Proteſtantes negant, eccleſiam eſſe rempublicam, omnemque *dominatum* eidem abiudicant, *imperii* autem et *iurisdictionis* vigorem *ſtatui politico* vnice adſcribunt, ius *puniendi* proprie dictum quoque *eccleſiæ* tribuere non poſſunt, vel, ſi *praxin eccleſiæ antiquam* recolunt, cogitare debent, iure *collegii* excluſionem a *communione* vel ab *officiis ſacris* expediri, qui effectus ſunt *humani*, omnibusque *collegiis* communes.

Excommunicatio quoque pœna humana eſt et ciuilis.

§. LI. In *excommunicatione* et *pœnitentia* quidam diuerſum quid obtinere contendunt, adeo vt ZIEGLERVS in *not. ad Lancell. lib. XII tit.* 7. §. 2. reprobet canoniſtas, quod ad *forum externum* tantum reſtringant cenſuras ſuas, cum ex eius ſententia etiam *conſcientias* afficiat *excommunicatio*. Enimuero (α) canoniſtas idem quoque aſſerere, et vinculum eidem iniicere, ſupra iam obſeruaui, adeoque non recte in hoc eis dicam ſcripſit. (β) Non negat B. BVDEVS in *theol. moral. P. III. c.* 3. §. 65. excommunicationem ſecundum *mores* hodiernos *infamiam ciuilem* continere, interdum etiam *pœnam grauiorem*: vnde non potuit non concedere, hanc excluſionem *pœnam ciuilem* eſſe. (γ) Hodie quoque ſecundum ordinationes eccleſiaſticas excommunicatio decernitur a *iudicio eccleſiaſtico*, et per viam *iurisdictionis*, adeoque ſine dubio *pœna ciuilis eſt*. (δ) Conſiſtit illa in excluſione a *cœtu externo* eccleſiæ, nec vinculum internum cum Chriſto ſoluit, vt plenius docet SAMVEL BASNAGE *diſſ. de excommun. Chriſtian.* §. 13. (*tom II. annal. eccleſ. p.* 486. inſerta) et ex eo quoque THOMAS. *ad Lancell. p.* 2149. quibus etiam iungendus LVDOVICVS ELLIES DV PIN *de diſcipl. eccl. diſſ. III. c.* 3. Vnde poteſt eſſe membrum eccleſiæ externum, qui tamen non eſt vnitus cum Chriſto; et contra ab eccleſia inique eiici poteſt, qui cum Chriſto adhuc manet vnitus. (ε) Per ſe ergo vinculum conſcientiis non iniicit ex ſententia ZIEGLERI, *ſi iniuſta* eſt; ſi iuſta de cauſa facta, obligat

ligat

uem et *salutem* ius puniendi necessarium fuisse censent, æque vt in aliis quibuscunque rebuspublicis. A priori *simplicitate*, qua ecclesia olim constabat, dudum discessum, quæ cum *imperio sacro* stare non potuit. Illud quoque (5) repetunt trahuntque ex principiis *status ciuilis*, quod *ius puniendi* duntaxat exercendum sit *in subditos*, vti rursus ex DICASTILLO supra §. *XII.* probatum dedi. Fusius quoque dogma hoc explicat GIBALINVS *cit. tr. disquis. IV. q. I. sqq. p. 110. sqq.* indeque concludit, α) Romanum pontificem a nullo excommunicari posse, ex hypothesi assumta, quod nemini, nisi soli Deo, subditus sit: β) non posse aliquem censuris amplius innodari, vbi desinit esse subditus, quod illæ sint *actus iurisdictionis contentiosæ, et requirant subditum, in quem ius dicatur a superiori*, vt *p. 115.* docet. Illud quoque γ) in confesso est, exerceri pœnas ecclesiasticas *in inuitos*, quia volentes non coguntur, sed nolentes. Pœnas autem *remedia coactiua* esse, quis vnquam negauerit? De *pænitentiis* forsan dubium moueri posset, quod hæ *sponte* subiri soleant, a confessionario impositæ. Sed (a) in *vindictam criminis commissi* pœnitentias infligi quandoque etiam *inuitis*, eosque ieiuniis macerari, docet ipsum ius canonicum. *c. 36. D. 80. c. 5. D. 82. c. 2. de sponsa duor.* etc. Detrusio in monasterium pœnitentiæ agendæ causa non ad *volentes* et *ambientes*, sed *reluctantes* pertinet, et ita *pænæ* rationem habet, quod vel exemplo adulterarum liquet, quæ post fustigationem ex *lege* IVSTINIANI monasterio in hunc finem includendæ sunt. (b) Supra iam obseruaui, etiam pœnitentias a confessionariis impositas, magis ab *inuitis* quam *volentibus*, suscipi, quod *remissio peccatorum* ad eas adstricta sit, quæ ex Romanæ ecclesiæ traditione iniuncta pœnitentia nihil operatur.

et quidem in subditos,

inuitos,

quod etiam in pœnitentiis accidit,

§. L. Denique illud quoque (7) recipiendum est, exerceri pœnas in *salutem ecclesiæ* seu *hierarchiæ*, tum vt subditi in *obedientia filiali*, quæ summa est, conseruentur: tum vt purgetur hæc respublica malis hominibus, præcaueaturque, ne delictis quies eius turbetur. Breuiter: qualis finis est *pænarum ciuilium* seu *secularium*, talis quoque est pœnarum *ecclesiasticarum*, et quod de *spirituali qualitate* iis affingitur, inane et ex iuris canonici principio: omnia, quæ *ecclesiæ* sunt, *spiritualia* esse, depromtum est. Transformauit ecclesiam ius papale in totum, et quæ *spirituali modo* regi debebat, *politica* et *ciuili* ratione gubernatur, atque in ea omnia *ad schemata politica* composita fuerunt. *Pænas* igitur, quas exercet ob *rationes* mere *politicas*

exercentur pœnæ ecclesiasticæ in salutem reip. ecclesiasticæ modo politico.

liticas, diuerſam naturam habere non poſſe, palam eſt. Ieiunum eſt aſſertum, *religionis* conſeruandæ cauſa has pœnas exerceri, et *rempublicam eccleſiaſticam*, prout conſtructa eſt, eſſe ipſius *religionis opus* et *ſubſtantiam*, adeoque finem *ſpiritualem* nominandum, quod religio *ſpiritualis* dicenda. Prorſus a ſua priſtina ſimplicitate et vera indole hoc modo *religio*, omnis *coactionis* ſua natura expers, deſciuit, vbi in *dominatum* mutata eccleſia, vbi religio ipſa in *cleri* dominantis collocata eſt *potentia*, et, neglectis mediis diuinis, *humana inſtituta* mere *politica* aſſumta ſunt. Quia itaque ductu ſcripturæ ſacræ Proteſtantes negant, eccleſiam eſſe rempublicam, omnemque *dominatum* eidem abiudicant, *imperii* autem et *iurisdictionis* vigorem *ſtatui politico* vnice adſcribunt, ius *puniendi* proprie dictum quoque *eccleſiæ* tribuere non poſſunt, vel, ſi *praxin eccleſiæ antiquam* recolunt, cogitare debent, iure *collegii* excluſionem a *communione* vel ab *officiis ſacris* expediri, qui effectus ſunt *humani*, omnibusque *collegiis* communes.

Excommunicatio quoque pœna humana eſt et ciuilis.

§. LI. In *excommunicatione* et *pænitentia* quidam diuerſum quid obtinere contendunt, adeo vt ZIEGLERVS in *not. ad Lancell. lib. XII tit. 7. §. 2.* reprobet canoniſtas, quod ad *forum externum* tantum reſtringant cenſuras ſuas, cum ex eius ſententia etiam *conſcientias* afficiat *excommunicatio*. Enimuero (α) canoniſtas idem quoque aſſerere, et vinculum eidem iniicere, ſupra iam obſeruaui, adeoque non recte in hoc eis dicam ſcripſit. (β) Non negat B. BVDEVS in *theol. moral. P. III. c. 3. §. 65.* excommunicationem ſecundum *mores* hodiernos *infamiam ciuilem* continere, interdum etiam *pœnam grauiorem:* vnde non potuit non concedere, hanc excluſionem *pœnam ciuilem* eſſe. (γ) Hodie quoque ſecundum ordinationes eccleſiaſticas excommunicatio decernitur a *iudicio eccleſiaſtico*, et per viam *iurisdictionis*, adeoque ſine dubio *pœna ciuilis eſt*. (δ) Conſiſtit illa in excluſione a *cætu externo* eccleſiæ, nec vinculum internum cum Chriſto ſoluit, vt plenius docet SAMVEL BASNAGE *diſſ. de excommun. Chriſtian. §. 13.* (*tom. II. annal. eccleſ. p. 486.* inſerta) et ex eo quoque THOMAS. *ad Lancell. p. 2149.* quibus etiam iungendus LVDOVICVS ELLIES DV PIN *de diſcipl. eccl. diſſ. III. c. 3.* Vnde poteſt eſſe membrum eccleſiæ externum, qui tamen non eſt vnitus cum Chriſto; et contra ab eccleſia inique eiici poteſt, qui cum Chriſto adhuc manet vnitus. (ε) Per ſe ergo vinculum conſcientiis non iniicit ex ſententia ZIEGLERI, *ſi iniuſta* eſt; ſi iuſta de cauſa facta, obligat

ligat quoque reprobos in conscientia, id quod etiam aliis *pœnis ciuilibus* commune est, vt recte docet THOMASIVS *cit. l. p. 2134.* Conf. PERTSCHIVS von Recht des Kirchenbanns *c. 12. §. 9. seqq.* Pari ratione *pœnitentia externa*, cum ex mente iuris canonici *animaduersio* est, tum ad instar *pœnæ* humanæ exercetur apud Protestantes. Id apud nos in confesso est, eam esse *inuentum humanum*, in varios abusus tractum, et a prima ratione prorsus alienum. Etiam apud nos *forensi more* de ea cognosci, atque per *sententiam* consistorii vel extraneorum iuridicorum collegiorum illa decerni, imo aliquando immutari solet in *pœnam pecuniariam;* ne dicam, eandem apud nos per viam *gratiæ* nonnunquam remitti, quæ omnia talia χαρακτῆρα sunt, quæ *pœnis ciuilibus* competunt. De reliquis pœnis, vt *depositionis, suspensionis, carcerum*, et *mulctarum* nihil attinet dicere, quæ adeo *ciuiles* sunt, vt citra apertum fucum ab his distingui non possint, vnde etiam *pœnas has vindicatiuas* vocat WIESTNERVS prout supra *§. VII.* obseruaui.

Quod etiam de pœnitentia publica dicendum.

§. LII. Demonstratum est hactenus, pœnas ecclesiasticas esse mere *politicas*, et ipsam quoque ecclesiam in *statum politicum* esse transmutatam, adeoque etiam pœnas, in *statu ciuili* vsitatas, ab ea receptas esse. Interim tamen hæc respublica vastissima semper a *pœnis sanguinis* abhorruit, in qua obseruatione occupatur *membrum octauum* supra *§. XV.* positum. In hoc vnice hæc respublica *ecclesiastica* a ceteris *secularibus* diuortium facit, non tamen ea propter mitior, aut indulgentior dicenda, quod æque dirissimas pœnas, *capitalibus* respondentes, exerceat, quales *in gladio spirituali* et pœna *immurationis*, quæ quotidiana mors est, imo et aliis, quas inquisitorius processus contra hæreticos suggerit, occurrunt. Sentencia inquisitionis apud BALVZ. *lib. I. miscell. p. 207.* horroris plena id declarat; *idcirco in iis scriptis definitiue pronunciamus et iudicamus, ipsum Bernardum perpetuo immurandum, ab omnibus ordinibus degradandum, et quod in detestationem tanti criminis (hæreseos) duas cruces crocei coloris vnam ante in pectore, aliam post inter scapulas in superiori veste perpetuo debeat portare. (pane doloris et aqua angustiæ sustentandus*, vt additur in *c. 27. X. de V. S.) Quod si de dicto muro siue carcere fugeret, vel portare eiusmodi cruces recusaret, eo degradato ipsum tanquam impœnitentem et hæreticum curiæ relinquimus seculari.* Ceterum quod magistratus ecclesiasticus *pœnas capitales* non exerceat, nec exequatur, ad antiqua *primitiuæ ecclesiæ* dogmatum rudera referendum

Membrum VIII. quod pœnas sanguinis non exerceat ecclesia.

Non tamen propterea indulgentior dicenda.

Ratio huius disciplinæ.

rendum, quæ *pœnas capitales* adeo reprobabat, vt Chriſtianum ne quidem earum exſecutioni ſalua conſcientia intereſſe poſſe, docuerit, quod ex doctrina patrum antiquorum probatum dedit ARNOLD. in *repræſent. prim Chriſt. Lib. V. c. 4.* Quid? quod per ſecula priora eam tantum diſciplinam exercuerit, quæ etiam in *collegiis æqualibus* locum habere poteſt, nec *iurisdictionem* aut *imperium* in executione ſua deſiderat, a cuius conceptu adhuc paulo alienior videbatur. Interim *apparenter* hodie tantum abſtinet a pœnis *ſanguinis*, quas per *magiſtratum ſecularem* eo ipſo exercet, quo hæreticos eidem tradit, non alia de cauſa, quam vt igne comburantur. Ni enim hoc fecerit, ipſi magiſtratui imminet vindicta eccleſiaſtica. Equidem in *c. nouimus. c. 27. de V. S.* diſponit pontifex, quod eccleſia pro eo, qui traditur *curiæ ſeculari*, *efficaciter intercedere debeat*, *vt citra mortis periculum circa eum ſententia moderetur.* Enim vero *dicis gratia* hanc interceſſionem fieri, et parum idonee ad hodiernas *inquiſitiones hæreticæ prauitatis* applicari poſſe, oſtendit LIMBORG. in *hiſtor. inquiſ. lib. IV. c. 40.* ſimulque per totum tractatum declarat, inquiſitores in ipſo proceſſu contra hæreticos eſſe immitiſſimos, ſeueriſſimos, et nil niſi crudeliſſima et *ſanguinem* ſpirare.

Hodie vero apparenter tantum abſtinet a pœnis capitalibus.

§. LIII. Atque hæc quidem ſufficiant, pro declaranda genuina indole *pœnarum eccleſiaſticarum.* Equidem iam obſeruaui, proteſtantes plerosque eccleſiis *ſtatum reipublicæ* haud aſſignare, ſed pœnas haſce relinquere *iudiciis eccleſiaſticis*, non ab *eccleſia*, ſed a *republica* dependentibus, quo ipſo ad puriorem ſtatum res eccleſiæ deduximus; interim tamen etiam, quæ dicta ſunt, in noſtros vſus paſſim transferre poſſumus. Primum eſt, quod ex ſententia CARPZOVII *Lib. III. iur. conſiſt. def. 84. ſqq. pœnitentia publica* ſine præſcitu et conſenſu conſiſtorii nemini infligenda ſit: quandoque etiam ex probabili et iuſta cauſa in *pœnam pecuniariam* transmutari queat, per diſpenſationem conſiſtorii, quia *proprie dicta pœna* eſt; nihilominus tamen *def. 94.* exiſtimat, facta deprecatione publica, reum non liberari a pœna *fori ſecularis*, nec vnam alteram abſorbere, et ſic reum in duplici foro puniri. Hoc tamen contra rationem iuris eſt, quæ minime admittit, quenquam ob idem delictum duplici affici pœna. Hac de cauſa ipſemet in *pr. crim. qu. 69. n. 53.* ſaniorem ſequitur ſententiam, docetque, pœnam ſtupri, vel mitigari vel plane remitti, ſi quis publice *pœnitentiam* egerit, præſertim, quod hæc maior ac grauior habeatur *pœna carceris*, adeoque merito pœnas alias abſorbere debeat. Ita

Concluſiones ex hactenus dictis.

1) Quod pœna ſeculari punitus non poſſit ſubiici pœnitentiæ.

Ita quidem hac in re fluctauit CARPZOVIUS, ſed non alia de cauſa, quam quod non adeo a doctrina, de *duplici republica*, *ſeculari* ac *eccleſiaſtica*, alienus fuerit, ſuppoſueritque, cenſuras eccleſiaſticas eſſe *medicinales*, vti *cit. def. 94. iurispr. conſiſtor.* loquitur. Euidens autem eſt, poſteriorem ſententiam priori omnino præferendam eſſe.

a) Quod excommunicatio in eccleſiis Proteſtantium rariorem vſum habere debeat.

§. LIV. Alterum eſt, licet in omnibus fere ordinationibus eccleſiaſticis *excommunicationis* proceſſus determinetur, et conſiſtoriis præſcribatur; vix tamen eſſe, vt hodie in foris Proteſtantium in vſum deduci poſſit. Etenim ſi ex vſu primitiuæ eccleſiæ omnem eius rationem æſtimamus, certum eſt, eam nemini infligi poſſe, niſi qui grauioribus criminibus, vt adulterio, homicidio, furto etc. ſeſe maculauerit. Enim vero ob hæc crimina atrociora hodie *criminalis pœna* decernitur, quæ non admittit, vt delinquens præter eam alia adhuc *pœna eccleſiaſtica*, et ſic *duplici caſtigatione*, coërceatur. Docet enim praxis primitiuæ eccleſiæ, rariſſimam olim eiectionem, nec eam inflictam fuiſſe, niſi quis de *grauiori crimine* aut confeſſus aut conuictus fuerit, vt non diffitetur FLEVRIVS *in inſtit. iur. eccleſ. P. 3. c. 20. §. 2.* Non itaque in eccleſiis noſtris *leuioribus ex cauſis* infligi poteſt, ſi veſtigiis primitiuæ eccleſiæ inſiſtere intendimus, quo ſuppoſito vſus eius fere exulabit, quia ob crimina delinquens *criminali pœna* afficiendus, quæ alii præterea pœnæ locum non relinquit.

(II.)

De clericorum dimiſſione, depoſitione, et degradatione.

Pœnis vindicatiuis accenſent depoſitionem clericorum.

§. LV. Quamuis vero ex his, quæ adlata ſunt, colligi queat, reuera inter *cenſuras* et *pœnas* non eſſe diſcrimen, ſed in ſingulis ſpeciebus adeſſe *medium coactiuum*, *ſubditos eccleſiaſticos* retinendi in officio et obſequio, et alios deterrendi a renitentia, aliisque delictis contra ſalutem *reipublicæ eccleſiaſticæ* commiſſis; facile tamen cum turba communi conſtituere potui, vt in duas claſſes omnem *pœnarum eccleſiaſticarum* apparatum diſtribuerem, et ad primam, *ſpecies vindicatiuas*, quæ vindictam delictorum commiſſorum: ad alteram, *ſpecies coactiuas*, quæ iuxta diſciplinam *Romanam* primario *coactionem ſubditorum contumacium*, vt ad frugem et obedientiam cœcam reuertantur, intendunt, referrem, quamuis hæ æque pœnalia remedia ac illa ſint. Illius ſpecies §. *VII.* retuli, quas primario *pœnas* dicunt; huius

Aliasque §. VII. relatas.

huius recensui species in §. *VIII.*, quas *censuras* vocant, et titulis duobus sequentibus tradi arbitrantur, vtut vel *pœnitentiæ* vsus doceat, eum modo ad hanc, modo ad illam pertinere classem. Inter *pœnas* autem, quæ *coërcitionem criminum* intendunt, primatum tenet *depositio* et *degradatio*, quam pœnam, ceteris omissis, *h. t.* persequar, quæ *clericis* propria est; sunt enim etiam ex his, quæ §. *VII.* traditæ sunt, quædam ita comparatæ, vt *laicis* quoque applicari possint, vt pœna *pecuniaria*, *flagellationes*, *exilium*, *relegatio*, *detrusio in monasterium*, quam IVSTINIANVS olim adulteris quoque applicuit, porro *incarceratio*, *ergastula*, *priuatio feudorum ecclesiasticorum et absolutio subditorum ac vasallorum ab homagio et vasallagio*, quæ sequentibus titulis conuenientius hinc inde *pœnis coactiuis* adiungi possunt.

A quibus censuras distinguunt seu pœnas coactiuas.

§. LVI. Ad *depositionem* clericorum, qui *verum titulum*, ad quem ordinati sunt, habent, ægerrime deuenitur; difficilius adhuc ad *degradationem*, quæ quandam *charactéri indelebili* labem adspergere videtur; quin potius vbi ob *crimina capitalia* clericus plectendus, potius ad illam deuenitur, simulque in monasterium delinquens detruditur *perpetuæ pœnitentiæ agendæ causa*, quod *pœnæ capitali*, quam ecclesia decernere nequit, æquiparetur, et instar perpetui carceris sit, vt *tit. de homicid.* §. 20. monui. Nec caret *depositio clericorum* difficultatibus in nostris ecclesiis, quamuis ecclesiam dilacerantium, et luporum rapacium instar gregi insidiantium. Facilius quiuis officiales et ministri, etiam in magna dignitate constituti, ab officio, in quo male versati sunt, remoueri, aliique vtiliores iis substitui possunt, quam *ministri ecclesiæ*, quos multa præiudicia, quæ adhuc in nostris ecclesiis regnant, tuentur, eosque incolumes et intactos reddere videntur, ne absque *grauissima causa*, quæ *pœnam criminalem* forsan meretur, deponi queant. Præiudicia communia sine dubio inde peti solent, quod per *ordinationem characterem* acceperint, qui, si non *indelebilis* dici queat, ad minimum tamen *diuinus* dicendus, quo separati prorsus sunt a *laicis*, *sorti clericorum* adscripti, quem eis auferre ægre liceat: quod diuersa sit ratio *officiorum ecclesiasticorum* et *secularium*, cum hæc quidem ab hominibus dependeant, et eorum arbitrio subiecta sint; non item illa, quæ ab ipso DEO instituta, et singulis ministris ecclesiæ mediante ordinatione demandata, adeoque etiam principum et magistratuum arbitrio haud subiecta, quin potius ministri ecclesiæ etiam impii, et pessime officio suo fungentes, potius

Difficultates, quæ in depositione clericorum occurrere solent.

Etiam in ecclesiis protestantium.

Ex præiudiciis variis.

tius tolerandi quam abiiciendi, quamdiu eos Deus toleret: quod nemo ſit *dominus officiorum eccleſiaſticorum*, vtut principatum in republica gerat, licet ſit dominus *officiorum ſecularium*, adeo vt ſine graui cauſa miniſtros ſuos ſeculares ſimpliciter quidem dimittere queat, non item ſacrorum præſides, a DEO quippe etiam hodie vocatos; quod vel inde conſtat, quia ſi miniſter eccleſiæ ad aliam vocatur eccleſiam, ſemper inquiritur, *vtrum vocatio noua ſit diuina nec ne?* de qua quæſtione ad tit. *de translatione prælatorum §. VIII. ſq tom. I.* dictum, alia, vt nunc præiudicia ſilentio premam, mox excutienda. Inde contingit, vt, licet *inutiles* et *noxii* admodum eccleſiis ſint miniſtri, rarius tamen ad eorum *remotionem* in quibusdam prouinciis deueniri ſoleat cum grauiſſima eccleſiarum iactura. Ne dicam, de iure magiſtratuum olim dubitatum, atque quæſitum fuiſſe, vtrum ei ius ſit, miniſtros eccleſiæ ab officio remouendi? vt CARPZOVIVS *lib. III. iurisprud. eccleſ. deciſ. 109.* monſtrauit.

Dimiſſio a depoſitione differt.

§. LVII. Vt vero diſtincte hic procedam, gradusque demonſtrem, tria potiſſimum a ſe diſtinguenda ſunt: (1) *dimiſſio ſimplex* miniſtrorum eccleſiæ: (2) *remotio* ab officio in pœnam delicti commiſſi: (3) *degradatio.* DIMISSIO miniſtrorum eccleſiæ generatim deſignat honeſtam *liberationem eorum a nexu, quo eccleſiæ vniti erant*, ad exemplum *militum*, qui ab exercitu *dimitti* dicuntur; *l. 2. pr. de his qui not. infam.*, cum quibus non raro clerici et alii officiales etiam comparantur, vt *milites cæleſtis militiæ*, ceu ait OTERO *de official. c. XIV. §. 14.* conf. *c. 19. C. 23. qu. 8. c. 1. X. de cler. ægrot. c. 4. X. de præb.*

Exemplo a militibus deſumto.

Porro ſicuti *militum miſſio* triplex erat: *honeſta*, quæ emeritis ſtipendiis indulgebatur, et *actus gratiæ* erat: *cauſaria*, quæ propter valetudinem aliamue iuſtam cauſam ante tempus laboribus militiæ ſoluebat, vel cum quis vitio animi vel corporis minus idoneus militiæ renunciabatur, teſte *l. 13. §. 2. de re militari*: denique *ignominioſa*, cum quis propter delictum ſacramento ſoluebatur, veluti ob furtum balnearium; *l. f. D. de fur. balnear.* ita miniſtrorum quorumuis miſſio

Hinc tres miſſionum ſpecies,

poteſt eſſe 1) *honeſta*, quæ indulgetur gratioſe illis, qui ob ſenium officio amplius præeſſe non poſſunt, vel etiam qui ab vno ad aliud officium vocantur: 2) *cauſaria*, quæ ex cauſa a republica vel imperante decernitur: 3) *ignominioſa* vero, quæ ob fraudes in officio commiſſas vel grauiora facinora in pœnam dictatur, et *remotio* vel *depoſitio* dicitur.

etiam quoad clericos.

Etiam hæ tres ſpecies quoad *epiſcopos* aliosue *clericos* officio reali fungentes locum ſibi vindicant. Etenim *honeſta* in *ſponte* reſi-

gnan-

gnantibus occurrit, admissa inprimis, ob debilitatem corporis vel senium secundum *c. 9. et 10. X. de renunc.* quæ instar *beneficii* resignanti conceditur, cum inuitus quidem *regulariter* resignare non cogatur, vt *tom. I. tit. de renunc.* §. 10. dictum. *Superioris* tamen *autoritate* fieri debet, qui eum dimittit, vinculumque cum ecclesia contractum soluit. *Causaria* deprehenditur in *translatione*, adeo vt aliquando inuitus hoc modo possit dimitti, vt *tom. I. tit. de translat. episc.* §. 19. obseruaui. *Ignominiosa* denique occurrit in depositione ob crimen commissum.

Dimissio est vel voluntaria, vel inuoluntaria.

§. LVIII. Priores duo modi ad *missionem*, de qua hic agendi animus est, pertinent, postposita posteriori, quæ stricte et proprie *depositio* vel *degradatio* vocatur. Liquet vero ex dictis, *dimissionem* esse vel *voluntariam* vel *inuoluntariam*. Illa deprehenditur in *sponte resignantibus*, vel ad aliam ecclesiam, ad quam electi vel vocati, *transferendis*, qui hunc in finem *literas dimissorias* a superiore, vel pontifice vel episcopo, impetrant, de quarum vsu vario agunt GONZALEZ ad *c. 3. X. de cleric. peregrin. n. 7.* et FERRARIVS *de antiq. eccles. epist. lib. 1. c. 8.* *Inuoluntaria* est, per quam inuitus etiam dimittitur, vel ob *translocationem* ex causa faciendam, quam illustraui *tom. I. tit. de translat. episc.* §. 19. *sqq.* vel ob *renunciationem et cessionem imperatam* autoritate papæ vel episcopi, cuius exemplum deprehenditur in *c. 10. in f. de excess. prælat.* et in effectu *remotio honestior* est, quod alioquin, si *missionem* impetrare recusat episcopus vel clericus, sententia *depositionis* in eum feratur. Denique huc etiam illa species refertur, in qua *minister verbi diuini clericus* vel alius *officialis ecclesiasticus* præter voluntatem quidem suam, sed *honeste*, et citra notam remotionis ab imperante mittitur, cui in sacris hactenus seruierat, quique inter *ministros* eius hoc intuitu relatus fuerat. Verum hæc *dimissionis inuoluntariæ* species, quam nunc in scenam produco, a plurimis atro carbone notatur atque reiicitur, adeoque paulo penitius et accuratius in eam inquirendum et indagandum, vtrum et quatenus labe iniquitatis laboret nec ne?

voluntaria.

inuoluntaria.

Dimissio honesta quid?

§. LIX. Vt vero distincte hac in re procedatur, notandum est, (I) *missionem honestam*, vti vocatur, dici *reuocationem simplicem officii vel muneris clerico mandati, ex iusta causa, non tamen in pœnam delicti commissi, et ita citra processum inquisitorium factam.* (II) Præterea obseruandum, clericos, de quorum *dimissione* agitur, esse vel *ministros ecclesiæ* seu cœtus fidelium, vel *ministros principum* in

Clerici dimittendi sunt vel ministri ecclesiæ vel principum.

in ecclesiasticis, vel *ministros* prælatorum aliorumque clericorum. Denique (III) moneo, officia esse vel *hereditaria* vel *personalia*. Illa non tantum in *secularibus* negotiis occurrunt, et *iure feudi* conferuntur, sed etiam in *ecclesiasticis* rebus, quorsum refero *vicarios natos*, h. e. *legatos* sedis apostolicæ *natos*, *archidiaconos et archipresbyteros*, qui episcoporum *vicarii nati* sunt, quod officio eorum iure hereditario hæc *vicaria potestas* cohæreat. Tales quoque olim fuerunt quidam CAPELLANI, *iure perpetuo* ad curam animæ ducum constituti. HVGO III. Dux Burgundiæ, anno 1172. capellam Diuionensem fundauit, atque talem capellanum sibi et suæ coniugi constituit in *charta* apud AVBERTVM MIRAEVM *in notit. eccles. Belg. c. 98.* his verbis: *Siquidem nec dux nec ducissa capellanum habebit, nisi decanum capellæ vel aliquem de canonicis ipsius. Qui videlicet decanus vice domini papæ curam animæ ducis et animæ ducissæ debet habere.* Pariter IOANNES IV. Brabantiæ Dux anno 1416. in diplomate apud MIRAEVM *lib. I. donat. Belgic. c. 145.* declarauit, Abbatem Parcensem ordinis præmonstratensis iuxta Louanium *perpetuum et hereditarium capellanum ducis Brabantiæ.* Quia itaque hæc officia sacra *iure perpetuo* per modum priuilegii constituta sunt, certum est, ea *reuocationi* non fuisse obnoxia, adeoque huc non pertinere, sed duntaxat quæstionem esse de *muneribus personalibus*.

Officia sunt personalia vel hereditaria.

Hereditaria olim possidebant quidam capellani.

Quæ ad dimissionem non pertinent.

§. LX. Quod ergo ad *ministros ecclesiæ* attinet, eos voco, qui certo cœtui fidelium seu ecclesiæ cum munere sacro præpositi sunt, veluti *episcopi*, *presbyteri*, *diaconi etc.* Hi ab antiquo per *ordinationem* ita ecclesiæ suæ alligabantur, vt eam nec deserere, nec per *reuocationem* ab ea dimitti possent *inuiti*. Hoc vinculum reciprocum designabatur per *matrimonium*, quod inter episcopum aliumue clericum parochum cum ecclesia contractum dicebatur, ad designandam *indissolubilitatem* vinculi, adeo vt INNOCENTIVS III. constituerit in episcopo, a solo pontifice illud solui posse, vt *tom. I. tit. de translat. episc.* §. 5. obseruaui. Hoc stante principio dotanda erat *ecclesia* ab eo, qui illam fundabat atque exstruebat, quo *dotem congruam* marito suo adferre posset, vt plenius illustrat ZIEGLERVS *de dote eccles.* Sicuti itaque nec maritus vxorem, nec hæc illam pro lubitu dimittere nequit, ita nec episcopus aliusque clericus ecclesiam deserere, vel hæc illum *inuitum* dimittere poterat. Hoc modo rationes subduxisse fingitur EVARISTVS a pseudo-ISIDORO productus apud BLONDELLVM in *Pseudo-Isid. p. 152.* et GRATIANVM in *c. 11. C. 7. qu. 1.* *Sicuti vir*

Ministri ecclesiæ speciatim dicti dimitti inuiti non possunt.

Quod ex iuris canonici principiis illustratur.

vir non debet adulterare vxorem ſuam, ita nec epiſcopus eccleſiam ſuam, i. e. vt illam DIMITTAT, *ad quam ſacratus eſt* (olim etiam per *ordinationem* ad certam eccleſiam ſacrabatur) *abſque ineuitabili neceſſitate, aut apoſtolica vel regulari mutatione, et alteri ſe ambitus cauſa coniungat. Et ſicuti vxori non licet* DIMITTERE *virum ſuum, vt alteri ſe, viuente eo, matrimonio ſociet, aut eum adulteret, licet fornicatus ſit vir eius, ſed iuxta apoſtolum aut viro ſuo reconciliari debet aut manere innupta: ita eccleſiæ non licet* DIMITTERE *epiſcopum ſuum, aut ab eo ſe ſegregare, vt alterum viuente eo accipiat: ſed aut ipſum habeat, aut innupta maneat i. e. alterum epiſcopum, ſuo viuente, non accipiat, ne fornicationis aut adulterii crimen incurrat.* Obſeruo ex hoc textu, (1) eum, licet adulterinus ſit, ad principia ſeculi, quo hæc compilatio ISIDORI fabricata eſt, eſſe compoſitum, quod iam dudum inter eccleſiam et epiſcopum matrimonium quoddam effictum fuerit: (2) potiſſimum prohibitam fuiſſe *epiſcoporum dimiſſionem*, quod canones, vbi de *matrimonio* cum eccleſia inito loquuntur, *epiſcoporum* mentionem faciant, quod aliorum clericorum, ſub epiſcopo miniſtrantium, non fuerit eadem ratio, tantum ad ſubleuandam ſollicitudinem eorum vocatorum, adeoque facilius ab epiſcopo dimitti, vel transferri poterant: (3) nequidem epiſcopum dimitti poſſe, licet *crimen* commiſerit, niſi iudicio ſynodali vel autoritate apoſtolica depoſitus fuerit. Ceterum, quod de *epiſcopo* ſpeciatim cautum, pedetentim ad alios clericos tractum, præſertim ad *parochos*, eccleſiæ parochiali per matrimonium iunctos, imo tandem ad omnes clericos *beneficiatos*. Eam eſſe naturam *beneficiorum*, vt *ius perpetuum* et *ſtabile* conferant beneficiato, dictum eſt *tom. II. tit. de præb.* §. 3. *ſqq.* Simulac itaque *beneficia certa* ſingulis clericis, reali officio in titulis ſuis fungentibus aſſignata ſunt, non potuere non conſtituere, illos *in perpetuum* eis gaudere debere, nec pro lubitu *reuocari* aut *dimitti*, qua libertate alias olim epiſcopi gaudebant, ſi clericum minus idoneum eccleſiæ offendebant.

Facilius alii clerici, quam epiſcopus dimitti potuit.

Poſtea idem ad parochos tractum, et tandem ad quosuis beneficiatos.

§. LXI. Nec alio iure vtimur in eccleſiis proteſtantium. Etiam in his, qui vocantur, *beneficia* cum *officio* ſacro accipiunt, quæ ſibi ad vitam *iure proprio* attribuunt, vt ab iis dimoueri et ita dimitti non poſſint. Non ab *eccleſia*, cui agglutinati ſunt, quod iure *vocandi* quidem gaudeat, ſed non honeſte *dimittendi*: non a patrono, cui eam poteſtatem, vt rurſus dimittere poſſint parochos, non indulgent leges eccleſiaſticæ, poſtquam eccleſiæ patronatæ ſunt factæ *parochiales;*

Etiam proteſtantes miniſtris eccleſiæ ius perpetuum in beneficiis tribuunt. Ob quod inuiti honeſte dimitti nequeunt.

les: non a *consistorio*, quod duntaxat ius *remouendi* sacerdotes ob crimen exercet, mediante processu inquisitorio, a quo longe differt *simplex honesta dimissio*: non denique *princeps*, quod non *eius*, sed *ecclesiae suae* ministri sint, et quamuis facilius *suos* dimittere possit *ministros*, non tamen ad *alienos ministros*, maxime *verbi diuini*, manum porrigere debeat, nisi ita deliquerint, vt iure imperii deponi mereantur. Equidem vtilitas et salus ecclesiarum postulare videtur, vt consistorio amplior potestas, etiam in *dimittendis ministris inutilibus* concedatur, nec eius ius tantum ad *remotionem delinquentium* restringatur, cum conclamatum sit, vtplurimum ius *deponendi* restringi ad eos, qui criminibus inquinati sunt, et ita inutiles, otiosos, inordinate in domo DEI cum summo scandalo viuentes, et exemplo pessimo gregem domini dilacerantes foueri, tolerari atque defendi; ne dicam, aegerrime et non absque grauissima difficultate in plerisque locis deueniri posse ad *remotionem ministrorum ecclesiae*, etiamsi variis delictis sese maculauerint, quod semper patronos suae nequitiae et subterfugia habeant, secure vt plurimum dormientes; a quibus tamen liberari posset ecclesia, ab eiusmodi lupis oppressa, si *missio honesta simplex* consistorio certo modo concredita esset, vt eo facilius *inutiles* abiici possent. Verum praesens status ecclesiarum ad principia iuris canonici efformatus non ita est comparatus, vt eam disciplinam ferre possit, postquam ea imbuti sunt doctrina canonica plerique, beneficia, clericis assignata, perpetuum iis ius tribuere: neminem esse dominum ecclesiae; eos esse a DEO vocatos, adeoque ab eo tantum dimittendos; ne dicam, libertatem *dimittendi* ministros ecclesiae facile in abusum trahi, et ad eos etiam extendi posse, qui ecclesiae vtiles sunt, veritatem strenue propugnant, et scelera atque vitia hominum emendare atque corrigere intendunt, quos tamen respublicae corruptae saepius tolerare nequeunt, adeoque facillimi eorum iudices ecclesiastici forent in eis *honeste* dimittendis, si simplici reuocatione muneris ecclesiastici procedere possent; alia vt obstacula iam non tangam, infra adducenda et examinanda in *licita* et *permissa missione*, quae maiori iure in hoc casu allegari possent.

Ne quidem a consistorio.

Ministri principum ecclesiastici,

§. LXII. Progredior ergo ad clericos, MINISTROS PRINCIPUM, *immediate ab eis certo officio praepositos ecclesiastico, vt vel vices eorum autoritate publica agant, vel ipsis in sacris peculiariter inseruiant, et ita ab eis dependeant.* Plura eiusmodi officia resuscitata sunt in ecclesiis protestantium, sub papatu suppressa, vel reipublicae

et le-

et legitimis eorum imperantibus subtracta. Huc refero 1) *præsides et assessores consistoriorum*, qui non minus ex *secularibus* quam *clericis* lecti, et a principe, a quo hæc iudicia ecclesiastica dependent in esse et exercitio, hisce officiis præpositi, adeoque indubii principum officiales atque ministri sunt, æque vt officiales episcoporum veri ministri dici possunt. Quis vero crederet, etiam inter protestantes fuisse, qui hanc thesin in dubium vocarent. Decepti sunt dissentientes vulgato errore, *consistoria* successisse in locum antiqui *presbyterii*, et sicuti hoc olim ab *ecclesia* dependentiam suam habuit, ita et ministros *consistoriorum* magis *ecclesiæ*, quam *principum* ministros videri. Ita censuit LAVRENTIVS OHM *de iure episcopali thes. 18. lit. a.* Ita docuit olim MYLERVS AB EHRENBACH *in gamol. cap. VIII. §. 8. in f.* et ex hoc principio ipsum principem consistorio suo subiecit. Ita WEBERVS *de iure consistor.* passim iudicat, vt tamen sibi non satis in hac materia constet, et ieiune, confuse, et peruerse omnia proponat. Denique ne putes, hæc ad priscas reiicienda esse tenebras, eam adhuc resuscitauit nouiter opinionem FECHTIVS *in tr. de excommunic. eccles. §. 2.* censens, *iudicia ecclesiastica totam ecclesiam repræsentare;* id quod si verum est, *præsides* et *assessores* huius iudicii non sunt *principis*, qui *ecclesiam* solus non constituit, sed *totius ecclesiæ*, (quam ex tribus ordinibus, *magistratus*, *clericorum*, et *subditorum*, constare volunt,) ministri. Verum qui talia docent, erronee supponunt, 1) ecclesiam esse peculiarem *rempublicam*, adeoque ei peculiarem *iurisdictionem* et *magistratum* competere, quod a ratione et sensu Scripturæ S. alienum est, *hierarchiæ Romanæ* tantum proprium. 2) Faciem *ecclesiæ primitiuæ* nimis ieiune contemplantur, non cogitantes, eam prioribus tribus seculis fuisse a republica prorsus derelictam, imo, adeo omni ciuili auxilio et subsidio destitutam, vt a semet ipsa præsidium quærere debuerit. Status illorum temporum, quibus res Christianorum erant variis subiectæ persecutionibus, effecit, vt, quod auxilium a republica frustra expectabant, a semet ipsis petere debuerint, inde *presbyteri*, et *senatus ecclesiastici* constitutio erat necessaria, quæ ab *ecclesia* vnice dependebat, et formam *quandam iudiciorum conuentionalium* constituebat. Ast vbi ecclesiæ in *republica* tolerantur, fouentur, et *præsidio principali* firmantur, imperantium est, illarum causas in suis iudiciis diiudicare, negotia dirigere, et præuidere, ne res ecclesiastica quid detrimenti capiat. Hanc ipsam curam demandarunt consistoriis, quæ ab *ipsis*, non *ecclesia* amplius, dependent, et sic

Vt præsides et assessores consistoriorum,

A principe dependentes.

Dissentientes refutantur.

sic præsides assessoresque eorum sunt *ministri principis*, ab eo constituuntur, eorumque potestas ab ipso determinatur, vt praxis hodierna docet, et *tom. I. tit. de officio vicarii* prolixius demonstraui.

et superintendentes, præpositi, inspectores.

§. LXIII. Huc etiam (II) refero *superintendentes*, *præpositos*, *inspectoresque*, qui itidem *immediate* spartam suam a principibus protestantibus accipiunt, cum *vice principis* inspectionem exerceant, adeo, vt iis integrum sit, quibus hanc ἐπισκοπὴν demandare velint, nec *ius patronatus* se ad illam simul extendat, vel ipso CARPZOVIO *lib. I. iurisprud. consist. def. 19. n. 12.* teste, quod etiam admittit B. STRYKIVS *ad ius ecclesiast. Brunnemanni lib. 2. c. 8. §. 21.* Proinde hanc inspectionem non præcise pastoribus demandare tenentur, sed etiam aliis, veluti *Professoribus Theologiæ*; quid? quod quidam haud incelebres viri crediderint, etiam *laicis honoratioribus* hanc inspectionem committi posse, cum nec his χαρίσματα Spiritus S. sint denegata, nec illi inepti censendi ad hanc præfecturam subeundam. Quamuis vero hoc quodam iuris colore defendi possit, *rectius* tamen atque prudentius princeps facit, si his, quibus vel cura animarum vel studia Theologica commissa sunt, illam demandauerit, prout alibi dixi. conf. *tom. I. tit. de offic. iudic. ordin. §. 80. sqq.*

Periodeutæ,

§. LXIV. Proxime cum his coniungendi sunt (III) *Periodeutæ*, de quibus *tom. III. tit. de censibus §. 65. sqq.* plenius egi, atque notabili exemplo *§. 68. p. 607.* illustraui. Cum vero visitatorum munus hodie inspectoribus et superintendentibus demandari soleat, de illis non vlterius ero sollicitus. Pergo ergo (IV) ad *capellanos* principum, seu *aulicos sacerdotes* et *confessionarios*, speciatim ad hoc officium lectos, vt sacra in *capella* seu *templo* aulico faciant. Enimuero vtrum etiam hi in classem *ministrorum principum*, maxime protestantium, referendi sint, a quibusdam in dubium vocatum fuisse, scio. Afferunt, hos esse *verbi diuini ministros*, eos vero nullius hominis, sed solius Dei seruos esse, vt in responso DAVID. RVNGIVS, Profess. Witteberg. apud DEDEKENNVM *vol. 1. part. III. lib. 1. membr. 4. sect. 3. n. 1.* docet: sustinere ipsos personam Dei: *1 Corinth. IV.* gerere munus demandatum a Deo per ordinaria ecclesiæ vota: esse legatos Christi: *2 Corinth. V. v. 20.* omnem illis defuturam esse auctoritatem, si hominum imperio eosdem subiicere, et ita sacrum illorum officium a principum auctoritate repetere velimus. Nec distinguendum esse censent inter *Pastores ecclesiarum inferiorum*, et *sacerdotes aulicos*, cum inter hos nullam nisi hanc esse differentiam credant, quod illi

capellani seu aulici sacerdotes.

ecclesiis ruralibus vel *ciuitatensibus* præsint, hi autem in palatio principis (quod tamen non minus, ac cœtus alii, verbo diuino, et regulis ecclesiasticis subiectum est,) voluntatem Dei ex S. Scriptura annuncient, et potestatem sibi a Deo *immediate* demandatam exerceant, sine vlla dependentia, quam *officium ministri* inuoluit. Non noua narro, sed nota, et ab antiquis tradita. Hæc deprehendi in DEDEKENNI *consil. Vol. 1. p. 3. m. 3. sect. 2. n. 24.* vbi ita: Aber über ihre Gewissen, Glauben, Lehr, und Bekäntniß, auch Ihres Berufes Verrichtungen lassen Sie der Obrigkeit keine Gewalt, und sich nicht vorschreiben, was und wie Sie in ihrem Amte handeln sollen, sondern sehen allein auf GOTT, der über die Gewissen herrschet, und wie es mit Austheilung in dem Kirchen-Regiment soll gehalten werden, in seinem ausgedrückten Worte befehlen. Equidem admisi iam supra, ecclesiarum ruralium et ciuitatensium ministros *in sensu stricto* non esse *ministros principum*, etiamsi forsan ab eo, *iure patronatus*, immediate vocati, et ecclesiis his præfecti: admitto etiam, solam *confirmationem*, quæ a consistorio nomine principis fit, eos in classem ceterorum ministrorum *stricte dictorum* haud referre; *aulici* tamen *sacerdotes*, die Hof-Prediger, seu *capellani*, merito in illam collocandi sunt. Cum enim pastores alios optimo iure *ministros ecclesiæ* inde appellitare liceat, quoniam ab *vniuersitate*, quæ ecclesiæ voce denotatur, electi, vocatique sunt atque illi inseruiunt, nihil certe obstabit, quo minus *sacerdotes aulicos ministros principis* dicere atque *numero ministrorum aulicorum* etiam eos accensere queamus. Neque enim ceteris *ecclesiis particularibus* plus iuris in constituendis sibi *ministris*, quæ rem sacram faciant, quam *principi*, qui sibi eodem iure, quo ceteræ ecclesiæ, *ministrum verbi diuini* assumit, tribuendum est. Testatissimum præterea est, iam olim *principibus*, et proceribus Germaniæ liberam fuisse potestatem, erigendi sibi atque constituendi *oratoria priuata* et *capellas*, eisque *sacerdotem* præficiendi, quorum exemplis referti sunt omnes veteris historiæ ecclesiasticæ scriptores, et conciliorum monumenta, et quia *sacerdotes aulici* inde originem suam trahunt, adeo vt etiam hinc inde Hof-Caplan dicantur, e re erit, horum antiquam rationem intueri, vt hodierni *Capellani aulici* eo rectius suam originem, stemma, et genus nosse possint. Multi enim ex *ignorantia* peccant; alii ex *peruersa instructione*; denique alii, quod dolendum, ex *spiritu quodam papali*, qui nec in nostris penitus extinctus est ecclesiis.

Pastores ruralium et ciuitatensium ecclesiarum non sunt ministri principis in sensu stricto, sed ecclesiæ. Bene tamen aulici sacerdotes.

Quod ex antiquitate declaratur.

Domesticorum sacerdotum origo,

§. LXV. Equidem ciuitates olim templis abundabant, sed non item pagi, villæ, castella. Patres huius defectus passim mentionem iniecerunt, simulque auctores potentioribus fuerunt, vt ruri templa exstruerent, et *domesticum ministrum* eis præponerent. Iam *tom. III. tit. de capell. monach.* hoc demonstraui ex CHRYSOSTOMI *homil. 18. in acta*, cuius verba hic repetam: *oro et supplico et gratiam peto, imo et legem pono, vt nullus, qui habet villam, appareat carere ecclesia. Ne mihi dixeris, prope est, in vicinia est, sumtus est magnus, non magnum commodum: si quid habes insumendum in pauperes, illuc insumes melius, quam ibi. Educa magistrum, educa diaconum, et sacerdotalem ordinem.* Nihil aliud innuit CHRYSOSTOMVS, quam a proceribus et nobilibus exstruenda esse *priuata oratoria*, et clericos eisdem præficiendos, qui necessario ab eo dependebant, et *mensa domini*, vt alii *ministri*, vtebantur. Post pauca enim pergit: *Quale est, matutinis vespertinisque hymnis præsentem esse, et simul prandentem sacerdotem videre.* Hæ patrum sollicitationes ansam dederunt, vt passim *oratoria priuata* et *capellæ* in prædiis nobilium exstruerentur, adeo vt vsque ad inuidiam numerus earum excresceret, vt *cit. l. tom. III. p. 411. sqq.* prolixius deduxi. Hinc tot iura circa *capellas* et *oratoria*. Episcopi tamen sub imperio CAROLI M. suæ autoritati aliquid decedere arbitrabantur, inprimis in *palatiis principum* et *Regum* per *capellanos* ibidem constitutos, a *capellis* dictos, quos principes in suis palatiis exstruebant, eisque sacerdotes præficiebant, vt obseruat ANTON. MATTHAEI *in notis ad anonymum auctorem de rebus Vltraiect. pag. 117.* aiens: *Capellæ ædes sacræ, quas in prædiis viri illustres habebant, vbi sacris operabantur, faciente hac et ministrante iis proprio sacerdote*, CAPELLANO *ob id dicto.* Hi capellani erant de *domo et mensa domini*, in cuius palatio exstructa erat *capella*, prout liquet ex *diplomate de Ao. 1172.* apud AVBERTVM MIRAEVM §. LIX. adducto, vbi ita: *vt vero iidem capellani mei de* MENSA MEA *et* DOMO *esse manifestius cognoscantur etc.* Adeo vero ministri illius domini, qui *capellam* exstruxerat, *capellani* erant, vt sæpe ad viliora officia præterea adhiberentur. Testis est AGOBARDVS *tom. III. tit. de capell. p. 416. §. 18.* plenius relatus, enarrans, *plerosque inueniri, qui aut ad mensas administrent, aut vinum misceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus fœminæ sedent, regant, aut agellos prouideant.* Adducit etiam hæc verba LVNICH. *in Spicil. ecclesiast. tom. I. cap. 1. n. 21.* ex *epist.* ZACHARIAE *ad Bonifacium de Ao. 751.* quam etiam BARONVS *ad cit. ann.* habet, sed

Qui oratoriis priuatis præficiebantur,

Etiam in aulis Regum principumque.

Quid capellæ.

Capellani erant de domo et mensa domini.

ſed verba adducta omiſit, quia non ſunt ZACHARIAE, ſed AGOBARDI. Forſan LVNICHIVS A VORBVRGIO *ad cit. an. 751.* in errorem deductus eſt, qui epiſt. ZACHARIAE adducit et pro eius illuſtratione *Vol. 9. pag. 491.* verba AGOBARDI quaſi in parentheſi inſeruit, quæ tamen ZACHARIAE non erant adſcribenda. Hoc tantum obiter moneo, vt inde liqueat, quam inſigni incuria diplomata a LVNICHIO deſcripta fuerint. Hæc ratio itaque olim offendebat epiſcopos, eosque inducebat, vt horum capellanorum conſtitutionem ægre ferrent, vt colligitur *ex capitul.* CAROLI M. *lib. 1. c. 182.* vbi ita: *Placuit nobis, vt, ſicuti ab epiſcopis admoniti fuimus, ne capellæ in noſtro palatio, vel alicubi, ſine permiſſu epiſcopi, in cuius eſt parochia, fiant.* Hoc ipſo epiſcopi id vnice intendebant, vt in poſterum *capellani* ab ipſis potius, et non a proceribus, qui eos capellis præficiebant, dependerent; ſed ſubſequentium temporum experientia docuit, inanes eorum conatus fuiſſe, vt *tom. III. cit. l. §. 20. ſqq. p. 417.* dictum.

Inde archicapellanus quoque miniſter regis erat.

§. LXVI. Etenim ſub ipſis CAROLI M. temporibus plures *capellani* adhuc erant in palatio regis, quorum princeps erat *archicapellanus, primarius* regis *miniſter* in dirigendis cauſis eccleſiaſticis, et præſes Conſiſtorii ſacri, quod a rege dependebat, ſicuti ipſe *archicapellanus.* Teſtis eſt HINCMARVS *tom. II. pag. 206.* aiens: *A tempore* PIPINI *et* CAROLI *interdum per presbyteros, interdum per epiſcopos regia voluntate, atque epiſcopali conſenſu, per diaconos, vel presbyteros magis, quam per epiſcopos hoc officium executum extitit, quia epiſcopi continuas vigilias ſupra gregem ſuum debent aſſiduo exemplo et verbo vigilare, et non diutius ſecundum ſacros canones a ſuis abeſſe parochiis.* Diſtincte id vlterius ex eodem HINCMARO illuſtrat PETRVS DE MARCA *lib. IV. de concord. ſacerd. et imper. cap. 7. §. 3.* docens: ſummum capellanum *vice regis* in palatio ius *de cauſis eccleſiaſticis* dixiſſe, et de negotiis grauioribus ad regem retuliſſe, adeoque eo tempore PRIMARIOS in palatio fuiſſe REGIOS MINISTROS, *capellanum* et *comitem Palatii.* Idem confirmat WALEFRIDVS STRABO *libro de rebus eccleſiæ cap. vlt. quemadmodum ſunt in palatiis præceptores vel comites palatii, qui ſecularium cauſas ventilant; ita ſunt et illi, quos ſummos capellanos Franci appellant, clericorum cauſis prælati.* Conferatur STEPHANVS BALVZIVS *ad Lupum Ferrarienſem pag. 384. et pag. 450.* vbi de horum ſumma dignitate agit. Hæc apertiſſimum edunt documentum, capellanos regios *in ſacris* miniſtros fuiſſe, quem characterem etiam in poſterum retinuerunt, poſt-

quam vel maxime *templa aulica* dilatata, nec intra angustias *oratoriorum* substiterunt. Huc sine dubio respexerunt PACIFICATORES PACIS OSNABRVGENSIS *articul. VIII.* §. 1. indulgentes principi, vt si ad alterius partis inter protestantes sacra transierit, *ipsi quidem concionatores aulicos* SVAE CONFESSIONIS *secum atque in residentia sua habere liceat*, non alia ex ratione, quam quod *templum aulicum* sacris ipsius principis destinatum sit, concionatores vero aulici ex antiqua praxi in eius *ministerio* existant, conf. STRYKIVS *de for. ministr. Principis cap. 1. §. 9.* Necesse itaque est, vt princeps sit eiusdem *confessionis*, cuius sacris ab antiquo *templum palatinum* dicatum, in eo secundum *instrumentum pacis* in perpetuum continuandis. Si *diuersae religionis* est, eius sacris non possunt dici praefecti *palatini sacerdotes*, sed tunc magis *ecclesia palatina*, a sacris principis dissentiens, induit naturam *ecclesiae parochialis*, vt huius simul ministri, quod in huius vtilitatem et commodum, non *principis*, vocati sint.

Respondetur dissentientibus.

§. LXVII. Quae a dissentientibus communiter opponi solent, hanc labefactare nequeunt sententiam, multo minus illa, quae DAVID RVNGIVS *c. l.* adducit. Equidem hic vrget, *ratione officii ministros sustinere personam Dei*, simul tamen haec subiicit: *Huius sanctissimi muneris censura pertinet ad consistorium, quatenus id repraesentat non politicum magistratum, sed totum ecclesiae corpus, veluti presbyterium aliquod.* Hoc ipso concedit, officium hoc non esse *independens*, sed eius nomine *consistorio* vel *presbyterio* rationem esse reddendam. In eo tamen fallit, quod consistorium repraesentare *ecclesiam* asserat, cui tamen nulla iurisdictio competit, quae potius a *principe* dependet. Hoc posito, vel inuitus concedere debet, officium *ministrorum aulicorum* multo magis subesse principi, si conceditur, quod consistorio subsit, quam *dependentiam* egregie illustrat HVGO GROTIVS *de iure summarum potestatum circa sacra cap. IV.* §. 1. THOMASIVS im Bedencken über die Frage, wie weit ein Prediger gegen seinen Landes-Herrn, welcher zugleich *summus episcopus* mit ist, sich des Binde-Schlüssels bedienen könne? Equidem *suam personam* subiicere solent principi, sed non *officium*, quod immediate a Deo sibi concessum arbitrantur. Verum posterius erroneum est, cum per principem ad hoc *officium* a se ordinatum vocati sint, et sic quoque ei de ipsius administratione rationes reddere teneantur. Denique si ex vulgata, quamuis erronea, doctrina suppono, principes nostros esse episcopos in suis territoriis multo

multo minus dependentiam a principe, tanquam quodam episcopo, declinare possunt dissentientes, quo tamen argumento tantum κατ' ἄνθρωπον vtendum censeo.

§. LXVIII. Status controuersiæ itaque de his potissimum clericis hic formandus est, qui et quatenus sunt *ministri principum*, eius capellani aulici, iudicio ecclesiastico, vel muneri inspectionis præfecti, vtrum a principe ex causa honesta dimitti possint, citra processum *remotioni* vel *depositioni* præscriptum? Enim vero ante omnia hic *quæstio præiudicialis* discutienda, an imperanti vel principi integrum sit, officiales publicos, seu ministros a se constitutos, honeste reuocare et mittere, seu eorum officium reuocare salua eorum existimatione? Distinguunt quidam inter casus diuersos, quorum *primus* est, si sub clausula *ad beneplacitum* officium concessum est, de quo casu ita censet IOH. PETR. FONTANELLA, *in tr. de pactis nuptial. part. 1. clausul. 4. glossa 10. n. 152. ex his vides*, (attulerat enim varias de *reuocatione precarii* Doctorum sententias) *omnes fere concordare doctores, vix aliquo discrepante, quod requirat causæ cognitionem reuocatio beneplaciti, a qua opinione ne solus ac singularis videatur, nec ego recedo, sed velim mibi concedatur dicere, quid sit, quod eam mibi opinionem, si non improbabilem, dubiam tamen reddat.* De solo *beneplacito* loquitur FONTANELLA, et quamuis, vt ex *allegato loco* apparet, se consentire dicat cum aliis, asserentibus, principem *beneplacitum* nonnisi *ex iusta causa* reuocare posse; re ipsa tamen contrariam elegisse sententiam videtur. Nam (1) recte asserit, maximam *communis vsus loquendi* efficaciam in vocabulorum intellectu sitam esse; vulgus autem per *concessionem ad beneplacitum* nihil aliud quam *concessionem precariam* intelligere: (2) apposite huic rei quoque *argumentum de superfluo vitando* adiungi posse; quæuis enim negotia *ex iusta causa* reuocari posse, adeoque superuacanea fore verba: *ad beneplacitum*, nisi aliquid magis operentur. (3) Ex his etiam rationibus suæ ciuitatis aduocatos, inter quos et ipse locum tenebat, respondisse affirmat: *quod secundum communem vsum loquendi verba:* AD BENEPLACITVM, *liberum designarent arbitrium absque aliqua causa, seu illius cognitione, pro lubitu voluntatis exercendum.* Pariter concedit ANTONIVS DE PETRA *tr. de iure quæsit. per princ. non toll. cap. 29. §. 1.* iurisdictionalia *precario* concessa, etiam per principem *ad nutum* reuocari posse, nec quenquam ob talem reuocationem posse conqueri, natura contractus precarii ita suadente: postea tamen ex

Status controuersiæ formatur de honesta missione ministrorum principis ecclesiasticorum.

Præiudicialis quæstio de missione honesta ministrorum in genere.

Fontanella de officio ad beneplacitum concesso.

Antonii de Petra.

ex *cap. 16. de R. I. in 6.* (vbi disponitur: *decere a principe concessum beneficium manere,)* dubium sibi mouet, et vtilitatem publicam tales officialium mutationes dissuadere dicit. NICOLAVS BOERIVS vero paulo audacius nullo moto dubio, nullo vel *temporis*, vel *circumstantiarum* habito respectu, *Officiarii*, inquit, *qui sunt in aliquo officio, etiam ad beneplacitum ipsius principis, prout in omnibus officiis solet apponi: quamdiu nobis placuerit, censentur perpetui.* Eandem sententiam tuetur D. ANT. FERD. DE OTERO in tr. *de officialibus reipublicæ.* Etenim dissentientium argumenta *cap. XIII. n. 1. sqq.* præmittit, et tandem, suis adductis rationibus, se non sine causa ad BOERII et aliorum, ita sentientium, castra transire ostendit. Præter dubia enim, quæ ANT. DE PETRA, pro libertate principum in mittendis et reuocandis ad beneplacitum assumtis ministris alias pugnans, *citato loco* excitat, hæc magnis præiudiciis et auctoritatibus corroborata, et non leuis ponderis argumenta, vt putat, addit: 1) omnia officia sine temporis definitione concessa censeri perpetua: 2) ministrum, ex quo semel principi placuit, amplius ei displicere non posse: 3) beneplacitum nec tacite exspirare, nec morte mandantis extingui: 4) plures extare regni leges, quibus summa cum difficultate officia semel concessa auferenda esse caueatur, vt *cap. XIII. n. 13.* inde colligat, *ignominiosum esse, officia etiam ad beneplacitum concessa sine iusta causa reuocare.* Ampliat hæc atque dilatat CASP. KLOCKIVS *consil. 32. n. 14.* inquiens: *beneplacitum notat arbitrium boni viri: nullus autem bonus vir concessionem a se factam aufert.* Huic sententiæ iisdem fere motus argumentis subscribit etiam CAROLVS TAPIA *in comment. ad l. fin. D. de constit. princ. part. II. cap. IX. n. 73. et 76.* et plures alii, qui hinc inde ab auctoribus allegatis citantur; mirum tamen id ipsum videtur MEVIO *part. II. decis. 12.* qui negat, maiorem officiali, *cui cum placet integrum sit resignare,* quam domino tribuendam esse potestatem, adeoque quemquam *ex officio, quod non ex lege aliqua, sed voluntate constituentis ex beneplacito seu electione defertur, tale non posse accipere ius, vt inuito domino repetere queat,* expresse euincit.

Nicolai Boerii.

Oteri sententia adfertur.

Klockii.

Caroli Tapia.

Meuii.

§. LXIX. Hæ doctorum de *beneplacito* opiniones infra examinandæ sunt; modo videamus, quid de iure principis circa reuocanda officia *indefinite* concessa sentiant plerique. In genere in eo omnes ferme conueniunt, non sine iusta causa, quarum plerumque tres, *negligentiam* nempe, *insufficientiam*, et *vtilitatem publicam* con-

Dd. sententiæ de officiis indefinite concessis.

constituunt, dimittendos esse ministros. Ita censent OTERO *tr. de officialibus cap. XIII. §. 1. 2. & 3.* ac MENOCHIVS *tr. de arbitrariis iudicum quaestionibus lib. 1. quaest. 55. n. 7. et 8.* qui tamen tribus illis adlatis caussis quartam addit: *si in officio deliquerit officialis.* Huc etiam collineasse Scabinatum Lipsiensem, obseruat SCHILTERVS *exercit. ad D. 37. §. 143.* qui officiali cuidam, de reuocatione a domino facta conquerenti, sequentem in modum respondit: Ob wohl die Bestallung der Heydenwald- und Grünthalischen Gerichte durch eine Person pro re merae facultatis zu achten, welche der praescription nicht unterworfen, und also denen von Schwartzenberg die Verwaltung Ihrer Gerichte Euch einmal aufgetragen, in die dreyssig Jahr dabey gelassen, und dergleichen auf schriftliche Bestellung angenommene Diener ohne redliche Ursach und ungehörter Dinge ihrer Dienste nicht entsetzet werden können, und die remotio ab officio einem Diener an seinen Ehren und guten Leymuth verkleinerlich; so seyd ihr den von Schwartzenberg wegen der ohne sattsame Ursach vorgenommenen Entsetzung eurer Person von dem euch vormals aufgetragenem Amte actione iniuriarum ad aestimationem zu belangen wohl befugt. Hinc ipsemet SCHILTERVS, hoc inductus praeiudicio, citato loco affirmat: *nunquam dimissionem deficiente causa, carere ignominia, quare a munere publico neminem temere mittendum.* Hoc supposito tribus tantum modis vacare officia dicuntur, *morte, resignatione, delicto*, ex sententia BOERII *dec. 149. n. 14.* ZAHNII *in politia municipali lib. 2. cap. 33. n. 18.* ANTON. DE PETRA *loc. c. cap. 39. n. 2. 3.* CASP. KLOCKII *consil. tom. 1. cons. 32. n. 14.* & CAROLI TAPIA *ad l. fin. D. de constit. princ. part. II. cap. 9. n. 74.* Imo tantae auctoritatis eo tempore haec ipsa visa fuit sententia, vt ipsi reges, & summi rerum moderatores, veluti Lusitaniae, Castellae, & Franciae eidem se subiicere non dubitauerint, teste BARBOSA *in collect. ad Codic. lib. II. tit. 7. l. 9. n. 5.* Etenim palam esse aiunt, dimissionem non carere ignominia, nec sine graui detrimento ipsius ministri concipi posse. Ita censuit L. B. de LYNCKER *diss. de beneplacito sect. II. cap. 1. §. 11. nullibi sine causa fieri debere dimissionem officiorum, eo ipso, quod saltem non expressa caussa paruipendium quoddam subesse videatur.* Et paulo post: *damnum autem & contumelia si absfuerit, omnino dicerem, liberrima voluntate principem in abdicando procedere, suoque iure vti posse.* Vnde etiam Scabini Lipsienses actione iniuriarum contra dominum officialem dimittentem agi posse putauerunt, in praeiudicio modo adlato.

Aliorum opiniones referuntur.

Argumenta legum pro hac sententia.

§. LXX. Qui in hac hærent hæresi, & omnem principi facultatem *dimittendi ministros suos* negant, non obstante clausula *beneplaciti*, quin potius hoc sua natura *perpetuum* esse, arbitrantur, etiam ex *iure ciuili* argumenta promunt. Etenim confugiunt (1) ad *l. 56. de condict. indeb.* vbi occurrit conditio: *ne conueniatur, donec Titius consul fiat*, additque ICtus, posse exceptionem inde *perpetuam* nasci, quæ ad tempus est inita: (2) ad *l. 30. pr. de excusat.* vbi agitur de his, qui a latere principis sunt, a tutela excusandis, additque ICtus hanc rationem: *quod circa latus eorum agerent, & honor delatus finem certi temporis ac loci non haberet*, ex quibus verbis communiter colligunt, perpetuos censeri officiales principis, obseruante GOTHOFREDO *in not. litera l.* (3) Addunt, in *l. 34. de rebus cred.* dici: *quod præsidis prouinciæ officiales perpetui sint.* Vnde inferunt regulariter eos, qui non sunt ad tempus assumti, *perpetuos* esse constitutos, & ita in officium habere ius quæsitum, vt reuocari non possint. Idem (4) ex *l. 5. de iurisd.* deducunt, quæ docet, magistratum iurisdictionem *suo iure* habere, non *alieno beneficio*, & ita temere reuocari non posse, cum quod *meum* est, mihi auferri nequeat. (5) Præterea secundum *l. 6. §. 6. de excusat. & l. 11. §. 3. de muner. & bonor.* tunc demum reprobari medicum, semel probatum, a republica posse, ICtus asserit, si secundum *l. 6. §. 4. cit.* circa functionem suam se negligenter habeat, prout SCHILTERVS *exercit. 37. §. 144.* hunc textum in hac materia excitat. (6) Generatim quoque *l. 11. d. R. I.* docet, id, quod *nostrum* est, sine facto nostro ad alium transferri non posse; ergo nec *officium publicum*, in quod *ius quæsitum* minister habet. (7) Accedit secundum *l. 12. C. de dignit.* iudicem demum honore exui posse, si se furtis & sceleribus maculauerit; ergo a contrario sensu omni scelere vacuum a munere inuitum retrahi non posse, quod iniuria non vacet. Etenim constat (8) ex *l. vlt. D. vbi pupill. educari debeat*, amouere magistratum loco, esse grauem iniuriam, & notam inferre. (9) Sicuti vlterius per *l. 7. C. de prec. imper. offerr.* illa rescripta reprobantur, quæ lædunt alium, petenti autem prosunt, & contra ius ita esse videntur; ita idem iis quoque rescriptis applicandum esse censent, quibus officialis reuocatur, cum exinde non possit non damnum sentire. (10) Denique in *l. 3. C. de officio præfecti prætor. orient. & ill.* cauetur, non alios iudices quam *inutiles* remouendos & mutandos esse, vt propter aduersam & longinquam corporis valetudinem, vel propter negligentiam, aut furtum,

tum, aut simile aliquod vitium, quorsum etiam collineare videtur *l. 38. in fin. C. de decurionibus X.*

§. LXXI. Sed tædet, plura congerere ex *iure ciuili* argumenta, cum adducta ita comparata sint, vt, si ad Lydium examinantur lapidem, thesin nostram nullo modo feriant. Nam 1) quidam textus expresse loquuntur de *remotione*, quæ in pœnam fit, quæ tamen cum *simplici dimissione* confundi non debet, prout passim tamen interpretes faciunt. 2) Erronee supponunt, officiales indistincte *ius perfecte quæsitum* in officium commissum habere, intuitu *principis*, quod ei citra iniuriam auferri non possit, quia non satis perpenderunt, quid sit, *suo iure* & *non ex alieno beneficio* magistratum iurisdictionem habere, quæ duo tamen tantum *ordinarios magistratus* a *mandatariis* distinguunt. 3) Constat ex quibusdam textibus, olim quosdam officiales fuisse *perpetuos*, quosdam *temporales*. Illi quidem ita dicuntur, quod non ad certum tempus sint assumti, & quod regulariter perpetuo muneri præsint, quod tamen facile intelligi potest cum limitatione, *nisi reuocentur;* nam quod sine temporis determinatione alicui concessum est, *suo modo* dicitur *perpetuum*, vt interpretes de *precario* ipso admittunt, quo ipso tamen facultas reuocandi precarium non censetur ademta. Maior forsan dubitandi ratio est de officiis ad *certum tempus* speciatim concessis, quibus inesse videtur conditio, quod ante tempus reuocari non debeant. 4) Quidam textus de *inferiorum magistratuum & rerumpublicarum potestate* loquuntur, qui tamen hic alieni sunt, vbi de *iure principis* tantum sollicitus sum. 5) Denique & hoc addo, doctrinam de *iurisdictione* & *magistratibus*, in iure Romano expositam, incongrue ad fora nostra applicari, cum facies nostrarum rerumpubl. a Romana sit plane diuersa, nec officiales nostri cum Romanis indistincte comparari, multo minus *iura principum* nostrorum ex *iure Romano* peti possint. Potius tota hæc doctrina ex principiis *iuris publici*, ad statum rei Germanicæ accommodatis, haurienda est, quæ ab antiquis interpretibus per prouocationem ad ius Romanum valde sunt turbata.

Iudicium tum de argumentandi genere tum de argumentis fertur.

§. LXXII. Ceterum non tantum de *dimittendis* officialibus, curæ reipublicæ admotis, ambigunt, sed multo magis ingentes fluctus mouent de *ministris ecclesiæ*, an & quatenus *ex caussa* mitti possint? Equidem episcopis ceterisque clericis non posse summum Pontificem absque caussa vel delicto auferre episcopatum vel beneficium,

Sententia anceps Dd. de dimissione ministrorum ecclesiæ.

censet CAROLVS TAPIA *ad l. fin. D. de constit. Princ. cap. 9. part. II.* quod tamen sine dubio de *remotione* intelligendum, vel si etiam *dimissionem simplicem* complectitur, satis innuit, clericos ad nutum non esse reuocabiles, forsan ideo, quod *ordinationem* acceperint, & per hanc *characterem indelebilem*, qui operatur, vt sine dedecore secularibus officiis se dicare nequeant, vt supra monui. Verum quam diversa etiam hac in re olim praxis fuerit, edocet THOMASSINVS *P. II. lib. I. c. 15. seqq. de vet. & nou. eccles. discipl.* ostenditque, episcopos non raro *clericos* inferiores ita in sua potestate habuisse, vt ad nutum amoveri possent. Illud vnice tantum obseruo, de *pleno principis in capellanos iure* non facile olim dubitatum fuisse. Cum enim, quod itidem *supra* obseruaui, *de ipsius mensa* tales capellani essent, & quæuis etiam vilissima officia sæpe subire cogerentur, plerumque etiam ex adscriptitiis & libertinis eligerentur, nulla prope dubitandi aderat ratio, hos ad nutum amoueri posse. Hinc est, quod prouocet OTERVS *tract. de officialibus cap. 13.* ad D. PEREZ DE LARA, qui *tract. de capellanis cap. 6. n. 22.* contendit: *Capellanum ad nutum remotum non posse ex remotione facta a patrono vel successore conqueri, cum non videatur iniuriam inferre, qui vtitur suo iure.* Pari ratione LAMBERTINVM pluresque alios inducit, aperta voce aientes: *Capellanum absque legitima causa ad nutum pro libito voluntatis posse amoueri.* Ab antiquo enim per inueteratam praxin inualuit, *capellanos*, tanquam *clericos domesticos & priuatos*, subesse constituentis arbitrio, & pro lubitu reuocari posse, vnde factum est, quod adhuc hodie *capellaniæ* vtplurimum dicantur *beneficia manualia*, seu *ad nutum amouibilia*, de quibus pleni sunt Pontificiorum libri. vid. LEVRENIVS *in for. benefic. p. 1. qu. 84. seqq.*

Distincte procedendum esse ostenditur, pro diversa ratione conferendorum beneficiorum.

§. LXXIII. Liquet ex hactenus dictis, interpretes iuris fere sine vlla *officiorum* distinctione doctrinam hanc ponderasse & excussisse, cum tamen varia officialium sit ratio, & ex diuersa eorum conditione rationes dubitandi non leues enasci possint. Scilicet hodie *officia personalia* vel respiciunt negotia *mere transeuntia*, seu *temporalia*, & a nutu principis mere dependentia, vel talia, quæ *tractum temporis continuum* habent, & *perpetua* dici possunt, quod certo tempore non finiantur. Illa, quando committuntur officialibus, vel ministris, quocunque tempore reuocari posse, vix dubium habet. Huc pertinent *legati principum*, *iudices delegati*, *commissarii* ad negotia pacis vel belli,

belli, *visitatores*, olim *intercessores*, quorum fit mentio *in l. 42. §. 9. C. de episc. & cleric. & cap. 22. C. 7. qu. 1.* vt & *missi dominici*, qui a regibus olim ad monasteria & collegia mittebantur, vt inquirerent, rectene omnia, an secus, inprimis in ecclesiis & monasteriis, fierent, de quibus videatur VADIANVS *apud* GOLDAST. *tom. III. rer. Alemann. fol. 34. seq. &* LEHMANNVS *in chronico Spirensi lib. 2. c. 10.* Huius generis ministri *simplicibus procuratoribus* æquiparandi sunt, qui ad negotia non *perpetua*, sed *transeuntia* tantum dantur, & sicuti hi revocari quouis tempore possunt, ita quoque tales temporales officiales. Sic iudices delegati a papa vel principe ad certam causam simpliciter possunt omni tempore reuocari, expresse & tacite, *per cap. 28. vers. præterea. X. de offic. & potest. iud. deleg. cap. 25. eodem*, etiam re non amplius integra, imo sine caussa. Recte ait B. STRYKIVS *diss. de delegat. princ. cap. 5. n. 72. deleganti enim semper res est integra, neque caussam habent conquerendi mandatarius aut litigantes: non ille, quia caussæ cognitionem suscipit, non vi mandati, quatenus contractus est, sed imperii necessitate; non hi, quia eorum consensus iurisdictionem non tribuit.* Similiter legatos, plenipotentiarios, residentes, agentes, aliosque quovis tempore reuocari posse, adeo quotidiana experientia docet, vt in dubium vocari nequeat. Et quis ambigeret, *visitatores extraordinarios* æque facile hodie dimitti posse, vti olim *missi dominici?* Et tamen hi omnes æque sunt *officiales principum*, etiamsi *clerici* fuerint, ac hi, qui *perpetuo officio* præficiuntur, quamuis *ad tempus* officium gerant, nec tantum finito negotio, sed etiam ante illud *pro lubitu* reuocentur, in quo plerique nobiscum conspirant.

De officialibus officio perpetuo præfectis,

§. LXXIV. Progredior ad eos officiales, qui officio *constanti, ordinario*, & *sua natura perpetuo* præficiuntur. Huius naturam & rationem plerique non satis perpendunt, vt lapis offensionis esse soleat, et plerorumque animis insit sententia, illud *sua natura* restringere potestatem principis, vt reuocari libere nequeat. Verum hic rursus casus *dubios* a *liquidis* separemus, distinguendo, vtrum officiales sint constituti *definite*, an *simpliciter*? Prius fit, si vel clausula *ad beneplacitum* expresse concessioni officiorum adiicitur, vel illa ipsa ex aliis clausulis colligi potest. Prius vbi factum est, prout reges Galliæ vtplurimum in more positum habere solent, vt hanc clausulam concessionibus suis addant: *tant qu'il nous plaira*, euidens est, principi semper liberam esse dimittendi facultatem. Hæc enim est natura *beneplaciti*,

cum clausula ad beneplacitum.

citi, cuius fit mentio *in cap. 5. de rescriptis in 6. & Aur. Bull. tit. XII. §. 2. in fin.* vt actus vel negotium in *merum* alterius *arbitrium* & *voluntatem* conferatur, vt ipse de LYNCKER *de beneplacito sect. 1. cap. 2.* illud definit, adeo vt ne quidem *causa* reuocationis alleganda sit, cum ex nudo voluntatis placito totum negotium dependeat, idemque sit, ac, quod in iure dici solet, *arbitrarium*. Hinc beneplacitum nulli imperio, nulli impedimento aut necessitati subiacere, sed quandocunque reuocari posse dicitur, obseruante BARBOSA *in thesauro lib. 2. cap. 7. ax. 1.* exemplo locationis conductionis sub hac clausula: *quoad is, qui eam locasset, dedissetque, vellet*, factae, quae semper reuocari potest, & morte locatoris finitur. *l. 4. locat.* Quae cum ita sint, mirum est, interpretes nihilominus facultatem, dimittendi pro lubitu officiales hoc modo datos, restrinxisse, adeo vt *sine legitima causa* id fieri non possit. Ex quo infert VINCENT. CAROCIVS *de locat. conduct. quaest. 12. n. 13. consulem ad beneplacitum positum non debere sine causa reuocari*, *quod talis concessio semper intelligatur arbitrio boni viri facta.* Verum ipsemet BARBOSA *c. l. axiom. 2.* recte ostendit, sub clausula *beneplaciti* non *arbitrium boni viri*, sed *liberum* contineri; quod eo magis de *principe* asserendum est, qui rationibus reddendis nemini est obnoxius, nec ad eum adplicari potest, quod alias de *priuatis*, quando eorum voluntati, tanquam *arbitrio boni viri* quid relictum, iura disponunt. Quis enim principi desuper controuersiam moueret, & ab eo exquireret, vtrum iustam reuocandi causam haberet nec ne? quid? quod hoc ipso tota vis huius clausulae in fumum abeat, & inanis sit. Nec obstat, quod officium, ad *beneplacitum* concessum, *perpetuum* reputetur; id enim non alio accipiendum est sensu, quam quod *sine temporis definitione* collatum sit, & aeque ac precarium ad mortem vsque durare possit, nisi princeps illud reuocauerit; minime vero quod officialis *ius perpetuum* & *radicatum* in illo officio habeat, vt ipsi inuito auferri facile nequeat. Ita recte censet FRITSCHIVS *de resignat. cap. 4. n. 57.* &, *ex officio*, ait, *quod voluntate constituentis* EX BENEPLACITO *defertur*, *officialis tale ius accipere non potest, vt inuito domino retinere queat.*

Qui pro lubitu dimitti possunt.

Vtut officium in perpetuum videatur concessum.

§. LXXV. Idem quoque dicendum esse arbitror, si aliunde mens concedentis appareat, quod officialem ad *beneplacitum*, auf Wohlgefallen, constituerit; veluti si princeps sibi expresse facultatem dimittendi liberam reseruauerit, eandemque potestatem resignandi officiali dederit, daß ein Theil dem andern nach Gefallen, und da

Beneplacitum etiam ex aliis colligitur verbis.

da es seine Gelegenheit seyn solte, ein viertel Jahr zuvor die Bestallung schriftlich auffkündigen möge, quam clausulam adducit B. DE LYNCKER. *cit. diss. sect. II. cap. I. §. 2.* quæque in constitutione assessorum Cameræ adhiberi solet *per ordin. Cameral. de anno 1521. art. 6. §. 1.* Huc etiam referunt, si ex *mera gratia*, aus sonderbahren Gnaden, officium alicui concessum fuerit, quod itidem mere *precarium* est, quamuis rursus B. DE LYNCKER *cit. l.* hoc casu non amplius nudam propensionem principis attendendam esse constituat, maxime si interuenerit factum quoddam reciprocum, veluti si officialis omnia circa examen & præstationes ceteras impleuerit.

§. LXXVI. Scilicet qui vbique crepant: *officiales tales sine caussa legitima dimitti non posse*, non distinguunt regulas *iusti* & *honesti*, & ad illas trahunt, quod *honestatis* tantum inculcant leges, quæ tamen in foro externo non necessitant, neminemque adstringunt, vt rationes sui actus reddere teneatur. Potest vtique princeps peccare *in conscientia*, si officialem, reipubl. admodum vtilem & necessarium, temere ex friuolis caussis dimouerit; sed *regulas iusti* non violat, nec minister hoc modo dimissus de iniuria sibi facta conqueri, multo minus a principe exigere potest, vt *rationes* factæ missionis exponat, & quasi iudicio subiiciat, si vel maxime superior adesset, qui de iis cognoscere posset. Idem obseruauit in alia materia egregie THOMASIVS *in diss. de desert. ordinis eccles. §. 26.* ostenditque, ex ipsis Protestantium theologorum pariter atque ICtorum principiis, desertionem talem ministerii *regulis honestatis* quidem repugnare, si *sine graui & iusta causa* suscipiatur, non semper *regulis iustitiæ*, id quod quoque ad hoc argumentum trahi potest. Proinde satis iniurii sunt in ipsum principem, qui post *missionem honestam* scriptis publicis eum traducunt, iniustitiæ accusant, & in tantam erumpunt vesaniam, vt etiam *caussas missionis sua* ab eo exposcere non vereantur, quo publice constet, se quasi *per iniuriam* esse missos, quo facto tamen nihil potest esse iniquius, & a sani hominis ratione alienius. Nec ii melius se expediunt, qui *vtilitatem publicam* dissuadere frequentes officialium mutationes regerunt, & inde euincere conantur, iniuriam fieri ministris missis; hi enim rursus confundunt regulas *iustitiæ* & *prudentiæ*, quæ tamen admodum differunt. Hæ tantum *suadent*, & *consilii* rationem habent; illæ vero *necessitant.* Assentior omnino ZAHNIO *in politia municipali lib. 2. cap. 33. n. 19.* dissuadenti principibus frequentes officialium mutationes, & perniciosas easdem reipubl. esse asserenti; arri-

Tales officiales sine caussa dimitti possunt ex regulis iusti, non semper honesti.

Nec semper ex regulis prudentiæ, quæ dissuadent frequentes officialium mutationes.

arridet etiam fabula, quam allegant communiter de responso; quod Aesopi vulpecula, a muscis valde vexata, dederat erinaceo, opem suam pro eis depellendis promittenti: *hae saturatae parum sanguinis trahunt: si tu hasce excuties, famelicae aliae succedent, & quod mihi sanguinis restat, totum ebibent.* Quin & laudabile exemplum existimo TIBERII, qui tales eiurasse fertur mutationes, obseruante ANTON. DE PETRA *l. c. cap. 29. §. 5.* Sed hic etiam id, quod *consultum* & *prudentiae* est, ad *necessitatem iuris* non est trahendum, & non statim, quae incommoda quodammodo sunt, ad *iniustorum* classem referenda. Sic ex *regulis prudentiae* princeps legibus propriis se subiicit, *l. 4. C. de LL.* sed non ex *regulis iustitiae. l. 31. de leg.* Aliud omnino est quaerere; Ob er das befugt sey? & aliud: ob dis oder jenes zu rathen sey?

De officio simpliciter collato sine expressione beneplaciti. Quae sit ratio officiorum publicorum?

§. LXXVII. Deuenio ad alterum casum, si hoc modo *definito* officium alicui delatum non est, sed *simpliciter*, sine expressione beneplaciti. Duo hic praemonenda esse censeo: (1) officia et munera, quae alicui committuntur a principe, esse partem *solicitudinis principalis*; & radicaliter ad principem pertinere, *exercitium* tantum & *administrationem* eorum aliis committi, sicuti bonus paterfamilias est dispensator omnium *negotiorum domesticorum*, quae alias ipsemet subire, peragere, & perficere deberet, nisi necessitate pressus, vicariae aliorum operae ea committere cogeretur. Quibus autem paterfamilias ea committit, sunt nudi *administratores*, *procuratores*, & *institores*, nihil *proprii* in *administratione negotii* habentes, sed nude a *principali* seu *domino* dependentes, eius nutui subiecti, secundum quem expeditionem negotiorum instituere debent. Non errauero, si dixerim, officiales quoque esse *villicos reipublicae*, vti a CICERONE vocantur, *institores publicos*, non *sua*, sed *principis negotia* gerentes, instar *procuratorum* & *mandatariorum*. Recte MYLERVS AB EHRENBACH *in hyparchol. cap. III. n. 85. Non enim*, ait, *officiali aliud conceditur, nisi saltem exercitium officii*, vt ostenderet, nihil *proprietatis*, vel *iuris perpetuo quaesiti* in id, quod *officium* vocamus, collatum censeri. Huc etiam collineant, qui aiunt, principem esse *dominum officiorum*, quod eodem est intelligendum sensu.

Conuentio quaedam in collatione officii intercedit inter principem et ministrum.

§. LXXVIII. Alterum, quod praemonendum est, respicit (2) ipsam concessionis rationem, *conuentionemque*, quae inter *principem* & *officialem* intercedit. Talem enim reuera hic occurrere, vel inde liquet, quod & principis, & ministrorum ex hodierna officiorum

rum collatione mutuus requiratur consensus; illius quidem ad *concedendum*, horum vero ad *accipiendum officium*. Illum vtplurimum princeps declarat per *vocationis litteras;* hunc vero candidati officiorum vel edunt precibus ad principem directis, vel amplectendo gratiam in literis vocationis expressam. Discrimen tamen est faciendum inter *subditos* ad officium vocatos, & *extraneos:* illis *iussu principis* officium *quodammodo* imperari potest, vt *quandoque* etiam suo modo inuiti illud subire teneantur, quod qua ratione intelligi debeat, explicat ZIEGLERVS *de clerico renitente*, quamuis rarior compulsio esse soleat. Hi vero *liberrima voluntate* oblatam spartam amplectuntur, vel repudiant. Priori casu si princeps subditis officium demandat, vix est, vt certam contractus speciem constituere queamus, quamuis quidam *locationem conductionem*, alii *mandatum* adesse credant. vid. B. HARPRECHT. *resp. 93. n. 77.* Hoc negari nequit, negotium hoc quædam de *mandato* participare, dum officiales tanquam principis *procuratores* vel *institores* considerantur: quia tamen, vt inter *priuatos*, negotium non hic geritur, nec, vt in mandato, principi beneficium datur, nec gratis negotium geritur, sed potius subditi per promotionem ad officium *beneficium* & *gratiam* a principe accipiunt, contractus *mandati* proprie huic negotio tribui nequit. Et quamuis *locationis* quoque speciem habere videatur, opera tamen ministrorum *mercenaria* aut *locari solita* dici nequit, nec salarium, quod iis soluitur, *mercedis* rationem habet. Alii ergo ad *contractum innominatum*, *facio vt des*, confugiunt, vtpote qui toties obtinet, quoties contractus certus designari nequit, quamuis rursus illud dubium superfit, quod inter principem & subditos, tanquam *aequales*, hic minime contrahatur, sed ille *auctoritate imperii sui* agere & procedere possit, h. e. non contrahat cum subditis, vt *par*, vt *aequalis*, sed vt *princeps*, vt *imperans* officium publicum committit subdito. Huc forsan respexit ZAHNIVS *in politia municip. lib. II. cap. 33. §. 8. & 9.* dicens: *negotium, quod inter ciuitatem & ciuem in conferendo officio publico geritur, non est iustitiæ commutatiuæ, vt contractus locationis conductionis, sed distributiuæ.* conf. SCHILTER. *ex. 37. §. 144.*

Vbi tamen distinguendum, vtrum subditi an extranei ad officium vocati?

Inter principem & subditum hic non contrahitur mandatum.

Nec locatio.

Nec contractus innominatus.

§. LXXIX. Quæ cum ita sint, in nouam abiit sententiam MYLERVS AB EHRENBACH *in hyparchol. cap. 3. §. 32.* putatque, collationem officiorum in *voluntate principis* consistere, eaque regulariter *precario* conferre, adeoque pro lubitu eadem reuocare, & in eum, cui vult, iuxta beneplacitum transferre posse. Pergit *c. l. n. 100.*

Sed precarium.

in munere collato omnia *precarii* requisita concurrere; *primo enim*, ait, *in munere publico commisso consensus interuenit vtriusque, tam dantis, quam accipientis:* 2) *accedit muneris traditio & immissio in functione collata:* 3) *ipsum munus concreditum pro lubitu concedentis reuocare licet, quando voluerit*, hoc est, collatio muneris ex *beneplacito* & *gratia principis* dependet, quod natura *precarii* requirit. Huic sententiæ eo magis accedo, quod *natura officiorum*, & respectus, qui inter *principem* & *ministros* intercedit, aliud negotium vix admittant. Vnde litteræ solennes super collatione officii, die Bestallungs-Patente, a *solo Principe* conficiuntur, in iisque, quod *gratiose* collatio facta fuerit, exprimitur, non vero ita res agitur, vti quidem inter priuatos, qui *contractum bilateralem* ineunt. Nec obstat, quod precarium sua natura sit *gratuitum*, officium autem semper in se conditionem habeat *consueti salarii promissi;* BRVNNEMANNVS *ad l. 13. in fin. D. locati*, FRANZKIVS *ad cit. tit. n. 73.* GAILIVS *lib. 2. obseru. 23. in fin.* nam et precarium etiam contractibus onerosis inesse potest, si ex *nutu & voluntate* vnius ex contrahentibus totius negotii vigor dependeat, quale quid in locatione precaria occurrit; *l. 4. D. locati l. 16. de peric. & comm. rei vend.* imo nec emtio precarium respuit *l. 20. de precar.* Est enim precarium, *quod precibus petenti vtendum conceditur, tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur, l. 1. pr. de precar.* id quod in contractibus ab vno contrahentium expresse reseruari potest: multo magis ergo in principe, qui dum subdito officium confert, & *gratiose* ei salarium concedit, vt *princeps* cum eo agit, non vt *par* cum *pari* contrahit, & sic ita dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit, precarium soluere, vt dicitur *in l. 1. §. 2. de precar.*

Adeoque clausula ad beneplacitum officiis collatis semper inesse censetur.

§. LXXX. Liquidum inde est, clausulam ad *beneplacitum* collationi officiorum semper inesse ex *natura rei*, quamuis adiecta expresse non fuerit, vt censet MEVIVS *P. II. dec. 12.* adeoque si exprimitur, illud vnice, quod iam ipso negotio inest, exprimi. Proinde, quæ supra de collatione officii *ad beneplacitum* dicta sunt, huc quoque referri debent, quia, vt ait MYLERVS *cit. l. §. 29. n. 84. reuocatio naturæ officii inest.* Obseruat id ipsum IOH. BAPTISTA LARREA *in allegat. fisc. 68. n. 19. et seqq.* & *precarium tacitum* hanc concessionem vocat, *sicut omnes principum gratiæ in dubio precariæ concessionis iudicantur.* confer BOERIVS *decis. 149. n. 23.* MENOCHIVS *l. 1. arbitr. iud. quæst. 55. n. 4.* BRVNNEMANNVS *consil. 97. n. 1.* MYLERVS AB EHRENBACH. *cit. l. §. 33.* Obseruat idem quoque ZIEGLERVS *de*

iurib.

iurib. maiest. lib. 1. cap. 29. §. 7. vbi præmittit, totam magistratus potestatem tum *quoad esse*, tum *quoad operari* a summa dependere maiestate. *Potest enim idem ille*, pergit, *qui magistratum constituit, eumdem iterum remouere* (vel accuratius loquendo *dimittere*, ne vocis duritie lector offendatur,) *& in priuatorum ordines redigere: potest eius potestatem ampliorem reddere, angustiorem, sublimiorem, & infirmiorem*, PROVT IPSI LIBVERIT, INVITO ETIAM MAGISTRATV, *cui ne hiscere quidem aduersus eiusmodi decreta licitum est.* Idem iam olim BALDVS *in l. rescripta. n. 12. C. de prec. imper. offerr.* obseruauit, asserens: *magistratus quoad materiam & formam sunt de iure ciuili, & idcirco potest princeps eos ad libitum reuocare;* cum quo etiam faciunt autores allegati ab ANTON. DE PETRA *tr. de iure quaes. per princ. non toll. cap. 29. n. 1. seqq.* & ab OTERO *tr. de officialibus.* Quod vero CASPAR. KLOCKIVS *tom. 1. cons. 32. n. 15.* in contrarias abeat partes, censeatque, *officiales, quantumuis voluntarie & precario creatos, sine iusta caussa reuocari non posse*, id ex erronea & supra iam notata confusione regularum *iusti* & *honesti* fluit, vt adeoque hic in censum venire non mereatur. Nam de *causa reuocationis* ipsemet princeps iudicat, & arbiter est: & sicuti priuatus, qui *precarium* reuocat, *inhumanus* quandoque esse potest, vtut iure suo vtatur; ita & princeps conscientiæ suæ maculam inurere potest, reipubl. idoneum virum ex friuola causa subtrahendo, vtut iure suo id agat. Ne hic in castra canonistarum secedimus, qui iudicio ecclesiastico de eiusmodi rebus, quæ *conscientiam* principis tangunt, cognitionem committunt, pro arguendo peccato. Tale enim iudicium non agnoscimus; quamuis hi, qui curam animæ principis habent, hortatione, precibus, & admonitione submissa in apertis & manifestis eiusmodi violationibus conscientiæ contendere possint, ne tale quid fiat, vlterius autem progredi nequeunt. Nec obstat, quod ita frustranea & inanis distinctio adducta, inter officia, quæ ad *beneplacitum*, & quæ *simpliciter* conferuntur; nam reuera superuacua est, interim, vt *faciliora* & *liquida* ab *illiquidis* & *dubiis* separentur, e re visum fuit, seorsim de vtroque casu agere, præsertim cum prior posteriorem illustret.

§. LXXXI. Cum hæc doctrina optime conspirat praxis tum antiqua tum recentior quarumcunque rerumpublicarum. Habuere olim Cæsares plures *officiales* ex procerum & clericorum numero lectos, quorum ministerio tum *aulica*, tum *iudicialia* negotia expediebantur.

Illustratur doctrina adducta ex praxi antiqua.

bantur. Nec hæc officia olim *hereditaria*, sed *ambulatoria* fuere, arbitrio regum collata & ablata, adeoque possessores eorum in numerum verorum ministrorum relati fuerunt. Ait VADIANVS *de colleg. monast. Germ. fol. 83. Illa ætate & duces & comites non sui iuris, sed regum & imperatorum officiarii & veluti ministri erant.* Hos constituebant antiqui Reges, & pro lubitu dimittebant, ceu pluribus docet LEHMANNVS *in Chron. Spirens. lib. II. cap. 9. 10. & 11.* imo *cap. 17. in f. ex* PAVLO AEMILIO hæc addit: *Duces initio comitesque a regibus præficiebantur gentibus, ciuitatibusque, ac, cum videretur, dimittebantur.* Idem euincit, variisque exemplis remotorum & dimissorum ducum vel comitum illustrat ANTONIVS DADINVS ALTESERRA *lib. 1. de ducib. & comit. prouinc. Gall. cap. 5.* Audiamus inprimis IO. TRITHEMIVM *lib. de orig. Franc. p. 94. in quibus singulis ferme prouinciis aut duces, aut comites rempubl. sub potestate Francorum administrabant,* PRINCIPVM NVTV AMOBILES. Similiter HINCMARVS *libr. IV. epistol. cap. 14.* de duce Thuringorum, Poppone, refert, *eum dignitatibus exspoliatum, & ducatum, quem tenuerat, Conrado commendatum, quem pauco tempore tenuit, & sua sponte reddidit, qui subinde Burchardo comiti commissus est.* Testatur quoque *Cardinalis* CVSANVS *in tr. de concordia cathol. lib. III. cap. 28. Duces comitesque ad nutum imperatoris remouibiles fuisse,* quod inter alios quoque obseruat KLOCKIVS *de contribut. cap. 4. n. 127.* aitque: *olim potestas magistratuum* AD NVTVM IMPERATORIS *reuocabilis, atque iam inde a temporibus* CAROLI M. *in imperio Romano principes & duces prouinciarum, castrorum, ac ditionum regimini non perpetuo, sed saltim temporaneo præpositi fuerunt, quemadmodum & ante* CAROLVM M. *fuisse factum, argumento est cap. 7. §. quia videmus, de his, quæ in feud. dari poss.* Idem confirmant testimoniis antiquorum ITTERVS *de feud. Imp. cap. I. §. 15. seq.* FRANCISCVS CONNANVS *in comm. iur. ciu. lib. 12. cap. 19. n. 5.* MYLERVS AB EHRENBACH *in archol. cap. 7.* GRYPHIANDER *de Weichb. Sax. cap. 27.*

& recentior. Sic & hodie ex antiqua praxi adhuc in regno Galliæ omnes præfecturæ prouinciarum *a nutu regis* dependent, quia quæuis magistratus munia hac formula mandari solent: *quamdiu nobis placebit.* vid. MYLERVS *cit. l. §. 3.* CONNANVS *cit. l.* Nec in Anglia diuersum obtinere, tot mutationes & reuocationes ministrorum summorum docent, quorum exemplis recentior ætas plena est. De praxi Hispanica FONTANELLA *tr. de pactis nupt. part. 1. claus. 4. gloss. 10. n. 151.* postquam

quam contrariam Dd. ſententiam attulit, hæc tradit: *His tamen non obſtantibus, vidimus non ſemel noſtro tempore reuocaſſe ſuam maieſtatem absque alicuius cauſſæ cognitione beneplacitum, quo durante quibusdam commendauerat officia, valde præeminentia in prouincia, & licet a principio aliquod in prouincia murmur audiretur, de ſupplicando rege, vt dignaretur pro ſua benignitate officia reſtituere, nihilominus tamen remanſit negotium in eo ſtatu, quod ſortitæ reuocationes fuerint ſuum effectum.*

Extraneus ad officium vocatus ſimpliciter dimitti poteſt.

§. LXXXII. Si *extraneus* ad officium publicum gerendum a principe euocatur, maior ratio dubitandi adeſt, an hic pro lubitu dimitti poſſit, cum non eadem hic, quæ in *ſubditis* adducta eſt, occurrere videatur ratio, grauiusque præiudicium tali ex *ſubitanea miſſione* imminere poſſit, ideo quod lares patrios reliquit, domicilium non ſine fortunarum diſpendio mutauit, officioque, cui in patria præfectus erat, vel præfici poterat, renunciauit, qui non poteſt non ex tali ſubitanea miſſione lædi, magnamque rerum ſuarum pati iacturam. Hoc vero poſito princeps non tantum *honeſtatis & pietatis*, ſed etiam *iuſti* regulas lædere videtur. Verum & hic ad rationem collationis reſpiciendum eſt; ſi *expreſſe* vel *tacite* ad *beneplacitum* conceſſum, vel ſub clauſula, auf eine vierteljährige vorhergehende Loßkündigung, principi ius reuocandi non deficit, vtut honeſtius & pietati convenientius agat, ſi ex rationibus adductis non temere & facile, ſed *ex magna* demum *cauſſa* miſſionem decernat. Sed ſolent plerumque extranei ad officium vocati variis pactis & ſtipulationibus quas *capitulationes* vocant, ſibi proſpicere, quibus etiam ligatur princeps, adeoque ſi liberum dimittendi arbitrium his ipſis reſtrictum eſt, citra *iniuriam* temere mitti nequeunt, quamuis ſi officio ſuo non ſatisfaciant, præuia ſententia in pœnam recte deponantur. Interim ſi contra datam fidem nihilominus mittuntur, remedium illis deeſt, quo principem cogere poſſint, ut fidem datam ſeruet. Ita cenſet in genere de *obligatione pactorum inter principem & ſubditos*, quales etiam ſunt officiales quicunque, poſtquam officium ſuſceperunt, VITRIARIUS *in inſtit. I. N. lib. 2. cap. 14. quaeſt. 11. &, ſi per obligationem*, ait, *ciuilem intelligamus obligationem, quæ iuri naturæ eſt conueniens, & quæ approbatur vel comprobatur a iure ciuili, ciuiliter obligatur: ſi per obligationem ciuilem intelligamus obligationem, quæ a lege ciuili vim coactiuam accipit, non obligatur ciuiliter, ne quidem tanquam membrum cœtus, quia licet ſit membrum cœtus ſeu ciuitatis, tamen eſt tale membrum, in quod tranſ-*

Niſi pactis & capitulationibus aliter cautum ſit,

latum est ius integri seu omnia iura reliquorum membrorum, *adeo vt a reliquis vniuersis obligari non possit; nec a se ipso, quia se ipso superior non est, sed tantum naturaliter, vt tamen ex hac naturali obligatione nascatur actio, scilicet vt contrahens petere possit, & si rex facere velit id, quod conscientia, honestas & aequitas dictitant, etiam cum effectu.* Maior difficultas nascitur, si quæstio de *Statibus Imperii* maxime *infirmioribus*, veluti *ciuitatibus immediatis*, mouetur, vbi contra datam fidem missi ad summa tribunalia Imperii prouocare, & restitutionem petere solent, quæ vtplurimum etiam facile decernitur. Cum enim hic omnis cogendi facultas non deficiat, facilius per *iniuriam* dimissus, impetrare potest, vt inuito senatu ciuitatis Imperialis in pristinum restituatur officium, nisi ciuitas iustam mittendi caussam ostendere possit.

Ex vtilitate reipubl. etiam talis officialis dimitti potest.

§. LXXXIII. Inter tales caussas quoque refero, si vtilitas reipubl. extinctionem eius officii vrget, vt necessario mittendus sit, quamuis hoc casu merito indemnis seruari debeat. Equidem VITRIARIVS *cit. l. quæst.* vrget, exteros, qui bona fide contraxerunt, nullo iure casus reipubl. ferre debere; sed regeri potest, 1) quod, vbi semel officium susceperunt, non sint amplius extranei, sed membra ciuitatis & subditi, qui saluti reipubl. commoda propria postponere debent: 2) quod omnis promissio & contractus intelligi debeat sub clausula: *rebus sic stantibus:* denique 3) quod salus reipubl. suprema lex esse debeat, censeaturque in omni contractu excepta, proinde talis missio nihil *iniuriæ* in se contineat.

Quod si interueniente pretio officia publica redemta?

§. LXXXIV. Huc etiam pertinet casus, si officia publica *interueniente pretio* comparata sunt, id quod intuitu lucrorum ex illis percipiendorum, vsque ad mortem, factum esse videtur. Non diffuse inquiram, an & quatenus regulis *honestatis* hoc conueniens sit? sed id saltem monebo, regulis *iustitiæ* non aduersari tale commercium, si de cetero is, qui emit officium, habilitate debita præditus est. Nec exemplis destituimur tam in *militia togata*, quam *sagata*, cum etiam canonicatus hodie intetueniente *honorario* comparari soleant, & in Gallia quæuis officia venalia sint. Nemo dubitat, quin *priuilegia* titulo oneroso & pretio interueniente comparari possint, quidni ergo & officia publica, si *ius mere externum* intuemur? De his idem iudicium ferendum, quod in *§. anteced.* adductum est, quodque alias interpretes iuris de *reuocatione priuilegiorum titulo oneroso acquisitorum* tradere solent, de quo ex professo agitur in diss. B. STRYKII *de priuil.*

priuil. titulo onerofo quaſ. & tom. III. obſeruat. Hal. 16. Summa huc redit, ſuadente *vtilitate publica*, de qua ſolus princeps decernit, hæc officia reuocari poſſe, vt tamen miſſus indemnis ſeruetur. Si talis deficit cauſſa, miſſio *iniuria* non vacat, quamuis MYLERVS AB EHRENBACH *in hyparchol. cap. 3. §. 23. n. 102.* cum PETRO BELLVGA hanc reuocationem officii adeo principis libero arbitrio ſubiiciat, vt non obſtante, quod impetrans certo pretio tale munus acquiſiuerit, nihilominus talis reuocatio fieri poſſit, *cum hac ad ius ſuperioritatis pertineant.* Sane ab *iniuſtitia* nota talis reuocatio citra cauſam facta liberari nequit, cum et principes fidem datam ſeruare teneantur. Hoc ad minimum æquum eſt, & lex naturalis poſtulat, vt *ſucceſſor in officio* pretium, pro redimendo officio datum, reſtituat, quo caſu non adeo de iniuria ſibi facta conqueri poteſt, quod in Gallia moris eſſe ſolet.

Aliter quoque reſtringi poteſt libertas dimittendi.

§. LXXXV. Denique reſtringi etiam poteſt libera facultas dimittendi miniſtros *per pacta* cum ſtatibus prouincialibus inita: ſicuti enim ciues in legibus fundamentalibus cum futuro principe paciſci queunt, ne citra eorum conſenſum priuilegia concedat vel tollat, ita etiam id quoad certa *officia publica* fieri poteſt, quo caſu inique, conſenſu *ſtatuum prouincialium* poſthabito, miſſus refugium ad prædictos ſtatus habet, qui conuenientibus mediis, vbi diſſentiunt, principem facile eo adducent, vt in locum, vnde deiectus eſt, reſtituatur. Denique & per *inſtrumentum pacis*, maxime in eccleſiaſticis diuerſæ religionis muneribus, reſtricta eſt poteſtas, vt principi integrum non ſit, officium tale extinguere, aut reuocare.

De obligatione ſucceſſoris.

§. LXXXVI. De *obligatione ſucceſſoris*, ſi pretio interueniente comparata ſunt officia, etiam diſpiciendum eſt. Equidem ſi verum eſt, quod defendunt nonnulli, turpem & iniquam eſſe venditionem officiorum, adeoque ipſo facto nullam, res expedita foret, cum eiusmodi promiſſis heres ſtare non teneatur, quod declarat B. HERTIVS *diſſ. de pluribus hom. vnam perſ. ſuſtin. ſect. I. §. 13.* Verum cum ab *iniuſtitia* hanc negotiationem antea vindicauerim, videndum eſt, vtrum principatus titulo *vniuerſali* ſeu *ſucceſſiuo*, an *particulari* & *ſingulari* deferantur. Priori caſu heres obligatur facto defuncti, eademque obtinebunt in ſucceſſione, quæ antea de ipſo principe officia vendente dicta ſunt. KVLPISIVS *in coll. Grotian. exercit. 7. §. 4.* Poſteriori vero *directo* ſucceſſor ex contractu a defuncto inito non ligatur, cum ius ſuum non a defuncto habeat, mediante ſucceſſione, ſed *nouo* prorſus *titu-*

titulo, vel *electione*, vel ex alio *pacto publico*, nisi ostendi possit, pretium pro officio persolutum in rem ciuium vniuersæque reipublicæ versum fuisse: quod illustratur ex illis, quæ GROTIVS *lib. II. cap. XI. §. n.* tradit. Et licet MATTH. DE AFFLICTIS apud OTERVM *de officialibus cap. XIII. n. 29.* asserat, notarium electum per archiepiscopatum pro vita ipsius notarii, non posse per successorem in archiepiscopatu remoueri, facile tamen liquet, hoc fluere ex principiis supra iam refutatis, reiectisque.

Grauiora dubia moueri solent circa dimissionem sacerdotum aulicorum.

§. LXXXVII. Quæ in antecedentibus de missione *ministrorum* dicta sunt, ægre admittere solent de illis principum ministris, quibus munus ecclesiasticum in *aula* commissum est. Faciliores forsan plerique in reuocandis mittendisque assessoribus Consistorii vel Inspectoribus aut Superintendentibus qua talibus: difficiliores vero quoad missionem *aulicorum sacerdotum* erunt, quos princeps sacris in suum & suorum aulicorum vsum præposuit. Non tantum enim varia argumenta in DEDEKENNI *consiliis* contra talem *missionem* occurrunt, sed ante paucos annos etiam theologi pariter atque ICti non incelebres academiæ cuiusdam celeberrimæ eam improbarunt, idque vnice egerunt, vt principi ius dimittendi sacerdotem aulicum prorsus adimerent. Occasionem huic responso dedit theologus quidam, qui per plures annos principi imperii tum a *confessionibus*, tum a *concionibus* fuerat, in templo aulico, & cuius fata plenius enarrata & relata sunt *tom. I. consult. & decis. p. 1. arg. 106.* Cum enim princeps consilium mutandi hunc confessionarium, quod ipsi non potuit non esse integrum, saluo eius officio, ceterisque prærogatiuis, ceperat, ægre id ipsum admodum tulit sacerdos aulicus, turbasque non leues dedit. His tamen non obstantibus, princeps pro sua inusitata clementia indulgentius cum eo egit, eumque sedulo adhortatus est, vt a proposito desisteret: quod cum impetrare ab eo non posset, autor ipsi fuit, vt prouinciam mutaret, & reditibus quibusque saluis, *munus ecclesiasticum* in alia ecclesia susciperet, non minus honorificum, quam lucrosum. Cum vero & hoc consilium variis artibus eluderet, gratiamque principis sui vilipenderet, tandem princeps solennibus litteris *missionem* ipsi intimauit. Quas vero turbas ea de re postea mouerit, tam scriptis publice editis, quam aliis consiliis pessimis, in *tom. I. cons. & decis. cit. l.* exposui. Obtinuit tamen quorundam ICtorum & Theologorum pro sua caussa assensum, vt facile fieri solet, si merita causæ, & fundamenta non recte proponuntur.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII. Generatim videlicet negarunt summo principi, si vel maxime *episcopus* sit, facultatem mittendi *ministros ecclesiæ*, citra iustam caussam, his verbis: Wie in eines rechtmässig beruffenen Predigers Willkühr nicht stehet, seine Ihm einmal von GOtt dem HErrn anvertraute Gemeinde ohne best fundirte Ursachen zu deseriren, quod pluribus firmat B. Cancell. OSIANDER *in theol. casuali part. 5. cap. 2. p. 515. seqq.* also stehet es auch in keines Menschen, auch nicht des Patroni, ja nicht einmal in des episcopi und principis summi alleiniger willkührlicher Gewalt, ohne rechtmässige Ursach einen ordentlich beruffenen Diener zu verstossen, oder von einem Amte zu remouiren. Mirum est, 1) quod principi adscribatur *qualitas episcopalis*, & tamen hæc iurisdictio in clericos in dubium vocetur. 2) Potissimum hic quæstio formanda est de *sacerdote aulico*, de cuius missione vnice eo tempore disputatum fuit, in quo peculiaris omnino ratio adest, quod *minister principis* sit; ceterum sacerdotum diuersa est ratio, prout supra *§. LX.* iam monitum. Intuitu illius principi *liberior* agendi *facultas* est, quippe qui sibi & in vsum aulæ, tanquam *familiæ suæ priuatæ*, vocat pastorem, eumque mittit, si rationibus suis id conuenire videat; quamuis rationem DEO redditurus sit, si temere missionem suscipiat. 3) Thesis adducta non intelligenda de *remotione* proprie dicta, sed de *simplici missione*, & officii ecclesiastici, quod *pastor aulicus* in palatio principis hactenus exercuit, simplici reuocatione. 4) Addo & hoc, non quæri hic de *regulis honestatis*, sed de *regulis iustitiæ*, cum illæ omnino velint, postulentue, ne Theologus principi vtilis temere mittatur. Sed de hac caussa arbitrium iudicandi soli principi relictum est. Si ad *remotionem* deueniendum, consistorio res damandanda esset; ast *simplex missio* talem processum non desiderat. 5) Aiunt quidem, ministrum ecclesiæ resignare non posse, citra iustam caussam: quod omnino admitto, sed quis iudicat de tali caussa? ipsi scilicet resignantes vtplurimum, qui suæ conscientiæ iudicio hanc rem subiiciunt, si *vocationem diuinam* esse credunt, adeo vt non desint, qui existimant, sacerdotem aulicum, reclamante principe, discedere posse, si putet, & in conscientia se conuictum credat, vocationem esse diuinam, quod DEDEKENNVS *vol. 1. P. 2. sect. 9. n. 4.* & B. SPENERVS *in consil. theol. germ. p. 1. c. 2. art. II. sect. 2. qu. 3. p. 383.* vt *tom. I. tit. de translat. episc. §. XII.* dictum, adstruunt; quo posito, resignanti plus iuris competeret in resignatione, quam principi in honesta missione.

Generalis assertio, qua hoc ius dimittendi sacerdotem aulicum principi denegatur, affertur,

& examinatur,

Primum negantium fundamentum ex immediata vocatione petitur,

§. LXXXIX. Sed pergo ad ipsa argumenta. Primum petitur ex *dignitate ministerii*, quodque *immediate a Deo* dimitti debeant, his verbis: GOtt hat das Predigt-Amt gestiftet, seine Kirche zu pflanzen und zu bauen, und deme soll auch die Obrigkeit selbst, um des Gewissens willen, unterthänig und gehorsam seyn. *2 Cor. V.* GOtt beruft auch noch heute die Prediger als das Ober-Haupt der Kirchen. *Esa. XLI. v. 27. Matth. XXIII. v. 44. Actor. XV. v. 24.* So daß sie da sitzen wahrhaftig an GOttes statt, so lange sie ihr Amt recht führen, *Matth. X, 20. Marci IX. Luc. XX. Ioh. XIII.* Seynd sie nun von GOtt gesetzet, wie soll dieselbe ein Mensch nach seinem blossen Willkühr verstossen können? *Vti enim ius vocandi ministros ecclesiæ principaliter ad solum Deum etiam in mediata vocatione, ita quoque ius remouendi principaliter ad solum Deum pertinet, etiam in mediata remotione: 1 Sam. II. v. 20. Os. IV. v. 6.* B. GERHARD. *in loco de ministerio ecclesiast. sect. 16. §. 174. B. Cancellarius* OSIANDER *dicto l. pag. 519.* Est hæc illa ipsa *independentia*, quam supra iam paucis perstrinxi. Ipsum officium ecclesiasticum in se a Deo vtique est institutum, quo intuitu sunt & dicuntur *ministri* DEI, quia *diuinum ministerium* peragunt. Sed admotio certi indiuidui ad hoc officium ecclesiasticum non fit *immediate* a Deo, sed hoc confertur pastoribus vel a *principe* vel ab *ecclesia*, quo intuitu *ministri ecclesiæ*, seu *vniuersitatis*, & *principis* audiunt. Etiam potestas magistratus, patrum, imo & sanandi ars est a DEO, & diuinæ ordinationi accepta ferenda: quis vero diceret, principes, magistratus inferiores, patres, medicos immediate a Deo constitui, & sic etiam magistratum inferiorem *immediate* a Deo remouendum esse, non a republica aut principe, quod *Rom. XIII.* dicatur, es ist keine Obrigkeit ohne von GOtt. Desino plura hic addere, postquam HVGO GROTIVS & THOMASIVS §. 13. allegati, solide hoc argumentum refutarunt, quibus addi possunt, quæ *lib. I. tit. 33. §. 31. sqq.* de *dependentia ministrorum ecclesiæ*, ex B. SPENERI doctrina adduxi.

& examinatur.

An princeps clericis sit subiectus?

Præterea duæ propositiones admodum dubiæ in adductis verbis occurrunt, 1) quod princeps clericis subiectus sit, quod pontificii quidem vrgent, sed a doctrina Protestantium alienum esse debet, præsertim cum principem *episcopum* constituant, qui tamen clericis inferioribus subiectus dici nequit. 2) Quod ministros ecclesiæ vocet Deus, als das Ober-Haupt der Kirchen, quæ locutio impingit in ea, quæ antea dicta sunt de ministrorum constitutione, imo aduersatur praxi primiti-

An ministri ecclesiæ vocentur a Deo, capite ecclesiæ?

mitiuæ ecclesiæ, secundum quam ministri *dependentes* & ab ecclesia electi vel ab episcopo constituti erant; & quamuis ex statu illorum temporum, quo a *republica* prorsus derelictæ erant ecclesiæ, *praefectura* quædam presbyteris concessa esset, ab ipsa ecclesia seu vniuersitate fidelium; illa tamen non *independens* erat, sed rationibus reddendis obnoxia. Nec talis hodierno ministerio amplius attribui potest, postquam ecclesiæ in tuto sunt collocatæ loco, & consistoria in republica erecta, quæ hanc præfecturam exercent, prout differentiam inter *hodiernum ministerium*, & *antiquum presbyterium* plenius ostendi *lib. 1. tit. 24. §. 18. sqq.* Hoc enim ex antiquitatibus euidens est, negotia ecclesiastica sub persecutionibus, coram *toto cœtu fidelium* esse excussa, sub examen reuocata, & decisa, cui conuentui episcopus præsidebat, & sic coniunctim cum populo agebat, prout eleganter ostendit DAVID CLARCKSON *in traité Historique de l'etat primitif de l'Episcopat, cap. 9. pag. 182.* inquiens: *Du temps des Apotres, et plusieurs Siecles apres, tout le Peuple, qui etoit sous l'inspection a un Eveque, s'assambloit ordinairement non seulement pour le culte divin, mais pour les affaires de l'Eglise. Tous les Actes publics passoient dans des Assemblées composées de tout le Peuple, qu'on ne manquoit jamais de consulter; de sorte que le suffrage du Peuple etoit necessaire aussi bien que sa presence; rien ne pouvant etre determiné, sans qu'il en eut connoissance, et qu'il y donnât son consentement. Cette pratique avoit lieu non seulement dans l'election des officiers, mains dans les ordinations, et dans les censures; lors qu'on admettoit de nouveaux membres, et que les penitens etoient reconciliez à l'Eglise, et dans les discussions, et consultations sur d'autres cas particuliers. C'est dequoi l'on trouve des preuves incontestables dans les anciens ecrivains, et particulierement dans presque toutes les Epitres de St. Cyprien, qui nous donnent une idée plus exacte du gouvernement ecclesiastique, sur le piè qu'il etoit dans ces temps la, que quantite de gros volumes du Siecle suivant. Les ecrivains modernes de tous les Partis, qui connoissent le mieux l'antiquité, en tombent tous d'accord. Or ce principe une foi etabli comme certain, qu'on ne determinoit rien d'important dans l'Eglise sans la participation et le consentement du peuple, on ne sauroit nier, qu'anciennement la charge d'eveque ne fut renfermée dans des bornes aussi etroites que nous l'avons representés. Car il est aise de concevoir, comment le peuple a pû faire usage de ce privilege la, tandis que l'eveque n'a eu qu'une seule eglise sous sa direction.* Sed postquam

 hodie

hodie negotia ecclesiastica non amplius apud ecclesiam, seu vniuersitatem fidelium, peraguntur, præfecturam quoque & præsidatum talem pastores nostri sibi amplius adscribere non possunt; quin potius consistorio huius rei cura datur. Sunt hodie reuera *doctores*, quorum non est *imperare*, sed *ministerialem potestatem exercere; iuxta præscriptum eius*, vt ait ZIEGLERVS *de iuribus maiest. lib. 1. cap. 13. qui contulit & commisit, & non in cogendo, sed in dirigendo consistit, qualis est doctoris in auditorem, medici in ægrotum. Dicuntur tamen et ipsi hi ministri suo modo regere, scil. dirigendo, docendo, arguendo, exhortando, & modis similibus, quemadmodum & pascere dicuntur,* ποιμαίνειν, *Actor. XX, 28. quod Vulgatus vertit regere, ita & praeesse dicuntur; 1 Thessal. V. v. 12. 1 Timoth. V. v. 17. sed pari sensu, quo pascere & regere. Et sunt sane suo modo præsides, rectores & duces gregis, quod fidem & mores religione christiana dignos attinet.*

Alterum argumentum dissentientium, quod magistratus tantum ministerialiter concurrat ad electionem, refertur.

§. XC. Alterum argumentum petitur ex eo, quod magistratus vt *nudum* quoddam *instrumentum* vocet pastores, quod etiam sine dubio de *aulicis sacerdotibus* intelligendum est, & inde ita inferunt: Es beruffet zwar auch heut zu Tage die Obrigkeit die Prediger, aber nicht als Herr des Predigtamts, sondern nur ministerialiter als ein Mittel, Werckzeug und Diener GOttes, TARNOV. *de SS. Ministr. l. 3. c. 4.* GERHARD. & OSIAND. *dd. ll.* AVIAN. *apud Dedekennum p. 919. n. 4.* und darum folget nicht, weil die Obrigkeit Macht hat, Prediger zu beruffen, so hat Sie auch Macht, sie zu beurlauben, oder abzuschaffen; vti commune quidem axioma sonat: eius est dimittere, cuius est vocare, TARNOV. *d. l.* quod tamen pseudo-politicorum principium post alios appellat B. OSIAND. *d. l.* denn weil die Obrigkeit hierinnen nicht anders, als ein Werckzeug GOttes operiret, so mag dieselbe auch die Personen aus dem Amte mit Recht nicht verstossen, so lang der Allerhöchste dieselben darinne leiden mag, und nicht selbst verwirfft, GOtt verwirfft aber allein die Personen, welche sein Wort verwerffen, *Hos. IV. v. 6. 1 Samuel. II. v. 30. & XV. v. 23. seqq. 2 Paralipom. XVI. v. 2.* das ist, die ihr Amt nicht ausrichten nach GOttes Befehl, wie solches gar schön deduciret D. IOACH. MORLIN. apud DEDEKEN. *vol. 1. part. 3. pag. 912.* & M. CHRISTOPH. AVIAN. apud DEDEKEN. *d. l. p. 919. sq.* id ipsum per rationes & exempla egregie confirmans, und eifert deshalben mit gar strengen und harten expressionen wider diejenigen, welche ihren Pfarrer allein aus

Gram

Gram vertreiben, nicht unbillig der theure Rüstzeug GOttes B. LVTHERVS selbst *tom. 8. Ien. fol. 107.* Eodem argumento vtuntur hi, qui asserunt, maiestatem *immediate* conferri a Deo, & populum saltem ministerium ad hoc præbere in decernendo personam, cui Deus maiestatem *immediate* infundat. Quanta autem hæc sententia laboret absurditate, ex professo tradidit B. BVDDEVS *Theol. Ienensis quondam meritissimus, in diss. de concordia relig. Christ. statusque ciu. cap. IV. §. 6. seqq.* id quod etiam de adducto argumento dici potest. Rectius sine dubio philosophatur HVBERVS *de iure ciuitatis lib. 1. sect. 5. cap. 8. §. 13.* & *certum est*, ait, *nihilo plus iuris habere presbyteria, quam ipse cœtus credentium, a quo ius suum ad curanda, quæ a multitudine commode administrari nequeunt, adipisci debet, habet.* Sunt functiones ecclesiasticæ ecclesiis quibuscunque commissæ, & a Deo datæ, quas ordinis gratia, cum singula expedire nequeant, vni vel pluribus committunt, vt *publico omnium nomine & auctoritate omnium* exerceant, vt ait CONRINGIVS *ad Lampadium part. 1. §. 25.* quod olim etiam asseruit TERTVLLIANVS *de exhort. castit. cap. 7.* Hanc sententiam fouet etiam B. BVDDEVS *in inst. theol. moral. part. II. cap. III. sect. VIII. §. 3.* inquiens: *Præterea & ipse Deus verbi diuini ministros vocat, quod olim quidem aliquando fecit immediate, quo pacto Moses, & plurimi prophetæ veteris testamenti, & in nouo Apostoli vocati sunt. Hodie autem mediate id facit, per ecclesiam, cui Deus ipse hanc facultatem concessit, idque ex natura etiam & indole ecclesiæ patet, quippe cui, ceu sponsæ, bonorum spiritualium administratio, adeoque & constitutio eorum, qui eiusmodi bonorum dispensatores esse debent, merito concredita censetur. conf. Matth. XVIII. v. 17. 1 Corinth. IV. v. 1. Accedit praxis veteris ecclesiæ. Actor. I, 15. VI, 2.* In notis * * sequentia addit: *Falluntur enim, qui & hodie immediatam vocationem requirunt, quæ Weigelianis tribui sententia solet. Nec necesse fuisset, vt Apostoli docuissent, quinam & quomodo vocandi & constituendi essent ab ecclesia verbi diuini ministri, si immediata vocatio semper obtinere debuisset: factum autem hoc ab Apostolis, constat ex 2 Timoth. II, 2. Tit. I, 5. seq. Ceterum immediata vocatio non ea tantum vocatur, quæ fit a Deo, nemine interueniente, sed & quæ interuenientibus quidem aliis, at ita peragitur, vt Deus αὐτοπροσώπως, vel conceptis verbis, vel signo externo, aliquem sacro officio a se destinatum declaret, quo pacto & Matthias immediate recte ad apostolatum vocatus dicitur, etsi hoc factum sit intercedente sorte, Act. I, 24.* Quemadmo-

admodum vero nihil intereſt, vtrum eccleſia ex *pluribus* an *paucioribus* conſtet, *ſed vbi tres, eccleſia eſt, licet laici*, vt ait TERTVLLIANVS *c. l.* ita *domeſticæ eccleſiæ* etiam *veræ eccleſiæ* ſunt, quatenus ſeparatum cœtum inter ſe conſtituunt, & ſic paterfamilias, qui eam eccleſiam ordinat, functionem eccleſiaſticam, etiam vni vel pluribus committere poteſt, quemadmodum olim ipſimet patres familias *ſacra* faciebant. Tales eccleſias in ſuis ædibus, vbi *publicæ* deficiunt, quilibet paterfamilias conſtituere poteſt: tales olim in *caſtris* et *villis* magnates, exſtruendo oratoria, adornarunt: denique tales etiam principes in ſuis palatiis, pro ſe, & familia ſua aulica, ab antiquiſſimis temporibus erexerunt, quibus ab antiquo eadem poteſtate, qua ceteræ eccleſiæ, præfecerunt ſacerdotes, qui rem diuinam ibidem facerent, tanquam *de menſa eius* & *miniſtri*, prout ſupra euictum eſt, & ex THOMASSINO illuſtrat ESPEN. *p. II. iur. eccleſ. tit. 18. c. 4. n. 14.* aiens: *præcipuum ſcopum ſacellorum regiorum fuiſſe, vt ibi presbyteri diuinum officium perſoluerent, cui principes cum ſua familia poſſent aſſiſtere.* Si ergo ſunt *miniſtri principum*, vti reuera ſunt, illos mittendi facultas eis denegari nequit; quamuis id denuo repetamus, principem contra *regulas honeſtatis* & *prudentiæ* agere, ſi ex friuolis cauſſis & temere illos reiecerit, quod tamen conſcientiæ principum committendum eſt.

Tertium argumentum diſſentientium.

§. XCI. Tertium argumentum huc redit, miſſionem talem ſine cauſſæ cognitione, & ſententia iudiciali ſuſcipi, adeoque omni iuri aduerſari. Aiunt: *reuocant alias cauſſas eas ad duas claſſes, defectus nempe facultatis, vtiliter inſeruiendi, & defectus voluntatis, ſiue operum miniſterialium neglectus intolerabilis. Ad primam claſſem referunt tum ſanæ doctrinæ corruptelam, errores, pugnantes cum fundamentis fidei: tum organorum neceſſariorum priuationem. Ad alteram claſſem reducunt tum enormem in demandati muneris partibus exſoluendis negligentiam, tum vitæ morum turpitudinem, ſiue eccleſiæ tantum ſcandaloſam, ſiue etiam ciuiliter damnoſam.* GERHARD. OSIAND. GERLACH. *dd. ll.* TARNOV. *lib. 3. cap. 5.* CARPZOV. *d. l. def. 112. Opus autem & hic eſt exacta cauſſæ cognitione, & quæ alias in legitimo proceſſu obſeruantur, eadem & hic obſeruanda veniunt,* CARPZOV. *def. III. modo laud.* GERHARD. TARNOV. OSIAND. *d. ll. vbi pluribus hac de re. Inde miniſter eccleſiæ ſuper cauſſa prætenſa non auditus, non defenſus, non ſufficienter conuictus: remoueri a nemine poteſt. Egregie hanc in rem Facultas Theol. Wittebergenſ. part. 2. pag. 193. vbi:* So hat man Euch nie gehöret,

höret, vielweniger überführet, man hat es auch nie ad iudiciariam ventilationem kommen lassen, sondern non auditum, non conuictum condemniret, und vom Dienste abgesetzet, welches wider alle göttliche und menschliche Rechte, und soll man nicht also wider den geringsten Vorsteher, auch nicht wider einen Sau-Hirten, vielweniger wider die, so an Christi statt unter uns seyn, GOttes und des Allerhöchsten Mund-Bothen, und Gesandten, und unsere Seelen-Hirten so verfahren. Richtet unser Gesetz auch einen Menschen, ehe man ihn verhöret? Hoc dubium iam remotum est supra, ibique ostensum, *remotionem & dimissionem simplicem* seu *honestam*, toto cœlo differre, atque illam quidem, non hanc *sententiam iudicis* requirere, adeoque incongruum argumentum esse a *remotione* ad *missionem*. Vix ferendum est, ministris ecclesiæ facultatem resignandi sine *causæ cognitione* & *sententia iudiciali* competere, quod omnes fatentur, & tamen principi potestatem adimendam esse, mutandi sacerdotem aulicum, eumque mittendi, non per *modum pœnæ*, sed ex iure sibi competente, quod in officia commissa habet. Quod vni iustum est, alteri quoque iustum esse debet, & sicuti *sacerdos aulicus* resignando nequidem *caussas resignationis* iudicio principis, eiusque decisioni submittit, sed suæ conscientiæ tribunali eas subiicit, prout Theologi contendunt, adstruuntque; quis inuideret principi, si suæ conscientiæ confisus mutandi sacerdotem aulicum consilium susceperit? Equidem hic prouocatur ad auctoritatem LVTHERI, qui in simili casu *tom. 5. Ienens. fol. 928.* ita ait: Beweget sie solche Vermahnung zwischen euch und Ihnen alleine nicht, so zeiget ihnen an, ihr wollet solches dem Volcke öffentlich und von der Cantzel ohnangezeiget nicht lassen, schreibet auch daselbsten eine Formul vor, und in derselben diese Formul: bedinge hiermit, daß diese Pfarre meine sey, und mir befohlen ist, das Predigt-Amt zu besorgen und zu bestellen, will solches Amt auch nicht lassen übergeben, aber weil es mir mit Gewalt genommen und abgetrungen wird, will ichs leiden, und mir es lassen geraubet und genommen seyn, und also eine zeitlang weichen von hinnen, bis mir es GOtt wieder einräumet, will indessen zusehen, wer so durstig seyn will, der sich in meine genommene und geraubte Pfarre setzen darf, und mit was Gewissen er mein Amt besitzen möge. Sed sicuti circumstantias peculiares huius adducti casus excutere iam quidem non vacat; ita binis verbis tantum addo, hic non quæri de *iure ecclesiæ priuatæ* in mit-

Monetur dubium ex doctrina Lutheri.

Resoluitur.

mittendis ministris, sed de *iure Principis*, maiori præditi auctoritate, adeoque adhuc inquirendum fuisse, an ecclesia sui iuris fuerit, an vero sub potestate superioris, qui de *iniquitate remotionis* cognoscere potuerit? denique ex verbis adductis liquere, magis de *iniusta remotione*, quam *simplici missione* actum fuisse.

Noua ratio dubitandi a virtute ordinationis petita.

§. XCII. Forsan etiam his addi posset noua ratio dubitandi ab *ordinatione ministrorum ecclesiæ* petita, quæ ex hypothesi Catholicorum illis *characterem* quendam *indelebilem* imprimit, a qua hypothesi nec nostrates in conclusione abstinent. Præterea constituunt, per *ordinationem* contrahi matrimonium quoddam spirituale cum ecclesia, quod passim patres antiqui vrgent. vid. *c. 4. C. 24. qu. 2. c. 11. C. 7. qu. 1.* matrimonium autem tale ab homine dissolui nequit, prout INNOCENTIVS III. in *c. 2. X. de translat. episc.* philosophatur, aiens: *cum fortius sit spirituale vinculum, quam carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus coniugium, quod est inter episcopum & ecclesiam, suo tantum iudicio reseruauerit dissoluendum.* Inde cum aliquando nobilis in prædio suo, oratorio priuato instructo, concionatorem domesticum, einen Haus-Prediger, assumsisset, qui tamen nec ordinatus erat, nec sacramenta ibi administrabat, sed tantum concionando, docendo, precesque fundendo, ei, & familiæ ipsius inseruiebat, iudicatum fuit, eum pro lubitu a nobili rursus dimitti posse; non obstantibus exceptionibus, quas contra *missionem priuatam* faciebat. Idem illustrari potest ex casu fere simili, in quo sequens responsum conceptum est.

Hat Jacob Herbergers Wittwe Anno 1681. ein Testament gemacht, und unter andern der Kirchen daselbst 400. Rthlr. dergestalt verordnet und legiret, daß dieselben an einen gewissen Ort als zinßbar beleget, der Herr Capellan derselben Kirche einer oder der andere den jährlichen Zinß 24. fl. davon geniessen, und hingegen alle Sonnabend, und so oft Beichte gesessen würde, eine kurtze Predigt ablegen solte: da aber keiner von den Capellanen solches auf sich nehmen möchte, die drey obersten Pfarrere des Ministerii volle Macht haben solten, solche Verrichtung gegen Geniessung der jährlich 24. fl. Zinsen nach ihrer Beliebung entweder der andern Capellanen einem, oder einem gelehrten Schul-Collegen, oder wen Sie sonst darzu vermögen könten, aufzutragen, laut der uns zugeschickten Beylage sub lit. A. Darauf die Vorstehere bemeldter Kirche

Kirche Anno 1666. M. Steinfelden, Anno 1669. Johann Richtern, und nachdem solcher abgedancket, Anno 1674. Friedrich Nicolai, Schul-Collegen alldort zum Sonnabend-Prediger bestellet, wie des letzten Beylage sub lit. B. weiset, welchen auch nicht allein obbemeldete 24. fl. sondern auch noch andere Legaten-Gelder, so über bemeldte 24. fl. dem Sabbathario laut Beylage sub C. von Caspar Heinrich Herbergers Wittwe legiret worden, genossen. Hat nun der bisherige bloß zum Predigen bestellte, nicht aber vocirte und ordinirte Sonnabends-Prediger ein sehr schlecht donum concionandi, und erbauet bey der Gemeine wenig, deßwegen Er denn auch gantz keine Zuhörer hat, und die Beicht-Kinder sonst nach erhaltener Absolution in andere Kirchen gehen müssen; und wollen Sie dahero belehret seyn:

> Ob Sie die mit Herr Friedrich Nicolai wegen Ablegung der Sonnabends-Predigten aufgerichtete Bestallung wieder und ipso inuito aufheben, und einen andern bey so bewandten Umständen erwählen, vociren, confirmiren und ordiniren lassen können, oder nicht?

Wann nun gleich eingewandt werden möchte, daß der ietzige Schul-College Nicolai einmahl zu solchem Dienste gebührend bestellet, und ihm an seiner Lehr und Leben nichts vorgeworffen werden mag, folglich demselben das durch die einmahl erhaltene Bestallung erlangte ius quæsitum ohne sein Verbrechen keines weges zu benehmen, indem zumahln einem Patrono ecclesiæ nicht frey stehet, einen einmahl bestellten Diener GOttes wiederum pro lubitu abzusetzen, und einen andern zu erwählen.

CARPZOV. *iurispr. consl. l. 1. def. 41.*

Dieweil aber dennoch von demjenigen, was sonst in genere von Absetzung der Prediger bey denen Rechts-Gelehrten ausgemacht, und ietzo aus dem Carpzouio angeführet worden, nicht alsofort auf diesen casum zu schliessen, sondern von denen ordentlichen vocirten und ordinirten Predigern zu verstehen; da hergegen besagter Nicolai kein ordentlicher vocirter und ordinirter Prediger ist, sondern nur bloß zu Verrichtung der Sonnabends-Predigten gesetzet, und daher die argumente, so wider die Absetzung eines ordinirten Predigers streiten, auf ihn keinesweges zu appliciren, und keine gnugsame Ursache vorhanden, warum die Herren durch Bestellung des besagten Nicolai

sich dergestalt solten vinculiret haben, daß Sie an demselben so gar absolut gebunden seyn müsten; Zumaln ihm solche Bestellung der Sonnabends-Predigten ex mera munificentia conferiret, und derselbe daher kein ius perfecte quæsitum erhalten, in mehrer Erwegung es auch an genugsamen Gründen nicht ermangelt, da vornehmlich besagter Nicolai, dem uns zugeschickten Bericht nach, kein donum concionandi hat, und sich also die Leute von der Kirche gantz abgewendet, auch die Communicanten selbst in andere Kirchen zu gehen pflegen, und er solchergestalt in der Kirche mehr niederreisset als aufbauet, zu geschweigen des daraus entstehenden Aergernisses, daß ledigen Stühlen geprediget werden muß, folglich vtilitas ecclesiæ selbst erfordert, daß solches einem andern conferiret werde, allermassen vor allen Dingen ad necessitatem & vtilitatem ecclesiæ zu sehen, damit der Kirchen Bestes iederzeit befördert werde, deshalb auch in denen geistlichen Rechten, obgleich die mutationes & translationes episcoporum verbothen,

tot. tit. X. de translat. episc.

solche dennoch in vtilitatem & necessitatem ecclesiæ zugelassen

Can. mutationes 34. C. 7. qu. 1.

so gar, daß auch die pacta contra vtilitatem ecclesiæ inita vor ungültig geachtet werden;

Cap. plerisque 7. X. de pact.

und also wenn gleich Nicolai ein ius quæsitum aus der ihm gemachten Bestallung hätte, solches contra vtilitatem ecclesiæ dennoch wenig Kraft haben könte, zumaln in dieser Sache besagter Nicolai nur pro interesse pecuniario sorget, welches iedoch dem interesse totius ecclesiæ auf keine Art und Weise vorgezogen werden mag, er auch in effectu pro solo mandatario zu achten, folglich solches mandatum von denen Herren quocunque tempore wohl kan reuociret werden;

§. 9. I. mandat.

auch dawider nicht hindert, daß ein mandatum gratuitum ist, besagtem Nicolai aber ein jährlich Gehalt vor seine Mühe versprochen, indem bekannt, quod etiam honorarium in mandato possit interuenire.

L. 6. D. mandat.

Endlich

Endlich da die Herren einen rechten Prediger zu erwählen, denselben per Patronum vociren, und von dem Consistorio confirmiren und ordiniren zu lassen willens, gedachter Nicolai auch wegen seines habenden Cantor-Dienstes solches nicht prætendiren mag, weil es wider die obseruanz lauffen und incompatibel seyn würde, zugleich Cantor und ordinirter Prediger zu seyn, daß aber solcher Prediger gebührend ordiniret werde, der Kirchen daher zuträglich, dieweil der Pastor bey derselben, welchem die Inspection über die Land-Priester in einem gewissen District aufgetragen, wegen der Introduction der Prediger, Ablegung der Inuestitur-Predigten und anderer Ursachen öfters des Sonntags verreisen, der Subdiaconus auch bey gedachter Kirchen in seinem Filial alle vierzehn Tage des Sonntags predigen, und Sacra administriren muß, und es sich auf solchem Fall öfters zuträget, daß nur ein Prediger, nemlich der Ober-Diaconus, bey der Kirche bleibet, und also andere Kirchen bey der Stadt um einen Priester zur administration der Sacrorum und andern Verrichtungen anzusprechen, und auch so wohl der Pastor als Ober-Diaconus, weil sie ein ziemliches hohes Alter erreichet, durch solchen confirmatum und ordinatum in ihrem Amte öfters subleuiret werden könten, alles nach mehrerem Inhalt des uns zugeschickten Berichts:

So seynd dahero Dieselbige, die mit Friedrich Nicolai aufgerichtete Bestallung ipso inuito wiederum aufzuheben, und einen andern zu erwählen, vociren, confirmiren und ordiniren zu lassen, wohl befugt.

Resoluitur dubium.

Verum ab hoc argumento merito abstinent Protestantes, qui talem *characterem indelebilem* reiiciunt, & ipso facto refutant, partim dum resignandi potestatem pastoribus, ad aliam ecclesiam vocatis, indulgent; partim etiam permittunt, vt pastor ecclesiæ ordinem ecclesiasticum deserere possit, quod vtrumque *vinculo indissolubili matrimonii* repugnat.

Nouum argumentum, quod doctrina hæc periculosa sit, refertur.

§. XCIII. Adhuc aliquot tangam obiectiones, a dissentientibus ne quidem tactas, quæ tamen maioris videntur esse momenti. Primum est, quod doctrina hæc admodum *periculosa* esse videatur, & facile in insignem trahi possit abusum. Quid enim si *sacerdos aulicus*, de quo hic tantum loquimur, ex pietatis sincero affectu, & ex officii sui, quod gerit, & de quo Deo redditurus est rationem, in-

ſtinctu elenchum adhibet: peccata, in aulis frequentiſſima, redarguit: malis obſiſtit: veritatem ſtrenue & intrepide dicit, facile principis, ad omnia proni mala, & aulæ luxurioſiſſimæ odium & inuidiam incurrere poteſt. Hoc vbi factum, ex doctrina hic defenſa, maleuoli aulici principi auctores eſſe poſſunt, vt cenſorem hunc morum aulicorum mittat, & auræ aulicæ magis inſeruientem paſtorem eligat, conſtituatue, id quod tamen non poteſt non rei chriſtianæ magnopere obeſſe, & emendationem aularum, vitiorumque inde in totam rempublicam redundantium, impedire. E contrario ſi adſerimus, iuris principalis non eſſe, *ſacerdotem aulicum*, & maxime eum, qui principi *a confeſſionibus* eſt, mittendi, multa in rem chriſtianam emolumenta inde redundare videntur, dum impauidum morum cenſorem declinare, & occaſionem ei, CHRISTI doctrinæ conformem vitam promouendi, inculcandi, & publice docendi, adimere, aut alias curſum pietatis ſolidæ impedire nequit. Mali principes, aiunt, ſatis proni ſunt, vt *libertate* ſua, nimis extenſa, abutantur, pios miniſtros eiiciant, illos autem eo facilius introducant, qui ad mores aulæ vitam & doctrinam ſuam componere ſtudent, cum, qui IOANNIS Baptiſtæ veſtigia premunt, ſint omnium odiis expoſiti. Hæc ſi penitius conſidero, magnum robur ſententiæ diſſentientium addere poſſe videntur. Verum (1) nulla veritas tam ſalutaris & liquida eſt, quæ non poſſit in ſummum trahi abuſum. Ius *circa ſacra* principi ſine dubio competit, ex doctrina Proteſtantium: quis vero negauerit, ſub hoc clypeo varia impietatis edi poſſe documenta, pios eiici miniſtros, reprobos tolerari, & ipſi religioni vim inferri? interim tamen conclamatum expeditumque eſt, principi *ius ſacrorum* competere. Ipſæ veritates diuinæ, in ſacris expreſſæ, tot abuſibus obnoxiæ ſunt, vt, ſub illis nefandiſſima ſcelera perpetrata eſſe, monumenta omnium ſeculorum loquantur, quæ tamen ſolido ſuo nihilominus nituntur fundamento. (2) Contraria diſſentientium opinio eisdem grauioribusque obnoxia eſt abuſibus. Fac, principem ſolidioris pietatis ſtudio trahi, & id vnice agere, vt probos ad CHRISTI imaginem effigiatos foueat, ſuſcipiatque, ſacerdotes aulicos vero in contraria ire, & quod hodie non inſolens eſt, ſub prætextu *orthodoxiæ læſæ* in probos multa coniicere crimina, principique auctores exiſtere, vt tales eiiciat, perſequatur, & rempublicam ab eiusmodi hominibus purget; fac, ſacerdotem aulicum prætextu *conſcientiæ ſuæ*, quo pallio plerique vtuntur, alia audere, quæ tamen ita comparata non ſunt, vt præuio proceſſu

Reſolutio.

ceſſu, & ſententia iudiciali remoueri poſſit: annon talis honeſte a principe eſſet mittendus? Si affirmas, ius principi, mittendi ſacerdotem aulicum, indulges: ſi negas, rei chriſtianæ te magis nocere quam prodeſſe credo. Si dicis, ex bona intentione, & in promotionem rei chriſtianæ poſſe mitti huiusmodi ſacerdotem, ſed non priori caſu, ſi in detrimentum eius fiat: facile id quidem largior in *theſi*, ſed qui ita mittit miniſtrum eccleſiæ aulicæ, ſemper eo argumento vti poterit, cum nemo de eius cauſa *deciſiuam* poſſit ferre *ſententiam*. Abvſus rerum non tollit vſum legitimum, nec veritati præiudicat. Si principi, ad meliora inclinanti, hanc facultatem adimimus, plus nocemus quam profumus rei chriſtianæ. (3) Vitia erunt, donec homines, quæ tamen rerum ipſarum naturam euertere nequeunt. Vtinam viueremus inter perfectos, quo ipſo nec deciſionibus, nec iure, aut ſententiis opus haberemus: inter imperfectos non poſſunt non multa accidere incommoda, quæ etiam malitia hominum ex ipſis veritatibus propullulat. Denique (4) hoc dubium oſtendit, magna *præcautione* & *ſollicitudine* principi, de ſalute *ſua* & *ſubditorum* ſollicito, opus eſſe, ſi ad *miſſionem honeſtam* procedere velit, ne lædat pietatem, & iure ſuo, quod in *foro externo* ipſi præſidium tantum præbet, in *perniciem eccleſiæ*, & tot hominum, qui inde iacturam facere poſſunt, abutatur, maxime cum euidens & manifeſtum ſit, ex *probis* & *improbis* ſacerdotibus aulicis ceteris eccleſiis & ſummum præſidium, & cladem non ſpernendam inferri poſſe.

Reſoluitur illud dubium, quod illud quoque illicitum ſit, quod honeſtati repugnat.

§. XCIV. Alterum dubium eſt, quod ex hac hypotheſi, quam vbique adſtruxi, non poſſit non miſſio *illicita* cenſeri, quæ *ſine cauſſa* & *temere* a principe facta eſt, cum parum referat, vtrum princeps quid agat contra regulas *honeſti*, an *iuſti*, imo ſufficiat, in ſacris hæc non diſtingui. Addunt, omne *illicitum* eſſe cenſendum, quod regulis *pietatis* & *honeſtatis* reclamat, quodque lædit conſcientiam: horum ſolam normam in deciſionibus eſſe obſeruandam, nec principibus aſylum, ſub prætextu *iuſtitiæ* aut *iuris*, dandum ſuppeditandumue eſſe, quo ſe recipere poſſint: conuenientius potius eſſe, *miſſionem* omnem damnare, reprobare, reiicere, quæ *remotioni* opponitur; hanc vero ſolam commendare, vtpote, quæ præuia *cauſæ cognitione*, & *ſententia*, præcedente *via iuris ordinaria*, inſtituitur & obſeruatur: nunquam conſtare poſſe, vtrum miſſio ſit *licita*, ſi ſolius principis arbitrio & conſcientiæ hoc negotium committatur: principum conſcientias non

 ita

ita esse instructas informatasque, vt negotium tam arduum, tam graue, ei tuto committi possit: satius esse, inutiles pastores potius *sententia iudiciali* remouere, quam honeste *mittere*. Qui ita philosophantur, rerum moralium vim & differentiam haud intelligunt, & more Catholicorum rigidiorum, quæ *honestatis* sunt, per modum *legum coactiuarum* generi humano obtrudunt. De *iure* hic disputamus, non de *honestate* & *pietate:* multa illa consideratione sunt permissa, quæ hac sunt reprobanda; nec aliquis tam imperitus rerum arbiter & æstimator erit, qui, dum *ius externum* principi indulgemus, existimauerit, principem *vbique* in conscientia tutum esse, & actum in *genere* & *absolute* esse licitum. Denuo, imo centies repeto, posse principem peccare in conscientia, ac contra DEVM, si ex *friuola caussa* & *temere* officium ecclesiasticum sacerdoti aulico, strenue ἔργον τοῦ Θεοῦ exequenti, ademerit, imo esse grauissimum illud peccatum, quod in sacris contra eiusmodi osores piorum depingitur, & huc quoque applicari posse, quod in CLEMENTIS *epist. I. ad Corinth.* hac de re Romani Christiani censuere his verbis, quæ in vernaculam versa huc transscribam: Denn es wird euch keine geringe Sünde seyn, wenn wir die verstossen solten, die die Gaben ihrer Aufsicht heilig und untadelich darbringen. Selig sind die Aeltesten, die den Weg vorangegangen sind, welche eine fruchtbare und vollkommene Auflösung erlanget haben, denn Sie dürfen sich nicht besorgen, daß Sie iemand von ihrem bestimmten Ort wegtreibe. Denn wir sehen, daß ihr einige hinweg gebracht habt, die doch wohl gewandelt haben, aus dem Amt, damit sie untadelich beehret worden. Ihr seyd zancksüchtig, meine Brüder, und eiffert über das, was nicht zur Seligkeit gehöret. Sehet doch fleissig in die Schrift als wahre Schüler des Heiligen Geistes. Wisset, daß darinnen nichts ungerechtes noch verstelltes geschrieben ist. Dann Ihr werdet nicht finden, daß Gerechte von heiligen Männern verworfen sind. Die Gerechte sind zwar verfolget worden, aber von Ungerechten: Sie sind gefangen geleget worden, aber von Unheiligen; gesteiniget, aber von Uebertretern; getödtet, aber von Bösewichtern, und denen, die ungerechten Neid wider Sie hatten. Sed de eo non est quæstio: illud vnice in controuersia est: *an princeps, dimittens sacerdotem aulicum, iure suo agat, an vero iniurius sit in ministerium, & ecclesiam, cui subtrahitur, & an vero hoc ius prorsus sit ei denegandum, quatenus a remotione distinguitur?* Hoc ipsum est, quod quæritur. Effectus quæstionis est, an sacerdos aulicus ei reclamare, sibique

que iniuriam factam esse, & principi desuper litem mouere queat? item an princeps, mittens sacerdotem aulicum, rationes suas, ob quas eum dimisit, iudicio cuidam submittere teneatur? Id ipsum est, quod nego, sed quod dissentientes, quibus accedere non possum, per *indirectum* intendunt. Loquuntur hac de re scripta, publici iuris, in casu in *consult. & decis.* meis *cit. l.* exposito, edita, quæ vnice id intendunt, vnice id agunt, vt princeps missionem talem factam iudicio exponere, & sententiam aliquam inter se & subditum expectare teneatur. Id vero quam longe recedat a iuris publici principiis, rectius illi explicabunt, qui norunt, quantum distent æra lupinis. Si ais, consultius ad minimum esse, vt *caussa missionis* subiiciatur arbitrio consistorii: respondeo, nec hoc nego, sed *consilii* quæ sunt, non subiacent iuris necessitati, & difficulter hoc modo sacerdotes aulici impii, quibus delicta grauiora, *remotionem* ex principiis nostris merentia, imputari nequeunt, remoueri possunt: notum est, quæ subterfugia hic quæri soleant, quando ad *remotionem*, in pœnam, est deueniendum, quæ euitari possunt, si principi, quod principis est, relinquimus, nec eum, vt ad sortem priuatorum recedat, adstringimus, sed potius iure suo agi permittimus. Adde & hoc, in omnium *iurium publicorum* exercitio, vt bello decernendo, iudicando, legibus ferendis, tributis indicendis &c. principes agere posse contra leges *honestatis*, vtut de cetero *iure* suo hæc omnia agant: quis autem assereret, principi hæc iura adimenda esse, quod in eorum exercitio *pietatem* vel *honestatem* lædere possit.

§. XCV. Denique claudat hanc doctrinam illud dubium, quod ex doctrina *§. LXXX. seqq.* exposita peti posset. Collationem officiorum publicorum ad *precarium* referri debere, dictum est, id quod *ab officiorum ecclesiasticorum* ratione alienum esse videtur, quæ non sunt *beneficia* alicuius *hominis* sed *Dei*, vtpote cuius *ministri* pastores sunt. Verum ex hac ratione *sacrum officium* minime contemnitur, aut parui habetur. Magistratui a principe conferri per modum *precarii iurisdictionis exercitium*, dixi supra, cuius officium itidem *ordo diuinus* dicitur, *Rom. XIII, 2.* imo ipsi magistratus etiam *subalterni*, *ministri* & *vicarii Dei* dicuntur, *Rom. XIII, 4. 6. 1 Petr. II, 13. 14.* nec tamen ipsum *officium magistratuum inferiorum* inde decrescit, aut pondus suum amittit, quod COLLATIONI EIVS inesse dicamus *precarium* intuitu *principis*. Sic etiam quando princeps *sacerdotem aulicum* sibi suæque familiæ aulicæ vocat, constituitque, (de

Vltimum dubium de precario petitum resoluitur.

aliis

aliis paſtoribus minime loquor) confert ei *munus eccleſiaſticum*, quæ COLLATIO itidem rationem quandam *precarii* habet, intuitu *conferentis principis*, vtpote qui vtplurimum *iure imperii & auctoritatis principalis* cum vocato agit, & contrahit. Ipſum *officium* ſacrum itaque *a modo conſecrandi* ſedulo ſecerni debet. Ipſum MVNVS manet ſanctiſſimum, eiusque pretio nihil decedit, quod COLLATIONI ineſſe dicamus *precarium*, ſicuti ei nihil decedit, ſi collationem cum aliis *mandatum* aut *locationem*, aut *contractum innominatum* diceremus. Aliquod enim *pactum* inter *conferentem* & eum, cui confertur, intercedere debere, ſupra dictum, & diſſentientibus iam reſponſum eſt, qui *immediatam collationem* fingunt.

Parum refert vtrum miſſio hæc honeſta an cauſſaria dicatur.

§. XCVI. Antequam ab hoc themate abeam, binis tantum verbis moneo, me ſemper *miſſionis honeſtæ* mentionem feciſſe, quæ forſan rectius vocari poſſet *cauſſaria*, vt oſtenderetur, eam *ex cauſſa*, æque vt in *militia*, fieri debere, ſi forſan ante tempus mittebantur milites. Enimuero (α) quamuis *cauſſaria* miſſio inde dicta fuerit, quod *ex cauſſa* facta fuerit, minime tamen inde colligendum, eam, *cauſſa cognita*, & interueniente proceſſu factam fuiſſe, quin potius inde tantum appellatam, quod licet tempus militiæ non fuerit expletum, eam tamen legitime fieri potuiſſe, quod mittens *ex cauſſa*, quam tamen miſſus non poterat examinare aut impugnare, illam fecerit. (β) Miſſio *cauſſaria* opponebatur *potiſſimum ignominioſæ*, adeoque literas dimiſſorias, in quibus miſes minus idoneus militiæ ob valetudinem vel aliam iuſtam cauſſam renunciabatur, *l. 13. §. 3. D. de re milit.* accipiebat, interim itidem *ſuo modo honeſta* erat, quamuis non in eo gradu, vt in *miſſione veteranorum*. Quocirca (γ) parum lucrabitur quis ex hac obiectiuncula, ſi conſtituere vellet, miſſionem miniſtrorum eccleſiaſticorum magis *cauſſariam* quam *honeſtam* eſſe dicendam; etenim ne quidem hoc modo neceſſe erit, cauſſam miſſionis iudiciali exponere examini, ſed id tantum inde fluit, cauſſam quamcunque in literis dimiſſoriis inſeri poſſe, etiam generalem, quod e re ſua viſum haud fuerit, eius vlterius frui miniſterio. Interim (δ) cum certum tempus militiæ ſacræ non præfinitum ſit, vti quidem togatæ, reuera diſcrimen inter *cauſſariam* & *honeſtam miſſionem* hic obſeruari nequit, ſed potius conuenientius viſum fuit, potius *honeſtæ*, quam *cauſſariæ miſſionis* mentionem facere, quod miſſus non *in pœnam*, ſed ex alia cauſſa reuocatus fuerit, ſalua exiſtimatione, imo ſaluo dignitatis priſtinæ ſtatu.

§.XCVII.

§. XCVII. Vindicaui iustitiam *dimissionis* eorum clericorum, qui sunt in speciali ministerio principis. Ab hac longe differt DEPOSITIO vel REMOTIO AB OFFICIO, quæ *est officii ecclesiastici a iudice ecclesiastico in pœnam ob delictum, in officio sacro commissum, caussa cognita, facta priuatio;* estque duplex, vel *simplex*, quæ per sententiam iudicis fit nulla accedente solennitate: vel *solennis*, quæ peculiarem solennitatem desiderat, qua delinquens *degradari* vel *exauctorari* dicitur. Vtraque est *pœna proprie dicta*, vti supra *§. VI. sqq.* dictum; & cum nulla pœna nisi a *iudice* inferri & decerni possit, hinc 1) desideratur *iudex competens*. In *clericorum* depositione solum *iudicem ecclesiasticum* competentem constituerunt, qui vel *episcopus*, vel olim quandoque *synodus*. In primitiua ecclesia, quæ adhuc fœdere æquali, iure *collegii*, vnita erat, tota ecclesia ad remotionem eorum, qui in clero erant, concurrebat, vt ex *epist.* CLEMENTIS et CYPRIANI probatum dedi *tom. I. tit. de maior. & obed. §. 14.* Quia enim ministri *ecclesiæ* seu *ipsius cœtus* erant, æquitati congruebat, vt, tota decernente ecclesia, cui inseruiebat remouendus, officio sacro priuaretur. Tribus peractis seculis, in quibus privatim res suas egit ecclesia, omnia in peius ruere, & ad immutationem iurium inclinare cœperunt. Episcopi in suis ecclesiis propriam affectarunt iurisdictionem, exclusa plebe, & ius communicandi atque remouendi ab officio sacro sibi priuatiue attribuerunt, concurrente approbatione conciliorum seculi IV. Etenim in *concilio Antiocheno c. 4.* relato in *c. 6. C. 11. qu. 3.* ius condemnandi episcopum *synodo*, presbyterum vero vel diaconum *proprio episcopo* attribuerunt, hac sub comminatione, vt, si ausi fuerint post condemnationem aliquid de sacro ministerio attingere, nullo modo spem *restitutionis* in alia synodo, ad quam forsan prouocarunt, haberent. Permissum enim erat, a sententia episcopi condemnatoria prouocare ad *synodum prouincialem*, quod etiam confirmatum in *concilio Sardicensi c. 17.* relato in *c. 4. C. 11. qu. 3. si episcopus quis forte iracundus cito & aspere commoueatur aduersus presbyterum siue diaconum suum, & exterminare eum de ecclesia voluerit, prouidendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem*, vel *in totum* vel *secundum quid* quoad statum clericalem, vt communionem laicam accipiat. *Et ideo habeat potestatem is, qui abiectus est, vt episcopos finitimos interpellet, & caussa eius audiatur, & diligentius tractetur, quia non oportet ei negare audientiam roganti. Et ille episcopus, qui aut iuste aut iniuste eum abiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur, vt vel probetur sententia eius a plurimis, vel emendetur;* id quod *canoni 5. & 6.*

Remotio ab officio a missione differt,

est vel simplex vel solennis.

In ea desideratur 1) iudex competens ecclesiasticus. Olim tota ecclesia.

Seculo IV. episcopus,

vel Synodus, si episcopus deponendus,

vel clericus inferior prouocabat.

& 6. concilii Nicæni congruebat. Sicuti vero in aliis, ita etiam hac in re disciplina ecclesiastica olim diuersa fuit. Etenim in *concilio Hispalensi II. anno 619.* celebrato *c. 6.*, qui refertur in *c. 1. & 7. C. 15. qu. 7.* noua disciplina inualuit; quod *multi essent*, *qui indiscussos potestate tyrannica non auctoritate canonica damnarent*, *& sicuti nonnullos gratiæ fauore sublimarent*, *ita quosdam odio inuidiaque permoti humiliarent.* Hac de re constitutum, *vt hi*, *qui diuinis altaribus decorati*, *nec ab vno damnari*, *nec vno iudicante honoris sui priuilegiis exui possent*, *sed præsentati synodali iudicio*, *quod canon de illis præceperit*, *definiri.* Non de *secunda instantia* hoc intelligendum esse, vt canonistæ somniant, ipse contextus docet, additurque ratio: *episcopus enim sacerdotibus & ministris solus honorem dare potest*, *auferre solus non potest.* Imo noui quid in hoc canone cautum esse contra *tyrannicam* episcoporum quorundam *potestatem*, ipsi patres fatentur, vt potius de *prima instantia* intelligi debeat. Vtrum autem hæc noua disciplina effectum diuturnum habuerit, vel ideo dubito, quod vbique fere episcopi hac in caussa *iudices competentes* agniti fuerint, qui tamen absque præsentia *senatus ecclesiastici* nihil decernere poterant. *c. 2. & 6. C. 15. qu. 7.* Denique postquam episcopi *iudicia ecclesiastica* ordinate instructa seculo XII. instituerunt, ius remouendi clericos hisce demandatum, quod caussæ cognitionem & processum desideret, quod etiam probatum in *concil. Trident. sess. XIII. c. 4. de reform.*

Seculo VII. etiam presbyteri tantum a synodis depositi.

Quamuis hoc ius nouum sine effectu fuerit.

Et episcopi tandem officialibus hoc negotium dederint.

Episcoporum depositio tantum in synodis decreta.

§. XCVIII. Maior erat caussa *depositionis episcopi*, quæ in *synodo prouinciali* a comprouincialibus erat decidenda, tanquam in *iudicio maiori*, cuius rationem tradit CYPRIANVS *epist. 68.* Quocirca cum circa annum 266. PAVLVS Samosatenus, episcopus Antiochenus, de hæresi aliisque criminibus suspectus postularetur, in synodo Antiochiæ contracta sententia depositionis contra eum lata, non concurrentibus occidentalibus, quamuis primæ sedis episcopi caussa agitata esset, teste EVSEBIO *lib. VII. histor. eccles. c. 27.* Vnde recte colligit IACOBVS BOILEAV *de caussis maior. p. 22. ex quo plenissime perspicimus*, *episcopum*, *criminis postulatum*, *reddere rationem villicationis suæ coram concilio prouinciali*, *& fuisse examini obnoxium ac censuræ seu iudicio subiectum*, *vbi criminis testes occurrere poterant.* Confirmauit hunc antiquum ecclesiæ vsum *c. 5. concil. Nic.* vt sententia depositionis talis vim rei iudicatæ apud omnes haberet. Non diu vero hæc praxis quieta & sine contradictione mansit, quod Romæ iam de tribunali supremo erigendo consilia agitarentur. Erupit hæc contentio in caussa ATHANASII,

In caussa Athanasii re-

NASII, qui cum *anno 340.* in *concilio Antiocheno* esset depositus, Romam se contulit, & de iniuria sibi facta conquestus obtinuit, vt IVLIVS, coacta synodo, denuo de caussa cognosceret, & sententiam *orientalium* refricaret, absoluto ATHANASIO. Grauia inde dissidia orta inter *orientales* & *occidentales*. Illi enim recte allegabant veterem consuetudinem, quæ non permittebat, *vt in concilio orientales episcopi quod forte statuissent, ab occidentalibus refricaretur.* Consuetudinem hanc illustrabant his exemplis: *Nam in vrbe Roma sub Nouato & Sabellio & Valentino hæreticis factum concilium ab orientalibus confirmatum est: & iterum in oriente sub Paulo Samosateno quod statutum est, ab omnibus signatum.* Enimuero IVLIVS hac in caussa *noui iuris fundamenta* iacienda esse arbitratus est, cuius principia ad hæc reducit capita. Scribit enim: *Si, vt dicitis, omnino in culpa fuerunt, oportuit secundum canonem & non isto modo iudicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus, quod iustum est, decerneretur: Episcopi enim erant, qui patiebantur, & non vulgares ecclesiæ, quæ ista patiebantur, sed quas Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur inprimis de Alexandrina ciuitate nobis scribere voluistis? an ignari estis, hanc consuetudinem esse, vt primum nobis scribatur, & dehinc quod iustum est, definiri possit?* Equidem, sententia contra episcopum lata, moris erat, reliquis ecclesiis præstantioribus de ea certiores reddere; ast, vt, ante eam, *primum* ab orientalibus ad occidentales scriberetur, & eorum, ac inprimis *Romani episcopi* consensus in deponendo episcopo orientalis ecclesiæ desideraretur, inauditum, & contra morem ecclesiæ, nec *canon*, quem IVLIVS allegat, in rerum natura erat.

cursus ad episcopum Romanum tentatus.

Inde dissidia inter orientales & occidentales.

§. XCIX. Alea hoc modo iacta, curiæ Romanæ intererat, vt certum quid de caussa in *concilio vniuersali* constitueretur. Hoc attentatum in *Sardicensi* anno 347. celebrato *c. 3.* ad instantiam HOSII, concilii præsidis, admodum tum IVLIO tum ATHANASIO dediti, cautumque, vt condemnatus episcopus posset prouocare ad nouum concilium, atque petere, vt illud renouaretur, autoritate IVLII Romani episcopi. Hoc modo depositis episcopis refugium ad episcopum Romanum patuit, vt eius autoritate nouum iudicium synodale conuocaretur, in quo caussa denuo euolueretur. Quia vero orientales ex euidentibus argumentis mox animaduertebant, occidentales numero præualentes in orientalium præiudicium plura innouaturos esse, discesserunt, & ab iis se separarunt, vnde factum est, vt huius noui iuris vsus per aliquot secula nullus esset, vt monstrat PETRVS DE MARCA *de concil.*

Et noua disciplina in concilio Sardicensi attentata.

sac. & imp. lib. VII. c. 4. sqq. sed depositiones episcoporum *synodis prouincialibus* relinquerentur. Seculi noni auspicia pontifici occasionem dederunt, has caussas suo *priuatiue* iudicio reseruandi, & vindicandi. Prodiit eo tempore in lucem spuria & decantata *collectio* ISIDORI, in qua caussæ maiores, quibus etiam *depositiones episcoporum* ex affícta IVLIO sententia, relata in *c. 9. C. 3. qu. 6.* (quæ tamen potius impostoris ISIDORI est) sunt annumeratæ, pontifici reseruatæ & adscriptæ, vt probatum dedi in *diss. de caus. ard. & maior. c. III. §. 10.* & plenius illustrant DVPINIVS *de discipl. eccles. antiq. diss. 2. p. 134.* PETRVS DE MARCA *cit. l. lib. VII. c. 25. sqq.* id quod non potuit non a *concilio Tridentino sess. XXIV. de ref. c. 5.* denuo corroborari, cum curiæ Romanæ suffragium & autoritas vnice in eo præualeret, ringentibus & contradicentibus frustra præsulibus Galliæ, vt DVPINIVS *cit. l. 140.* rursus docet.

Collectio Isidori tandem pontifici ius deponendi assignauit.

Quod concilium Tridentinum confirmauit.

§. C. Depositiones ipsius *pontificis* curiæ Romanæ principiis quidem aduersantur, sed non praxi ecclesiæ: concilii vniuersalis iudicium illa ægre in pontificem admittit, imo eum a nemine posse iudicari, vel, vt loqui amant, *eum ab ecclesia non esse auferibilem*, constituit, sumta denominatione a formula, quæ ab antiquo in *degradatione* vsitata fuit: *aufero tibi* &c. infra adducenda. Vid. IO. GERSON. *de auferibilitate ab ecclesia.* Contrarium euicit *synodus Pisana* & *concilium Constantiense*, in hoc enim IOANNES XXIII. BENEDICTVS XIII. & GREGORIVS XII., postquam viam *cessionis* seu *resignationis spontaneæ* amplecti noluerunt, depositi sunt per sententiam concilii, vt acta eius loquuntur. Eundem seruauit vsum *concilium Basileense*, deposuitque EVGENIVM IV., vt non potuerit non sudes in oculis curiæ Romanæ esse. Strenue hunc vsum & autoritatem *concilii generalis* propugnant Galliæ antistites, quod iudicio totius ecclesiæ eiusque correctioni subsit. Illustrat LAVNOIVS *P. III. epist. 7. §. 14.* Gallorum dogma testimonio IACOBI DE PARADISO, Theologi de familia Cartusianorum, aientis: *Auferre igitur a papa correctionem imo potestatem deponendi, est maximæ impietatis, & ipsum statuere in plena audacia peccandi, & per consequens furioso gladium dare, vt se ipsum sine resistentia interimat. Mittunt igitur papam in foueam damnationis, & cum eo damnantur, quod eum subesse ecclesiæ vniuersalis correctioni contradicunt.* IDEM *P. VI. epist. 14. n. 327.* adfert ALVARI PELAGII, ex ordine Minorum theologi, testimonium dicentis: *in condemnatione papæ duo testes sufficiunt, nec in hoc priuilegiatus est, imo deterioris conditionis, quia ipse maior sine comparatione aliorum est, & ideo* SINE SPE VENIAE CONDEMNANDVS,

Concilium œcumenicum iudex est in depositione papæ.

VT DIABOLVS. Sed nec deficiunt iudicia cæsarum in papam, quibus se eo promtius submiserunt, quod imperium vrbis, & sedem papalem ordinandi potestatem haberent, quod LEONIS III. exemplum *tit. XXXIV. huius libri §. 17.* adductum illustrat, denique GREGORII VII. depositio ab HENRICO IV. in conuentu Brixiensi peracta confirmat, quamuis hæc principiis curiæ Romanæ recentioribus haud conueniret. Eam iam antea in conuentu Moguntiæ habito decreuerat, vt autor est SIGEBERTVS *ad an. 1079: Henricus imperator in Pentecoste, conuentu habito Moguntiæ, decreuit Hildebrandum a papatu esse deponendum, & Longobardiam petens Guibertum Rauennæ episcopum pro Hildebrando papam designat*, quem schismaticum & antipapam eam ob causam appellant, factum hoc atro carbone notantes. Vid. NATALIS ALEXANDRI *diss. II. ad sec. XI. & XII. art. 11. & 12.*

Olim quandoque cæsares.

§. CI. Etiam in foris Protestantium ius *remouendi* ministros ecclesiæ *consistoriis* delegatum est, quod mediante *iurisdictione ecclesiastica* peragitur. Quocirca 1) etiam hæc potestas assignanda merito est *consistoriis inferioribus*, quæ *dynastiis & ciuitatibus mediatis* in quibusdam locis competunt, quorum autoritatem vindicaui *tom. I. tit. de offic. vicar. §. 29.* & in *diss. de clerico debitore c. II. §. 11. in not.* cum DONDORFFIO *de iurisd. eccles. quatenus magistratui municip. & in specie Hexapolitano competat*, AC HERTIO *de superiorit. territ. §. 13.* Vtut enim ab his iudiciis ecclesiasticis facultas appellandi ad superiora consistoria locum habeat, & *sententia depositionis* ab illis lata, hoc modo examini horum subiaceat; ius deponendi tamen iis negari nequit, quod *iurisdictioni* stricte dictæ cohæret. 2) Ius *remouendi* pastores nec ab ipsis *ecclesiis* nec a *patronis* exerceri potest, quatenus *iurisdictionis* actus est; nisi (α) statum ecclesiarum priuatum, vt *§. 98.* innui, supponamus: (β) consuetudo patronis plus potestatis ab antiquo tribuerit, quod Marchicis adscribunt vi *ordin. consist. Marcb. tit. 10. §. fin.* Weil die Patroni und Collatores, welche Pfarrer zu vociren und zu præsentiren, auch wieder zu enturlauben hergebracht haben, soll es dabey nochmals gelassen werden. Dubito tamen, an ex his verbis *ius remouendi*, quod mediante processu peragitur, & actus iurisdictionis est, colligi queat, quæ, me iudice, de *simplici dimissione* intelligenda, & in vita communi die Enturlaubung vocatur. Hanc enim a functionibus sacris non absolute abhorrere, iam antea prolixius demonstraui. Sed postquam in *recess. prouinc. Marcb. de anno 1653. §. 3.* constitutum, vt, *interueniente legitimo processu*, id fiat, ius *dimittendi* in veram *depositionem* transformatum

In foris protestantium consistoria deponunt, etiam inferiora,

non patroni,

 est,

est, cum hæc, non illud, *causæ cognitionem* desideret. Aliud quoque (γ) dicendum de *iure patronatus*, quod nobilitati immediatæ A. C. addictæ tribuitur, & totam *iurisdictionem ecclesiasticam* ambitu suo complectitur.

a) Requiritur delictum, ob quod indignus officio est.

§. CII. Porro cum remotio seu *priuatio officii ecclesiastici in pœnam* clericis decernatur, pœna autem comes *delicti* sit, sequitur, (II) *vt se tali delicto inquinauerint, ob quod absque scandalo officio suo amplius fungi nequeant, sed eo indigni facti.* PAVLVS ipsemet Titum hoc modo instruit *in epist. cap. I. v. 6.* & qualitates in presbyteris necessarias his depingit verbis: *si quis* SINE CRIMINE *est, vnius vxoris vir, &c. oportet enim episcopum* SINE CRIMINE *esse, sicut Dei dispensatorem.*

Vtpote crimine publico infectus.

Eandem qualitatem desiderat in *diaconis 1 Tim. III, 10. Et hi probentur prius & sic ministrent,* NVLLVM CRIMEN HABENTES. Criminibus publicis infectos ne quidem inter se tolerabant christiani, sed eiiciebant, vt *tit. XXIX.* docendum, adeo vt restitutos nunquam ad officia sacra promouerent, teste ORIGENE *lib. III. adu. Celsum p. 143. edit. Cantabrig.* monstrante, lapsos *ea conditione* fuisse receptos, *vt,* QVONIAM LAPSI SVNT, *excludantur in posterum ab omnibus dignitatibus & magistratibus ecclesiasticis,* quod repetitum in *c. 9. sqq. D. 50.*

Qui nec ad officium sacrum vnquam admissus.

Sed remissior tandem disciplina inualuit.

Quanto magis ergo illi abiiciendi & officio priuandi erant, qui munere sacro, quod gerebant, graui crimine se indignos prorsus reddiderant. Hoc obstaculum ex principiis sacræ scripturæ veram *irregularitatem* operabatur, in qua tamen multum remisit disciplina sequentium seculorum, solo homicidio excepto, vnde *primariam irregularitatem* æstimarunt, *c. 8. D. 50.*, si vel maxime nequidem *crimen* contineat. Etenim ob crimen etiam depositos, peracta pœnitentia, rursus restitui posse, & ad pristinos reuerti gradus permiserunt, autoritate magis *adulterinorum scitorum* ecclesiasticorum in *c. 14. D. 50.* traditorum, quam *verorum*, vt docet ESPEN. *in diss. canon. de instit. & offic. canonic. P. II. c. 2. §. 4. sqq.* quamuis hæc ad *mutationem disciplinæ ecclesiasticæ* ansam dederint, circumspecte tamen & parcius exercendam.

Exempla criminum, quæ depositionem merentur.

§. CIII. Quocirca, vt ad specialia progrediar, merito officiis sacris priuantur (1) *simoniaci, c. 38. de simon.* (2) *Hæretici;* quamvis enim *bona fide* errare possint, vt conceptus criminis in eos non quadret; non tamen sunt *irreprehensibiles*, nec illa gaudent qualitate, quæ absolute in fideli ministro ecclesiæ desideratur, modo error in articulo fidei, & imputatio ipsa *vera* sit, non *calumniosa*, prout plerumque esse solet. (3) *Schismatici. c. 2. de schismat.* (4) *Inobedientes, contumaces & rebelles,*

rebellet, *c. 3. C. 3. qu. 4. c. 6. C. 9. qu. 3.* seu qui præceptis & mandatis magistratus ecclesiastici sese submittere recusant. (5) *Anabaptistæ. c. 118. de consf. D. 4.* (6) *Homicidæ*, etiamsi consilio tantum cædem iniquam promouerint; *c. 10. de excess. prel.* quamuis plus iusto irregularitatem ex sanguinis profusione contractam curia Romana & patres extenderint, vt ad *tit. de vit. & honest. cleric. §. 62. seqq. & tit. de homicid. §. XII.* monstraui. (7) *Duello* se vel mediate vel immediate committentes. *c. 1. & 2. X. de duell.* (8) *Adulteri. c. 10. D. 81.* (9) *Stupratores & fornicatores*, maxime, si Deo consecratam corruperint, *c. 6. C. 27. qu. 1.* adeo, vt, obseruante MORINO *de administr. sacr. pœnit. c. 15.* per mille & amplius annos sacerdotibus, siue clam siue palam in carnis flagitia lapsis, reditus ad dignitatem amissam non patuerit. (10) *Concubinarii*, ex eadem ratione; *c. 6. D. 81.* quamuis, cœlibatu clericis imposito, rarius hæc pœna in vsum deduci potuerit. (11) *Incestuosi*, *c. p. X. de purg. canon.* (12) *Raptores virginum. c. 2. 4. 5. C. 36. qu. 2.* (13) *Sodomitæ. c. 14. X. de excess. prel. c. 13. de vita & honest. cleric.* (14) *Fures & latrones* vel iis patrocinantes. *c. 4. X. de iudic. c. 6. X. h. t.* (15) *Sacrilegi*, *c. 13. C. 17. q. 4. c. 4. C. 12. q. 2.* quod secundum varias species explicatum *tit. de raptor.* (16) *Vsurarii*, quorum rursus diuersæ species sunt, *tit. de vsur.* expositæ. *c. 1. 2. D. 47.* (17) *Falsarii*, *c. 7. D. 50.* vid. *tit. de crim. falsi.* (18) *Periuri*, vtpote infamiam contrahentes, *c. 10. X. de iureí.* (19) *Sortilegi*, qui sæpe vt hæretici puniuntur, vt ad *tit. de sortil.* dictum est. (20) *Percussores falsæ monetæ*, & aliis æque grauibus sceleribus inquinati.

Sed etiam pessime viuentes depositionem merentur.

§. CIV. Enim vero episcopus & presbyter quilibet non tantum ἀνέγκλητος *inculpatus*, & ἀνεπίληπτος *irreprehensibilis* debet esse, sed iuxta PAVLVM *1 Tim. III.* & ad *Tit. I.* speciatim in eo desideratur, vt sit *sobrius, frugi, modestus, non vinolentus, non percussor, non sordidus, sed æquanimis, a iurgiis & auaritia alienus, suam domum bene administrans, non inflatus, non luxu infamis, aut contumax, non iracundus, fidi sermonis*, vt possit digne officio suo fungi, aliisque bono præire exemplo, quod sequantur: *1 Petr. V, 3.* vno verbo, *solida pietate & fide conspicuus.* Quocirca non subsistendum est in criminibus ante allatis, similibusque, sed præterea merito ab his præsepibus arcendi sunt ignaui, prauis & corruptis moribus præditi, rixosi, gulæ dediti, & perfunctorie officio suo fungentes. Cum enim (I) hæc sit *officiorum sacrorum* peculiaris ratio, vt illa cum fructu & ad animarum salutem exercere non possint, qui pessime viuunt, & malo exemplo doctrinam sacram peruertunt, atque in hoc illa a *secularibus officiis* discrepent; ita etiam

Quod officiis sacris cum fructu præesse nequeant.

remo-

remotionis ab officio vigor præcipue contra pastores & sacerdotes impios esset exercendus, vtpote qui gregem dilacerant, & non pascunt, quique officium tam sacrum, quod illis concreditum est, *peruerse* & *pessime* & *superficiarie* gerunt. (II) Etiam qui secularibus officiis non recte funguntur, & *non ex fide* tutelam gerunt, sed summam negligentiam committunt, vt *suspecti* remouentur, vt nequidem cautio in futurum illis prosit: quanto magis ergo *inutiles*, & vitam a CHRISTI regulis deviantem viuentes essent remouendi, qui itidem *non ex fide* hanc *sanctissimam tutelam* gerunt, & multo magis ac tutores *suspecti* dicendi.

Vt ecclesia vacare dicatur.

(III) Recte itaque censuit INNOCENTIVS III. in *c. 2. X. de translat. episc. Iuxta communem modum loquendi dicitur ecclesia viduata, quæ licet episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere. Inutilis* autem is merito dicendus, qui pessima sua vita, quæ docet, simul refutat, quique officium suum *negligit*, ob quam *negligentiam* olim degradatos fuisse presbyteros, liquet ex *concilio Cabilon. II. de anno 813. c. 40.* relato in *c. 8. D. 81.*

Etiam ex sententia Tridentin.

Idem etiam (IV) Tridentini *seß. XIV. de reform. in proœm.* obseruarunt & episcopis præcipue cauendum esse censuerunt, *ne clerici, præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neue inhonestam vitam,* IPSIS CONNIVENTIBVS, *ducant. Nam*, pergunt, *si eos prauis & corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui vno ab eis sermone conuinci possent, quod clericis ipsis patiantur esse deteriores. Qua enim libertate laicos corripere poterunt sacerdotes, cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse, quæ corripiunt.* Denique iuxta *c. 2. D. 81. nemo recte monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conuersatione demonstrat.*

Non obstante Pauli doctrina.

Equidem (V) minus caute plerique verba PAVLINA: *Si quis sine crimine est*, separarunt a subsequentibus antea adductis qualitatibus, & in illis substiterunt, pœnam *depositionis* vnice ad *crimina* restringentes.

Male ergo depositio ad crimina restricta.

AVGVSTINVS in *c. 1. D. 81.* parum ab his recedere videtur, aiens: *Apostolus Paulus, quando elegit ordinandos presbyteros vel diaconos, & quicunque ordinandus est ad præposituram ecclesiæ, non ait, si quis sine peccato est, (hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur) sed ait: si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium & cetera huiusmodi. Crimen autem est peccatum graue, accusatione & damnatione dignißimum.* Enim vero quamuis concipere nemo possit hominem, qui infirmitatibus peccato inuectis careat; palam tamen est, dari plurimos, criminibus adductis abstinentes

ad

ad minimum ex *regulis prudentiæ*, & tamen gulæ inseruientes, scurrilitati, rixis, contentionibus, auaritiæ, ambitioni, aliisque vitiis moralibus adeo, habitu suscepto, dediti, vt vita eorum pessima omnium in oculos incurrat, & tamen tolerantur, quod *criminum* accusatione dignorum conuinci nequeant, vnde *depositionis* vnicum vere fundamentum peti solet. Ad minimum (VI) e re ecclesiarum esset, vt sicuti apes ignauum pecus a præsepibus suis arcent, ita etiam tam peruerse viuentes sacerdotes, qui omnem eiurarunt correctionem, honeste dimitterentur, & in honorem officii, quod gerunt, salua existimatione, ab hac *tutela sanctissima* abirent. Hoc modo commune præiudicium: *remotionem esse pœnam, lædere existimationem, & excommunicationi suo modo æquiparandam, adeoque sine admisso crimine non decernendam &c.* remoueri posset, quod alias impiis clericis murum aheneum præbet, eosque contra omnem depositionem tutos reddit atque incolumes. Denique quod (VII) plerique tam alieni sint ab *ignauorum* & *impiorum* remotione, quin potius illis patrocinium præsidiumque præstent, non aliunde arcessendum, quam quod plerique studium *veræ pietatis* odio habeant, eos, qui illud inculcant, persequantur, & horum potius *remotioni* studeant, vtpote quorum mores illis intolerabiles, & ludibrio sunt, quale hominum genus optime depingit *liber Sapient. V, 1. sqq.* Ad hos optime quadrat illud poëtæ, quod contra patronos adulterorum cecinit, & mutatis paucis æque *patronis impiorum ministrorum ecclesiæ* applicari potest:

Ad minimum impii honeste dimittendi essent.

Impedimentum, quod ægre dimittantur.

Wie kommt es doch, daß iederman
Sich nimmt der bösen Priester an?
Daß Richter, Priester, und Leviten
Die Straffen suchen zu verhüten?
Dieweil sie alle insgemein
Von gleichem Schrot und Korne seyn.

Ni enim hi, qui sacerdotes impios fouent, & in horum fauorem responsa dant, æquales illis in moribus essent, non tam pertinacissime se eorum *remotioni* vel *dimissioni* opponerent. Longe *seueriores* sed etiam *iustiores* (VIII) contra impios & negligentes sacerdotes fuerunt antiqui canones, ceu docet *can. apost. 58: Episcopus aut presbyter clerum vel populum negligens & non docens eos pietatem, segregetur: si autem in socordia perseueret, deponatur.* IVSTINIANVS pariter in *l. 42. §. 10. C. de episcop. eos, qui inuenti non fuerint* INCVLPATE *in liturgiis perseuerantes, extra clerum constitui* iussit. Ob *negligentiam* presbyteros olim canonice degradatos fuisse, iam antea ex *c. 8. D. 81.* monstraui.

Contra praxin antiquam.

Addo etiam, *in concil. Tolet. IV. c. 10.* ordinis ſui honore priuatos fuiſſe ſacerdotes & quoscunque alios clericos, qui orationem dominicam quotidie aut in publico aut in priuato officio *propter ſuperbiam* præterierint, alia vt non tangam, ſigillatim tacta a BINGHAMO *Vol. VIII. lib. XVII. antiq. eccleſ. c. V. §. 1. ſqq.*

Cauſſa cognita facienda depoſitio.

§. CV. Rurſus quia de cauſſa depoſitionis conſtare debet, (III) neceſſe eſt, *vt cauſſa cognita demum decernatur.* Proceſſu ergo opus eſt, & is, quem culpa redarguit, legitimis probationibus conuincendus, atque neceſſaria defenſione audiendus. Neque dubium eſt, quin *ex officio* etiam a *iudice eccleſiaſtico* per *viam inquiſitionis*, iudiciis eccleſiaſticis præcipue demandatam, procedi queat, cum cauſſa depoſitionis vtplurimum *crimen* concernat; quamuis enim *criminaliter* contra clericos non procedatur, ſeu ad *pœnam criminalem;* pœnæ tamen eccleſiaſticæ eiusdem cum criminalibus farinæ ſunt, & *proceſſum inquiſitorium* ex intentione INNOCENTII III. multo magis admittunt, ac crimina, ob quæ in ſeculari foro ad imitationem fori eccleſiaſtici pedetentim *ex officio* procedi cœptum eſt. Quocirca etiam inter Proteſtantes in *delictis mere eccleſiaſticis* & *grauioribus* clericorum *exceſſibus* coram conſiſtorio cauſſa *ex officio* peragitur: *ſi atrocius crimen*, quod *pœnam capitalem* meretur, commiſiſſe arguuntur, vtplurimum ſtatim *commiſſariis*, criminali proceſſu moto, & delinquentibus carceri traditis, cauſſa a principe delegatur, & eodem contra eos, vt contra alios delinquentes, modo proceditur. Neque tamen, me iudice, impedit, quo minus conſiſtorium contra delinquentem clericum cauſſam inſtruere, & per viam *inquiſitionis* procedere poſſit, cum ius canonicum tantum horreat *pœnas ſanguinis*, non *ipſum proceſſum criminalem*, quem potius, cum *accuſatorio*, introduxit atque explicuit. Imo *tribunalia inquiſitionis*, omnem humanitatem ſuperantia, ne quidem noua torturæ genera applicare reformidant, nec abſtinent a pœna carceris perpetui, quamuis hæc capitali ſupplicio comparanda ſit. Denique quamuis nec noſtra conſiſtoria criminales ſanguinis pœnas decernant, ſed vltra remotionem ab officio non procedant; nihil tamen impedit, quo minus atrociori ſupplicio ſubiiciendum remittere poſſint ad iudicem ſecularem, vt ille vlterius contra eum ad pœnam procedat.

Praxis proteſtantium.

Conſiſtoria proceſſum recte inſtruunt.

Vbi tortura dictanda, antea degradari ſolet clericus.

§. CVI. Noui etiam, in caſu, quo contra infanticidii reum miniſtrum eccleſiæ *tortura* per ſententiam decreta erat, reum ante eius *executionem*, ſolenni ritu fuiſſe officio ſacro ſpoliatum, & *brachio ſeculari* traditum, quod hoc medium eruendi veritatem a iudiciis eccleſiaſticis

ſticis abhorrere videatur, foro ſeculari criminali tantum relictum. Neque enim, qui adeo in indiciis oneratus eſt, vt torturæ ſubiici debeat, *officio eccleſiaſtico* in futurum amplius fungi poteſt, licet vel maxime præfracte in negando perſiſtat, omni adminiſtratione officii ſacri indignus. Admittunt præterea interpretes, hodie etiam clericum & a iudice eccleſiaſtico torqueri poſſe, præuio mandato epiſcopi ſui, mitius tamen, quam laicum, licet grauius deliquerit, quod tortura non ſit *pœna criminalis*, ſed medium extorquendi confeſſionem a præfracte crimen negante, vt obſeruant IVLIVS CLARVS *qu.25.n.5. & qu.64.n.24.* CHOPINVS *lib.II. ſacr. polit. tit.3. n.12.* INNOCENTIVS *ad c.1. X. depoſit.* Equidem ESPENIVS *P.III. iur.eccleſ. tit. 8. c.3. §.vlt.* torturam in partibus Belgicis a moribus iudiciorum eccleſiaſticorum alienam eſſe teſtatur, quod ad *iudicium ſanguinis* non parum accedat; hanc tamen rationem torturæ haud obeſſe, iam antea monui, quod hæc duntaxat ad *veritatem* extorquendam, non in *pœnam* adhibeatur. Quid? quod ALEXANDER III. Senonenſi archiepiſcopo & Pariſienſi epiſcopo in *c.1. X. depoſ.* in mandatis dederit, vt clericum, qui pecuniam depoſitam deteſtabili ſurreptione furatus erat, & abſconderat, *vinculis macerarent alligatum & affligerent, vt cogeretur bene ligatus reddere, quod male diſſolutus auſus fuerat aſportare.* Talis maceratio per carceres duriores eſt etiam *torturæ* ſpecies, nec ratio reddi idonea poteſt, quare de grauiſſimo crimine accuſatus clericus a *tortura* immunis eſſe debeat, cum etiam olim teſte AVGVSTINO, *in c.1. C.23. qu.5.* relato: clerici homicidæ a tortura haud immunes fuerint. Interim facile aſſentior GONZALEZIO ad *c. 1. X. de depoſ. n.5.* ex *cit. textu* colligi non poſſe, torturæ *ordinariæ* contra reos vſitatæ etiam pertinaces clericos ſubiiciendos eſſe. Verba enim in GONZALEZII *editione: vt iniquum ſub* DVRIS *quæſtionibus ad rationem ponant*, (1) diſcrepant a lectione vulgatæ editionis & *codicis membranacei*, quem ill. Dn. de LVDEWIG poſſidet, in qua vox DVRIS deeſt. Præterea vero (2) *ſub quæſtionibus ad rationem clericum ponere*, medium per torturam eruendi veritatem innuere nequit, quod de ipſa ſurreptione iam conſtabat, & fur duntaxat ad reddendos nummos conſtringendus per *carceres* erat; hunc in finem ſtrenue per *quæſtiones* ſeu *interrogationes* compellandus, vt loculos indicaret, in quibus pecuniam abſconderat.

Quamuis ipſe iudex eccleſiaſticus quoque torturam exſequi valeat.

§. CVII. Illuſtrabo hanc obſeruationem ex actis criminalibus, in quibus in caſu antea propoſito reo tortura dictata, præuia tamen *degradatione*, erat. Reſcriptum regii regiminis & conſiſtorii in ducatu

Quod caſu memorabili illuſtratur.

Magdeburgico de anno 1709. de degradando reo ad inspectorem N. directum, erat huius tenoris:

Was I. S. v. T. wegen des bisherigen Predigers zu S., A. K., welchem in puncto imputati adulterii & mandati infanticidii die Tortur zuerkannt, in Schriften berichtet, und welchergestalt er, ob ohne vorhergehende degradation die Tortur an ihm exequiret, oder selbige bewerckstelliget werden solte, um Bescheid gebethen. 2c. Dieweilen nun nöthig, daß derselbe vor der Execution aller geistlichen Verrichtungen, Freyheiten und Priuilegien priuiret werde; als committiren wir euch hiedurch, ihr wollet den delinquenten in die Kirche bringen lassen, und in Beyseyn des weltlichen Richters, auch einiger von seiner gewesenen Gemeinde ihm andeuten, daß er nunmehr, weil ihm die Tortur durch Urthel und Recht zuerkannt, und an ihm ehestens würde exequiret werden, er aller einem Prediger zukommenden Priesterlichen Verrichtungen, auch ihm gehörigen *Immunitä*ten und Freyheiten, gäntzlichen degradiret, und dem weltlichen Richter zur Straffe übergeben seyn solte, immassen ihr auch diesen ermeldten K. darauf zu übergeben habt; wie ihr nun solches expediret, davon wollen wir eures Berichts zur Regierung und Consistorio alhier erwarten. Sind. Datum Halle den 11. April. 1709.

Quomodo vero ab inspectore N. N. vigore huius rescripti *degradatio* peracta fuerit, patet ex sequente eiusdem relatione:

Königl. Preußl. 2c. 2c.

Ew. Hochfreyhl. Gnaden und meine Hochgebietende Herren haben sub dato Halle den 11. April a. c. mir committiret, den bisherigen Prediger zu S., A. K., weil die durch Urthel und Recht ihm zuerkannte Tortur an ihm ehestens würde exequiret werden, vorher von allen einem Prediger zukommenden Priesterlichen Verrichtungen, Immunitäten und Freyheiten gäntzlich zu degradiren, und dem weltlichen Richter zur Straffe zu übergeben; und wie ich solches expediret, zur Königlichen Regierung und Consistorio Bericht zu erstatten. So berichte hierauf allergehorsamst, daß auf Erfordern der sämtlichen Gerichts-Herren zu S. mich am 22. Septemb. daselbst eingefunden, und Tages darauf den Inquisitum, nachdem alle Privat-Vermahnungen zur freywilligen Bekäntniß nichts bey ihm fruchten wollen, in die Kirche anbefohlner massen bringen lassen, und nach gehaltenem kurtzen Sermon die Degradirung in Beyseyn des weltlichen Richters und vieler

vieler Eingepfarreten **durch Abnehmung und Beraubung seines Priesterlichen Habits**, gehabten Würde und Freyheiten an ihm vollstrecket, und dem weltlichen Richter zur Straffe übergeben habe. Als er zur Tortur geführet wurde, ersuchte er mich, daß ihm das heilige Nachtmahl, das er so lange entbehren müssen, bald möchte gereicht werden. Weil er nun die Tortur drey Viertel-Stunden lang unter vielem schmertzlichen zu GOtt und Menschen gerichteten Schreyen ausgestanden, und nichts bekannt, sondern auf seine Unschuld mit den allergrösten Contestationen und Verziehung aller Gnade GOttes in Ewigkeit, wenn er schuldig wäre, sich ohn Unterlaß beruffen, so bitte Ew. Excell. und Herrl. Gnaden, mich zu bescheiden, ob dem Inquisito durch seinen bisherigen Beichtvater das heilige Abendmahl gereichet, oder noch damit verzogen werden soll. ꝛc. ꝛc. ꝛc. Ich ersterbe

Ew. Hoch-Edelgebohrnen Excell. und Herrlichkeiten

G. L. S. Insp. Adj.

Specialiores circumstantiæ in aliis eiusdem litteris occurrunt, quas hic etiam subiungere placet:

Hoch-Edler ꝛc.

Ew. Hoch-Edlen beliebtes vom 3. huius wurde mir ehegestern als am Sonnabend gereichet, worauf dienstlich vermelde, daß der damahlige Iustitiarius und Herr Burgemeister D. alles, was bey dem angeordneten und am 22. Septemb. 1709. daselbst von mir verrichteten actu degradationis des ehemahligen dasigen Predigers A. K. vorgegangen, ad protocollum gehörig genommen, ich aber, wie solches sey vollstrecket worden, den 5. dito davon schuldigsten Bericht an Ew. Königl. Consistorium erstattet habe, welches sich ja billig bey den Acten finden oder verleget seyn muß. Ich habe mich also desfalls auf den Herrn Iustitiarium verlassen, und weiter nichts gethan, als was meines Amts gewesen ist. Den dabey gehaltenen Sermon suche ich ietzo bey meinen Inspections-Acten, und da ich ihn nicht finde, besinne ich mich, daß ich solchen dem Herrn I. S. v. T., als damaligen vornehmsten Gerichts-Herrn auf sein freundliches Ansinnen zugestellet, aber nicht wieder bekommen habe. Es waren verschiedene Herren von Adel mit ihren Familien und mehr als 300. Menschen in der Kirchen dabey versammlet, und schaudert mir noch die Haut davon, wenn ich an den Aergerniß-vollen actum degradationis, quod ad K. facinus attinet, gedencke, und habe ich bey dem lang gedaurten Proceß viel Mühe und

Reisen gehabt ꝛc. Bey der Degradation stellete ich, so viel mich noch erinnern kan, aus dem 105. Psalm v. 15. vor:

(1) Das ehrwürdige Amt der treuen Diener Christi samt ihrer treuen obliegenden Pflicht, und dabey verheissenen göttlichen Segen, Schutz und Beystand.

(2) Den im Gegentheil über die straffwürdige falsche Propheten angedroheten göttlichen gerechten Zorn und Straffe *ex collat. Ierem. c. 29. v. 23. Hesek. c. 13. & c. 34. &c.* cum applicatione auf den bisherigen Inquisiten und glaubwürdigen Delinquenten, und nach geschehener admonition und seiner von zween Küstern verrichteten betrübten Entkleidung, die ihm den Priester-Mantel und Kragen abnehmen musten, und erfolgten ernstlichen Uebergabe an den weltlichen Richter, schloß ich endlich, so viel ich noch behalten, den Sermon mit nachfolgenden Worten:

Diesen Mantel samt dem Kragen,
Sollt ihr forthin nicht mehr tragen,
Darum geht nur eilig fort,
Geht an den bestimmten Ort,
Denn des Lehrers Amt und Pflichten,
Sollt ihr weiter nicht verrichten.

Recentius exemplum degradationis ante torturam decretam in Saxonia peractæ adferam, cuius acta ab amico optimo mihi communicata sunt. Rescriptum ducale, quo degradatio approbata, erat huius tenoris:

Unsern günstigen Willen zuvor,
Erbare gute Gönner,

Wir haben verlesen, was Ihr wegen des in puncto anticipati concubitus, & remoti partus, auch dadurch auf sich geladenen Verdachts eines infanticidii zur Hafft und Inquisition gezogen, gewesenen Pfarrers, Friedlieb Sturms, zu Carlsdorff unterm 12. Octobr. mit Einsendung derer hierbey wieder rückgehenden Acten, anhero berichtet. Nachdem um das anderweit in dieser Sache eingelangte Urthel die vorherigen ratione dem Inquisito zuerkannten Peinligkeit, nochmahlen confirmiret, und dann der Durchlauchtigste Fürst und Herr, Herr Friedrich, Hertzog zu Sachsen, Jülich, Cleve und Berg, auch Engern und Westphalen; Unser Gnädigster Fürst und Herr auf erstatteten unterthä-

terthänigsten Bericht, bey denen vorwaltenden Umbständen gegen die nunmehro vorzunehmende Degradation, besage der Copeyl. Anfugen nichts zu erinnern gefunden, sondern deren Veranstaltung nach dem vorgeschlagenen modo, daß nemblich der Superintend. D. Günther zu Cahla, auf einen gewissen Tag, weshalber er sich mit euch zu vernehmen, bedeutet worden, sich nacher Weißbach begeben, und den Degradations-Actum, beyseyns derer Gerichts-Personen, in einem darzu bequehmlichen Zimmer, welches Ihr darzu einzuräumen wissen werdet, auch in Gegenwart derer resp. Adi. und Past. zu Lautendorff, Tröbnitz, Lippersdorff, und Ottendorff dergestalt anstellen sollen, daß Inquisit im Priester-Rocke, oder Priester-Mantel und Ueberschlag vorgestellet, von besagten Superintend. eine nachdrückliche Rede gehalten, angeschlossenes Decretum dabey abgelesen, und so dann von einem Armen-Voigte, oder Hospital-Vater, oder sonst dergleichen Person, dem Inquisito der Priester-Rock, oder Mantel und Ueberschlag abgenommen, und der Degradatus hierauf Euch gäntzlich überlassen, und auf Eure Veranstaltung wieder in die Custodie gebracht werde, Uns in Gnaden anheim gegeben, iedoch annebst gnädigst anbefohlen, daß ehe noch zur Vollstreckung der Peinlichkeit geschritten werde, dem Inquisiten Sturm durch einen vernünfftigen und Christl. Prediger, zu welchem er ein gutes Vertrauen fassen können, und worzu Wir den Pfarrer Matthes zu Trebnitz ausersehen, Ihr auch daher denselben zu admittiren habt, gewissenhafft zugeredet, und ihme mit Vorstellung der ansonsten unausbleiblichen zu erwarten habenden Marter zum gütlichen Bekäntniß der Wahrheit nachdrücklich vermahnet werden solle, Wir auch den Superintend. D. Günther zu Cahla, sowohl dieserhalben, als auch sonst mit gemessener Verordnung versehen, demselben auch anbey vermeldet, wie die hiezu erforderlichen Reise- nöthige Speisungs-Kosten, und billige Gebühren, von denen bisher sequestrirten Pfarr-Einkünfften genommen werden sollen; Als haben Wir Euch solches zur Nachacht hiemit andeuten wollen, in Höchstgedachter Sr. Hoch-Fürstl. Durchl. hohen Nahmen hiemit begehrende: Ihr wollet demjenigen, was von Uns anbefohlen worden, in allen behörig nachgehen. Daran geschicht Sr. Hoch-Fürstl. Durchl. Meynung, und Wir sind Euch mit günstigen Willen geneigt. Dat. Altenburg den 14. Nov. 1741.

Fürstl. zum Consistorio verordnete Præsident,
Räthe und Assessores daselbst.

F. W. von Eißenbergen.

Solennia

Solennia ipsa huius degradationis, in effectum deductae, ex sequente protocollo patefcunt:

Actum Weisbach den 12. Decembr. 1741.

Auf ergangene Hoch-Fürstl. Consistorial-Verordnung, haben der Herr Superintendens zu Cahla, D. Johann Caspar Günther, der Hr. Pfarrer und Adiunctus von Tautendorff, Johann Eraßmus Müller, der Hr. Pfarrer von Tröbnitz, Mag. Christoph Laurentius Matthes, wie auch der Hr. Pfarrer von Lippersdorff, Christoph Gottlieb Thusius, und endlich der Hr. Pfarrer zu Ottendorff, Anthon Abraham Reinhard, sich allhier zu Weisbach aufm Hoch-Adel. Hofe, vormittags gegen 10. Uhr eingefunden, und haben Wohlgedachter Hr. Superintendens und die übrigen benannten Herren Geistlichen, in der untersten Wohnstube, mit denen Adelichen Weißbachischen Gerichten an zwey zusammen geschobene Tische, sich dergestalt gesetzet, daß der Hr. Superintendens oben am Tische, und die obbenannten vier Herren Geistlichen, ihme, dem Hrn. Superintendent, zur lincken, zur rechten Seite aber der Hr. Gerichts-Director, Friedrich Heisterberg, Hr. Gerichts-Actuarius, Christian Gottlieb Rehn, der Richter, George Stöckicht, der Vice-Richter, Christoph Oßwald, der Schultheisse von Carlsdorff, Just Fuchs, und Hanß Fuchs, der Schutheisse von Rattelsdorff, gesessen, worauf Inquisit Sturm im Priester-Rocke, und Ueberschlage vorgestellet, von mentionirten Hrn. Superintendenten eine nachdrückliche Rede, über die Worte aus dem Psalm L, 16. 17. und 18. gehalten, von obmentionirten Hrn. Pfarrer und Adiuncto Müller, zu Tautendorff, das Decretum fol. 137. abgelesen, und sodann von dem Armen-Voigte aus Roda, Balthasar Hollanden, dem Inquisito der Priester-Rock und Ueberschlag abgenommen, und hierauf selbiger, denen Gerichten, als einer vom Ordine Clericorum ausgeschlossener, zu Vollstreckung dessen, was wider ihn zu Recht erkannt worden, und werden wird, überlassen, und auf gerichtliche Veranstaltung in vorige Custodie gebracht, und solchergestalt dieser actus degradationis geendiget worden. Actum Weisbach, vt s.

Per sententiam remotio dictanda, remotus fiebat laicus.

§. CVIII. Denique ex natura *pœnarum* fluit, (IV) *remotionem ab officio per sententiam decernendam, & delinquenti rite publicandam esse.* Per hanc demum officio sacro priuatur, quo facto olim vtplurimum *laicam communionem* accipiebat, vt velut *laicus* adhuc sacris interesse possit; neque enim facile omni priuabatur communione, velut excommunicatus *c. 12. D. 81.* MORINVS *de sacra pœnit. lib. IV. c. 3. §. 3.* Recte

ALBA-

ALBASPINAEVS *de veter. ecclef. rit. lib. I. obf. IV. §. 5.* obferuat, &, *Communio*, inquit, *laica erat*, *effe in ecclefia & de ecclefia tanquam laicum*, quod etiam prolixius explicat atque illuftrat BINGHAM *vol. VIII. lib. 17. orig. eccleſ. c. 2. §. 3.* Nondum enim auditum erat dogma de *charactere indelebili*, adeoque nihil impediebat, quo minus facerdos in *laicorum ftatum* detrudi poffet, quod ex conciliorum decretis enucleat ALBASPINAEVS. Ceterum de crimine publico conuicti clerici non tantum deponebantur, fed etiam, facta depofitione, criminali pœna adficiebantur eo tempore, quo nondum *priuatiue* clerici delinquentes iudicio epifcopali fubiecti erant. Adhuc tempore IVSTINIANI criminali fubiecti erant iudicio in criminibus *fecularibus* grauioribus: & quamuis *pœna criminalis* contra eos in executionem deduci non poffet, nifi *depofitione* facta, *nou. 83. præf. §. 2.* non tamen *brachio feculari* demum tradebantur poft *depofitionem*, fed iam ante eam a iudice merum imperium habente condemnari poterant. Facta de crimine condemnatione, epifcopi erat, eum facerdotio fpoliare, vt vltimo velut laicus adfici poffet fupplicio. Paulo poft ab eodem imperatore in *Nou. 123. c. 21. §. 1.* quædam immutatio facta, 1) vt etiam apud Epifcopum clericus de crimine commiffo accufari poffet, qui, probato crimine, dignitate ecclefiaftica eum fpoliabat, iudex vero fecularis fpoliatum comprehendebat, *& fecundum leges litem examinans cauffæ finem imponebat*, vt in *cit. nou. 123.* dicitur. Licet enim ab epifcopo iam effet condemnatus, penitior tamen & grauior inquifitio in circumftantias concurrentes inftituenda erat, vt crimini conueniens pœna conftitui poffet. (II) Si accufator clericum apud iudicem fecularem de crimine commiffo deferebat, eius erat, de crimine cognofcere, & pœnam reo conuicto vel confeffo ftatuere. Ante executionem tamen acta a feculari iudice epifcopo edenda erant, vt, an recte clericus, tanquam conuictus, condemnatus effet, examinare & percontari poffet: quo comperto, eum ftatu fuo priuabat, & tunc demum iudex *fententiam criminalem* exfequebatur; fi cauffam non fatis inftructam vel excuffam deprehendebat, ad principem referebat epifcopus.

Quandoque criminaliter plectebantur depofiti,

& ante depofitionem condemnabantur a iudice feculari.

§. CIX. Inde vero colligo, I) olim epifcopum *pœnas clericorum criminales* impedire non potuiffe, nec præcife degradatum clericum demum fub manu & poteftate iudicis fecularis fuiffe; cum etiam clericus apud eum de crimine accufatus condemnari potuerit, quamuis ante exfecutionem, præuio actorum examine, prius ab epifcopo deponendus effet: II) non tamen omnes depofitos criminali pœnæ fubiectos

Ergo olim clericus fub poteftate iudicis ecclefiaftici erat ante degradationem.

Non tamen omnes depo-

fiti pœnæ criminali subiecti. iectos fuisse, cum data fuerint delicta, contra regulas ecclesiasticas commissa, a *pœna criminali* immunia. Qui concubinas alebant, in leges ecclesiasticas impingebant; et a sacerdotali officio remouebantur, *c. 6. D. 81.* quamuis lasciuior vita in foro criminali cum concubinatu impunita esset. Occulta crimina sponte confessus deponebatur, sed ob sigilli sanctitatem non deferebatur iudici criminali, adeoque ab eo ad pœnam criminalem trahi non poterat; quamuis depositus, vt laicus, priuatim & in secessu pœnitentiam agere debuerit, teste MORINO *de sacram. pœnit. lib. IV. c. 12.* Constat id ipsum quoque ex *c. 7. D. 81. Sacerdos aut quiuis alius in ordine ecclesiastico prouectus, si in eo scelere inuenitur, quo abiiciendus comprobatur, depositus, prouidentia episcopi bene prouiso loco constituatur, vbi peccata lugeat, vt vlterius non committat.* Honori sacerdotali hoc datum erat, ne depositus *publicam* subire *pœnitentiam* cogeretur. Qua de caussa quandoque gradu amisso, agendæ *priuatim & in successu* pœnitentiæ caussa in monasterium aut in canoniam regularem mittebantur. *c. 8. c. 10. & 11. D. 81.* Inde vero consuetudo inualuit, detrudendi clericos depositos in monasterium, vt ita *priuatim & in successu* pœnitentiam agere, non vero *publice* inter *pœnitentes laicos* in ecclesia stare cogerentur.

Pœnitentiam tamen priuatim agere iussi,

vel in monasterio.

Olim non erat differentia inter depositionem & degradationem.

Depositio omnis fiebat solenniter.

§. CX. Denique III) inde quoque constat, olim non fuisse differentiam inter *depositionem verbalem & degradationem*, sed in genere *depositionem* factam fuisse ritibus quibusdam adhibitis, præmissa sententia qualicunque. Paulum Alexandriæ antistitem per *ablationem pallii* depositum, refert LIBERATVS *in breuiar. c. 23.* Pluribus aliis testimoniis vsum antiquum deponendi illustrat MARTENIVS *de antiq. eccles. rit. tom. III. lib. 3. c. 2.* Qui in conciliis deponebantur episcopi, probris onerabantur, vt *impii*, vt *scelerati*, per *clamores*. Testis est SOCRATES *lib. I. hist. eccles. c. 24.* agens de EVSTATHII in Antiochena synodo depositione, atque inquiens: *solent autem episcopi in omnibus id facere, quos deponunt, vt eos quidem probris onerent, &* IMPIOS *esse pronuncient; caussas vero impietatis non exponant*, ne forsan criminibus publicis infectos per indirectum ad iudicium criminale traherent. Denique quando episcopus ex decreto imperatorum esset deponendus, ornatu episcopali ab episcopis exuendus erat, vt docet rescriptum THEODOSII imperatoris de *anno 448.* apud BARON. *ad cit. an. n. 6.* contra IRENAEVM episcopum, Nestorio addictum, quo iussit, *vt a sancta Tyriorum ecclesia statim expelleretur,* ORNATVQVE *&* NOMINE *sacerdotii penitus* EXVTVS, *priuatus in patrio tantum solo viuere permitteretur.*

§. CXI.

§. CXI. Patriarchæ IGNATII depoſitio tumultuaria in *concilio Conſtantinopolitano*, *anno 861.* celebrato, hoc modo peracta, teſte BARON. *ad c. ann. n. 7. Poſt multam igitur verborum contentionem & moras, ſecundum nullam iuſtitiæ legem, ſed ſola potentia furioſe vtentes, exuunt Ignatium veſtibus, quas habebat: laceris & ſordidis illum induentes pontificalibus, quibus deinde verſa vice exſpoliant. Erat autem ſubdiaconus quidam, mente inſanus & vita profanus, quapropter Ignatius Patriarcha illum antea de gradu clericali deiecerat: hic primus conferens Ignatio ſuperhumerale & reliqua indumenta pontificia, clamabat,* VT MORIS EST, INDIGNVS. *Zacharias autem & Rodoaldus & alii quidam profani eaſdem mittentes voces, iniquæ illi ſententiæ ſimul ſubſcripſerunt.* Hæc ex NICETA, eius temporis ſcriptore, recenſet BARONIVS, vnde liquet: (α) per *detractionem veſtium* depoſitionem fuiſſe factam: (β) adhibitis clamoribus, *vt moris erat*, in conciliis: INDIGNVS: (γ) ſententiam depoſitionis, in quibus probra ei obiiciebantur, in ſcriptis conceptam: (δ) a præſentibus in concilio ſubſcriptam fuiſſe. Illud quoque ex antiquitatibus notandum, (a) depoſito epiſcopo ſui patrimonii adminiſtrationem ademtam fuiſſe, vt degradatus vel in ſeceſſu priuato vel in monaſterio ex eius reditibus alimenta perciperet: (b) in degradati arbitrio fuiſſe, *vtrum magis priuatam ſecundum canones expetere ſeceſſionem, quam ſeueritatem religionis excipere mallet.* Vtrumque liquet ex epiſtola AGAPITI papæ ad CAESAREVM Arelatenſem epiſcopum apud HARDVINVM *tom. II. concil. p. 1180.* in cauſſa depoſiti CONTVMELIOSI, & ad ſedem Romanam prouocantis, exarata, in qua præterea multa alia occurrunt, quæ poſt *prouocationem*, qua executio ſententiæ ſuſpendebatur, obſeruanda erant, quæ ex illa collegit CHRISTIANVS LVPVS *tom. VIII. de Gallic. eccleſ. Roman. appell. c. 13. p. 56.* Conf. MARTENIVS *in coll. ant. monument. tom. II. p. 315. b.* Hæc omnia tamen accipienda ſunt de eo epiſcopo vel clerico degradato, qui *crimine publico* ſeſe haud polluerat, vt pœnis criminalibus ſubdi haud poſſet. Alioquin enim æque, vt *laicus*, ſupplicio debito ſubiiciebatur, nec neceſſe erat, vt hunc in finem brachio ſeculari traderetur.

Ignatii depoſitio tumultuaria.

Depoſito adminiſtratio ſui patrimonii adimebatur.

Electionem tamen habebat, vtrum in ſeceſſu an in monaſterio agere mallet pœnitentiam.

§. CXII. Aſt poſtquam clerici *priuatiue* iurisdictioni epiſcopali in *ciuilibus* & *criminalibus* ſubiecti, & a ſeculari poteſtate exemti eſſe cœperunt, (quamuis non ſine controuerſia, vt ſtatim indicandum) noua diſciplina paſſim inualuit, & diſcrimen inter *depoſitionem* & *degradationem*, quæ olim ſynonyma erant, obſeruante CANGIO *in gloſſ. voce degradatio*, introduci cœpit. Etenim 1) hac exemtione totali facta, in

Clericis priuatiue epiſcopis ſubiectis degradatio a depoſitione diſtincta fuit. Non ſemper amplius de-

positi tradebantur iudici seculari.

arbitrio episcoporum fuit, vtrum depositum iudici seculari tradere, an vero a pœna criminali eximere per indirectum mallent. Id indicat ALEXANDER III. circa medium seculi XII, quo iam clerici a *seculari iurisdictione*, insidiis curiæ Romanæ, exemti iudicabantur, *in c. 4. in f. X. de iudic.* aiens: *sed non debet quemlibet depositum pro suis excessibus (cum suo sit functus officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere) iudici tradere seculari.* Neque enim 2) hoc statu rerum sibi iudex secularis aliquam potestatem asserere poterat in depositum, antequam ei traditus esset; qua de caussa *simplici sententia*, seu *verbo*, depositio omissis solennitatibus fiebat, quæ clericum nec priuilegiis clericalibus, nec *foro ecclesiastico* priuabat, vt docet *tit. de clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.* Diuersa obtinuit disciplina, tum quod depositus *laicus* fieret, clericalibus priuilegiis prorsus exutus: tum etiam quod clerici delinquentes a foris criminalibus non erant exemti, etiam ante depositionem. Tunc ergo 3) demum solenniter fieri cœpit depositio, quando depositus iudici seculari tradebatur, vt criminalem pœnam in eum constituere posset, atque hæc speciatim vocata *degradatio*, exercita potissimum contra clericos depositos, si *incorrigibiles* visi fuerint. Hanc nouam disciplinam COELESTINVS III. circa finem seculi XII. in *c. 10. X. de iudic.* distincte proposuit, & per *gradus* contra clericos depositos vtendum esse censuit. Sciendum autem, eo tempore nondum *ius* hac de re *certum* vbique innotuisse, nec extra controuersiam fuisse, *vtrum clerici delinquentes, præcipue in delicto deprehensi, absque traditione præuia a magistratu seculari, more antiquo, criminaliter puniri possent?* Id indicant verba initialia *cit. c. 10. A nobis fuit a parte tua quæsitum, vtrum liceat regi vel alicui seculari personæ iudicare clericos cuiuscunque ordinis, siue in furto, siue in homicidio vel periurio, seu quibuscunque fuerint criminibus deprehensi?* Nequidem in Germania vbique hæc priuatiua, in clericos episcopis adscripta potestas, sine controuersia fuit, adeo vt, importunis sollicitationibus curiæ Romanæ FRIDERICVS II. demum seculo XIII. anno 1213. in perniciosa illa AVREA BVLLA *de libertate ecclesiastica*, vnde desumta est *auth. statuimus. C. de episc. & cleric.* edixerit, clericos nec in *ciuilibus* nec in *criminalibus* ad iudicia secularia, *contra constitutiones imperiales & canonicas*, quæ tamen in Germania deficiebant, esse trahendos.

Si tradendus erat, solennis accedebat degradatio.

Si incorrigibilis videbatur.

Per gradus ergo eundum.

§. CXIII. Ceterum hanc methodum contra clericum in crimine morali deprehensum atque conuictum præscripsit, (α) vt *a iudice ecclesiastico deponatur. Quodsi* (β) *depositus incorrigibilis fuerit, ex-*

com-

communicari debeat; deinde (γ) *crescente contumacia anathematis mucrone feriri*, quo excommunicatio, adhibitis nouis execrationum formulis, si per annum in ea insorduerat, augebatur; *postmodum vero, si in profundum malorum veniens contemserit, cum ecclesia non habeat vltra, quid faciat, & ne possit vltra esse perditio plurimorum, per secularem comprimendus est potestatem, ita quod deputetur ei exilium vel alia pœna legitima inferatur.* Idem fere processus contra clericos contumaces & incorrigibiles traditur in *c. 2. X. de cler. excomm. depos. vel interd. ministr.* quamuis hic textus, qui *concilio Antiocheno* attribuitur, a RAYMVNDO ad sui temporis principia compositus, non vero in sua integritate traditus fuerit. Ita vero 4) factum, vt rarissime, *degradatione solenni* præmissa, traditi clerici iudicio seculari, sed vtplurimum ab omni pœna criminali immunes relicti fuerint, quod illud nullum ius in criminosos clericos sibi asserere queat, quam ex decreto episcoporum, post *solennem degradationem*, qua demum *velut laicus* efficitur, vt, citra formidinem excommunicationis, *manus iniectio* in eum locum habere queat. Ne vero 5) simpliciter propter *crimina* depositi reipublicæ possent esse noxii, *detrusio etiam inuitorum in monasterium* introducta est. Obseruaui iam supra, depositos clericos liberos atque immunes a pœnitentia publica fuisse, illisque permissum, vt vel in *secessu privatim*, vel in *monasterio* pœnitentiam agere possent, relicta eis electione, vt *§. CXI.* ex epistola AGAPITI ostendi. Enim vero, quod instar *beneficii* clericis depositis datum erat, in nouam transiit pœnam, vt etiam reluctantes in monasterium detruderentur *ad pœnitentiam agendam*, atque etiam hæc tandem in *veram* degenerauerit pœnam. Hoc modo instruxit INNOCENTIVS III. episcopum Londinensem *c. 6. X. h. t.* quæsitus: *qualiter clerici in latrociniis & aliis magnis sceleribus deprehensi puniri deberent?* Respondit: *quod a suis ordinibus degradati detrudi debeant in arctis monasteriis ad pœnitentiam peragendam.* De atrocioribus criminibus hic quæstio est, quæ capitales merentur pœnas, quibus hoc modo clerici prorsus subtracti sunt. Idem circa falsarium constituit Pontifex in *c. 27. in f. X. de verb. signif.* iubens, *vt in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam includatur, pane doloris & aqua angustiæ sustentandus, vt commissa defleat, & flenda vlterius non committat.* Ita vero 6) *pœna carceris perpetui* hoc modo in locum earum substituta est, atque inuenta, quia detrusus in monasterium velut in *perpetuo ergastulo* vel *carcere* detentus fuit, vt *tit. de adult. §. 22. p. 118.* obseruaui. Quamuis enim carcer ad reorum custodiam, non ad pœnam,

Ita factum, vt rarissime traderentur brachio seculari.

Sed potius depositi in monasterium detrusi.

Vnde nata pœna carceris perpetui.

nam, deputatus sit, censuit tamen BONIFACIVS VIII. in *c. 3. h. t. in 6.* de crimine conuictos conuenienter ex hac nostra disciplina *in perpetuum vel ad tempus carceri mancipari posse ad pœnitentiam peragendam.* Inde hæc sententia quoque ad *fora criminalia* tracta, effectumque, vt loco *pœnæ capitalis* carcer perpetuus alicui dictari queat, qui *pœnis capitalibus* annumeratus est in *art. 10. & 101. constit. crim. Carol.* quod illustratum est *tom. I. P. I. consult. & decis. arg. 106. n. 101. p. 414.*

Degradationis solennitas in iure canonico tradita refertur.

§. CXIV. *Degradationis solennis* forma a BONIFACIO VIII. in *c. 2. h. t. in 6.* ad exemplum *exauctorationis militaris* est effigiata, vt ipse his fatetur verbis: *Actualis siue solennis cœlestis militiæ militis, i. e. clerici, degradatio (cum ad eam fuerit procedendum) fiet, vt exauctorizatio eius, qui militiæ deseruit armatæ, cui militaria detrahuntur insignia, sicque a militia remotus castris reiicitur, priuatus consortio & priuilegio militari*, quod desumtum ex *l. 39. pr. D. de liber. caus.* Ait VLPIANVS in *l. 2. de his qui not. infam. sed & si eum exauctorauerit, i. e. insignia militaria detraxerit, inter infames efficit, licet non addidisset, ignominiæ caussa eum exauctorasse.* Cum enim clerici in plurimis comparati sunt cum militibus, vt vel *titulus* & *character indelebilis* eorum testatur, non iniucundum esse spectaculum pontifex censuit, si *exauctorationis* quædam imago ad clericos traheretur, præsertim cum detractio vestium in *depositione clericorum* quacunque olim locum inuenerit. Hoc modo vero procedendum: *clericus degradandus, vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas vel aliud instrumentum seu ornamentum, ad ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solenniter ministrare, ad episcopi præsentiam adducatur: cui episcopus singula, siue sint vestes, calix, liber, seu quæuis alia, quæ illi, iuxta morem ordinandorum clericorum, in sua ordinatione ab episcopo fuerint tradita seu collata, singulariter auferat, ab illo vestimento seu ornamento, quod datum vel traditum fuerat, vltimo inchoando, & descendendo gradatim degradationem continuet vsque ad primam vestem, quæ datur in collatione tonsuræ, tuncque radatur caput illius, seu tondeatur, ne tonsuræ seu clericatus vestigium remaneat in eodem. Poterit autem episcopus in degradatione huiusmodi vti verbis aliquibus ad terrorem illis oppositis, quæ in collatione ordinum sunt prolata, dicendo presbytero hæc vel similia verba in remotione planetæ:* AVFERIMVS TIBI VESTEM SACERDOTALEM, ET TE HONORE SACERDOTALI PRIVAMVS. *Sicque in remotione reliquorum insignium similibus verbis vtens in ablatione vltimi, quod collatione ordinum fuit primum, infra scripto vel alio simili modo pronunciet siue dicat: auctoritate*

Ad exemplum militaris disciplinæ.

Dei

Dei omnipotentis patris & filii & spiritus sancti, ac nostra, tibi AVFERIMVS *habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio & priuilegio clericali.*

§. CXV. Quia vero *ritus tradendi degradatum brachio seculari* in hoc textu omissus, nec, quod alias hac solennitate intenditur, ei additum, in præsentia *iudicis secularis* hoc peragendum esse spectaculum, defectum hunc supplebo ex interpretatione INNOCENTII III. in *c. 27. X. de V. sign.* qua cauet, *eius degradationem celebrandam esse seculari potestate præsente, ac prænunciandum eidem, cum fuerit celebrata, vt in suum forum recipiat degradatum; & sic*, pergit, INTELLIGITVR *curiæ tradi seculari; pro quo tamen debet ecclesia efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.* Textum adduxi ex GONZALEZII editione, quæ recte legit: *prænunciandum*, male vero vulgata: *pronunciandum;* cum de eo, quod iudici seculari ante degradationem *nunciandum* est, non quod *pronunciandum*, quæstio sit, vt nexus ipsius textus clare docet. Hic modus *prænunciandi* hunc habet effectum, vt, degradatione peracta, nulla *traditione reali iudicis ecclesiastici* interueniente, iudex secularis mox manum in eum iniicere & abducere possit, nec ecclesiastico iudici vitio dari ac imputari queat, quod in degradatum *executionem sententiæ capitalis* iudici seculari commiserit, quod alias verendum erat, si de manu in manum delinquentem tradidisset. Interim tot hominibus circumseptus est degradatus, vt, quamuis ab omnibus clericis iam derelictus videatur, euadere non possit, sed mox iussu iudicis catenis constrictus abducatur. Hoc *dolo bono* tegunt id, quod intendunt, imo per *simulationem* pro degradatis intercedunt, cum tamen ad executionem *sententiæ capitalis*, antea iam præconceptæ & omnibus cognitæ, omnia sint præparata, & sine mora, vt post degradationem HVSSI vidimus, ea executioni detur. Secundum vtrumque textum composita *forma degradationis* paulo plenior in *pontificali Romano p. 627. sqq.* quam huc transferam, cum hunc librum in paucorum manibus esse, persuasissimum habeam:

Ritus degradationis fit præsente iudice seculari.

Degradandus indumentis *sacerdotalibus*, si *sacerdos* sit, indutus, „ vel *diaconalibus*, si sit *diaconus*, & sic de reliquis ordinibus, & indu-„ mentis, offertur pontifici. Pontifex vero quasi exequendo sententiam, „ depositionis in illum dudum prolatam, *præsente iudice seculari*, cui „ degradandus debet relinqui, publice abradit cum *vitro*, vel *cultello*, „ vel alio huiusmodi leuiter, *sine sanguinis effusione*, loca manuum illius, „ quæ in collatione ordinum inuncta fuerunt, & etiam tonsuram, si velit. „

Degradationis ritus ex pontificali Romano.

Et, „

„Et consequenter seriatim, & sigillatim detrahit illi omnia insignia,
„siue sacra ornamenta, quæ in ordinum susceptione recepit, & demum
„exuit illum habitu *clericali*, & induit *laicali*, dicens publice iudici sæ-
„culari præsenti, vt illum propter scelera sua sic depositum, degrada-
„tum, exspoliatum, & exauctoratum, in suum, *si velit*, forum recipiat.
„Et est notandum, quod in hac executione sententiæ non est necessaria
„*coëpiscoporum præsentia*, non est etiam vis, siue in ecclesia fiat, siue ex-
„tra in platea, siue pontifex degradans indutus sit pontificalibus or-
„namentis, siue non; & talis degradatio, *solennis depositio* vocatur, pro-
„prie tamen loquendo, quis *a dignitatibus* & *honoribus deponitur*, sed
„*ab ordinibus degradatur*, & post talem degradationem iuste, & rite fa-
„ctam, solus Romanus Pontifex cum tali dispensat. Episcopus tamen
„ante ipsam *insignium detractionem*, & etiam post *sententiæ depositionis*
„prolationem dispensare, & restituere *solo verbo* potest, sicut & ver-
„baliter depositus fuit, vt præmissum est. Sed si, priusquam secularis
„iudex in illum animaduerterit, talis depositio, & degradatio *iniusta*, vel
„*nulla* inueniatur, tunc non solum *verbo*, sed etiam *facto* secundum ea,
„quæ præmissa sunt, dispensatio & restitutio fiat, & insignia, sibi detra-
„cta seriatim, sigillatim, & solenniter ei coram altari restituantur. Et,
„si sit EPISCOPVS, recuperabit *orarium*, *baculum*, *annulum*, *sandalia*,
„*mitram*, & alia insignia pontificalia; si PRESBYTER, *orarium* & *pla-
„netam;* si DIACONVS, *orarium* & *dalmaticam;* si SVBDIACONVS,
„*tunicellam* & *manipulum*. Et reliqui gradus in restitutione sua recupe-
„rant ea, quæ, cum ordinarentur, receperunt. Poterit tamen, quod con-
„uenientius videtur, ad aliorum terrorem *actualis degradatio* sic fieri.
„In primis in publico *extra ecclesiam* paratur aliquis eminens congru-
„entis spatii locus, pro degradatione facienda, supra quem ordinatur
„vna credentia simplici tobalea cooperta, supra quam ponuntur am-
„pulla vini, ampulla aquæ; calix cum patena, & hostia; vnum vas vi-
„ni; vnum vas aquæ; liber Euangeliorum; liber epistolarum; bacile
„cum buccali, & mantili; vnum candelabrum cum candela extincta;
„liber exorcismorum; liber lectionum; claues; Antiphonarium; for-
„fices; cultellus, aut vitrum; paramenta pro degradando, videlicet, si
„degradandus sit *Archiepiscopus:* Ordinentur super dictam credentiam
„superpelliceum; sandalia cum caligis; amictus; alba; cingulum; ma-
„nipulus; tunicella; stola; dalmatica; chirothecæ; alia stola; planeta;
„mitra; annulus pontificalis, pallium; baculus pastoralis; & aliqua ve-
„stis habitus secularis. Si vero degradandus non sit archiepiscopus,
„sed

ſed *epiſcopus* tantum, omiſſo pallio ponuntur ſuper credentiam omnia„ alia prædicta. Si vero *Presbyter* tantum, omiſſis, pallio, & aliis Pon-„ tificalibus paramentis prædictis, ponuntur ibidem omnia alia prædi-„ cta. Idem in aliis ordinibus, etiam in ordinatione credentiæ obſer-„ vatur. Item paratur in dicto loco *faldiſtorium*, pro pontifice degrada-„ tore, ſedilia pro officialibus. Vocantur, & ibidem adſint miniſtri Pon-„ tificis; iudex ſæcularis, cui degradatus committitur; notarius, qui„ proceſſum degradationis legit, ſi opus erit, vel pontifici placet; &„ barbitonſor. Hora congruenti ducitur degradandus, ſiue ſit archie-„ piſcopus, ſiue quicunque alius, quotidiano ſuo habitu indutus, ſuper„ dictum locum ad hoc præparatum; vbi cum fuerit, ſoluitur, & liber„ ibidem manet. Tum a clericis induitur omnibus paramentis ſui or-„ dinis, vt præmittitur, ſupra credentiam ordine ſuo poſitis, incipiendo„ a ſuperpelliceo, & continuando vſque ad vltimum paramentum ſui„ ordinis. Quo ſic induto, Pontifex degradator indutus amictu, alba,„ cingulo, ſtola, & pluiali rubeis, ac mitra ſimplici, baculum paſtoralem„ in ſiniſtra tenens aſcendit ad locum prædictum, & ibidem ſedet in„ faldiſtorio in conuenienti loco ſibi parato, verſus ad populum, aſtan-„ te ſibi iudice ſæculari. Tum degradandus, ſiue archiepiſcopus fuerit,„ ſiue alius, omnibus ſuis ordinis veſtibus ſacris indutus, & ſingulis or-„ namentis ornatus habens in manibus ornamentum ad ordinem ſuum„ ſpectans, ac ſi deberet in ſuo officio miniſtrare, adducitur ante ponti-„ ficem, coram quo genu flectit. Tum pontifex, vt ſupra, ſedens po-„ pulo in vulgari notificat degradationis huiusmodi cauſſam; deinde„ contra degradandum ſententiam fert in hæc verba, ſi ſit ſacerdos aut„ diaconus, aut ſubdiaconus, vel clericus, & prius huiusmodi ſententia„ lata non ſit:„

In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus✝Sancti. Amen. Quia„ nos N. Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus N. per viam accuſationis,„ vel, denunciationis, aut, inquiſitionis cognoſcentes de crimine N. contra„ N. Presbyterum, vel, Diaconum, vel Subdiaconum, ſeu, clericum, propter„ ipſius confeſſionem vel legitimas probationes, euidenter inuenimus, eum„ ipſum crimen commiſiſſe, quod non ſolum grande ſed etiam damnabile &„ damnoſum ſit, & adeo enorme, quod exinde non tantum diuina maieſtas„ offenſa, ſed & vniuerſa ciuitas commota eſt, & ob hoc indignus officio &„ beneficio eccleſiaſtico ſit redditus; idcirco nos auctoritate Dei omnipo-„ tentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & noſtra ipſum omni huiusmo-„ di officio & beneficio eccleſiaſtico ſententialiter perpetuo priuamus in his„

„*scriptis, ipsumque ab illis verbo deponimus, & pronuntiamus, realiter &*
„*actualiter secundum traditionem canonum deponendum & degradan-*
„*dum.* Qua sententia sic, vt præfertur, lata, *Pontifex degradator* aufert
„ab illo singula ornamenta sibi iuxta ordinem suum tradita, inchoando
„ab vltimo ornamento, & descendendo gradatim, continuans vsque
„ad primum, quod in prima tonsura sibi datum fuit, hoc ordine.

Degradatio ab ordine Pontificali.

Degradatio archiepiscopi.

„Si degradandus sit archiepiscopus, Pontifex degradator aufert ab
„eo pallium sic dicendo: *Prærogatiua pontificalis dignitatis, quæ in pal-*
„*lio designatur, te exuimus, quia male vsus es ea.* Deinde vel si de-
„gradandus sit *Episcopus* tantum, Pontifex degradator amouet ei mi-
„tram dicendo: *Mitram pontificalis dignitatis, videlicet, ornatu, quia*
„*eam male præsidendo fœdasti, tuum caput denudamus.* Deinde vnus
„ex ministris tradit degradando *librum euangeliorum*, quem Pontifex
„degradator aufert de manibus degradandi, dicens: *Redde Euangelium,*
„*quia prædicandi officio, quo, spreta Dei gratia, te indignum fecisti, te iu-*
„*ste priuamus.* Deinde Pontifex degradator amouet *annulum* de digi-
„to degradandi, sic dicens: *Annulum fidei, scilicet, signaculum tibi digne*
„*subtrahimus, quia ipsam sponsam DEI ecclesiam temere violasti.* Tum
„vnus ex ministris tradit degradando in manus *baculum pastoralem,*
„quem mox Pontifex degradator tollit de manibus degradandi, dicens:
„*Auferimus a te baculum pastoralem, vt inde correctionis officium, quod*
„*turbasti, non valeas exercere.* Deinde extractis sibi per ministros *chi-*
„*rothecis,* Pontifex degradator abradit degradando pollices, & manus
„leuiter cum cultello, aut vitro, dicens: *Sic spiritualis benedictionis & de-*
„*libutionis mysticæ gratia, quantum in nobis est, te priuamus, vt sanctifi-*
„*candi & benedicendi perdas officium & effectum.* Posthac Pontifex cum
„eodem cultello aut vitro abradit leuiter *caput* degradandi, dicens: *Con-*
„*secrationem & benedictionem, atque vnctionem tibi traditam radendo de-*
„*lemus, & te ab ordine Pontificali, quo inhabilis es redditus, abdicamus.*
„Tum degradando per ministros extrahuntur *sandalia.*

episcopi,

Degradatio ab ordine Presbyteratus.

Presbyteri,

„Ministri tradunt in manus degradandi *calicem* cum vino, & aqua,
„ac patena, & hostia, quem Pontifex degradator aufert de manibus de-
„gradandi dicens: *Amouemus a te, quin potius amotam esse ostendimus*
„*potestatem offerendi Deo sacrificium, missamque celebrandi tam pro vi-*
„*vis quam pro defunctis.* Deinde pontifex degradator abradit leuiter
„cum

cum cultello vel vitro *pollices*, & *indices* vtriusque manus degradandi,,, dicens: *Potestatem sacrificandi, consecrandi & benedicendi, quam in vnctione manuum & pollicum recepisti, tibi tollimus hac rasura.* Quo dicto, Pontifex degradator accipit *casulam*, siue *planetam* per posteriorem partem caputii, & degradandum exuit, dicens: *Veste sacerdotali caritatem signante te merito exspoliamus, quia ipsam & omnem innocentiam exuisti.* Tum Pontifex degradator aufert a degradando *stolam*, dicens: *Signum Domini per hanc stolam turpiter abiecisti, ideoque ipsam a te amouemus, quem inhabilem reddimus, ad omne sacerdotale officium exercendum.*,,

Degradatio ab ordine Diaconatus.

Diaconi.

Ministri tradunt degradando in manus *librum Euangeliorum*, quem,, Pontifex degradator tollit de manibus eius, dicens: *Amouemus a te potestatem legendi euangelium in ecclesia Dei, quia id non competit, nisi dignis.* Tum Pontifex degradator exuit degradandum *Dalmatica*, dicens: *Leuitico ordine te priuamus, quia tuum in eo ministerium non impleuisti.* Deinde Pontifex degradator amouet degradando *stolam* de humeris, proiiciens eam post tergum, dicens: *Stolam candidam, quam acceperas, immaculatam in conspectu Domini perferendam, quia non sic cognito mysterio, exemplum conuersationis tuæ fidelibus præbuisti, vt plebs dicata Christi nomini posset exinde imitationem acquirere, iuste a te amouemus, omne diaconatus officium tibi prohibentes.*,,

Degradatio ab ordine Subdiaconatus.

Subdiaconi.

Ministri tradunt in manus degradandi *librum epistolarum*, quem,, Pontifex degradator de manibus illius accipit, dicens: *Auferimus tibi potestatem legendi epistolam in ecclesia Dei, quia hoc ministerio indignus es redditus.* Tum Pontifex degradator exuit degradandum *tunicella*, dicens: *Tunica subdiaconali te exuimus, cuius cor & corpus timor Domini castus, & sanctus in æternum permanens non constringit.* Deinde,, Pontifex degradator accipit a degradando *manipulum*, dicens: *Depone manipulum, quia per fructus bonorum operum, quos designat, non expugnasti spirituales insidias inimici.* Tum Pontifex tangens *amictum* degradandi dicit: *Quia vocem tuam non castigasti, ideo amictum a te auferimus.* Posthac vnus ex ministris tradit in manus degradando *vrceolos* cum vino, aqua, ac bacile cum manutergio, ac calicem vacuum,, cum patena. Tum Achidiaconus tollit de manu degradandi vrceolos cum vino, aqua ac bacile cum buccali & manutergio. Pontifex,,

„vero calicem vacuum ac patenam tollit, dicens: *Potestatem introeun-*
„*di sacrarium, tangendi pallas, vasa, & alia indumenta sacra, omneque*
„*Subdiaconatus ministerium exercendi a te amouemus.* Deinde ministri
„exuunt degradando *cingulum*, *albam*, & *amictum*.

Degradatio ab ordine Acolutatus.

Acolutorum,

„Vnus ex ministris tradit in manus degradando *vrceolum vacuum*,
„quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens; *Immunde,*
„*vinum & aquam ad eucharistiam de cetero non ministres.* Tum vnus mi-
„nistrorum tradit in manus degradando *candelabrum* cum cereo extin-
„cto, quod Pontifex degradator accipit de manibus illius, dicens: *Di-*
„*mitte perferendi visibile lumen officium, quia præbere spirituale moribus*
„*neglexisti, atque vniuersum Acolutorum officium hic depone.*

Degradatio ab ordine Exorcistatus.

Exorcistarum,

„Vnus ex ministris tradit degradando in manus *librum exorcismo-*
„*rum*, quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens: *Pri-*
„*vamus te potestate imponendi manum super energumenos & dæmones de*
„*obsessis corporibus expellendi, omni tibi exorcistatus officio interdicto.*

Degradatio ab ordine Lectoratus.

Lectorum,

„Vnus ministrorum tradit degradando in manus *librum lectionum*,
„quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens: *In ecclesia*
„*Dei non leges vlterius aut cantes; nec panes aut fructus nouos vllatenus*
„*benedicas, quia tuum officium non impleuisti fideliter, & deuote.*

Degradatio ab ordine Ostiariatus.

Ostiariorum,

„Vnus ex ministris tradit degradando in manus *claues ecclesiæ*,
„quas Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens: *Quia in*
„*clauibus errasti, claues dimitte; & quia ostia cordis tui male dæmonibus*
„*obserasti, amouemus a te officium ostiarii; vt non percutias cymbalum;*
„*non sacrarium, non librum amplius prædicanti.*

Degradatio a prima tonsura.

a prima tansura.

„Pontifex degradator extrahit degradando *superpelliceum*, dicens:
„*Auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, ac no-*
„*stra, tibi auferimus habitum clericalem, & nudamus te religionis orna-*
„*tu, ac deponimus, degradamus, spoliamus, ac exuimus te omni ordine,*
„*beneficio & priuilegio clericali; & velut clericalis professionis indignum*
„*redigimus te in seruitutem, & ignominiam habitus sæcularis ac status.*
„Tum Pontifex degradator cum forficibus tondere incipit, & per bar-
biton-

bitonsorem ibidem præsentem totaliter tonderi facit caput degradan-„ di, dicens: *Te velut ingratum filium a sorte Domini, ad quam vocatus*„ *fueras, abiicimus, & coronam tui capitis, regale quidem signum sacerdo-*„ *tii, de tuo capite amouemus propter tui regiminis prauitatem.* Tum„ ministri Pontificis exuunt degradatum veste, & habitu clericali, & ipsi„ induunt habitum secularem. Quo facto si fuerit talis casus, quod„ degradatus tradi debeat curiæ sæculari, Pontifex degradator degrada-„ tum amplius non tangit, sed in hunc modum contra ipsum pronun-„ ciat, dicens: *Pronuntiamus, vt hunc exutum omni ordine ac priuilegio*„ *clericali curia secularis in suum forum recipiat degradatum.* Tum„ Pontifex degradator efficaciter, & ex corde, omni instantia, pro miser-„ rimo illo derelicto intercedit apud iudicem sæcularem, vt citra mor-„ tis periculum, vel mutilationis contra degradatum sententiam mode-„ retur, dicens: *Domine iudex, rogamus vos cum omni affectu, quo possu-*„ *mus, vt amore Dei, pietatis, & misericordiæ intuitu, & nostrorum inter-*„ *ventu precaminum miserrimo huic nullum mortis vel mutilationis pe-*„ *riculum inferatis.* Quo facto, ministri curiæ sæcularis degradatum„ sub sua custodia recipiunt, & discedunt.„ Formulas similes cum exemplis degradatorum collegit IO. GODOFREDVS KRAVSE *de iure degradationis canonicæ §. 31. sqq.*

§. CXVI. Effectum *degradationi solenni* hunc attribuunt, vt degradatus in *statum laicorum* rursus detrudatur, adeoque *ab ordinibus* DEGRADATIO; a *dignitatibus ecclesiasticis* vero DEPOSITIO fieri dicatur, prout *pontificale Romanum* declarat ostenditque, quandam inferri vim *characteri indelebili*, per ordinationem animæ sacerdotis impresso. Aegre vero hoc patiuntur, nec saluis recentioribus principiis, quibus immersi sunt adoratores characteris indelebilis, admittere possunt, per degradationem deleri id, quod *indelebile* creditur, adeo vt VELVT LAICVM effici degradatum constituant, vel ex *opinione hominum* duntaxat, ne iniectio manus in eum magistratui seculari fraudi fit. Priuat enim hæc solennis degradatio clericum omni immunitate & priuilegiis clericalibus, vt iudex sæcularis, *etiam absque alia traditione*, eum punire possit. *c. 2. h. t. in 6.* GAIL. *lib. I. de pac. publ. obs. 1. n. 24.*

Per degradationem fit laicus.

§. CXVII. Liquet vero ex hactenus dictis, I) degradationis vsum potissimum esse in *grauioribus criminibus*, si depositus *incorrigibilis* deprehenditur. Neque enim ius canonicum potestatem degradandi ad certas criminum species restrinxit, aut certum determinauit numerum criminum, intra quem se continere debeat, sed in *c. 10. X. de iudic.* quodlibet

Fit degradatio tantum in grauioribus criminibus.

libet crimen graue huc refert pontifex, si *incorrigibilis* est clericus, vt ne quidem excommunicatione & anathemate pertinacia eius frangi queat. Ineptiunt sine dubio, qui tantum tria crimina constituunt degradatione digna, vt *haeresin*, *falsi circa litteras apostolicas commissi*, & *conspirationem contra episcopum*, quae refert GAIL. *lib. I. de pac. publ. obs. 1. n. 27.* & sine dubio deduxit ex *c. 9. de haeret. c. 1. eod. in 6. c. 7. X. de crim. fals. c. 18. C. 11. q. 1.* Alii his adiungunt *crimen assassinii*, *c. 1. de homic. in 6.* adeo vt episcopus non possit nec debeat deuenire ad degradationem, nisi in casibus a *iure canonico expressis*, vt credit IO. BAPT. COCCINVS *P. I. decis. Rot. Rom. 351. n. 7.* Male cohaerere hanc doctrinam, non obscure ipsemet innuit, quod *incorrigibilitatem* eis adiungat, secundum *c. 10. de iudic.* quam in eo constituunt, si quis *poenitentiae* subeundae sese submittere nolit, quae per *cit. c. 10.* ante omnia tentanda est in quouis crimine, adeoque haec vnicum fere fundamentum *degradationis* constituit, & sic episcopi arbitrio relictum esse videtur, quando in criminis abominationem ad eam deuenire necessum ducat. II) Praeterea quoque inde fluit multiplex differentia inter *verbalem depositionem* & *degradationem*. Etenim (α) *absens* deponi etiam potest, sed *praesens* duntaxat degradari. *c. 8. X. de dolo & contum.* (β) simplex depositio tantum *verbis* fieri potest; degradatio vero non aliter quam seruatis praescriptis & relatis solennibus: (γ) depositus adhuc retinet priuilegia clericalia & immunitates, quibus prorsus exuitur degradatus cum priuilegio *canonis* & *fori*, cum veluti *laicus* efficiatur: (δ) depositio non fit *praesente iudice laico*, vti quidem degradatio, adeoque per illam (ε) non traditur brachio saeculari, sed tantum post hanc: (ζ) depositio in genere in criminibus locum habet; degradatio parcius adhibetur, & fere tantum in casu, si omnem correctionem respuit: (η) depositus denuo deponi nequit, bene tamen degradari: (θ) depositus denique in pristinum restitui potest statum a quouis episcopo: degradatus non nisi a solo pontifice. vid. IO. PONTAS *in diction. cas. consc. voce degradatio.*

Differentia multiplex inter depositionem & degradationem.

§. CXVIII. Hoc modo immunitas clericalis a suppliciis capitalibus in iure canonico variis artibus excogitata atque corroborata est, vt nullam *salutis publicae* rationem, cuius interest, ne crimina maneant impunita, habuerint, sed conculcatis legibus etiam diuinis, quae criminum vindictam serio imperant, solius praerogatiuae clericalis conseruationem & custodiam ob oculos habuerint. De hoc abusu iam olim grauiter conquesti sunt status Imperii in *centum grauaminibus*, in *comitiis*

Abusus circa doctrinam de degradatione.

Notati a statibus imperii

tiis Noriberg. ſeculo XVI. oratori pontificio oblatis, in quorum *art. XXXI.* abuſus hic notatur hoc modo: *item quicunque eccleſiaſticos recipit ordines, maiores ſeu minores, per hoc omnium pœnarum magiſtratuum ſaecularium, vtcunque magna perpetret maleficia, immunis eſſe contendit - - atque tantorum malorum ſegetem ex libidine inſana contrahunt, mirum quid latrociniis, homicidiis, innocentum delatione, igni, rapina, furto, falſa cudendo numiſmata, ac mille ſcelerum formis, interim contra diuina humanaque iura omnia non ſine magno etiam aliorum offendiculo liberrime ac impune quotidie committant. Nempe immunitate ac peccandi ſua licentia, quam ex priuilegiis canonum ſibi vſurparunt, in hoc freti.* Inprimis vero oſtendunt impedimenta, quæ obſtant, quo minus degradatio fieri queat. *Et tandem*, aiunt ſtatus imperii, *vt in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc foueantur, præter omnem æquitatis rationem, aliquatenus interdictum eſt archiepiſcopis & epiſcopis, ne malefactores hos publice criminali iudicio reos agere poſſint, niſi prius degradatos.* Degradatio enim facile eludi poteſt, ſi modo clericus depoſitus per hypocriſin correctionem promittit, mimicæ ſe ſubmittere pœnitentiæ paratus. Imo, ſi omnem reſpuit correctionem, adhuc tamen noua obſtacula degradationis vſum fere inanem reddunt. *Id quod* (degradationem intelligunt) *tantis ſumtibus tantaque pompa celebrari oportet, vt propterea perquam rariſſimum vncti illi malefactores merita plectantur pœna.* Idem agnoſcit PAVLVS SARPIVS *in hiſtor. concil. Trid. p. m.* 575. aiens: *ad degradationem modo ſolenni perficiendam, tot circumſtantiis requiſitis, factum rei difficultate, vt rariſſime eo ſit peruentum. Imo ad augendam ordinis clericalis reuerentiam valere plurimum putabatur, quod iudex, ne iuſto quidem iudicio clerici ſanguinem fundere poterat, niſi multa ſolennitatum ſerie præcedente. Ob hanc cauſam conceſſum non fuit, vt ab epiſcopis fieret degradatio, niſi in loco publico, ipſis amictis ſacris veſtibus, aſſiſtentibus aliis XII. epiſcopis, ſi epiſcopus gradu & ordine eſſet mouendus; ſex autem, ſi presbyter; & tribus, ſi diaconus, iisque indumentis pontificalibus ornatis &c.*

in comitiis Noribergenſibus.

Obſtacula, quæ degradationem impediunt.

§. CXIX. Speciatim quoad *Germaniam* vſum eius rariorem & maxime impeditum hac ex cauſa deducit, quod epiſcopi in ea ſint rariores, vt abſque magnis ſumtibus hi ad degradandum in vnum conuocari locum haud potuerint. Inde in *concilio Tridentino* vrſerunt inprimis præſules Germaniæ, vt legibus *degradationis* modus poneretur. Idem iam vrſerant ſtatus Imperii in *centum grauaminibus art.* 33. & ipſam æquitatem ac neceſſitatem poſtulare arbitrati ſunt prudentiſſime,

Ne quidem ſublata per concilium Tridentinum.

vt

Ab quo ea merito tolli debuissent.

vt ecclesiasticarum personarum præsumta priuilegia abrogarentur, abolerentur, e medio tollerentur, ac illarum gratia finaliter sanciretur, caueretur, ac statueretur, quod ordinati in maioribus vel minoribus constituti vna cum personis laicis æqua haberent iura, æquos iudices, paresque pœnas, vt clerici in paribus delictis contra laicos nullam prætendere possent prærogatiuam. Verum surdis narrata fuit fabula: e re Romanæ curiæ fuit, immunitatem hanc inueteratam sartam tectam clericis conseruare: quid? quod hi ipsi iudices in re propria fuerint, ac iuste apud se reputauerint, ex beneficio ordinis aliquando in se idem constitui posse, quod in genere in clericis mutandum status imperii vrserunt. Nequidem patres Tridentini huic rei medelam attulerunt, nisi quod, pro sumtibus immensis parcendis, *sess. XIII. de reform. c. 4.* cauerint, episcopum vel eius vicarium generalem in spiritualibus etiam absque aliorum episcoporum præsentia hoc spectaculum edere posse, *adhibitis tamen totidem abbatibus, vsum mitræ & baculi ex priuilegio apostolico habentibus, si in ciuitate aut diœcesi reperiri & commode interesse possint; alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graues, aut iuris scientia commendabiles existant.* Verum ne sic quidem crebrior vsus degradationum resuscitatus est, cum ad reuerentiam ordinum clericalium conseruandam intersit rei ecclesiasticæ, ne vnquam vel quam rarissime fiant.

In hæresi gradus in c. 10. X. de iudic. non obseruandi.

§. CXX. Denique ad ductum *c. 10. X. de iudic.* obseruaui, per *gradus* regulariter quidem procedi, & grauioris criminis reum primo deponi, & in arctius monasterium detrudi: porro excommunicari imo etiam anathemati subiici, si ne sic quidem ad frugem reuerti h. e. submisse pœnitentiam more hypocritico complecti velit: denique tandem degradari, si omnis *correctionis* spes decollare videtur. Ast non semper his insistendum gradibus, sed pro re nata statim ad degradationem properari potest, omnibus gradibus omissis, vtpote in *pertinaci*, vt loquuntur, *hæresi*, ob quam hæreticum comburendum esse constituerunt sanctissimi & mitissimi hæreticæ prauitatis inquisitores. Talem processum obseruarunt patres Constantienses in causa IOANNIS HVSSI, & quidem 1) eius libros condemnarunt per sententiam relatam *in act. concil. Constant.* a Dn. VAN DER HARDT *tom. IV. P. 6. p. 43*. mox vero 2) sententiam condemnatoriam *de degradando eo*, publicarunt, *cit. l. p. 437.* exhibitam, quam hic adferre lubet: *Visis insuper actis & actitatis in causa inquisitionis de & super hæresi contra præfatum Iohannem Hus habitis & factis, & habita prius fideli & plenaria commissariorum in huiusmo-*

Quod illustratur exemplo Hussi degradati,

Cuius sententia condemnatoria refertur,

iusmodi causa deputatorum relatione, aliorumque magistrorum in Theologia & I. V. Doctorum, in, de, & super actis, actitatis & dictis testium fide dignorum & plurimorum, quae dicta ipsi Iohanni Huss palam & publice lecta fuerunt coram patribus & praelatis huius sacri concilii: per quorum testium dicta apertissime constat, eundem Iohannem Huss multa mala, scandalosa & seditiosa, & periculosas haereses dogmatizasse, & publice per multa annorum curricula praedicasse: CHRISTI *nomine inuocato, haec sacrosancta Synodus Constantiensis solum Deum prae oculis habens, per hanc definitiuam sententiam, quam fert in his scriptis, pronunciat, decernit, & declarat, dictum Iohannem Huss fuisse & esse verum & manifestum haereticum, ipsumque errores & haereses ab ecclesia Dei dudum damnatos & damnatas, ac plurima scandala, piarum aurium offensiua, temeraria & seditiosa dogmatizasse; & publice praedicasse, in non modicam offensam diuinae maiestatis, ac vniuersalis ecclesiae scandalum, & fidei Catholicae detrimentum, claues etiam ecclesiae & censuras ecclesiasticas vilipendisse, in quibus per annos multos perstitit, animo indurato, Christi fideles per suam pertinaciam nimium scandalizans, cum appellationem ad Dominum IEsum Christum tanquam ad supremum iudicem, omissis ecclesiasticis mediis, interposuerit, in qua multa falsa & iniuriosa posuit, & scandalosa, ipsius sedis apostolicae, censurarum ecclesiasticarum, & clauium in contemtum: idcirco propter praemissa & alia plura praefatum Iohannem Huss haereticum fuisse, haec sancta synodus pronunciat, & tanquam haereticum iudicandum, & condemnandum fore iudicat, & condemnat per praesentes, dictamque appellationem, tanquam iniuriosam & scandalosam, & illusoriam iurisdictioni ecclesiasticae, reprobando, ipsumque Iohannem Huss, populum Christianum maxime in regno Bohemiae in praedicationibus suis publicis, & scripturis per eum compilatis, seduxisse, ac eiusdem populi Christiani, non veracem praedicatorem euangelii Christi secundum expositionem sanctorum Doctorum, sed fuisse verius seductorem. Verum quia per ea, quae haec sancta synodus vidit, & audiuit, cognouit eundem Iohannem Huss* PERTINACEM INCORRIGIBILEM, *& adeo talem, quod non cupiebat ad gremium sanctae matris ecclesiae redire, neque haereses & errores per eum publice defensatos & praedicatos velle abiurare: idcirco haec sancta synodus Constantiensis eum Iohannem Huss ab ordine sacerdotali & aliis ordinibus, quibus existit insignitus,* DEPONENDVM *&* DEGRADANDVM *fore declarat, & decernit: committens nihilominus reuerendis in Christo patribus, Archiepiscopo Mediolanensi, Feltrensi, Astensi, Alexandrino, Bagorensi, & Vauriensi episcopis, vt in praesentia huius sacrosanctae synodi dictam de-*

gradationem, secundum quod ordo iuris requirit, debite exequantur. Tandem, peracta degradatione, sententia condemnationis ad rogum per ANTONIVM episcopum Concordiensem prælecta, & hac formula satis decantata recitata: *Hac sacrosancta synodus Constantiensis Iohannem Huss, attento, quod ecclesia Dei non habeat vltra, quod agere valeat, iudicio seculari relinquit, & ipsum curiæ seculari relinquendum fore decernit.*

Degradationis Hussi solennis.

§. CXXI. Sed etiam ipsum degradationis spectaculum, cum executione pœnæ hæreticis impositæ recensere lubet, quod ex rogi Hussitici spectatoris VLRICI REICHENTHALS, canonici Constantiensis, narratione refert VAN DER HARDT *cit. l. p. 448. sqq.* An den Freytag (Sonnabend, nach St. Ulrichs: was der achte (neunte) Tag im Heumond, der Jahrzahl Christi, tausend, vierhundert und funfzehen Jahr, da ward aber eine Session mit gantzer Pfaffheit. Und was unser Herr der Römische König auch dabey, Hertzog Ludwig von Beyern, von Heidelberg, und ander viel weltlich Fürsten und Herren. Und was auch dieselbe Session in der sechsten Stund vor Mittag. Da ward der Huß besandt, und der Kätzer von Böhem für die Session. Und prediget da vor ihm der hochgelahrte Iohannes Carceri, (Charleri Gerson,) ein Lehrer göttlicher Kunst und Rechten, von seiner bösen kätzerlichen Lehre. Und ward mit rechter göttlicher Ehre aus der heiligen Schrifft überwunden, daß seine Artickel, die er gelehrt und geprediget hätte, falsch, unrecht, und rechte Kätzerey was. Und gaben ein rechtlich Urtheil über ihm. Das ersten, als er zu einen Priester geweihet was, daß man ihn degradiren, und sein Weihen abnehmen solte. Da stellten sie ihn auf einen hohen Stuhl, daß ihn männiglich sehen mochte. Und stund zu ihm der Hochwürdige Meister Nicolaus, Ertz-Bischoff zu Meiland zu einer Seiten, und zwey Cardinal, und zwey Bischöff, und zwey Weybischöff, und legten ihn an als einen Priester, und zogen ihn wieder ab, mit Gebet, die sie dazu sprachen, und wuschen ihm seine characteres ab. Da macht er ein Gespött daraus. Da nun das vollbracht was, da gaben sie ein Urthel über ihn also, daß er ein Kätzer wäre, und ein unstraffbar unweißiger Mann, seiner Bosheit abzustehen. Und emfahlen ihn den weltlichen Rechten, und bathen unsern Herrn den König und das weltliche Recht, daß man ihn nicht tödten solt, und ihn sonst behielt, und ihm einen ewigen Kercker gebe. Da sprach der König zu Hertzog Ludwigen Pfaltz Graff bey den Rhein: Seider wir seyn, der das weltlich Schwerdt innen hat, lieber

der Ohem, so nehmet ihn an, an unser statt, und thut ihm als einen Kätzer. Da russet Hertzog Ludwig zu ihm dero von Costnitz Voigt, der auch zugegen was, und zu ihm kahm, und sprach: Durchlauchtigster Fürste, was gebeut euer Fürstliche Gnaden. Da antwortet er ihm und sprach: Nehmet hin da Meister Johan Hußen von unser beyder wegen, und von unser Urthel, verbrennt ihn als einen Kätzer. Derselb Vogt zu Costentz hies des Raths-Knecht zu Costentz, die da waren, und dem Nachrichter, daß sie ihn ausführeten, ihn zu verbrennen, und ihm kein seiner Kleider, Gürtel, noch Gewand, Seckel, Messer noch Pfennig, Hosen noch Schuh nicht nehmen, noch abziehen. Das geschach auch also. Und hat doch zwey gut schwartz Röck an von guten Tuch, und ein Gürtel was ein klein Beschlag von vergültem Silber, und in einer Scheide zwey gute Beymesser, und ein ledern Seckel, da wohl Pfennig mochten seyn. Und hatte eine hohe weisse Infel auf seinem Haupt, die was von Papier gemacht, stunden dran zween Teufel gemahlt, und zwischen den zween Teuffeln geschrieben: hæresiarcha, das ist, ein Ertz-Kätzer aller Kätzer. Da führten sie ihn von Costentz aus, mehr dan mit tausend gewapneten Mannen. Und die Läyen, Fürsten und Herrn, auch gewapnet. Und führten ihn zween, Hertzog Ludwigs Diener, einer zu der rechten, der ander zu der lincken Seiten, und was nicht gebunden, den daß sie sonst neben ihn giengen. Und giengen da vor ihm zwey Raths-Knecht und zween hinter ihm her von Costentz, und giengen mit ihm zum Geltinger-Thor aus. Und von den grossen Uberdrang, must man ihn führen um Beichmans Widen Haus den Brül umhin. Und waren der gewapneten Mann mehr dan drey tausend ohne gewapnetes Volck, das ohn Zahl was, und Frauen. Und must man die Leut am Geltinger-Thor halten, ie als lang das ein Schaar überhin kam, bis daß sie alle überhin kamen, den man fürchte, daß die Brücke niederginge und bräche. Und man führt ihn auf das klein Inder ausser Feld en mitten. Und in den aushin führen da rufft er die Leuth nicht fast an, und bethet nicht anders dann: IEsu Christe, fili Dei viui, miserere mei, das ist zu teutsch, JEsu Christe, ein Sohn des lebendigen GOttes, erbarm dich mein. Und da er kam zu den Indern aussern Feld über das Brücklein, da er das Holtz ersahe, das Stroh und das Feuer, da fiel er zu dreymahlen auf die Knie, und sprach laut: IEsu Christe, fili Dei viui, qui passus es pro nobis, miserere mei, das ist zu teutsch: JEsu

Executio sententiæ rogi.

Christe,

Christe, ein Sohn des lebendigen GOttes, der für uns gelitten hat, erbarm dich mein. Darnach ward er gefraget, ob er beichten wolt, wann doch in solchen Nöthen keiner ohne Beicht hinfahren solt. Da sprach er, ich will gern beichten, es ist aber hie zu enge, und da er in den Ring kam, da macht man einen weiten Ring. Da ward ich Vlrich Reichenthal geheissen, daß ich ihn fragen solte, ob er beichten wolte, da war ein Priester Caplan zu Stephan, der hies Herr Ulrich Schorand, der war gelehrt, und hatte auch des Bischoffs Gewalt und Conciliums, da sprach er, ja gern. Also rufft ihn ich Vlrich Reichenthal denselben Priester, Herr Ulrichen. Der kam zu den Hußen, und sprach: Lieber Herr und Meister: wollt ihr abtreten des Unglaubens und der Kätzerey, darum ihr leiden müsset, so will ich euch gern zur Beicht hören. Wollet ihr aber das nicht thun, so wisset ihr selbst wohl, daß in geistlichen Rechten geschrieben steht, daß man einen Kätzer göttlich Sachen nicht geben noch thun soll. Da sprach der Huß: Es ist nicht notthürfftig. Wan ich bin kein Tod-Sünder. Darnach wolt er haben angefangen zu predigen in Teutsch, das wolt Hertzog Ludwig Pfaltz-Graff beym Rhein, nicht leiden noch verhengen, und hies ihn von Stunden an zu verbrennen. Da nahm ihn der Nachrichter, und band ihn mit Kleider und mit allem, was er dann anhett, an ein hohes Bret, das stunde aufrecht. Und stellt ihm einen hohen Schemel unter seine Füß. Und leget Holtz und Stroh um ihn, und schüret Pech drein, und zündet es an. Da erhub er sich übel mit Geschrey. Und was bald verbronnen. Da er er nun allerdings verbronnen was, dennoch was die Papirn Infel in dem Feuer gantz und nicht verbronnen. Da zerstieß sie der Nachrichter, da verbrann sie erst auch. Und ward der allerbösesste Schmack, den man schmecken mocht. Wann der Cardinal Pancratius hatte ein groß altes Maul, das ihm starb von Alter, und an der Statt, da der Huß verbrennet ward, da was das Maul vorhin vergraben worden und in der Erde gelassen: von der Hitze wegen des Feuers thät sich das Erdreich auf, daß der böse Schmack heraus kahm. Darnach führt man die Aschen, und das Gebein, und was dennoch nicht verbrennet was, gantz und gar in den Rhein.

De hypocritica intercessione pro Husso

§. CXXII. Ex hoc *degradationis* processu obseruo, degradantes HVSSVM, consueta adhibita intercessione, ne sanguis eius effunderetur, sed carceri potius in perpetuum mancipraretur, tradidisse brachio seculari. Sed *mimica*, *hypocritica* & *nefandissima* fuit hæc intercessio,

ceffio, ex orco, in quo pater eiusmodi hypocritarum refidet, reuocata: nec tamen mirandum eft, fimulatam hanc mifericordiam ab omnibus adoratam & in admirationem tractam fuiffe, quod terror furoris contra hæreticos effufi omnes in fubmiffo filentio detinuerit. Etenim 1) fi degradantium vera intentio fuiffet, HVSSVM perpetuo carceri mancipandi, brachio feculari eum tradere & degradare haud neceffe fuisfet, cum etiam iudices ecclefiaftici tales *perpetuos carceres* exerceant, & quidem duriores, quam *magiftratus feculares*. Quia vero *degradationis* fpectaculum ediderunt, hoc vero fit tuba & præludium ordinarium atrociffimi fupplicii, ipfa interceffio fuit merum ludibrium. 2) Nequidem integrum magiftratui feculari fuit, *interceffioni* huic *fimulatæ* locum relinquere, cum damnati mox *debita animaduerfione* plectendi fint, *c. 13. X. de hæret.*, fub pœna excommunicationis, *c. 18. eod. in 6.*, vt *tom. IV. tit. de hæret. §. 161.* docui. 3) Nudum minifterium exequendi fententiam a concilio latam Cæfari feu *iudici feculari* reuera & in effectu tantum demandatum fuit; quamuis enim *pœnam ignis* in eum *directo* & *palam* non ftatuerint Conftantienfes, per neceffariam tamen confequentiam ad hanc fubeundam eum condemnarunt, fcientes, condemnatis hæreticis pertinacibus non aliam, quam hanc poft *traditionem* imminere. Neque enim HVSSVS a iudice feculari condemnatus fuit, qui non vifis actis, nec caufæ cognitione inftituta, eum fine fumma iniuftitia condemnare non potuit, vt *cit. l. §. 161.* ex ipfis principiis huius proceffus contra hæreticos docui. Si aliquis *color iuris* pro executione hac legitimanda fupereft, ille ex principio nefando de *notorio* peti debet, quod hæretici condemnati a clero fint *notorii hæretici*, contra quos ex *doctrina iuris canonici* ftatim ad executionem procedendum, vt monftratum in diff. B. I. S. STRYKII *de notorio*. Longe aliter ANTONIVS MATTHAEI *de nobil. lib. II. c. 23.* de hoc proceffu iudicat, &, *Inuentum*, ait, *fcilicet aftutum! Quafi vero annon idem fit, per fe quid facere, an per alium. Sed fic, qui horrent fcilicet fanguinem, millia olim infinita, etiam leui de caufa, fuftulerunt de medio. Horrenda eft hiftoria, quam de falfo epifcopo* IO. A LEIDIS *habet lib. 31. hift. c. 43. ex qua & difcas, quam acerba, quam fanguinaria hæc degradatio, & quæ fcilicet clericorum manfuetudo, clementia. Compendio rem narrat magnum chronicon Belgicum de anno 1392. Captum, inquit, in publico theatro cunctis pontificalibus induit ornamentis, quibus paulatim rurfus priuabatur, & primo baculo paftorali, deinde mitra, deinde cafula, & fic de fingulis, vsque ad amictum inclufiue. Tum capitis crines*

Et iudicio clericorum fanguinario, In horrendo fupplicio demonftrato.

abradebantur, & pellis circa digitos; quibus corpus dominicum tractare consueuerat, cum vitro osse tenus lacerabatur. Nouissime vestibus secularibus indutus iudici seculari scilicet sculteto & scabinis ciuitatis Traiectensis tradebatur, qui eum ad cacabum condemnarunt, quod atrocissimum genus pœnæ fuit, vt nihil eam superauerit. Delinquens fuit magister IACOBVS DE IVLIA, frater ordinis Minorum, *qui iactabat verum se episcopum esse, quamuis non esset.* Interim *ordines fere omnes contulerat, & ecclesias atque cœmeteria dedicauerat, & cetera omnia, quæ concernunt Episcopi administrationem.* Tandem vero *compertum fuit, eum non esse episcopum, & bullam, quam habebat, esse falsam*, vt refert *magnum chronicon Belgicum*, a PISTORIO *tom. III. script. p. 354.* relatum. Subiunxit vero, IO. A LEIDIS traditionem factam fuisse cum protestatione, ne sanguinis pœnam ei infligeret iudex secularis, quod hoc episcopo petere haud liceret. *c. 9. X. ne cleric. vel monach. secul. negot. Ideo*, addit, *supplicarunt dominus Florentius episcopus Traiectensis & alii sex episcopi prædicti cum aliis prælatis ibidem præsentibus Sculteto, quatenus citra mortis periculum dignaretur sententiam moderare, iuxta decretum nouimus de V. S. Qui iudicans ipsum esse reum mortis condemnauit mediante sententia* (non visis, nec inspectis actis, nec causæ cognitione facta) *scabinorum & consulum, bulliendum fore in feruenti aqua. Cum ergo miserabiliter in cacabo feruentis aquæ sederet, deplorando calamitatem suam, petebat aliquam gratiam sibi impendi. Vnde misericordia super eum moti, extractum de cacabo decollauerunt ipso die gloriosi Ieronis.* Hac astutia vtuntur episcopi degradantes, ne autores supplicii crudelissimi esse videantur, quod reuera tamen in eum statuerunt ex grauissimo odio, quo Minoritas olim persecuti sunt episcopi. Non enim probabile est, tam atrocissimo supplicio, quod omnem humanitatem superauit, eum affectum fuisse, nisi episcopis id gratum acceptumque fuisset. Denique 4) ne quidem hac cautela aut protestatione opus fuit, in traditione HVSSI, quod *tit. de hæres. §. 44.* ostensum monstratumque fuerit, *quæ alias probibita, legibus aduersa, imo scelus spirant, in fauorem fidei Romanæ esse permissa, probata, licita;* ergo etiam non potuit non episcopis condemnatio ad *rogum* aut *cacabum* permissa videri.

In Gallia cessat degradatio.

§. CXXIII. In Gallia hoc *degradationis* spectaculum prorsus negligitur, quippe quod clericis delinquentibus plerumque immunitatem a pœnis capitalibus conciliauit, non obstante concilio Tridentino. *Vnde*, ait FLEVRIVS *in instit. iuris ecclef. P. III. c. 19. §. 4.* interprete

Dn.

Dn. GRVBERO, *iudices seculares, quibus hæc degradatio videbatur affectata ceremonia ad sufflaminandam iustitiam, eam diu operiri, criminibusque impunitatem permittere noluere. Idque tanto magis, quod quando ipsi in casu priuilegiato clericum condemnauerant, episcopus eum sine causæ cognitione degradare noluit.* Et tamen vice versa, quando degradatus est clericus, episcopi eum tradendum iudici seculari constituerunt, vt sine vlla causæ cognitione ei mortis supplicium inferret. *Inde*, pergit FLEVRIVS, *pedetentim euiluit reuerentia erga personas consecratas, quæ lictoribus palam constringendæ proiiciuntur, vt nullam hodie in Francia degradationem videas.* Idem testatur IO. PONTAS *in diction. conscient. tom. I. voce depositio cas. 1.* atque, *verum hodie degradatio non est in vsu, quod eam magistratus ab exeunte seculo XVI. vti cerimoniam inutilem habuerint, vel potius quia difficilius conuocatur sex episcoporum numerus ex canonibus requisitus ad degradationem sacerdotis, & trium ad degradationem diaconi, vt vult concilium Carthaginense II. Neque etiam facile est sequi restrictionem concilii Tridentini, quod vnum tantum requirit episcopum, sed tamen parem abbatum numerum aut eorum defectu aliorum clericorum doctorum, & qui in dignitate sunt constituti.*

Vsus inter protestantes tamen non deficit.

§. CXXIV. Nihilominus tamen inter Protestantes in Germania vsus aliquis huius cerimoniæ superest, clerico ad mortem vel pœnam corporis afflictiuam condemnato; & eo magis tolerari potest, quod clericis delinquentibus nulla spes impunitatis, vt inter Catholicos, supersit, sed hæc, damnatione ad mortem facta, simpliciter fieri debeat. Illustrat hoc casus *tom. I. P. I. consult. & decis.* a me editarum *arg. 106. n. 95. sqq. p. 413. in f.* quo sacerdoti aulico pœna capitalis dictata, de *degradatione* vero præmittenda hæ rationes adductæ fuerunt: Ubrigens so viel die dabey mit angehengete degradation nebst Erstattung aller Unkosten betrifft, so ist zwar CARPZOVIUS

lib. 3. iurisprud. consist. def. 117. n. 9.

in der Meynung, daß die solenne degradation bey denen Protestirenden nicht eben im Gebrauch sey, als welche bey denen Catholischen nur vornehmlich zu dem Ende adhibiret wird, vt clerici in sortem laicorum incidant, & ordine clericali exuti iudici seculari tradantur,

cap. 2. de pœnis in 6.

welche ratio in gegenwärtigem Fall zu cessiren scheinet, überdem auch von denen inquisitions-Kosten viele Rechts-Lehrer in der Meynung sind, quod quando pœna corporis afflictiua vel capitalis dictari potest,

ipsemet magistratus expensas subire debeat, quia ad redemtionem sanguinis nemo præsumitur temere litigasse.

artic. 105. constit. crim.

CARPZOV. *prax. crim. qu. 183. n. 7. sqq.*

LYNCKER *respons. 79. n. 1.*

Dieweil aber dennoch die degradation vornehmlich dahin abzielet, vt degradatus iuribus & immunitatibus, quibus clerici gaudent, priuetur, & dignitate ecclesiastica ordinibusque sacris exuatur;

CARPZ. *cit. loc. l. 4. & 5.*

BRVNNEM. *de iur. eccles. lib. 2. cap. 19. §. 4.*

und wie solche bey denen Protestanten zu dem Ende nicht nöthig ist, daß ein degradatus dem brachio seculari übergeben werde, dennoch bey dergleichen Lebens-Strafen dieselbe von uhralten Zeiten, vor execution derselben, im Gebrauch gewesen, wie solches der Käyser Iustinianus selbsten vormahls verordnet,

in nouell. 83. in præf. §. 2.

und davon also saget: Illud palam est, si reum esse putauerit eum, qui conuenitur, prouinciæ præses, & pœna iudicauerit dignum; prius hunc spoliari a Deo amabili episcopo sacerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu, welches denn auch vormahls so gar bey denen Soldaten im Gebrauch gewesen, vt prius exauctorati punirentur,

l. 7. de re militari.

l. 2. §. 2. de his qui notant. infamia.

l. 29. de liberali causa.

zu dessen Nachahmung die degradation anfänglich hauptsächlich eingeführet, wie solches BONIFACIVS VIII.

in c. 2. de pœn. in 6.

selbsten mit diesen Worten zu verstehen giebet: *Actualis siue solennis cœlestis militiæ militis, id est clerici, degradatio fiet, vt exauctorizatio eius, qui militiæ deseruit armatæ, cui militaria detrahuntur insignia, sicque a militia remotus castris eiicitur, priuatus consortio & priuilegio militari*, welcher ritus denn nicht unbillig ex præscripto antiquarum legum beyzubehalten, damit die Ehre und Würde des geistlichen Standes bey denen executionibus pœnarum capitalium destomehr beybehalten werde; wie denn auch die exempla solcher degradationum unter denen Protestanten nicht ungewöhnlich sind, vielmehr bekandt ist, daß vor einigen Jahren Se. Königl. Majestät von Groß-Britannien und Churfürstl. Durchl. zu Hannover einen Prediger, welcher ob crimen

men falsæ monetæ zur Straffe verdammet worden, ante executionem in consistorio degradiren lassen, und Carpzouius nicht so wohl die degradation selbst, als von denen bey denen Catholischen dabey üblichen Solennitäten zu reden scheinet. Sententia hæc, quam Facultas nostra ad requisitionem serenissimi Principis tulit, executioni data est *d. 22. Sept. 1719.*, ita tamen, vt *inutiles ceremoniæ* omissæ, & per rescriptum degradatio seu depositio facta sit his verbis: Als wird sein HAENDELS Nahme aus dem *Ordinanden*= und Kirchen Diener=Buche ausgestrichen, und er seiner Ehre hiemit entsetzet, auch so fort mit ewiger Gefängniß beleget. Vid. Gründliche auf des Herrn Marggraffen zu Brandenburg=Onolzbach gnädigsten Befehl *ex actis* gezogene Nachricht in abgeurtheilter peinlicher *Inquisitions*-Sache Christoph Christian Händels *de anno 1720. &c. p. 212.*

Modus simplicior degradandi per rescriptum.

§. CXXV. Hic modus simplicissimus degradationem in effectum deducendi sine *ritibus superstitiosis* conuenientior est principiis Protestantium, quam quem hinc inde assumserunt ex *recentiorum pontificum decretis*, nil nisi hypotheses a nobis reprobatas spirantibus. Etenim 1) nec olim *depositio a degradatione* differebat, & qui semel depositus, denuo de officio sacro, quo iam priuatus est deturbari non poterat, sed statim *laicæ communioni* adiunctus erat. Contra hoc dogma recentior a COELESTINO III. præscriptus processus in *c. 10. X. de iudic.* palam pugnat & supponit, depositum *statum clericalem* haud exuisse, nec *foro seculari* subiectum fuisse, sed ad hunc effectum singularem adhuc solennitatem, carmina, & publicum spectaculum desiderari, quo *qualitas sacra clericalis* ab eo auelli queat. Vnde 2) antiquus ecclesiæ vsus id vnice intendebat duntaxat, vt quem de criminibus grauissimis conuictum & condemnatum cognosceret, a clero abiiceret, & nomen eius ex *Diptychis* deleret; non vero, vt hoc modo *iudici seculari* ius & potestatem in eum daret, quippe qui olim secundum *§ 109.* etiam de *criminibus clericorum* inquirebat. Quocirca satis prudenter sacerdotis aulici HENDELII degradatio hoc modo auctoritate principis peracta, vt nomen eius ex *Diptychis* deletum, ipsemet vero per rescriptum *omni dignitate ecclesiastica* priuatus fuerit, quod per commissarios ipse princeps immediate inquisitionem instruxerat, & sic nulla traditio delinquentis locum habere poterat. Eodem modo in exemplo, quod in §. *anteced.* de eo, qui falsam cuderat monetam, adductum est, inquisitio per *commissarios seculares* iussu principis peracta, sen-

Qui commendatur.

Quod olim 1) depositus statim laicus factus fuerit.

2) Non vero vt iudici seculari demum traderetur.

tentia ignis ei dictata, & *ante executionem* in consistorio dignitas ecclesiastica ei tantum detracta, sine præsentia *iudicis secularis*, vtpote in cuius manibus iam erat, adeoque non ea intentione fiebat, vt magistratui seculari tradi deberet. Potuisset itaque etiam simpliciter per rescriptum decerni, vt nomen eius ex *diptychis* deleretur, & omni dignitate ecclesiastica exutus haberetur, sine facto accidente consistorii, quippe quod arbitrarium fuit. 3) Eo vero demum casu *traditio quædam* conuenientior est, vbi inquisitio ab ipso consistorio peracta, & *tortura* inquisito dictata, hunc in finem, vt ab hoc tempore per *iudicem secularem* inquisitio criminalis contra eum continuaretur. Quamvis enim secundum iuris canonici placita etiam tortura, sine degradatione, clerico applicari queat a iudice ecclesiastico, iussu & autoritate episcopi, vt *§. 107.* monstratum, vtplurimum tamen nostra consistoria ab hoc eruendi veritatem modo abstinent, quo etiam inter Catholicos non vbique iudices ecclesiastici vtuntur, vt *cit. l.* dictum. Denique 4) in nostris foris, in quibus *characterem* clericorum *indelebilem* respuimus, merito abstinendum est a ritibus & formulis, respectum ad illum habentibus, & in ecclesia Catholica vsitatis, quibus quodammodo ipsum characterem delere intendunt.

3) Traditio tunc demum necessaria, vbi a consistorio inquisitio contra delinquentem peracta.

4) Abstinendum a ritibus, characterem indelebilem respicientibus.

Iudicium de degradatione Lipsiensi anno 1719. peracta.

§. CXXVI. Hanc tamen præcautionem non adeo obseruatam fuisse in *degradatione Lipsiensi* anno 1719. peracta, & a Dn. de ROHR im Ober-Sächsischen Kirchen-Recht *pag. 336.* relata deprehendi. Etenim (a) hæc autor prælaudatus præmittit: Da es nun mit ihm so weit gekommen, daß eine Leibes-Straffe an ihm vollzogen werden solte, so muste vorher auf allergnädigste Verordnung Ihrer Königl. Majest in Pohlen und Churfürstl. Durchl. zu Sachsen der geweyhete *character* des ermeldten *Inquisiti* auf *solenne* Art abgethan werden. Verum si in hunc finem fit degradatio, admittimus necessario, per *ordinationem* ordinato imprimi *characterem indelebilem*, ante executionem delendum, quem tamen Protestantes impugnant, reiiciunt, reprobantque, & *ordinationem* ritibus arbitrariis adscribunt ex sententia ipsius LVTHERI. Sed audiamus (b) ipsum degradationis actum, *p. 337.* relatum, qui ad Romanæ ecclesiæ morem compositus videtur. Ait prælaudatus autor: Diesemnach ward den 7. Jul früh vor 6. Uhren der degradandus (minus recte dicitur *degradatus* in textu) durch den Amts-Land-Knecht in die Superintendentur zu Leipzig gebracht, ihm sein ehemaliger Priester-Habit, als der Priester-Rock und Hälsgen über den schwartzen Rock abgeleget, und nur in der schwartzen

Weste

Weste in der Unter-Stube der Superintendentur vorgestellet. In dieser sassen der Superintendent, der damahls lebende D. Johann Dornfeld, nebst dem Commissions-Rath und Amtmann D. Wagnern und dem Creyß-Amts-Actuario (vt præsente iudice seculari, cui tradendus, hoc spectaculum perageretur) auf der einen Seite bey den Fenstern sassen sechs dazu erforderte Geistlichen, theils aus der Stadt, theils vom Lande, (iuxta ritum ecclesiæ antiquæ & hodiernæ Catholicæ, qui præsentiam *sex episcoporum* in *degradatione presbyterorum* requirit iuxta *§. 119. & 120.*) auf der andern aber einige Consistoriales, und gegen über befanden sich von den Patronen der dem degradando ehemahls zugehörigen Kirchspiele ein paar Abgeordnete und Gevollmächtigte; in dieser und noch anderer Zuschauer Gegenwart ward von dem Superintendenten dem vor ihm stehenden Inquisito vorgehalten, wie schändlich er sich in den Lüsten des Fleisches herum gewältzet, sich dadurch seines Ehren- und geistlichen Standes verlustig, und hingegen einer schweren Leibes-Straffe werth gemachet hätte: Wann dann vor deren Vollenziehung auf allergnädigsten Befehl des *summi episcopi*, (cuius vices ad imitationem ecclesiæ Romanæ gerebat *Superintendens*, sicuti in ecclesia Romana *generalis vicarius*) so durch den Creyß-Actuarium abgelesen worden, er voietzo des geistlichen *characters* gäntzlich entsetzet und entweyhet, der geistlichen Verrichtungen, als Predigens, Beicht-Hörens, Tauffens und Sacrament-Austheilens sich Zeit seines übrigen Lebens gäntzlich zu enthalten, hiemit ernstlich vermahnet, und zum Zeichen dessen hiemit öffentlich ausgekleidet werden solte; als muste der sogenannte Bettel-Vogt oder Kirch-Knecht bey der Nicolai-Kirchen hinzu treten, dem degradando erstlich den Priester-Rock, hernach den Ober-Rock auch letztlich das Hälßgen abnehmen, und darauf ward, daß er lediglich vor einen Leyen zu achten (in quem *iudex secularis* manum coniicere posset, sine formidine incidendi in pœnam *canonis*) ausgesprochen. Sequitur iam (c) *traditio more Romano:* Endlich ward der degradatus dem Commissions-Rath und Creyß-Amtmann zur execution der ihm zugesprochenen Leibes-Straffe übergeben mit angehängtem Wunsche, daß sich dergleichen Aergerniß fürohin nicht weiter ereignen möchte. Da nun hierauf der Commissions-Rath mit wenig Worten die zuerkante Straffe zu vollenziehen sich erklährete, so ward der entkleidete und bloß in der Weste und Hut stehende Priester (vel potius: der nunmehr degradirte Leye, und vormahls gewesene Geistliche) dem Land-

Knecht wieder übergeben ꝛc. Nimis ſtricte (d) omnia ad *principia eccleſiæ Romanæ* compoſita fuiſſe in hac degradatione, conclamatum eſt, ſicuti etiam non ſatis cohærent, quæ prælaudatus Autor refert, daß der degradandus durch den Amts-Land-Knecht in die Superintendentur zu Leipzig gebracht, ihm ſein ehemaliger Prieſter-Habit, als der Prieſter-Rock und Hälßgen über den ſchwartzen Rock abgeleget, und nur in der ſchwartzen Weſte in der Unter-Stube der Superintendentur vorgeſtellet ſey; & tamen poſt *epanorthoſin* peractam ſecuta eſt ſolennis veſtium ſacerdotalium detractio, adeoque neceſſario inde inferendum, in his eum comparuiſſe in hoc conſeſſu, vel dicendum eſt, poſt *epanorthoſin* eum veſtibus clericalibus in conſeſſu rurſus indutum, & deinceps iis ſpoliatum fuiſſe.

In noſtris foris iudex non eſt nudus executor ſententiæ iudicii eccleſiaſtici.

§. CXXVII. Tandem 5) etiam in hoc diſcrepat *degradatio Proteſtantium* a more *eccleſiæ Romanæ*, quod in hac quidem clericus delinquens, a *iudice eccleſiaſtico*, proceſſu inquiſitionis plenarie inſtructo, de delicto commiſſo vt confeſſus vel conuictus condemnetur, nulla tamen alia, quam *degradationis* pœna ei dictetur, cum traditione brachio ſeculari facienda; hic autem, non viſis nec inſpectis actis, pœnam delicto a legibus impoſitam mox exequatur, & ita merus *miniſter condemnationis clericalis* ſit. Aſt in *Proteſtantium foris* magiſtratus ſecularis vtplurimum, ex commiſſione ſpeciali, contra delinquentem per viam *inquiſitionis* procedit, ſententiam in eam fert, pœnamque criminalem in ea determinat, quo facto demum vel ſuperintendenti vel conſiſtorio iuſſu principis demandatur *degradatio*, ſine nouo eiusdem examine de crimine commiſſo, quod ex *mandato principis* eam peragere teneatur. Olim iuxta *Nou. 123. c. 21. §. 1.* ſi coram iudice ſeculari clericus accuſatus, & tandem condemnatus erat, hic ante omnia *geſta monumentorum*, vulgo *acta iudicialia*, epiſcopo edere debebat, ex quibus, ſi conſtabat, condemnatum nocentem eſſe, eum ſtatu clericali priuabat; ſi cauſa minus recte & legitime excuſſa videbatur, relationem ad imperatorem faciebat, adeoque non ſimpliciter condemnationem *iudicis laici* ſequebatur, ſed quoddam cauſæ examen ei integrum erat, ne immerentem, ad ſolam *iudicis ſecularis* condemnationem, depoſuiſſe videretur. Relatione ad principem facta, eius erat decernere, vtrum honore clericali ſpoliandus, & debita pœna afficiendus eſſet nec ne? adeoque in caſu diſcordiæ degradatio ab imperatoris dependebat iuſſu & decreto, cui epiſcopo ſtandum erat. Cum ergo hodie vtplurimum per reſcriptum principale conſiſtorio vel inſpectori degradatio committatur; eius non eſt, examen cauſæ nouum antea præmittere, ſed iuſſum exequi tenetur.

§. CXXVIII.

§. CXXVIII. Denique etiam 6) illud diſcrimen inter *depoſitionem verbalem* & *realem*, quo eccleſia Romana hodie vtitur, non agnoſcimus, multo minus defendimus, depoſitum quidem manere ſub *foro ſeculari eccleſiaſtico*, ſed non degradatum; illum quidem retinere *priuilegia clericalia*, non æque hunc. Quin potius *iure* eccleſiæ *antiquo* vtimur, ſecundum quod depoſitus clericus fiebat *laicus*, adeoque *iura clericalia* amittere debuit, vti ſupra *§. CVIII.* & *tit. X. de renunc. §. 6.* iam obſeruatum eſt. Quocirca qualecunque vitæ genus ſeculare eligere non prohibetur, æque vt qui reſignauit. Difficilius tamen hoc caſu poſtea ad aliud *officium eccleſiaſticum* admittitur, *ſecularem* vbi *vitam* elegit, adeoque qui poſt *emendationem vitæ* ad aliud officium ſacrum adſpirare intendit, neceſſe eſt, vt illa abſtineat, & denuo ſe inter candidatos miniſterii recipi curet, quo ipſo *ſtatum clericalem*, ſi velit, quodammodo conſeruat, quod ab eo non penitus deſciuerit, ſed ad inſtar *candidatorum theologiæ* adhuc agat, viuat, & habitu clericali vtatur. Ceterum quod depoſitis canoniſtæ adhuc priuilegia clericalia & forum eccleſiaſticum aſſignent, ex ſententia CAROLI DE GRASSIS *de effect. clerical. effect. 1. n. 52.* aliorumque, partim attribuendum eſt dogmati de *charactere indelebili*, nec per depoſitionem exſtincto, vt non diffitetur GONZALEZ *ad c. 2. X. de cleric. excomm. n. 7.* partim incongruæ interpretationi canonis 40. *concil. Cabil. II. de anno 813.* apud HARDVIN. *tom. IV. concil. pag. 1038.* & GRATIANVM *in c. 8. D. 81.*, in quo prohibitum eſt, ne presbyteri, canonice degradati, gradu amiſſo, *ſeculariter viuant*, ſub pœna *excommunicationis*; vnde collegerunt, depoſitum *clericaliter*, vt loquuntur, *non ſeculariter* viuere, h. e. iuribus *clericorum* non *laicorum* frui debere. Enimuero ſupra dictum eſt, (a) clericos depoſitos olim *ſtatum* induiſſe *laicorum*: (b) pœnitentiæ tamen publicæ non fuiſſe ſubiectos, ſed (c) vel monaſterium iis pœnitentiæ agendæ cauſa aſſignatum, vel iis conceſſum, vt *priuatim*, in *ſeceſſu* pœnitentiam agere potuerint, quod iis loco *beneficii* datum. Si *autem*, ait canon, *amiſſo gradu ſeculariter*, h. e. publice extra monaſterium vel ſeceſſum, more ceterorum laicorum, *viuere voluerint, & pœnitentiam agere neglexerint, ab eccleſiæ communione ſeparentur.* Hic eſt ſenſus planus huius canonis, quod vel inde liquet, quia *pœnitentiam* in *ſeceſſu* vel *monaſterio agere* & *ſeculariter viuere*, ſibi opponuntur, & laicis quoque, in ſtatu pœnitentiæ conſtitutis, interdictum erat *ſeculariter viuere*, & quæuis negotia ſecularia peragere, quod ſtatus pœnitentium debebat eſſe ſtatus mœroris, plangoris, & triſtitiæ, vt nec nuptias contrahere, nec militiam ſequi,

Depoſitus non præciſe manet ſub foro eccleſiaſtico in terris proteſtantium.

Sententia eccleſiæ Romanæ ex errore nata.

qui, nec aliis interesse negotiis possent, quæ ad hilaritatem ducebant, vt sigillatim docet BINGHAM. *in orig. eccl. vol. VIII. lib. XVIII. c. 2. §. 4. sqq. p. 124. sqq.* Quod ergo ex erroneis principiis a quibusdam assumtum, paulatim approbatum, & contra vsum *iuris antiqui* in ius perpetuum translatum est.

Noua illustratio argumenti de missione honesta pastorum.

§. CXXIX. Claudere his meditationibus adductis riuos, & transitum ad titulum de *pœnitentiis* facere destinaueram, cum a viro reuer. M. IO. CHRISTIANO GVEINZIO, diacono huius loci meritissimo ad B. M. V. beneuolo affectu mihi quædam singularia antiquitatis ecclesiasticæ monumenta communicata fuerunt, ex quibus argumentum, quod *§. LXXIV. sqq.* paulo plenius excutiendum erat, insigni lumine illustratur. Quamuis vero illud iam typis expressum fuerat, vt debito loco & iusto ordine hæc nouiter reperta documenta inseri & produci haud potuerint, non denegata tamen etiam mihi erit facultas, conclusione iam facta, illa producendi, æque ac litigantibus eo casu permissum est, petere *rescissionem conclusionis*, ad effectum, vt *nouiter reperta instrumenta*, ad illustrationem causæ multum conferentia, adhuc producendi eis potestas fiat. Videlicet pluribus demonstraui, officia quæuis collata sub clausula: *beneplaciti* vel *reseruata vtrinque resignatione*, esse *reuocabilia*, eoeoque quemlibet officialem a constituente pro lubitu mitti honeste posse. In secularibus officiis quidem non desunt, sed vbiuis potius obuia sunt exempla, in quibus sub his formulis officia officialibus concredita sunt. Enimuero *ecclesiastica officia* hoc modo nemini conferri posse, plurimi constituerunt, ex rationibus supra adductis & examinatis, quæ non regustabo. Enimuero etiam *§. 64. sq.* ostendi, in *capellis* & *oratoriis* priuatis clericos seu capellanos, ex nutu reuocabiles constitutos fuisse, quod capellani constituentium essent *domestici clerici*, & iure ceterorum *ministrorum* censerentur. Pari modo & patroni in ecclesiis suis hanc potestatem sibi arrogarunt, vt de *patronis Marchicis* obseruaui supra *§. 101.* non alia de causa, quam quod patroni ecclesias ipsas exstruxissent, eisque sacerdotes, quasi *domesticos* & in suo ministerio existentes, proposuissent, quem morem patroni Marchici præ ceteris diu conseruarunt, vt illos honeste mittere pro lubitu potuerint, id quod ex natura iuris patronatus, *tom. III. tit. de iure patronatus* explicati, deriuatum atque retentum. Atque hoc ipsum iam paulo plenius ex monumentis, quorum copiam vir prælaudatus mihi fecit, appendicis loco partim illustrabo, partim emendabo, vt inde euincam vlterius, pro diuersitate circumstantiarum ius mittendi honeste ministros ecclesiæ recte exerceri posse.

Appendicis loco ex nouis documentis.

§. CXXX.

§. CXXX. Videlicet officia sacra tam *ante* quam *post reformationem reuocabiliter* passim collata sunt, nec creditum fuit, id a rationibus eorum simpliciter & absolute alienum esse. Prius obseruauit M. MARTINVS ROBBER, quondam pastor ad D. Vdalrici templum huius loci, qui anno 1617. edidit das Christl. Evangel. Lutherische Jubel-Jahr, atque in *serm. II. p. 95.* antiqui moris his meminit verbis: So hat man auch die Prediger also beruffen, daß wenns einem Part gefiele, so möchten sie es einander ein halb Jahr zuvor aufkündigen, und der Prediger wieder davon ziehen. Machte es ihnen der Prediger nicht, daß es ihnen gefiel, oder gefiel es dem Prediger nicht, so könten sie alle halbe Jahr geschieden werden. Addit, primum fundatorem bibliothecæ ad B. M. V. huius loci anno 1560. caussam huius fundationis impulsiuam hanc constituisse: Er sey dazu bewogen worden, etliche Bücher dazu zu verehren, und ferner dazu zu samlen, daß weil mancher Prediger nicht gewust, ob er ein Jahr oder ein halb Jahr hier seyn würde, hätte er, seine Bücher hieher zu schicken, die Unkosten nicht daran wenden wollen, und wäre offt grosser Mangel an den nöthigen Büchern vorgefallen; vnde in propatulo est, nec hunc morem post reformationem *seculo XVI.* desiisse.

Olim sæpe officia reuocabiliter sunt collata.

§. CXXXI. Sed ad specialia progrediar, & obseruo, (1) olim quandoque ministros ecclesiæ vocatos fuisse sub clausula *beneplaciti.* Tale ius olim exercuit magistratus huius loci in constituendo parocho *hospitalis S. Cyriaci*, vi iuris patronatus, quod præpositus *noui operis* prope Halam, vt archidiaconus banni Hallensis, confirmauit id charta *de anno 1343.* in vesperis Walpurgi sacris: Wie Herr Diderick von de Gnade Godes Provest des Goddes Huses tu dem Nienwercke bj Halle, bekennen vpen licken - ock hebben die Bürger unsern Willen, das sie in dat Spittal mögen setten einen Priester, swie de behaget - - Unde dieselve Priester die scholl von uns die Gewalt und die Visorge entpfahen. Wer ock, dat den Bürgern die Priester nicht behage, so mögen sie aber einen andern in dat Spittal setten, swen sie willen, deme sollen wie dieselben Gewalt und Visorge legen und befehlen glicker Wise alse dem ersten. Sequente anno hoc denuo confirmatum, atque ciuibus hoc ius datum, vt capellam teneant ledig und frey, und solten sie befehlen einen Priester, wie ihnen allerbeheglig ist, und derselbe solle der Capellen vorstehen, dieweil er den Bürgern beheglich ist, denselben solte die Visorge befohlen werden, alsso dicke, alss die Bürger wolten. Proinde, cum anno 1476. præpositus in literis

Quidam 1) sub clausula beneplaciti, (a) quoad parochum hospitalis S. Cyriaci huius loci.

ris inuestituræ, vocato pastori NICOLAO TYCHMANNO datis, hac vsus esset formula: daß dessen *antecessor* dieses Pfarr-Amt *libere resigniret*, senatus censuit, hanc iuri, libere mittendi hunc pastorem, fraudi fore, & per indirectum eidem plenum & irreuocabile ius in capellam & eius reditus attribui, adeoque protestationem interposuit, atque obtinuit, vt ea emendata fuerit hoc modo: Daß der Capellen und ihren Zinsen und Freyheit niemand denn der Rath zu thun hat, und nehmen einen Prediger nach dem andern auf, und geben dem wieder Uhrlaub, wenn sie wollen. Verum non tantum hoc iure in capella, sed etiam in aliis huius loci ecclesiis, iuri patronatus sibi subiectis, vt *B. M. V.* & *S. Mariæ Magdalenæ*, vsus est magistratus virtute transactionis anno 1509. cum Præposito IOANNE PALSIO initæ, vt sacerdotes harum ecclesiarum *pro lubitu* & *ad beneplacitum* dimittere possent.

(b) ratione aliarum ecclesiarum huius loci.

(c) Quoad ecclesias Augustæ Vindelicorum.

§. CXXXII. Recentius exemplum suppeditat *Augusta Vindelicorum*, in qua ministri verbi diuini hac formula & Cæsarea commissione *anno 1649. d. 30. Martii* roborata, & in *theatro Europæo tom. VI. p. 761* relata, sese obstringere iussi sunt: Ob ich aber woll ermelten Herrn Stadt-Pfleger Augspurgischer Confeßion über kurtz oder lang zu einem Priester oder Kirchen-Diener nicht mehr gefallen, und dieser oder andern Ursachen halben des Diensts entlassen würde, welches zu thun, Ihre Herrl. iederzeit gute Macht und Gewalt haben, soll ich dasselbe Uhrlaub ohne Widersprechen annehmen, und darauf tugendlich abscheiden, doch solle mir noch eine halbe Jahrs-Besoldung gereichet und gefolget werden: wie ich mich auch hergegen, Uhrlaub zu nehmen vorbehalten habe, doch daß ich nach solchem Uhrlaub nehmen noch ein halb Jahr hernach, (da mans von mir begehrt) obbemelter gestalt und umb die vorige Besoldung zu dienen schuldig, oder da man solches nicht begehrt, mir (wie obgemeldt) eine halbe Jahres-Besoldung hernach erlegen und bezahlen solle. Hæc potestas libere mittendi pastores huic ciuitati liberæ imperiali reseruanda fuit, quod hoc vinculo in officio & obsequio continerentur, caueretur que, ne sacrum affectarent principatum, ad quem exercendum post *reformationem*, iure sacro supremo non sufficienter euicto, olim procliues non raro fuerunt. Quocirca si præter spem sese publicis negotiis ingerere & imperium sacrum exercere cupiebat minister ecclesiæ, honeste dimitti poterat, ne alioquin detrimentum res publica caperet. Præterea vtraque religio in hac ciuitate imperiali viget, adeoque præcauendum, ne ministri ecclesiæ in licentiam dissentientes

Cuius ratio euoluitur.

conui-

conuiciis proſcindendi erumperent, & inde turbas in ciuitate darent, quod ipſa formula plenius declarat. Declarationem tamen quandam, adiuncta proteſtatione, exhibuit eo tempore reuerendum miniſterium Auguſtanum Præſidi A. C. ciuitatis, quæ circa tria momenta verſatur, & præſentem quoque cauſam concernit, atque huius tenoris eſt:

Declaration der Herren Prediger *A. C.* zu Augſpurg, die *Subſcription* Ihres *Revers* betreffend.

Wir geſambte Prediger A. C. der Zeit in Augſpurg, bekennen hiermit und thun kundt männiglich mit dieſem offenen Brieff, demnach wir zwar in der guten Zuverſicht und erfreulichen Hoffnung geſtanden, es ſolte durch die allhieſige Mutationes in Ecclesiaſticis unter andern auch unſerm vor dieſem üblichen Revers eine Moderation oder milde Correctur zu erheben geweſen, oder wir doch auf das allerwenigſte bey dem alten Formular, (in welchem enthalten für eins, daß die Herren Stadtpfleger im Nahmen und an ſtatt eines gantzen Raths die *Prædicanten* beſtellet und angenommen; Desgleichen, wo einer den Herren Stadtpflegern und Geheimbden oder einem Ehrſamen Rath zu einem *Prædicanten* und Kirchen-Diener nicht mehr gefallen, und des Dienſtes entlaſſen werde ꝛc. Am andern auch dieſe Worte: Und weilen in der Stadt Augſpurg beede die alte Religion und Augſpurgiſche *Confeſſion* gehalten werden ꝛc.) gelaſſen worden ſeyn, und aber ſolches auf unterthäniges Anſuchen und inſtändiges Bitten nicht geändert werden können, ſonderen wir diejenige Formulam von uns zu geben angehalten wurden, welche uns aus dem Executions-Receſs und wie dieſelbe mit den Herren Catholiſchen verglichen, fürgeſchrieben worden: als haben wir ſelbige endlich um Fürkomm und Abwendung beſorgender Inconuenientien willen, zu würcklicher Bezeugung unſers ſchuldigen Gehorſams und Reſpects gegen den obrigkeitlichen Befehlichen, bevorab es von etlichen vornehmen Theologis, auch der geſambtl. Evangel. Ständen Hochanſehnl. Abgeſandten zu Nürnberg durch ein abſonderlich an uns abgegangenes Schreiben für rechtſam erachtet, gefertiget. Doch auf die von denen Wohl-Löbl. Evangel. Herren Stadtpflegern und Geheimbden, unſern gebietenden großgünſtigen Herren und Obern, uns beſchehener Erläuterung, nämlich was berührten erſten Puncten betrifft, daß es die Meynung niemahls damit gehabt, daß der Evangeliſche Herr Stadtpfleger einen Prediger vor ſich und alleine zu beſtellen und anzuneh-

anzunehmen, oder *citra legitimam causæ cognitionem* ohne Inziehung wenigst der beeden Herren Geheimbten, zu *licentiiren*, sich unterwinden solle oder werde. Weilen auch ferner anlangend die Terminos alte Catholische Religion, diese Declaration dabey gethan worden, daß sie mehr hochgedachte unsere Herren und Obern, so wenig, als wir, durch solche Wort die Päpstische Religion für die rechte wahrhaffte Religion verstanden und verstehen: Also haben wir bey dem andern anrührend die Worte: Alt Catholische Religion feyerlich protestiret, declariret und bedinget, protestiren, declariren und bedingen auch hiemit, und in Krafft dieses solennissime bester, gültigster Form, als solches immer zum nützlichsten, zierlichsten, kräfftigsten und beständigsten geschehen soll, kan oder mag ꝛc. Geschehen zu Augspurg den 19. Octobris, nach Christi unsers lieben HErrn und einigen Erlösers heilwärtigen Geburt im 1649. Jahr.

M. Joh. Heinr. Faber, Pf. bey S. Ulrich und des Min. A. C. Senior.
M. Joh. Mayr, Aug. Eccl. Eu. ad Minorit. Pastor & Ministerii A. C. Senior.
Leonhardus Fussenegger, Aug. Pastor zu St. Iacob.
M. Thomas Hopffer, ad S. Crucis Pastor p. t. in Colleg. Annæeo.
Christoph Pfautz, Vlm. Past. ad Spr. S.
M. Hardmann CREIDIVS, Diac. ad D. Annæ.
M. Philipp Heinrich Weber, Archidiac. zu den Barfüssern.
M. Joh. Jac. Christmann, Diac. ad S. Iacob.
M. Joh. STEVDNERVS, Diac. bey St. Ulrich.
Joh. Georg Stierle, Diac. ad S. Crucis.
M. Joh. Conr. GOEBELIVS, Diac. Minorit.
M. Christ. EHINGERVS, Diac. Minorit.
M. IACOBVS VOGELIVS, Diac. Minorit.

Wir Kyrchenpfleger und Adiuncten A. C. bekennen mit unserer eigenhändigen Subscription und fürgedruckten Pettschafft, daß obstehende E. E. Ministerii Protestation und Declaration des Herren Stadtpfleger Leonhard Weissens Herrl. præsentiret, von Ihme auch acceptiret, und den Kyrchen-Actis beyzulegen angenommen worden. Beschehen den 19. Octobr. A. 1649.

(L. S.) Jeronimus Sulzer, der Aelter. (L. S.) Gabriel Müller.
(L. S.) Otto Lauinger. (L. S.) Johann Jacob Müller, der Aelter.
(L. S.) Daniel Buraucr. (L. S.) Georg Lotter.

§. XXVIII.

§. CXXXIII. Quandoque etiam (II) ministri ecclesiæ vocati sunt *sub reseruatione faciendæ resignationis*, auf eine halbjährige Aufkündigung, æque vt in *secularibus officiis* fieri solet. Hac sub formula Elector Brandenburgicus IOACHIMVS vocauit D. GEORGIVM CAELESTINVM, eique munus *sacerdotii aulici* anno 1564. contulit his verbis: Und soll Uns, dem Churfürsten zu Brandenburg, frey stehen, die Wir mehrgedachten Ern Dn. Cælestinum nicht länger bedürffen, oder haben könten, daß wir ihm seinen solchen Dienst und Bestallung ein halbes Jahr zuvor auffkündigen lassen wollen. Deßgleichen wo es seine Gelegenheit an bemelten Ort und Dienst länger unser Hoffprediger nicht zu seyn oder aber bey den unsern oder andern fernere Ausbreitung göttliches Worts durch ihn beschehen möchte, soll ihm auch frey stehen, Uns solches ein halb Jahr zuvor aufzukündigen, uns beyderseits darnach zu richten, und in solcher halber Jahres Frist in andere Wege zu versehen ꝛc. Cöln an der Spree 1564. Literæ integræ habentur *in collect. opuscul. histor. Marchicam illustr. P. IX. p. 167.* Pari ratione Dux Brunsuicensis IVLIVS sub eadem formula D. TIMOTHEVM KIRCHNERVM in Academia Iulia professorem constituit, sed rursus anno 1579. dimisit, in literis dimissoriis his vsus verbis: Thun euch eure vollständige Loßkündigung nach dem Buchstaben der Bestallung, wo vermag der Buchstab, ein halb Jahr zuvor einander aufzukündigen. Vid. LEUCKFELD *in antiquit. Gandersheim. c. XXVI. p. 315.* Anno 1581. D. IOHANNES OLEARIVS, Superintendens & pastor primarius *ecclesiæ B. M. V.* vocatus est, hoc inito cum octouiris & administratoribus huius ecclesiæ pacto: Würde sichs auch zutragen, daß der Herr Doctor seiner Besserung nach sich von hier begeben wolte, oder auch die Kirch-Väter und Acht-Männer das Pfarr-Amt in andere Wege zu bestellen Uhrsach hätten, welches denn einem ieden Theil vorbehalten ist, so soll ein Theil dem andern solches zur Nachrichtung ein viertel Jahr zuvor ankündigen ꝛc. Formula hæc desumta est ex *actis reuer. minist. Hall.* sub tit. Bestallung der Ober-Pfarrer.

(2) Reseruata libertate resignandi.

§. CXXXIV. Denique (III) etiam ad *certum tempus* officia sacra quandoque collata sunt. Huius collationis temporariæ hic fuit effectus 1) vt ante tempus finitum nec discedere, nec mitti potuerit minister ecclesiæ, sed vtrinque finis vocationis exspectari debuerit: 2) vt finito tempore libere mitti potuerit aut discedere, nisi 3) ad certos annos de nouo collatio sacri muneris prorogata fuisset. DAVIDEM CHY-

(3) Ad certum tempus.

Exemplo Chytræi.

CHYTRAEVM a Duce Megapolitano ad aliquot annos professorem theologiæ in academia Rostochiensi constitutum fuisse, commemorat SCHVTZIVS *in vita eius lib. 1. §. 20. p. 87.* quæ res effecit, vt vocatus ad academiam Heidelbergensem anno 1554. stationem suam relinquere haud potuerit. Ait SCHVTZIVS: *Sed, quo erat candore & in promissis seruandis constantia, non poterat fidem principi suo semel datam, (qua sesquiannum adhuc Rostochiensi scholæ alligatus erat) temere fallere, nec profundere gratiam principis, qui hactenus nil quicquam defuerat in se ornando, rebusque suis quouis modo iuuandis. Enimuero & hoc illo seculo moris fuisse, vt doctores ecclesiarumque ministri* AD CERTVM *tantum* TEMPVS *sese addicerent, quo elapso libuit vel discedere aliorsum vel inita noua conuentione in statione perseuerare, innumeris exemplis probari posset, si e re foret. Quantumuis igitur tempus, cui se adstrinxerat, propemodum effluxisset, noluit tamen Heidelbergam abire cum optimi sui principis indignatione, certo certius secutura.*

Heshusii,

TILEMANNVM HESHVSIVM anno 1560. Magdeburgum ad sacrum munus in ecclesia D. Iacobo dicata obeundum vocatum fuisse, refert LEVCKFELD *in historia Heshusiana p. 21.* sub hac clausula: Und ist diese Bestallung von uns zu beyden Theilen auf drey Jahr lang von nechst künftigen Michaelis, nach dato anzufangen, bewilliget und beschlossen, dergestalt, daß vor Endigung itzt berührter dreyer Jahren sich beyde Theile eines gegen den andern ein halb Jahr zuvor seines Gemüths ferner erklähren solle. Transacto hoc tempore, vix ad biennium continuauit hoc officium, vocatus ad aulam Neuburgensem Comitis palatini WOLFFGANGI *anno 1565. d. 10. Iun.* In literis vocationis hanc deprehendi clausulam: Im Fall auch uns und ihme, Doctori Tilemanno, über kurtz oder lang dieser sein Dienst nicht mehr gelegen seyn würde, so soll ieder Theil dem andern ein Viertel Jahr zuvor solches aufkünden, vt acta loquuntur edita a IO. IOACHIMO MVLLERO im entdeckten Staats-Cabinet, in der fünfften Eröffnung *cap. 3. pag. 127.* Nec tamen caruit contradictione dimissio post aliquot annos ab eo *vi huius pacti* postulata. Etenim anno 1569. denuo vocatus ad professionem Theologicam in Academia Ienensi obeundam, suoque iure vsus resignationem fecit, idque mox indicauit serenissimo duci Saxoniæ, hac tamen adiecta conditione: Daß ich vermöge meiner ietzt noch währenden Bestallung zu dienen verbunden, biß auf Matthäi Apostel, welcher seyn wird den 11. Sept. Hac de causa dux Saxoniæ, absente comite Palatino, ad eius filios scripsit, petiitque, vt ante tempus

tempus mitteretur, qui tamen in literis *anno 1569. d. 27. April.* datis, ostenderunt, se, inscio patre, hac in re nihil decernere posse. Nihil ergo supererat, quam vt discessus eius vsque ad tempus prædictum suspenderetur, quo adueniente denuo missionem petiit, sed frustra; iniunctum enim HESHVSIO fuit, vt stationem suam non desereret, nisi iustas mutationis faciendæ causas adferre posset. Noluit vero easdem indicare, quas etiam absque obstaculis nouis adferre haud licuit, adeoque simpliciter se in prædicta clausula fundauit, & quidem non sine ratione, quod vtrique hæc facultas resignandi simpliciter reseruata fuisset. Cum vero, his non obstantibus, nihil impetraret, in literis *d. 19. Aug. 1569.* mentem suam serenissimo duci Saxoniæ exposuit, allegando, se etiam sine *dimissione* discedere locumque mutare constituisse, quod & fecit, arbitratus, se *dimissoriis literis* non indigere, postquam fidem datam in omnibus impleuisset, nec *iure subiectionis* munus *sacerdotis aulici* suscepisset, sed aliunde, vt extraneus, vocatus cum serenissimo comite palatino pactum *mutuæ resignationis* libere & sponte iniisset, quam differentiam inter *subditum* & *extraneum* etiam supra obseruaui. Memorat pariter B. HEINECCIVS in der Reformations-Historie der Stadt Halle *§. 29.* IVSTVM IONAM, professorem theologiæ Vitebergensem, anno 1541. a senatu huius loci ad verbi diuini ministerium ad *aliquot hebdomadas* obeundum, h. e. a paschate, vsque ad pentecostem; post ad *quatuor annorum* spatium huc vocatum; anno 1544. denique perpetuæ prouinciæ *superintendentis* præfectum fuisse. Senatum Stasfurtensem adhuc anno 1580. ministris ecclesiæ tantum ad *aliquot annos* curam ecclesiarum demandasse, liquet ex *consilio ministerii Brunsuicensis*, consulti: Ob eine Kirche oder eine Obrigkeit auf einen Prediger dringen könne, daß er sich auf gewisse Jahre zum Predigt-Amt bestellen lasse? apud RETHMEYERVM in der Braunschweigl. Kirchen-Historie *P. III. in documentis subiectis ad c. VIII. n. 99. pag. 345.* id quod theologi Brunsuicenses admodum dissuaserunt. Nec consistorium supremum Dresdense patronorum vocationem auf halbjährige Loß-kündigung amplius admittere voluit, ceu docet rescriptum *de anno 1632.* apud CARPZOVIVM *in iurispr. eccles. lib. I. defin. 41.* simulque declarat, adhuc tempore hoc istum morem in Saxonia superfuisse, quamvis tandem abolitum. Ipse CARPZOVIVS talem vocationem itidem improbat, sed ex rationibus, quæ vnice *remotioni* propriæ sunt, *honestam* autem *missionem* non tangunt, quæ duo tamen admodum differunt. Sicuti enim talem vocationem, quæ ad *temporarium officium sacrum*

Iusti Ionæ.

Quamuis talis vocatio a quibusdam improbata fuerit.

Non satis solide tamen.

crum obeundum fit, non fimpliciter repudiandam effe cenfet B. SPENERVS *P. I.* der Theol. Bedencken *c. 2. art. 2. fect. 21. p. 560. fq.*: ita iuftæ rationes vocationem: auf eine halbjährige Loßkündigung, fuadere poffunt, vt eo facilius dimitti minifter ecclefiæ negligens, rixofus, vel officii fui limites ad publica extendens, fefeque vbique ingerens, vnde non poffunt non infinita emergere mala. Vid. *acta ecclefiaftica vol. IV. pag. 258. fqq. & vol. IX. pag. 736. fqq.* Supra docui, quod infinitis obftaculis remotio clericorum obnoxia fit, quæ tamen fuperari facile poffent, fi miffio fenatui vel aliis patronis fuo modo, ad minimum cum præfcitu confiftorii, integra effet.

TIT. XXXVIII.
DE
POENITENTIIS ET REMISSIONIBVS.

§. I.

Pœnitentia in pœnam proprie dictam degenerauit.

Titulo præcedente *§. 6.* obferuaui, pœnitentiam quoque *pœnis* annumerari *ecclefiafticis*, quas *medicinales* vocant, quamuis fimul oftenderim, delinquentes fimul ad pœnitentiam agendam iure recentiori cogi poffe, & quidem clericos per *detrufionem in monafterium*; *c. 10. X. de iudic.* laicos vero per *excommunicationem*, vt hac adhibita coactione in veram degenerauerit pœnam. Præterea quoque *§. 25. & 26. praeced.* ftatum pœnitentium in eo pofitum fuiffe dixi, quod adhuc plena communione fidelium priuati nec plene reftituti, adeoque quodammodo adhuc cum *excommunicatis* collati fuerint, quod etiam *tit. fq. §. 15. fqq.* docui. Sicuti autem excommunicatio grauiffima pœna ecclefiaftica eft, ita & *pœnitentia*, olim tantum eiectis indicta. Inde vero in propatulo eft, quam ob caufam RAYMVNDVS, propofita *tit. praeced.* generali doctrina *de pœnis*, hoc titulo tranfitum fecerit ad *pœnitentiam* & *remiffionem* eius, quæ æque in *pœnis* locum fibi vindicat. Egregie præ ceteris hanc doctrinam ex antiquitatibus expofuit IO. MORINVS *de adminiftratione facramenti pœnitentiæ*, cui iungendus quoque IACOBVS SIRMONDVS, e Societate Iefu presbyter, in opufculo *de hiftoria pœnitentiæ publicæ*, in quo plura genuinæ antiquitatis momenta magna animi ingenuitate profert. Scripfit etiam DIONYSIVS PETAVIVS eiusd. focietatis fodalis *ad haeref. 59.* EPIPHANII *diatribam de pœnitentiæ*

Inde nexus huius tituli.

Autores, qui hanc materiam illuftrarunt.

vetere

vetere in ecclesia ratione, quamuis plura in hac detorquere conetur ad vsum ecclesiæ recentioris. Accuratior in antiquitatibus huius disciplinæ detegendis IOSEPHVS BINGHAM *vol. VIII. origin. siue antiquit. eccles. lib. XVIII.* qui rationem eius priscam præ ceteris optime & secundum veritatem tradidit, vt paulo penitius legi mereatur. Contra recentiorem doctrinam de *auriculari confessione* plenis velis pugnauit IO. DALLAEVS *in tr. de sacramentali siue auriculari confessione Latinorum.* Contra hunc tamen calamum strinxit NATALIS ALEXANDER *in histor. eccles. seculi XIII. & XIV. dissert. XIV. p. 597. sqq.* & iuxta mentem ecclesiæ Romanæ acriter propugnauit dogma, quod iure diuino *sacramentalis confessio* sit necessaria illis, qui post baptismum in mortale peccatum incidunt. IACOBVS BOILEAV *in historia auricularis confessionis*, anno 1683. edita, eundem tenuit scopum, & DALLAEVM critice & historice refutare studuit, quod, cum sacerdotalem autoritatem & potestatem mirifice hoc dogma augeat, totius hierarchiæ intersit, illud omnibus defendere & retinere modis. Verum quæ his hypothesibus opponi queant, magna cum libertate exposuit Dn. PERTSCHIVS in tr. Germanico vom Recht der Beichtstühle, darinnen der Ursprung und Fortgang der geheimen Beichte aus denen Kirchen-Geschichten gezeiget wird, &c. vbi etiam *de iure Protestantium* circa hanc confessionem agit, & iura eius ex *canonico iure* enucleat. E nostratibus quoque IO. BARTHOLDVS NIMEIERVS, professor quondam in alma Iulia non incelebris, quatuor dissertationibus *de disciplina ecclesiastica* egit, quorum *tertia* & *quarta* præcipue hoc argumentum illustrat. Quæ ad primam eius originem, rationem, & processum spectant, ipsemet succincte exposui *in dissert. iur. eccles. antiq. ad Plin. II. & Tertull. diss. 3. §. XXIII. sqq.*

§. II. AMBROSIVS *in c. 1. de pœnit. D. 3. pœnitentiam* esse ait, *& mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Verum sicuti pœnitentiam diuidunt in duas species, *internam*, quæ theologicæ considerationis est, & *externam*, quam *sacramentum* scholastici dixerunt; ita de hac potissimum hic sermo est, quatenus ad penum *iuris ecclesiastici* referri debet, quæque varios effectus iuridicos producit. *Externa* vero dicitur, quod variis *externis actibus* peragatur, veluti *externa contritione*, *oris confessione* seu *exomologesi*, *satisfactione* iniuncti operis, & *absolutione sacerdotali*, quæ quatuor dicuntur absoluere *sacramentum pœnitentiæ.* Et de hac accipiendus est AVGVSTINVS in *c. 4. de pœnit. D. 5.* aiens: *pœnitentia est quadam dolentis vindicta, puniens*

Definitio pœnitentiæ Ambrosii,

Augustini, quatenus externa est,

niens in se, quod dolet commisisse. Respexit ad *labores pœnitentiales,* quibus se affligebant per stata tempora pœnitentes, & sic vindictam de semet ipsis sponte sumebant, atque in se quandam stabuebant pœnam, vt eo promtius restitui possent in integrum. Ex *mente* itaque & *vsu antiquæ ecclesiæ* nihil aliud erat, quam *dolor animi externe declaratus cum detestatione delicti commissi, & confessione oris, vel publice vel coram sacerdote sponte facta, coniunctus, hac intentione susceptus, vt, satisfactione imposita peracta, absolueretur a peccatis, in ecclesiam læsam commissis, & sufficienter probatus in pristinam communionem, a qua exclusus, restitueretur.* Ad palatum omnium non fore hanc definitionem, facile præuideo, maxme iuris canonici interpretum; sed cogitandum est, me non sollicitum esse de *scholasticorum* corrupta doctrina, sed præmisisse, me ex *mente* atque *vsu antiquæ ecclesiæ definitionem* traditurum esse.

Definitio ex mente primitiuæ ecclesiæ.

§. III. Vt ergo hæc definitio ex *mente* & *vsu* primitiuæ ecclesiæ illustretur, sciendum est, hanc disciplinam in sacris non determinari, vt succincte ostendi *diss. III. ad Plin. secund. & Tertull. §. 10. sq.* prolixius autem Dn. PERTSCHIVS vom Beichtstuhl *c. 1. & 2.* & ita *sacramentum pœnitentiæ* in sacris non esse fundatum, vt plena manu Theologi nostri contra ecclesiam Romanam ostendunt. Id ipsum quoque docent natales huius *pœnitentiæ externæ, §. 37. tit. præced.* vel binis verbis tacti, plenius autem expositi *cit. diss. III. §. 23. sqq.* Ea videlicet sanctitate exculta fuit religio christiana, vt criminibus se maculantes a suis arcerent sacris, & ecclesiam a *sceleratis* & potissimum *lapsis, mœchis* & *sanguinem fundentibus,* purgarent, quo ipso prorsus alieni erant ab omni commercio sacrorum, & communione ecclesiastica, & quidem (α) *vniuersaliter,* vt ab vna ecclesia eiecti, ab aliis non reciperentur: (β) *in perpetuum,* nisi denuo ab *ecclesia eiiciente* essent post diuturnam probationem recepti. Falsum esse, iam dixi *tit. præced. §. 37.* ideo eiectos fuisse delinquentes, vt cogerentur ad *pœnam pœnitentiæ* subeundam. Etenim qui in peruersitate sua subsistebant, eos ecclesia prisca suæ duritiæ indulgere patiebatur, vicem eorum tanquam errantium ouium & iam prorsus alienorum a sacris suis grauiter dolens; quos autem *detestatio criminis* commissi tangebat: quos mœror summus ob *eiectionem* affligebat, & cogitatio intimior, quod in tantum deliquissent, vt ab omni sacro commercio relegari debuerint, macerabat, hi ad *veniam postulandam* ab ecclesia, quam læserant crimine commisso, quod in receptione per baptismum eiurauerant, pronissimi erant, atque lacrymis multisque precibus cum ea agebant, vt iniuriam, contra fidem datam ecclesiæ illatam, remit-

In sacris non determinatur externa pœnitentia.

Quod natales huius moris docent.

Sponte suscepta pœnitentia ab eiectis,

remitteret, & emendatiores factos tandem in pristinam sed amissam communionem reciperet. Aequum enim erat, 1) vt, quia fidem in receptione datam fregerant, hanc iniuriam ante omnia publice agnoscerent: 2) deprecarentur: 3) & remissionem illius ab ecclesia, anxie desiderarent. Necesse vero a *parte ecclesiae* erat, 4) vt ante omnia ex apertis documentis cognitum haberet, lapsos ad frugem rediisse, adeoque 5) diuturnior probatio praemittenda erat, ne praecipitanter hypocritae reciperentur. Atque in hac *probatione*, paulisper per canones tum quoad *modum*, tum quoad *tempus* determinata, 6) *satisfactio ecclesiae* collocabatur, quam iuste exigebat, sicuti a quouis laedente, qui cum laeso in gratiam redire serio intendit, haec iuste postulatur, vt inposterum ab eius violatione immunis & securus sit. Denique 7) aequum quoque erat, vt si tandem eiectus recipiendus esset, id fieret consensu illius ecclesiae, quae delinquentem a se abegerat communi consensu.

vt rursus ab ecclesia, vnde eiecti erant, reciperentur.

§. IV. Hoc fuit systema *antiquae poenitentiae externae*, adeoque non *poenam*, sed *medium, sponte electum*, constituebat, restitutionem in integrum impetrandi, & reditum sibi parandi ab ecclesia, vnde eiectus erat. Quocirca (I) nemo ad poenitentiam, pedetentim per canones determinatam, subeundam cogi poterat, sed petentes & anxie postulantes seu pulsantes ad fores ecclesiae ad eam demum admittebantur. Adhuc *seculo VI.* hac mente fuit ecclesia, vt demum *petentibus* aditus ad hoc *beneficium*, per quod restitui poterant in integrum, aperiretur. Etenim in *concilio Agathensi c. 15.* anno 506. celebrato apud HARDVIN. *tom. II. concil. pag. 999.* disertis dicitur verbis: *Poenitentes tempore, quo poenitentiam* PETVNT, *impositionem manuum & cilicium super caput a sacerdote, sicut vbique constitutum est, consequantur.* (II) Nequidem indistincte his, qui fores ecclesiae pulsabant, & poenitentiam postulabant, haec gratia, & beneficium patebat, sed quidam prorsus repellebantur, & sic in perpetuum exclusi & eiecti manebant, vt *tit. praeced. §. 38.* cuictum, & a SIRMONDO *in histor. poenit. publ. c. 1.* & PETAVIO *cit. l. p. 227. sqq.* illustratum. (III) Non alii hoc medium eligere necessum habebant, quam *desertores & eiecti*, quippe qui demum recipi poterant, quod hac poenitentia intendebatur, vt *dissert. III. ad Plinium & Tertull. §. 30.* demonstraui. Quocirca in *concilio Agathensi cit. l.* notanter dicitur: poenitentes, *nisi digne poenituerint, non* RECIPIANTVR; certissimo indicio, eiectos tantum ad hanc salutis recuperandae anchoram fuisse admissos. (IV) Catechumeni, nondum in ecclesiam recepti, delinquentes, ab ea immunes erant, quia recipi non poterant, qui non erant in fraternitatis iura admissi,

Inde 1) petebat eiectus, se admitti, ad poenitentiam iam determinatam, non cogebatur,

2) Ne quidem omnes ad eam admittebantur,

3) Tantum eiecti & desertores ad eam confugiebant.

non catechumeni,

ob crimina publice nota, non occulta. missi, vt probaui *cit. diss. §.30.* (V) Tantum ob crimina grauiora & publice cognita eiectio decernebatur, atque inde quoque hæc pœnitentiæ publicæ via illis amplectenda erat, qui in hoc luto sese volutauerant, vt liquido monstrat SIRMONDVS *cit. l. c. 2. & 3.* (VI) Inde quoque vetabant canones, ne ob *delicta occulta* pœnitentiam quis necessario subiret, quod in his *exclusio* cessaret, & sic quoque medium ad ecclesiam reuertendi, vt cum SIRMONDO *cit. l. c. 4.* ostendi *cit. diss. III. §. 34.* Neque enim in ea opinatione erant, delicta non aliter a DEO remitti posse, nisi sacerdoti alicui confessa & manifestata, & ab eo remissio peccatorum impetrata fuisset, quod dogma inuentum est recentiori æuo, & multum ad firmandam hierarchiam & sacerdotii autoritatem augendam attulit.

Tota ecclesia in receptionem consentiebat. (VII) Venia & absolutio a *tota ecclesia*, quæ eum eiecerat, petenda, quippe quæ læsa erat, adeoque etiam hæc in *receptionem* delinquentis consentire debuit, quod *cit. diss. §. 44. 45.* euici, quæ nonnunquam non sine graui difficultate ad hanc gratiam concedendam inducebatur, vt CYPRIANI *tit. praeced. §. 39. in f.* verba relata testantur.

Absolutio fiebat ecclesiæ intuitu, (VIII) Atque inde hæc *absolutio* a peccatis non fiebat intuitu *DEI*, qui iam dudum serio pœnitenti hæc remiserat, sed intuitu *ecclesiæ*, cui satisfaciendum erat, vt *§. 51. cit. diss. III.* docui.

Cui satisfaciebat. (IX) Peracta hac *externa pœnitentia publica*, satisfactionem ecclesia læsa accepisse dicebatur, iuxta ea, quæ *§. 57. cit. diss.* dixi, non DEVS, cui per *meritum Christi infinitum* ad præcedentem *seriam pœnitentiam internam* satis fit. (X) Ipsa itaque *pœnitentia* fuit *publica*, per exomologesin, deprecationem, detestationem, aliaque mentis emendatæ argumenta explicata, quod tantum ob *crimina publica* ab eiectis suscepta fuerit per gratiam ecclesiæ.

Pœnitentes adhuc exclusi erant. (XI) Durante hac pœnitentium statione, quæ sæpe ad aliquot annos protrahebatur, & in *concilio Eliberino* specialius iam quoad tempus definiri cœpit, *pœnitentes a communione plena* adhuc exclusi erant, nondum restituti in iura fraternitatis plenarie, vt dictum *tit. praeced. §. 26. & tit. sq. §. 20. sq.*

Arcana confessio deerat. (XII) Deerat itaque *arcana confessio* seu *auricularis* in criminibus in latebris commissis, & nemo ad eam adstringi poterat, quod integra communione ecclesiastica adhuc frueretur, & semet ipsum ab illa excludere nemo cogendus esset, vt recte BINGHAM *in orig. seu antiquitat. eccles. vol. VIII. lib. 18. c. 3. §. 2. sqq.* censet. Quodsi enim hanc duram legem, semet ipsum excludendi a communione ecclesiæ ob commissa occulta facinora, imposuissent delinquentibus, & hi pœnitentiam ambiissent, necessario in ea fuissent sententia, crimina sine exclusione a cœtu fidelium & subsecuta per *pœnitentiam publicam* receptione atque obsolutione a DEO remitti

mitti non posse, quod ab omni veritate alienum est. Dictum enim, quosdam ab omni exclusos pœnitentia, & nunquam plenarie receptos, quos tamen non excludebant a gratia & venia misericordissimi DEI, vt *cit. l.* BINGHAM *§.* 3. recte docet, simulque argumentis DALLAEI illustrat, & egomet *cit. diss. III. §.* 50. docui. In Africanis ecclesiis post primam pœnitentiam *secundæ* locus non erat, nec bis ad eundem. Quis autem negaret, hunc denuo lapsum a Deo veniam non potuisse sperare, & per CHRISTVM impetrare? (XIII) Certior & securior erat absolutio & venia a Deo per CHRISTVM pœnitenti indulta, quam iudicio ecclesiæ decreta, quæ sæpe fallere poterat, quod nemo sanus negabit. Ex his vero omnibus liquet, *pænitentiam externam* fuisse *gratiam* & *beneficium*, vnice eiectis indultum, quo mediante reuertebantur ad idem limen, quod amiserant; non vero genus *pœnæ*, vel *censuræ*, quam formam demum pedetentim, vbi quoad *modum* & *tempus* determinari cœpit, induit, admodum deprauatam in corruptiori ecclesia, quo quæuis saluberrima antiquitatis purioris instituta in peruersum & feculentum sensum tracta & transmutata sunt.

Hæc absolutio fallere poterat.

Nec pœna in se erat.

§. V. Interim moniti IACOBI *c. V. v.* 16. memores *confessionem arcanam* seu *priuatam* commendabant quandoque, quod apostolus adhortaretur singulos: *confitemini alii* ALIIS OFFENSAS, *& precamini alii pro aliis; multum enim valet deprecatio iusti efficax.* Ridiculi sunt, qui hunc locum ad *confessionem auricularem bannariam* trahunt, quo vnice admonentur *offendentes*, vt *offensam in alios commissam* agnoscant, atque illis confiteantur; non vero, vt (a) sacerdoti vncto, vel (b) parocho, & quidem (c) *omnium peccatorum* & *reatuum* fiat reuelatio accuratissima, secundum *specificationem*, more forensi, & vt (d) ab eo *absolutio* humillime petatur, ille vero (e) *satisfactionem* quandam in compensationem huius debiti imponat confitenti, & tunc (f) illi *vice Dei* peccata remittat. Citius sine dubio ex pumice oleum, quam hæc artificialiter excogitata *confessio auricularis* ex loco adducto extorqueri & trahi posset. Veniam postulare a fratre læso præcipit etiam CHRISTVS *Matth. V,* 13. simulque læsum, seu fratrem, *in quem alter peccauit*, admonet sui officii, vt lædentem inducat ad agnoscendam iniuriam, & reconciliationem hoc modo redintegrandam; *Matth. XVIII,* 15., non vero sacerdotem informat, quæ eius partes sint in excipienda imo extorquenda sub *pœna banni ecclesiastici* a peccatore confessione, & enumeratione plenaria omnium peccatorum, sub comminatione, quod non relatorum veniam a Deo sperare haud liceret, quasi *vicarius eius* seu sacerdos id

Commendabant quandoque arcanam confessionem.

Non vero auricularem.

expresse nollet, cuius voluntati etiam *misericordia* Dei subiecta esse deberet. Tam dura lex occulte delinquentibus non erat scripta, sed duntaxat per modum *consilii* admonebantur, vt sponte, non coacte, pro alleuanda sua conscientia medicum idoneum quærerent, cui intima cordis aperirent, eiusque consilio vterentur. Planum hoc redditur ex doctrina ORIGENIS *homil. II. in Ps. XXXVII. tom. I. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semet ipsum & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam: vt ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostendit & misericordem, si quid consilii dederit, facias & sequaris: si intellexerit & praeuiderit, talem esse languorem tuum,* QVI IN CONVENTV TOTIVS ECCLESIAE EXPONI DEBEAT, *ex quo fortasse & ceteri aedificari poterunt, & tu ipse facile sanari,* MVLTA *hoc* DELIBERATIONE, *& satis perito medici illius consilio procurandum est.* Res hæc meri *consilii*, non *necessitatis* erat, adeoque nemo ad *arcanam confessionem* cogebatur, nec adstringebatur, vt semet ipsum publice proderet, & in statum *eiectorum* coniiceret, per pœnitentiam publicam demum recipiendorum, sed ad hoc demum post maturam deliberationem deueniendum. Id etiam fatetur SIRMONDVS *lib. I. c. V.*, docetque, *publicam de occultis pœnitentiam vltro a nonnullis etiam clericis susceptam. Agebant*, ait, *hi quoque cum aliis pœnitentiam, sed volentes, non coacti concessam sibi permissamque ab episcopo, non imperatam.* Interim facilius & sine periculo *confessio arcana* episcopo fieri poterat, quam etiam commendabant, non imperabant; quamuis hoc modo, quia semet ipsos accusauerant, *pœnitentium* numero adscripti, & in statu *eiectorum* erant constituti æque, ac illi, qui ob manifestum crimen a communione expresse exclusi, quod *pœnitentes* restitutione in locum amissum indigerent, cum non alii, quam exclusi, eam peterent. Testis est AVGVSTINVS *in epist. 265. ad Seleucinam tom. II. oper. pag. 898. edit. Paris. Agunt homines pœnitentiam, si post baptismum ita peccauerint, vt excommunicari & postea reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus ecclesiis illi, qui proprie pœnitentes appellantur.* Non poterat ergo non se pro *excommunicatis* agnoscere, qui vltro *pœnitentiam* petebant, nisi quod publice se prodere non cogerentur, & ita infamiæ labem effugerent, vt recte SIRMONDVS addit. Hac de causa in *orientali ecclesia presbyteri confessionarii* constituti, quibus a *volenti-*

In delictis occultis confessio nudi consilii erat.

Magna cum deliberatione suscipienda.

volentibus arcana confessione manifestarentur *occulta delicta;* ast non diu viguit hoc in ecclesia officium, sed sub THEODOSII imperio mox abolitum est, vt BINGHAM *cit. l. lib. 18. c. 3. §. 11. & 12.* docet, quamuis interea singulis integrum maneret, *occulta crimina* episcopo, ad quem hæc causa deuoluta erat, confiteri, & pœnitentiam ab eo petere, vt SIRMONDVS *cit. l. c. 6.* ostendit.

§. VI. Magis magisque tamen hoc, quod ab initio *consilii* erat, declinare cœpit in quandam *necessitatem*, variasque nouas determinationes ac formas accepit, quamuis his, qui ad S. eucharistiam accesserunt, nulla necessitas imposita, *auriculari confessione* omnia peccata sua manifestandi; sed tunc demum, quoties morsibus conscientiæ quis, ad *pœnitentiam* petendam, se obstrictum crederet. Interim tamen nemo adhuc *absolute* cogebatur ad pœnitentiam subeundam. *Episcopi nemini concedebant pœnitentiam, nisi* PETENTIBVS, *& seriam conuersionem præ se ferentibus. Nemo ad eam cogebatur; qui autem se ei non submittebant, conuicti tamen de peccato scandaloso, exclusi erant a cœtu fidelium*, vt ait FLEVRIVS *tom. VIII. histor. eccl. in disc. prælim. §. 8.* Maior necessitas tandem *arcanæ confessioni* addita inde videtur, quod creditum fuerit, peccata nequidem a DEO remitti posse, nisi peracta *pœnitentia externa*, & absolutione sacerdotali secuta, peracto tempore, quod plurimis iam datum erat delictis. In monasteriis, in quibus omnia ad *corruptionem* declinarunt, primum hæc opinio inualuisse videtur, vt nihil frequentius factum nihilque prius atque potius in his olim habitum, quam *auriculari confessione* mentem a labe quorumque peccatorum leuissimorum etiam liberare. Etiam Abbatissæ hæc confessio fiebat, vt autor vitæ S. Burgundifortæ abb. Eborac. *in actis Benedict. Sec. III. P. I. pag. 446.* a MABILLONIO collectis relatus, circa *annum 655.* docet, aiens: *erat enim consuetudinis monasterii, vt ter in die per confessionem vnaquæque earum mentem purgaret, &* QVALEMCVNQVE RVGAM *mens* FRAGILITATE *attraxisset, pia proditio ablueret.* Nihil ergo amplius abscondendum erat in monasteriis; etiam *quotidianæ fragilitates* confessione *arcana* prodendæ, & *qualiscunque ruga leuissima* etiam manifestanda sub lege necessitatis, vnde etiam singulis diebus *trina confessione* opus fuit, id quod iam grauem huius doctrinæ immutationem arguit. Ridicula est *virgarum* disciplina, titulo *pœnitentiæ* quotidie in monasteriis iucundo spectaculo exercita, supra *p. 490.* relata, quæ quotidianam *confessionem* desiderauit. Imo hæc frequentissima audiendarum & faciendarum confessionum praxis monastica adeo monachos commendabiles reddidit, vt

Sed pedetentim in necessitatem tracta.

Non tamen absolute.

Nisi quod in monasteriis doctrina noua inualuerit, quod Deus non remittere peccata, nisi pœnitentia peracta.

Propagata extra monasterium, postquam

monachi ad hoc ministerium assumti

vt eos in sortem ministerii sui quoad *pœnitentiam* adsciscerent episcopi, quod ceteris presbyteris & sanctitate morum, & scientia in hac arte præcellere crederentur, vt obseruat EDMVNDVS MARTENIVS *lib. I. P. 2. de antiq. eccles. rit. c. 6. art. 6. p. 35.* adeo vt reges & principes *proprios confessionarios* ex monachis habere ambierint. Tales *confessionarios proprios* certis personis potentioribus addictos se demum seculo VIII. invenisse ex monachorum sodalitio ait MABILLON. *in præf. ad sec. III. P. I. p. 64. act. Benedict.* exemplisque principum atque illustrium declarat, quæ etiam MARTENIVS *cit. l.* adfert, atque confirmat THOMASSINVS *de vet. & noua eccl. discipl. P. 1. lib. 3. c. 17. §. 7.* His itaque ad confessiones frequentissimas faciendas assuetis, nihil prius nihilque antiquius fuit, quam vt eas *laicis* admodum commendarent, inculcarent, & suaderent, nihil auspicato in sacris vel profanis suscipi posse absque *confessione arcana peccatorum.* Inde (a) quidam in eum accensi pruritum, vt non vni sed pluribus sæpe confessiones facerent, teste MABILLONIO *cit. l. §. 87. p. 65.* quod omnem in eis fiduciam collocarent, crederentque, reiteratione confessionum facta se *opus meritorium* facere. (b) In sacris solennibus, & præcipue in festis frequentes ad confessiones ruere soliti, teste EODEM *cit. l. §. 92. p. 68.* præcipue ante confirmationem, peregrinationem, vitæ monasticæ initium, ante militum initiationem, pugnam, in extremis &c. EODEM *§. 92. p. 68. §. 93. sqq. p. 70. §. 96. sqq. p. 74.* quamuis hæc omnia non necessitatis sed *pietatis* & *arbitrii* visa fuerint. (c) Tota *vita monastica* ad *perpetuam pœnitentiam externam* composita dicebatur, & sic non poterat non *confessionibus frequentissimis faciendis* assuefieri. *Officium plangentis* eam vocauit HIERONYMVS *epist. 53. ad Ripar.* aitque: *monachus non docentis sed plangentis habet officium:* adeo vt insulam Canopum, prope Alexandriam, in qua monachi sedem fixerant, *insulam pœnitentiæ* dixerint veteres, obseruante BINGHAMO *vol. III. lib. 7. c. 3. §. 15. p. 71.* Infinita ieiunia & labores pœnitentiales in ipsis monasteriis suscepti, & monachis præscripti, vt omnem sæpe superarent modum. BERNHARDVS *epist. 40. ad* HONORIVM II. pontificem fassus est, peccata monachos in monasterium coniecisse, vt *perpetuam* agerent *pœnitentiam publicam*, & ita huic instituto *frequentissimæ confessiones* conuenientissimæ videbantur. Etiam *pœnitentiæ* olim species fuit, si infirmi vel morti vicini *habitum monasticum* susciperent, adeo vt si convalescerent, haud licitum fuerit, eum deponere, quod *monasticæ professionis* vinculum ex ipsa religionis habitus susceptione olim contraheretur. Nec regibus in extremis positis indignum visum est, deposita purpura

Seculo VIII.

Accedente opinione de opere meritorio,

& vitæ monasticæ moribus ad pœnitentiam assuetis.

purpura cucullum assumere, vt obseruat MABILLON. *in act. Benedict. præfat. pag. 53.* Ex eodem principio *depositis clericis* consilium datum, vt in monasterio quodam delicta commissa plangerent & *pœnitentiam* agerent, vt *tit. praced. §. 109. & 111.* dictum, quamuis pedetentim hoc postea in necessitatem tractum & inuitis etiam hæc *pœnitentiæ lex* dicta. Iam olim quandoque regionum principes hunc morem in *abusum* traxisse obseruat CHOPPINVS *in monastic. lib. I. tit. 3. §. 36.*, vt æmulos principatus sui ad monasteria tanquam ergastula quædam & perpetua vincula amandarent, quod variis exemplis illustrat. Prætextus *pœnitentialis*, clero concurrente & consensum dante, hæc facinora palliauit, quod monasteria *pœnitentiis agendis* essent aptissima, quibus indigerent, quos potentiores odio persequebantur, & sic magis suam vindictam & temeritatem, quam salutem reclusorum quærebant. Quis ergo negaret, monachorum suggestionibus, præsertim postquam *ad vitam clericalem* tracti, laicos inductos fuisse, vt de occultis quoque ex opinione necessitatis agerent pœnitentias, & duram legem faciendæ confessionis arcanæ quorumuis peccatorum subirent, quod absque hac non facile eorum remissio sperari posset.

Lugendi modus pœnitentialis antiquus in prima.

§. VII. Credo etiam, austeriorem monachorum vitam mores que tristissimos nouos quotidie cruciatus pœnitentiales excogitasse, & pœnitentibus præscripsisse. Lugendi modus præscriptus iam erat seculo secundo & tertio eiectis & ad limina ecclesiæ reuertentibus, certique gradus per interstitia temporum iuxta criminum grauitatem obseruati, de quibus perspicue agit BINGHAM *vol. VIII. lib. XVIII. c. 1. §. 1. sqq.* atque in his *satisfactio ecclesiæ læsæ* quæsita, prout supra obseruaui. Seuerior erat disciplina in *secunda pœnitentia*, post primam ex nouo delicto postulata. Ait TERTVLLIANVS *de pœnit. c. 9. Huius pœnitentiæ secundæ & vnius, quanto in arto negotium est, tanto operosior probatio.* Nonnulli sub seuera pœnitentia per totam vitam vsque ad extremum vitæ halitum detenti. Interim labores pœnitentiales, interprete CYPRIANO *de lapsis p. 137. edit. Brem.* sola deuotione & mœstitia absoluebantur. *Orare*, ait, *oportet impensius, & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes & fletibus ducere, tempus omne lacrimosis lamentationibus occupare: stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari - - - iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemosinis frequenter insistere, quibus a morte animæ liberentur.* Hæc erant *pietatis exercitia:* pœnitentiæ internæ documenta, probationis argumenta, & conuersionis morum testimonia. Cruciatus corporis adhuc deerant, nec

Seuerior in secunda.

Sine corporis cruciatu,

nec cognita tormenta, quibus pedetentim ex *institutis monasticis* subiecti pœnitentes, vtut in hac hypocritica & immani seueritate singularis sanctitas & meritum quæsitum fuerit. Palam enim est & *ad tit. de cleric. percussore* monstratum, quotidianos lapsus, etiam leuissimos contra præscriptas regulas commissos, *seuerissimis virgis* & *plagis*, sub colore pœnitentiæ fuisse castigatos. Accesserunt noui ordines FRANCISCI & DOMINICI, qui plures nouos cruciatus corporis, & varia pro expiandis peccatis inusitata tormentorum genera pœnitentialibus castigationibus addiderunt, certissimo indicio, hæc instituta ab antiquo ex *monasteriis* prodiisse, & pedetentim pœnitentibus imposita fuisse in genere.

in monasteriis excogitato,

Accedebat ex *monasteriis* noua sententia, pro singulis delictis eiusdem etiam generis centies repetitis, veluti pro adulterio cum eadem persona centies reiterato tempora pœnitentiæ etiam ad centuplum esse multiplicanda, & ita sæpe infinitorum annorum in hac & post hanc vitam *pœnitentiam* subeundam, aut *per se* vel *per alios* alio modo compensandam, prout *tom. IV. in diss. prælim. §. 19. sqq.* demonstratum est. Quo ipso factum, vt de mediis compensandi has infinitas pœnitentias solliciti essent hi, qui infinitorum peccatorum commissorum sibi conscii erant: monachi vero quidam sui officii esse crederent, per *flagellationes* & *virgarum disciplinam*, immani more sibi inflictam, aliorum animas ex purgatorio, in quo tot annorum pœnitentiæ subeundæ credebantur, liberandi, & quod illis in vita defuit, sponte his susceptis cruciatibus compensandi, ceu DAMIANI scriptoris seculi XI. scripta & exemplum DOMINICI *loricati* docent, vt abusum hunc negare haud potuerit FLEVRIVS *tom. XIII. histor. eccl. in disc. prælim. §. 16.* Denique etiam indulgentiæ, templis monachorum & altaribus per varia diplomata antiquitus indultæ & infra adducendæ, idem confirmant, ostenduntque, inprimis in monasteriis hanc doctrinam quæstui clericali inseruientem propagatam & excultam fuisse.

cum multiplicatione infinitorum annorum,

Per monachos mediante flagellatione compensandorum.

§. VIII. Verum præstabit, *cruciatus pœnitentiales* potiores, olim pœnitentibus impositos, referre. Prima species est (I.) per *ieiunia enormia*, quibus quandoque ipsi naturæ vis illata est, quo tum se tum defunctorum animas ab immensorum annorum luctibus liberarent. Olim quidem pœnitentibus *ieiunia* commendata, sed ita, vt cum discretione & salua corporis incolumitate peragerentur. Ast in monasteriis *exorbitantia* nonnunquam & *inhumana ieiunia* pœnitentibus imposita. ADELHERVS episcopus *in admon. ad Nonsuindam c. 8.* apud PEZIVM *tom. II. thes. anecd. P. II. p. 31.* adduxit exemplum cuiusdam laici, qui,

Ad cruciatus pœnitentiales olim pertinebant 1) immodica ieiunia.

vxore

vxore volente, vt probabile est, monasterium intrauerat, concupiscentiæ stimulis erga vxorem tamen admodum tentabatur, id quod patribus monasterii reuelauit. *Qui cum audissent*, ait, *quia operarius esset, & maiora facere potuisset, quam ei dicebatur, imposuerunt ei maiora, vt debilitaretur corpus eius, ita vt surgere non posset. Deo autem dispensante quidam peregrinus aduenit, & pertransiuit cellam eius, admirans, quomodo nemo egressus esset in eius occursum. Et reuersus pulsabat dicens: ne forte frater, qui in ea habitat, infirmetur. Qui cum pulsasset ter, intrauit, & inuenit eum nimis infirmum, & dixit ei, quid habes pater? Et enarrauit ei dicens: ego de seculari vita sum, & sollicitat me modo inimicus meus de vxore mea; & narraui patribus, & imposuerunt mihi onera diuersa, & cum implere vellem iussa, defeci & tamen stimulus crescit.* Improbata hæc ieiunia irrationalia a sene fuisse, & modum saniorem ei præscriptum in sequentibus adiungit, quem lubens prætereo. Pluribus aliis exemplis id probatum dedi *tom. III. tit. de obseruat. ieiun. §. 24.* Et quis ignorat, ieiunia *in pane & aqua* per plures dies sæpe præscripta fuisse pœnitentibus, quale exemplum occurrit in *c. 2. X. de sponsa duorum*, vt alia non tangam adducta *cit. l. §. 43.* Neque enim talia ieiunia cruciatibus corporis, quod affligere intendunt, carent, vt tandem etiam ad torturæ species relata fuerint, vt *cit. l. in f.* ostendi.

2) Per circulum ferreum, ob perpetrata homicidia.

§. IX. Longe durior fuit (II) pœnitentia per *circulum seu nexum ferreum*, homicidis inprimis imposita. In *mirac. S. Bertæ abbatissæ Blangicens. apud* MABILLONIVM *in act. Bened. sec. III. P. 1. ad ann. 725. p. 454.* talem pœnitentiam sponte suscepit fratricida nobilis Gallus, nomine SALOMON, episcopum Bonifacium multis lacrymis rogans, vt se eodem adstringeret ferro, quo germanum interfecerat. *Tunc*, ait autor, *episcopus eius ad sensum præbens voluntatem, eodem, ipse vt petebat, ferro illius brachia ventremque constrinxit, dignisque pœnitentiæ laboribus impositis illum a se permisit abire.* Pariter AVTOR *miracul. S. Bertini ibid. ad ann. 709. p. 120.* alio exemplo id declarat: *Quidam vir, ciuis Aurelianensis, Adam nomine, de vico Pruniaco, ob fratricidium,* IVSSV EPISCOPI *vrbis Aurelianensis, ferreis nexibus ventrem brachiaque constrictus, cum per plures annos sanctorum loca visitando tantæ incommoditatis molem sustineret, tandem a B. Petro Apostolo, cuius limina Romæ frequentabat, duorum nexuum solutionem adeptus.* In *vita S. Siluani episcopi ibid. p. 297. ad annum 717.* simile afflictionis genus refertur, simulque caussa singularis illius additur: *Vt magis suum affligere possit corpus, & velut inutile*

mancipium subiugare, circulos ferri imponens membris suis, quos multo tulit tempore, dilacerans carnem nimia austeritate ferri & aeruginis, memorans, quod dominus IEsus Christus in cruce ferreis confixus clauis pro illo mori non dedignatus. Horret animus, quando immanem circuli gestationem illius feminæ intueor, cuius a MABILLONIO *in vita S. Appiani secul. VIII. act. Benedict. p. 554.* fit mentio his verbis: *Alia autem quædam femina venit de Francia ad ecclesiam B. virginis Iustinæ, quæ portabat in sinistro brachio circulum ferreum* PRO POENITENTIA AB EPISCOPO SIBI INDITVM, *& caro brachii iam in tantum supercrescebat, quod circulus pene totus carne erat coopertus, vnde ei erat intolerabilis dolor, & cruciabilis pæna.* Crudelior ipsa morte hæc pœnitentia fuit, quam inhumano more episcopi decreuerunt pœnitentibus, eam tamen *pænam* esse negarunt. Alio exemplo IDEM *Sec. IV. §. 2.* ex WOLSTANO *lib. 2. c. 7. p. 72.* hoc declarat:

Contigit interea, quendam patrasse reatum,
Nam occidit proprium crudeli morte parentem,
Vnde reo statim præcepit episcopus vrbis,
Ferreus vt ventrem constringeret acriter omnem
Circulus, vt similem paterentur brachia pænam,
Continuosque nouem semet cruciando per annos,
Atria sanctorum lustraret sæpe locorum,
Quæ veniam tantæ mereretur sumere culpæ.

Etiam pro aliorum peccatis talis electa pœnitentia, vt AVTOR *vitæ S. Eguini Episc. Wigorn. in act. Bened. secul. III. P. 1. ad ann. 717. p. 332.* habet: *pro peccatis populi pedes suos vinculis ferreis adstrinxit, qua claue poterant ligari & reserari, ipsamque clauem in flumen proiecit, & versus Romam ire cœpit.* Ne credas, hæc sponte a plerisque suscepta; vtplurimum coacti vel moraliter vel etiam per vim maiorem. Obseruat FLEVRIVS *tom. XIII. histor. eccles. in disc. prælim. §. 16.* episcopos non raro etiam implorasse brachium seculare contra refractarios, pœnitentiis indictis se submittere recusantes. *C'étoit*, pergit, *bien ignorer la nature de la penitence, qui consiste dans le repentir & dans la conversion du coeur.* Variis etiam papalibus præceptis tamdiu suspendebantur ab vsu certarum rerum, veluti *carnis & vini*, (quod NICOLAVS I. vocat *a participatione vini & carnis excommunicare* contumacem) a *conscensione equi*, *a linteorum vsu*, donec pœnitentiam subirent, quam *pænitentiam* itidem *coactam (la penitence forcé)* appellat FLEVRIVS *cit. l.* & de modis cogendi adductis ita iudicat: *si les coupables les observoient, j'admire leur docilité: si ne les observoient pas, j'admire la simplicité des eveques.*

Ab episcopis ipsis imperatum.

§. X.

§. X. Aeque fere immanis & horrida fuit (III) pœnitentia per *virgas* & *cruenta flagella*, peccantibus imposita, quibus dilaceratum corpus. Hanc disciplinam esse reuera *monasticam*, & monachorum oblectamentum, ad *tit. de clerico percuss* docui, & ostendi, quoscunque leuissimos excessus in *capitulis* & *monasteriis* his pœnitentiis castigatos fuisse. DOMINICI *loricati* seculo XI. hæc fere quotidiana pœnitentialis deuotio (si ita vocanda cum vulgo) fuit, vt scopis vtramque armaret manum, & sese per integram noctem & diem adfligeret pro *alienis peccatis* & redemtione animarum a purgatorio, vt PETRVS DAMIANVS *in vita eius c. 8. (tom. II. oper. p. 212.)* ipsius præceptor testis est. Vocatæ hæ flagellationes sunt *redemtiones pœnitentiarum*, quarum autores PETRVS DAMIANVS & discipulus eius DOMINICVS a quibusdam laudantur. Ait BARONIVS *tom. XI. annal. ad ann. 1056. n. 8. Eodem quoque tempore, & , si non eodem autore, Petro scilicet Damiani, tamen certo propagatore, introductus est in ecclesia ille* LAVDABILIS VSVS, *vt pœnitentiæ causa fideles verberibus se ipsos afficerent flagellis ad hoc paratis idoneis.* Vsum hunc *laudabilem* vocat BARONIVS ex more, quo omnia corruptissimæ deuotionis documenta laudare & probare solet. Prodiit anno 1700. Parisiis autore IACOBO BOILEAV *historia flagellantium de recto & peruerso flagellorum vsu apud Christianos*, in qua *c. VII. p. 181.* longe aliter de hoc more iudicat, &, *Verum enim vero*, ait, *ex scriptis Petri Damiani abundantur intelligimus, non posse flagellandi ritum eo tempore introductum in exemplum fidelibus proponi ad imitandum, & ad similitudinem deducendam. Reuera enim flagellationes ab eo relatæ adeo sunt immensæ & profusæ & immoderatæ, vt vires humanas prorsus superent, & sine miraculo earum vsum viri fortissimi subire neutiquam possint.* Propagatorem PETRVM DAMIANVM huius *purgatorii* fuisse, facilius concesserim, quam autorem, quod vetustiora exempla eius adfert MABILLON. *in act. Benedict. sec. VI. P. 1. in præf. §. 39.* Contradictum nihilominus est a quibusdam his nouis & insolitis modis sese & alios a peccatis purgandi, vt ex *epist. 27.* PETRI DAMIANI ad PETRVM CEREBROSVM monachum, vehementer hæc flagra improbantem, liquet. Sed *modum* tantum hic damnasse videtur, h. e. *immensas* & *spontaneas flagellationes*, non rem ipsam, in monasteriis iam dudum vsitatam, cum constet, ob qualescunque excessus pœnitentiæ causa impositum fuisse excedentem centum flagrorum numerum, quod ex his PETRI DAMIANI verbis facile colligitur: *Sed dic, obsecro, frater, vt cum tua pace loquar, detestaris illas, quæ ex* MORE *fiunt in capitulo, discipli-*

Per cruenta flagra,

etiam pro alienis peccatis,

quem morem probat Baronius,

sed improbat Boileau,

& alii, tempore Damiani, spontanea flagra improbantes.

disciplinas? Damnas fortassis & hoc, quod saepe patri de LEVI *qualibet* OFFENSIONE *confesso, vicenas fortasse, vel vt multum quinquagenas verberum plagas subire praecipimus.* Refert *morem* capitulorum monasticorum *communem*, quo *inuitis* in *poenitentiam* infligebantur flagra ad certum numerum, & hoc eum, quamuis stolide, conuincere intendit, tales flagellationes inhumanas & sponte susceptas esse *laudabiles*, vt etiam credidit BARONIVS Ita etiam explicat PETRVM CEREBROSVM IACOBVS BOILEAV *in histor. flagellat. cit. l. p. 193. vt flagellationes spontaneae & profusae improbabiles essent & a viris piis ac mentis compotibus defendi non possint; quae vero contra pro modo culparum impositae sunt, nec propria vapulantis manu infliguntur, sed aliena, iustae sunt ac legitimae, ad tuendam, morum sanctitatem & piam ac religiosam monasteriorum institutionem conducibiles & necessariae: quippe lege DEI confirmatae, & longo omnium ecclesiae catholicae seculorum vsu receptae & comprobatae.*

Imperata in monasteriis probabant,

aliena tamen manu inflicta.

§. XI. Ita quidem BOILEAV rationes subducit, ex cuius confessione colligo, (I) flagellationes *institutis monasticis* deberi, conducibiles admodum ac necessarias ad *religiosam monasteriorum institutionem* censeri. In quo vero haec consistat, supra *§. VI.* obseruaui, docuique, creditum fuisse, vitam monasticam esse *perpetuum poenitentium & lugentium statum*, adeoque flagra & verbera non potuerunt non in *poenitentiam eorum*, qui vel in minimis a regulis deuiarunt, & sic peccarunt, imponi, remissionis peccatorum impetrandae causa, quales *poenitentiae* modi a sacris & vero religionis cultu abhorrent. Non vero abhorrebant a monachorum moribus, quorum omnis vitae ratio infinitis nexibus regularum circumscripta erat, atque libertas agendi ob votum *obedientiae* ita amputata, vt quicquid agerent, iussu vel *regularum* vel *superioris* agerent. Vno verbo: omnis agendi modus *coactus* & circumscriptus admodum in monasteriis, libertatis vero vsus ademtus. Quam ob rem quilibet facile mecum constituet, imperatos poenitentiae modos etiam originem debere monasteriis, iam aeuo IVSTINIANI receptos, vt vel lex de mulieribus, adulterio maculatis, in monasterium poenitentiae agendae causa detrudendis, euincit.

Monasticis institutis propria.

§. XII. Equidem (II) IACOBVS BOILEAV *in cit. tr. cap. 6. flagellationes*, quas regularum monasticarum autores in oriente & occidente introduxerunt, *poenas* proprie dictas seu *coërcitiones excessuum*, non *poenitentias* fuisse, inde collegisse videtur, quod nullas *voluntarias* & *spontaneas flagellationes* praescripserint, sed *inuitis* & *repugnantibus* pro mensura criminum eas imposuerint. Nec negari potest, poenitentias, prout in *primitiua ecclesia* susceptae fuerunt, a *poenis proprie*

An flagellationes poenae causa in monasteriis inflictae?

Ratio dubitandi.

prie dictis in eo discrepasse, quod *beneficium pœnitentiæ* non aliis quam rogantibus & serio quærentibus datum fuerit. Etiam hoc omnino largior, *pœnarum* hanc esse naturam & rationem, vt *inuitis & repugnantibus* ob crimen commissum infligantur. Atque hac ratione etiam flagra in sacris inter *pœnas ciuiles* recepta fuerunt, vt ex *Leuit. XIX*, 20. manifestum est, adeo vt verberum numerus circumscriptus, & ad regulas humanitatis *Deut. XXV*, 2.3. compositus fuerit: *si autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis, posternent, & coram se facient verberari: pro mensura peccati erit & plagarum modus; ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* In hoc verborum numero obseruando adeo scrupulosi & meticulosi erant magistratus Iudæorum atque solliciti, vt tantum XXXIX. verbera delinquenti imponerent, ne forsan per errorem in numerando mensuram præscriptam excederent, vt ipse Paulus innuit 2 *Cor. IX*, 24. Nec ab hac *pœna* aliquis exceptus, non *sacerdotes* vncti, non *pontifex* maximus, non *princeps Synedrii*, imo nequidem *rex*, vt obseruat IO. BRAVNIVS *in comment. in epist. ad Hebr. c. X. vers. 28. p. 667.* quod omnes legi diuinæ subiecti essent, nec flagellatio aliquam inureret infamiam, vtut *pœna ciuilis* esset. Apud Romanos quoque vsitatum erat, vt qui crucis supplicio essent adficiendi, prius cæderentur flagellis, vt docet LIPSIVS *de cruce lib. 2. c. 2.* & passio Saluatoris nostri illustrat. Quamuis enim *flagra & plumbatarum verbera* (de quibus vid. *l. 2. C. de exact. tribut.* PRVDENTIVS *de coron. lib. X. c. 116.*) etiam inter tormentorum genera relata essent, vt docet tum *l. 14. C. ex quib. caus. inf. irrog.* tum exemplum PAVLI *Act. XXII*, 24, quem tribunus iusserat in castra duci, & flagellis in eum inquirere, *vt cognosceret, propter quod crimen sic clamarent aduersus eum;* adeoque quidam inde, inferant, Pilatum IESVM flagris *quæstionis habendæ ergo* subiecisse; circumstantiæ tamen in passione dominica occurrentes euincunt, ex more Romano Pilatum ideo IESVM flagellis cæcidisse, vt eum traderet ad supplicium crucis, quod flagra præcedebant, vt ANTONIVS BYNAEVS *de morte Christi P. III. lib. III. c. 4. §. 6.* erudite demonstrat. Ceterum extincta republica Romana, sub qua *virgæ* a tergis ciuium remotæ erant, tenuiores ciues fustibus cædi soliti siue admoniti, flagris vero serui, quæ iis propria & peculiaria, *l. 28. §. 2. l. 10. d. pœn. l. 2. §. 1. de decur. l. 12. d. iur. fisci. l. 6. de accus.* quod plenius illustrat IO. FRANCISCVS RAMOS *de pœn. parricid. lib. 3. p. 82.* Triplex videlicet verberum genus æuo ICtorum in vsu fuit h. e (1) *fustium admonitio* in *ciues humiliores*, qui ita funibus & fidiculis distendebatur, vt fustibus & bacillis a carnifice

Flagra in sacris etiam pœna,

Intra XL numerum,

A qua nemo exceptus.

Etiam apud Romanos flagrorum pœna vsitata.

Maxime apud seruos.

Triplex verberum vsus.

cædi potuerint, tanta crudelitate, vt tota dorso pellis quasi extracta sæpe fuerit, vt BRAVNIVS *cit. l. ad c. XI. vers. 35. p. 806.* in tabula picta ad oculum ostendit: (2) *flagellorum* castigatio in seruos, Saluatori ideo applicata, vt *supplicio seruili* periret: (3) *virgarum verberatio*, parricidis etiam dictata, teste ICto in *l. 9. ad L. Pompei. d. parricid.* atque docente, *parricidam virgis sanguineis verberatum culeo insui*, ad quem morem illustrandum iconismum ex priscis formis vapulationis parricidæ ad columnam alligati IO. FRANCISCVS RAMOS *p. 89. cit. l.* adfert, simulque hoc triplex verberum genus ex *l. 7. D. de pœnis* illustrat, & loco *vinculorum* legendum esse *virgarum*, egregie obseruat.

In monasteriis videtur magis pœnitentiæ causa inflicta flagellatio etiam inuoluntaria.

§. XIII. Atque ita ex his satis constat, *fustes*, *flagra*, & *virgas* vel *pœnas ciuiles principales* vel *præludia pœnarum capitalium* fuisse; vtrum vero *flagellatio* antiquitus in monasteriis vsitata *simplex pœna* duntaxat fuerit, & annon potius ex *mente monachorum* speciem *pœnitentiæ monasticæ* constituere debuerit, alia quæstio est. Etenim in monasteriis iam cognita erant duo *pœnitentiarum* genera, *voluntariarum* & *inuoluntariarum;* illa ad statum primæuum quadrabant; hæ in monasteriis illis sunt superadditæ. Ipsemet BOILEAV *p. 146. in cit. tr.* adducit antiquam regulam monasticam: *Si quis vero monachus furtum fecerit, quod potius sacrilegium dici potest, id censuimus ordinandum, vt iunior virgis cæsus tanti criminis reus neutiquam officium clericatus excipiat*, & inde rationes subducit: *ex his enim faciliter intelligimus, homines virgis cæsos a dignitate cleri fuisse remotos, adeoque* HANC POENITENDI SPECIEM *inuitis ac reluctantibus impositam fuisse.* Ita vero ipsemet constituit, *flagellationem* & *virgarum disciplinam* in monasteriis inter *pœnitentiæ inuoluntariæ* genera relatam fuisse quod etiam ad tit. de *clerico percuss.* monstratum, Hac sub ratione etiam cæsares, regesque a *virgarum* disciplina non fuerunt immunes, quam ab episcopis acceperunt, vt *cit. l.* dictum. Inde vero infero, flagellationes *voluntarias*, quibus se pœnitentes propriis manibus excruciant, multo magis approbandas fuisse, vtpote quæ magis ad rationem *pœnitentiæ antiquæ* accedunt, quas tamen BOILEAV acriter impugnat, iisque dicam scribit. Permissum enim est, in pœnitentia a semetipso vindictam sumere, quod tales flagellantes intendere videntur. Quid itaque, si imperantur a superiori, vt se propriis adfligant manibus, sicuti XL. dierum ieiunia imperantur? *c. 2. X. de sponsa duor. impositionem* enim pœnitentiarum a superiori desiderant, vt omnino legitimæ & canonicæ sint. Denique flagellationes, quæ infliguntur inuitis & repugnantibus aliena manu, aut *pœnæ* sunt proprie dictæ

Ergo voluntaria improbari non potuit.

ciuiles,

ciuiles, aut *pœnitentiæ:* si prius, a *munere sacerdotali* alienæ sunt, magistratui ciuili tantum propriæ, cui, *ordinatione diuina* ipsa, *ius plectendi* datum, quod etiam *recta ratio* docet. Suo modo id agnoscere videtur BOILEAV in verbis in *§. praeced.* adductis, quibus contendit, illas *lege DEI* confirmatas fuisse; illas autem *pœnas ciuiles* fuisse, ipse concessit, adeoque etiam admittere debuit, episcopos in cæsares & reges *pœnas ciuiles* exercuisse sub prætextu *pœnitentiæ* falso & improbo, quod ordinationi diuinæ repugnat, & reges principesque in sortem subditorum vilissimorum detrusit. Neque vero argumentum a *republica iudaica* petere potuit, in qua nostri non viuunt episcopi, nec docere queunt, talem CHRISTVM exstruxisse rempublicam, in qua etiam *pœnas ciuiles* in *imperantes* exercere possent. Hoc ni agnouissent olim episcopi, virgarum disciplinæ non affinxissent *pœnitentiæ* prætextum, nec hoc hodie interpretes contenderent, *pœnitentias inuoluntarias* a classe *pœnarum ciuilium* remouendas esse, in quo tamen eos falli, *tit. praeced.* euictum est. Facile interim concedo, in *societate monastica* talem modum coërcendi introduci potuisse, quibus monachi in officio continerentur, sicuti in *societate domestica* parentibus ius *virgarum* datum est, in correctionem improborum. Ast enim vero 1) ita his correctionibus falsus *pœnitentiæ* color affingi non debuisset, nec 2) illæ *extra monasterium* exerceri in imperantes supremos, a quorum tergis ipsum ius diuinum *virgas ciuiles* remouit extra rempublicam iudaicam. Si vero posterius dicendum, omnis corruit censura, quam BOILEAV in *flagellationes* propria manu sibi inflictas fecit, quia multo magis hoc admitti potuit in afflictione *voluntaria*, quod etiam *inuoluntariæ* attribuerunt. Quæ omnia si sedula peruoluo mente, non aliter constituere possum, quam (α) *flagellationes inuoluntarias* veras *pœnas ciuiles* fuisse: (β) falso *pœnitentiæ* prætextu tamen laicis quibuscunque applicatas & commendatas: (γ) illos hoc modo deceptos, vt se virgarum & flagellorum *pœnæ* submitterent: (δ) denique inde tandem factum, vt regulis monasticis plurimorum ordinum flagellationes frequentissimæ & voluntariæ, propriis inflictæ manibus, approbatæ atque inter genera austeræ pœnitentiæ per *summam imprudentiam* relatæ fuerint. Notanter dixi, per *summam imprudentiam* flagellationes voluntarias a quibusdam ordinibus ad effrenes carnis cupiditates refrenandas, papa approbante, esse receptas. Obseruauit iam BOILEAV *c. 10. historia flagellant. §. 1. & 2.* ex rationibus physicis, flagellationem non tantum noxiam sanitati, sed sæpe maius irritamentum malorum & lasciuiæ esse, vt non tam cupiditates carnis exstin-

Quamuis flagellationibus inuoluntariis falsus pœnitentiæ color assignatus fuerit.

Quæ magis irritant cupiditates carnis quam domant.

ſtinguantur, quam *flagellatione* quandoque irritentur, prout etiam IO. HENRICVS MEIBOMIVS *in epiſt. de vſu flagrorum in re venerea* exemplis docet, nec non confirmat CHRISTIANVS FRANCISCVS PAVLINI in *flagello ſalutis ſect. IV. c. XIII.* Quamuis enim flagrorum etiam *vſum medicum extraordinarium* in variis morborum generibus prælaudatus PAVLINI oſtendat, minime tamen flagellationes fere quotidianæ vel ad minimum frequentiſſimæ monaſticæ huc referri poſſunt, quæ nec vſum *ſpiritualem* nec *medicum* ſeu *naturalem* habent, ſed magis *ſuperſtitio* plusquam barbara dicendæ.

Inde nata ſecta flagellantium ſeculo XIII.

§. XIV. Hæc opinio, quod *flagellatio monaſtica* ſit *pœnitentiæ grauioris* & *meritoriæ* ſpecies, ſeculo XIII. peperit ſectam illam nefariam flagellantium, in qua, vt ait IACOBVS BOILEAV *cit. tr. c. 9. p. 274. nihil reprehendendum aut accuſabile perſpici poteſt, præter ſuperſtitionem de corio humano ludendi, & carnem vibicibus cruentandi in mediis vrbium & vicorum plateis.* Sectæ huius initia cauſam & rationes refert monachus *S. Iuſtinæ* apud VRSTISIVM *P. I. p. 611. ſq.* his verbis: *Cum tota Italia multis eſſet flagitiis & ſceleribus inquinata, quædam ſubitanea ſuperſtitio & a ſeculo inaudita* (in monaſteriis tamen orta, audita, & nata) *inuaſit primitus Peruſinos; Romanos poſtmodum; deinde fere Italiæ populos vniuerſos. Et tantum itaque timor Chriſti irruit ſuper eos, quod nobiles pariter & ignobiles, ſenes & iuuenes, infantes etiam quinque annorum, nudi per plateas ciuitatum, opertis tantummodo pudendis, depoſita verecundia, bini & bini proceſſionaliter incedunt: ſinguli flagellum manibus de corrigiis continentes & cum gemitu & ploratu ſe . . riter ſuper ſcapulis vsque ad effuſionem ſanguinis verberantes, & effuſis fontibus lacrymarum, ac ſi corporalibus oculis ipſam Saluatoris cernerent paſſionem, miſericordiam DEI & genitricis huius auxilium implorabant ſuppliciter deprecantes, vt, qui innumeris pœnitentibus eſt placatus, & ipſis iniquitates proprias cognoſcentibus parcere dignaretur. Non ſolum itaque in die verum etiam in nocte cum cereis accenſis in hieme aſperrima centeni, milleni, decem millia quoque per ciuitates & eccleſias currebant & ſe ante altaria humiliter proſternebant, præcedentibus eos ſacerdotibus cum crucibus & vexillis - - Mulieres quoque tantæ deuotionis fuerunt minime expertes. Sed in cubiculis ſuis non tantum populares, ſed etiam matronæ nobiles & virgines delicatæ cum omni honeſtate hæc eadem faciebant.* Non adeo demiror horum hominum furorem: hi verberones non aliter inſtituti, nec aliis imbuti præceptis erant, quam pœnitentiam in carnis afflictione & a ſemet ſumta *ſancta* & *meritoria vindicta* conſiſtere:

Cuius ratio refertur & ſuperſtitio.

Ad quam a primæua ætate inſtituti.

sistere: hoc modo & *aliena* & *propria* peccata expiari & iram diuinam leniri posse: satis fieri eo ipso DEO, & sanctos quoque monachos in claustris suis hanc in se exercere seueritatem. Spectaculum publicum in plateis, per processiones, a caterua hominum insigni editum, in stuporem tantum plurimos coniecit, vt hoc institutum vt *pium* & *sanctum* laudarent, admirarentur, atque alter alterum, vt in *superstitione* fieri solet, in eandem in se rabiem concitaret; nec tamen pontifices illud approbare conati sunt, sed potius, quantum fieri potuit, cohibuere. Seculo XIV. anno 1340. idem furor rursus erupit, & Germaniam nostram quoque inuasit, insipida superstitione, vt res magni laboris fuerit, eum sedare & sectam hanc supprimere, cuius fata, modum, & instituta CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS *in tr. de secta flagellantium*, distinctius enarrat. Laudat hoc *peruersum pœnitentiæ superstitiosæ institutum* ODORICVS RAYNALDVS *in annal. eccl. tom. XVI. ad cit. ann. n. 18.* & ob pestem admodum grassantem *homines merito arbitratos*, ait, *grauissimo illo flagello a Deo ob crimina corripi, ad pœnitentiæ arma confugere, seque flagris cædere cœperunt, vt voluntaria corporis maceratione cœlestes iras placarent. Neque*, pergit, *contenti pœnitentiæ opera priuatim exercere: ad excitandos ad simile pietatis genus alios, prodiere in publicum & instructis* RELIGIOSIS AGMINIBVS, *præeuntibus vexillis sacris, vrbes & prouincias obiere.* Negare tamen non potuit, *immixtam pietati*, vt loquitur, *superstitionem fuisse*, vt ex verbis ALBERTI ARGENTINENSIS plenius illustrat. Dicere potius debuisset, pietatem hanc laruatam *furorem* quendam *plebeium* & *ciuilem* fuisse, ad diripiendum bona & statum publicum turbandum aptam natam, vt CLEMENS VI. *in bulla*, contra hanc sectam publicata, & a RAYNALDO *cit. l. §. 19.* recitata non diffitetur. *Hæresin* hanc sectam non inepte vocat FRANCISCVS HARAEVS *in annal. Brabant. tom. I. p. 326.* & in compendio flagellantium audaciam ita depingit: *hi sine legitimi superioris ductu seminudi incedentes cruces manibus portabant, capita caputio & pileo, pudenda lineo operiebant, flagellis in cuspide tres nodos aculeatos habentibus semetipsos publice intra & extra ecclesiam ad cruorem vsque cædebant; carmina quædam partim fidei contraria partim suspecta cantabant, post XXXIII. dies horasque duodecim ab huiusmodi flagellatione reuelatum sibi ab angelo asserentes, mundatos se a peccatis non secus ac si nouo baptismatis sacramento abluti essent.* Non errauero, si dixerim, reliquias huius sectæ adhuc superesse in Germania, quia in die passioni Domini dicato ante pascha processio solennis in plerisque locis ex *monasteriis* institui, & ciuitatem totam

Nouus furor flagellantium seculo XIV. in Germania.

Quem Raynaldus laudat,

sed hæresin vocat Haræus.

Cuius sectæ reliquiæ hodie supersunt.

pertransire solet, in qua insignis vtplurimum numerus cernitur, propriis manibus se more inhumano flagellantium, vt hoc cruentum spectaculum non possit non spectatoribus nauseam creare, quod tamen monasteria tam tenacissime solent tueri & propugnare. Rectius sine dubio in nonnullis locis superstitio hæc prorsus sublata, in Gallia vero adeo eradicata est, vt nullum vestigium supersit.

4) Pœnitentia peregrinantium,

§. XV. His quoque adiungi debet (IV) pœnitentium *religiosa peregrinatio ad loca sacra*, quæ præ aliis miraculis, & efficacia peccatorum remissionem deuote accedentibus indulgendi, inclaruerunt, prout pluribus docet GRETSERVS *de peregrinat. sacris*. Equidem hæ *peregrinationes* etiam ex voto, vt singularis deuotionis species, institui solent, vt FRIDERICVS Lotharingicus anno 1470. in suo secundo testamento cauit apud CALMETTVM *dans l' histoire eccl. & ciu. de Lorraine tom. III. p. 224. dans les preuves: Je Ferry de Lorraine Comte de Vaudemont - - - item veut & ordonne, que pour mon tres chier & aisné fils Rene de Lorraine soit fait en sa personne deux voyages par moy promis a Notre Dame de Sion lés Vaudemont, qu' il fera du lieu de Vezelire a pieds, l' un nud pied & l' autre chaussé.* Vsitata tamen & frequens olim fuit etiam *peregrinatio* pœnitentiæ iniuncta causa, pœnitentibus adeo salutaris credita, vt etiam in *remissionem peccatorum* illis cedere diceretur. Fit huius *pœnitentiæ* mentio in *c. 9. C. 30. q. 1.* impositæ sacerdoti, qui cum filia spirituali fornicatus erat, cui iniunctum, vt *ab officio depositus peregrinando duodecim annis pœniteret, postea vero ad monasterium vaderet, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo seruiret.* Quia vero hi *vagi pœnitentes* discurrebant per orbem, aliis molesti, suæ vero salutis immemores, reprobata est a pluribus hæc species minus sana pœnitentiæ, etiam in ipsis capitularibus Carolinis *lib. I. capitul. 79.* obseruante MORINO *de sacram. pœnit. lib. VII. c. 15. §. 2. sqq.* Huc etiam referenda peregrinatio suscepta ab iis, qui inter grauissima *tormenta circuli ferrei* pœnitentiam egerunt, vt *§. IX.* traditum est. Ab his longe differunt *hodiernæ peregrinationes*, quæ itidem a *pœnitentibus* quidem suscipiuntur, sed non *pœnæ* subeundæ causa, sed potius hunc in finem, vt a *mensura tanti temporis* per *indulgentiam* absoluantur, videlicet quæ indicto iubilæo Romam suscipiuntur ad Basilicam Petri & Pauli. Sicuti enim expeditiones in terram sanctam potissimum promotæ sunt per promissionem plenariæ remissionis peccatorum, vt bullæ hunc in finem publicatæ loquuntur; ita vt fere hoc iter non alii, quam *pœnitentes* susceperint, quo indulgentias plenarias ei adiunctas lucrarentur; ita pariter BONIFACIVS

reprobata a pluribus,

ab hac differt, quæ fit tempore iubilæi,

FACIVS VIII. iubilæum anno 1399. primus instituit, singulis centesimis annis celebrandum, hoc adiecto præmio, vt, qui in illo Romæ *basilicam D. Petri & Pauli* visitaret, plenissimam omnium peccatorum etiam reseruatorum remissionem acquireret. Quia vero hic hamus immensum *pœnitentium* numerum Romam deduxit, quibus consultius visum fuit, hunc potius subire pœnitentiæ laborem, quam in squalore & tormentis per infinitum annorum numerum eidem se exponere, atque inde thesaurus ecclesiæ Romanæ ingentia cepit incrementa; eius successores solliciti fuerunt, de *iubileo* etiam intra centum annorum spatium indicendo. Etenim CLEMENS VI. quinquagesimum annum, etiam in sacris celebrem & illustrem, iubileo destinauit, & anno 1349. illud indixit in bulla apud RAYNALDVM *ad cit. ann. n. 11.* VRBANVS VI. hunc annum ad XXXIII. postea reduxit; sed PAVLVS II. *anno 1470.* eundem ad annum XXV. transtulit in bulla apud RAYNALDVM *ad cit. annum n. 55.* Quia tamen præuentus morte eum celebrare non potuit, successor eius SIXTVS IV. eum anno 1475. ad actum *c. 4. extrau. commun. h. t.* celebrauit, atque rursus ALEXANDER VI. anno 1499. hoc institutum renouauit in *bulla* apud RAYNALDVM *ad cit. ann. n. 25.* Extra ordinem nonnunquam etiam *iubilea vniuersalia* indicuntur, in publicis calamitatibus, ceu factum a CLEMENTE XI. *anno 1706.* & *1715.* in bullis *tom. VIII. bullarii magni sub n. 28. & 29.* relatis. Notiora hæc sunt, quam vt pluribus illustrari mereantur. Sed etiam ad alia loca sacra *peregrinationes* in modum pœnitentiæ peccatoribus imponi solent, quæ magis videntur *indulgentiarum* causa fieri; qui vero labores & incommoda peregrinantium nouit, facile intelliget, sub his etiam quandam sustineri pœnitentiam.

§. XVI. Præterea quoque (V) non leue momentum ad pœnitentiæ externæ rigorem duritiemque attulit *mensura temporis diuturni*, quo inclusa, ita vt inter pœnitentes constitutus adhuc a communione exclusus fuerit. Eo enim tandem deuentum est, vt, quia quidam nimis faciles in recipiendis reuertentibus, pœnitentia quoquo modo peracta, fuerunt: quidam vero admodum difficiles, determinata annorum spatia delictis quibuscunque præfinita, in quo Hispani, in *disciplina ecclesiastica* vltra modum seueriores, in *concilio Eliberino*, anno 304. vel sequente habito, ceteris ecclesiis præiuerunt, & quibusdam delinquentibus aditum ad ecclesiam in totum, etiam in *vitæ fine*, præcluserunt, quibusdam autem, peractis pluribus annis, eum rursus aperuerunt. Defendit quidem hanc temporum mensuram AVGVSTINVS in *c. 84. de*

5) Mensura temporis in pœnitentia, quam defendit Augustinus,

de pœnit. D. 1. hoc argumento: *in actione pœnitentiæ, vbi tale crimen commissum est, vt is, qui commisit, a Christi etiam corpore*, h. e. ecclesia, *separetur, non tam consideranda est* MENSVRA TEMPORIS, *quam doloris. (cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit) Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam nisi per verba & quaecunque alia signa procedit, cum sit coram illo, cui dicitur: (gemitus meus a te non absconditus est) recte constituuntur ab his, qui ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, vt satisfiat etiam ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata.* Verum (α) hæc ratio, quæ *intentionem patrum* ecclesiæ adhuc prodit, ostendit, ideo tantum tempora pœnitentibus præscripta fuisse, *vt satisfieret ecclesiæ læsæ, in qua ipsa peccata remittuntur,* sicuti læsorum est, peccata in semet commissa remittere. Minime ergo hæc *mensura temporum* huc trahi debuit, (quod tamen per summum abusum factum est,) vt per eius obseruantiam ipsi etiam Deo satisfieret, nec absque hac *satisfactione* a Deo veniam peccatorum sperare liceret. (β) Finis allegatus, vt aliis quoque *dolor serius* innotesceret, non desiderauit tam latum temporum spatium, quinque, septem, decem vel plurium annorum, nec permisit, vt quibusdam omnis reditus ad anchoram salutis præclusus fuerit; quin potius (γ) argumentum præbet, in præfinitione tot annorum aliud quid latitasse vel quæsitum fuisse, h. e. *veram coërcitionem criminum* & *proprie dictam pœnam*, sicuti etiam in foro ciuili tales pœnæ non incognitæ sunt, veluti vbi ad annum vel biennium foro cuidam interdictum vel negotiationi vel admissioni ad dignitates consequendas, vt *t. t. de interdict. & relegat.* euincit. Praeterea (δ) vti in foro contingere solet, vt singulis delictis non possint certæ pœnæ imponi, sed iudicis arbitrio earum determinatio pro ratione circumstantiarum permissa sit; ita quoque hæc *temporum mensura*, quoad singula delicta, haud determinata, sed arbitrio episcoporum commissa. Testis est HIERONYMVS in *c. 86. de pœnit. D. 1. mensuram autem temporis in agenda pœnitentia idcirco non satis aperte præfigunt canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant, qualiter vnumquodque emendandum sit, sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt, quia apud Deum non tam valet mensura temporum quam doloris - - propter quod ipsa tempora pœnitentiæ pro fide & conuersatione pœnitentium abbreuianda præcipiunt, & pro negligentia protelanda. Extant tamen pro quibusdam culpis pœnitentiæ modi impositi, iuxta quos cæteræ perpendendæ sint culpæ, cum sit facile per eosdem modos* VINDICTAM & CENSVRAM CANONICAM *æstimare.* In *pœnis arbitrariis* infligendis eadem

Cuius ratio vera traditur, & pœnam proprie dictam constituit, aliquando arbitraria est, vt pœna ciuilis.

dem vtimur in foro ratiocinatione, quam non potuere non sequi patres, postquam in pœnitentia *vindictam & censuram canonicam* quæsiverunt, quæ quid aliud est, quam *pœna?* Quocirca (ε) non diffitentur patres, *pœnam* in pœnitentia latitare, sed id ipsum ore aperto tradunt, exemplo AVGVSTINI in *c. 7. de pœnit. D. 3.* ita edisserentis: *Productior est* POENA *quam* CVLPA, *ne parua putetur* CVLPA, *si cum illa & finiretur* POENA. Vt ergo homo intelligat, se grauiter deliquisse, producenda erant ex eius iudicio tempora, vt ex *mensura pœnæ* intelligeret *delicti grauitatem* & *mensuram.* Cum ergo (ζ) pœnitentiæ antiquæ in *modo* & *mensura temporis* multis obseruationibus essent obnoxiæ, solliciti fuerunt patres de colligendis iis, quæ in huius rei vsum facere possent. Inde nota sunt *pœnitentialia antiqua*, in quibus *pœnæ* vnicuique crimini infligendæ enarrantur, priuata tamen opera vtplurimum collecta. GREGORIVS *Thaumaturgus* hac de re consultus epistolam *canonicam*, in qua *modi pœnitentiarum* traduntur, suo tempore scripsit. Eundem scopum tenuit *epistola canonica* PETRI *Alexandrini* episcopi, in vsum ecclesiarum sibi subiectarum scripta. Plenior est *epistola canonica S.* BASILII *ad Amphilochium*, a quo ea de re consultus erat, in qua 85. *canones pœnitentiales* habet. GREGORIO M. *pœnitentiale* etiam assignatur, nondum tamen typis exscriptum, quod anxie Benedictini e congregatione S. Mauri, qui opera eius anno 1705. ediderunt, quæsiuerunt, sed frustra, cum bibliothecæ per Galliam nullum MSCtum possideant. Oxonii tamen hunc thesaurum delitescere ex traditione IAMESII retulerunt Triuultienses *in nouis literar. ad ann. 1707. Mens. Mart. p. 384. sq.* Habuere etiam episcopi Romani ab antiquo suos *ordines canonesque pœnitentiales*: habuerunt aliæ quoque ecclesiæ, quarum *ordines* refert MARTENIVS *de antiq. eccl. ritibus lib. I. P. 2. p. 41. sqq.* & plenius eosdem explicat atque enarrat MORINVS *de sacram. pœnit.* in *appendice.* Inprimis celebris fuit seculo IX. collectio HALITGARII episcopi Cameracensis, qui EBONIS Rhemensis archiepiscopi hortatu aliquot libros *de vitiis & virtutibus & ordine pœnitentium* conscripsit, a CANISIO primum editos *tom. II. P. II. antiq. lect. p. 80. sqq. edit. Basnag.* in quibus *tempora pœnitentiarum* antiqua, aliaque quæ ad *ordinem* spectabant, plena manu tradita sunt. Librum *sextum*, quod *Canisianæ* editioni deerat, addit STEWARTIVS *pag. 133. cit. edit.*, & præterea CANISIVS *p. 141. sqq.* collectionem *incerti autoris* similis argumenti adiecit, vt ea non tangam, quæ IOANNES MORINVS operi suo *de pœnit.* attexuit.

Inde magna cura collecta sunt pœnitentialia antiqua.

 §. XVII.

Effectus mensurae temporis erat, quod poenitens interim pro excluso haberetur.

§. XVII. Mensura huius temporis, poenitentiis antiquis praefiniti, effectus habuit admodum lugubres, *veram poenam* repraesentantes. Etenim durante hoc spatio nondum restitutus erat, & inter *exclusos* atque *interdictos* referebatur, quod tamdiu eiectio perdurare debuit, donec *absolutione facta* plene fuerit restitutus. Quocirca ad communionem sacram, nisi in articulo mortis, non admittebantur: *c. 6. sqq. C. 26. q. 6.* omnem pompam, hilaritatem prae se ferentem, imo & matrimonium prorsus olim eiurare tenebantur, *c. 13. C. 33. q. 2.* & ita *caelibatus* erat poenitentiae externae consequens: ab ordinibus ecclesiasticis repellebantur, *c. 55. D. 50.* & intuitu *ecclesiae*, ceu capite deminuti, quodammodo adhuc habebantur, vt *status poenitentium* & *eiectorum* parum differret, nisi quod ille proximam spem restitutionis in integrum haberet, ei denegatam, qui communione ecclesiastica priuatus ad hoc poenitentiae beneficium nondum confugerat. Hac duntaxat *petentibus* concessum, vt tamen simul *poena* esset, quod absque hac durissima conditione non posset restitui in integrum. Satisfaciendum ergo ecclesiae erat per *mensuram temporis praefiniti*, eaque, quae illi imperata, interim peragenda, quae statum poenitentium adhuc luctuosiorem reddebant, quo finito demum *absoluebatur*, h. e. plene restituebatur.

Tandem inventa commutatio poenitentiae, Ob nimium rigorem plus iusto extensum,

§. XVIII. Quae cum ita essent, poenitentia antiqua tandem non potuit non cladem grauem accipere, quod vtplurimum nimius rigor & austeritas vltra modum extensa plus nocere, quam prodesse soleat, vt *tit. de excess. praelat. §. 9.* obseruaui. Hac de causa delinquentes, qui se huic oneri grauissimo ferundo minus idoneos & plane ineptos credebant, id omnibus viribus apud episcopos egerunt, vt per *commutationem* seu *surrogationem operis* alicuius *pii*, vel quod pro tali habebatur, tempora poenitentiae eiusque modum redimerent. Agit de his *poenitentiarum redemtionibus* distincte MORINVS *de sacram. poenit. lib. X. c. 16. sqq.* cuius obseruationes lectu dignissimae sunt, hic non repetendae. Obseruo duntaxat ex iis, 1) *redemtionem* factam fuisse *pecunia in pauperes eroganda*, & quidem parcissime, vt tantum de tempore aliquid laxaretur, si forsan poenitentes *mensuram totius temporis* tot frequentibus ieiuniis implere non possent. Crediderunt enim, per *surrogationem eleemosynarum* aliquid relaxari posse de tempore poenitentiae, quod seculo XI. adeo multiplicabatur, vt pro delicto eiusdem generis saepius reiterato *infinitorum annorum poenitentia* delinquentibus necessaria crederetur. Ditiores facile inducebantur, vt tam prolixissimam

per redemtionem,

1) per eleemosynas.

&

& vltra vitam hominis duraturam pœnitentiam *eleemosynis*, per sacerdotes dispensandis, redimere potins, quam ei se submittere & in purgatorio explere mallent. Liquet ex PETRI DAMIANI scriptis, iam seculo XI. *redemtiones* has vsitatissimas fuisse, vt quoad ditiores pœnitentia antiqua admodum decreuerit. Inde noua & peruersa ecclesiæ disciplina orta est, quæ nec hodie ab vsu recessit. Notum est, archidiaconos esse *vicarios natos episcoporum*, illiisque ab antiquo plura commissa fuisse ab episcopis desidibus, & perfunctorie rem suam agentibus, adeo vt *forum pœnitentiale*, quod in *indicendis pœnitentiis* occupatum fuerit, etiam habuerint, & vice episcopi exercuerint. More vero hoc introducto, delicta per *eleemosynas* redimendi, archidiaconi faciles fuerunt in promouenda hac *commutatione*, quod hæc lucro illis cederet & pecunia illis soluenda esset. Inde id vnice egerunt, vt ampliorem suam iurisdictionem, & plurima crimina, inprimis vero *adulteria*, *stupra*, *fornicationes* & *incestus*, frequentissime committi solita, ad suum quæstum traherent, existimantes, sibi hæc pœnitentiarum spolia magis quam pauperibus profutura, quod etiam clerici *pauperibus* annumerandi essent. Iam seculo XII. hoc corruptio inuaserat *fora archidiaconalia*, vt constat ex *cap. 3. X. de pœn.* in quo ALEXANDER III. anno 1180. grauiter hunc redarguit morem. *Accepimus*, ait, *quod archidiaconi Conuentrensis episcopatus pro corrigendis excessibus & CRIMINIBVS PVNIENDIS a clericis & laicis POENAM PECVNIARIAM exigunt, & pro annua exactione pecuniæ personas quandoque suspendunt, ecclesias interdicunt, a vicariis denarios, vt eos in ecclesiis cantare permittant, exigere non formidant, & alia agunt, quæ canonum obuiant institutis & de radice cupiditatis & auaritiæ prodire videantur &c. Mandamus, quatenus archidiaconis prædicti episcopatus hoc districtius interdicas; si autem contra venire præsumserint, eos appellatione cess. ecclesiæ censuris compellas.* In tantum iam abusus *commutandi* pœnitentias in *pœnam pecuniariam*, quam *eleemosynam* dicebant, incrementa ceperat, (a) vt quod ab initio pœnitentibus pro *beneficio* datum erat, iam *seculo XII.* archidiaconi ad sua lucra traxerint impio prorsus more: (b) directo loco pœnitentiæ *pœnas pecuniarias* dictauerint: (c) & quidem pro *criminibus puniendis*, quatenus ad *forum pœnitentiale* pertinebant. (d) Hoc ipso vero inuolauerunt iurisdictionem magistratuum ciuilium, & vindicationem criminum multorum ad se traxerunt, cum *pœnæ pecuniariæ* seu *mulctæ* ad forum seculare spectent; (e) quo ipso non poterant

Hos tamen nummos suos fecere archidiaconi,

qui forum pœnitentiale exercuerunt,

quod reprobauit Alexander III.

Ita pœnitentiæ in pœnam pecuniariam commutatæ.

erant

erant non pœnitentiæ antiquæ paulatim decrescere, non tamen (f) absque nouo laicorum onere, vtpote qui ob crimina, maxime *carnis*, commissa in *vtroque foro* plectebantur, quod merito reprobauit pontifex. Verum hæc archidiaconorum auaritia iam adeo altas egisse videtur radices, vt eradicari non amplius potuerit, vt ostendit egregie Dn. KRESSIVS *in tr.* vom *Archidiaconal*-Wesen *c. 6.* & inprimis exemplo archidiaconorum episcopatus Osnabrugensis, qui hoc lucro pascuntur adhuc hodie, illustrat. Neque enim tot synodalia statuta, contra hanc insignem labem prodita, aliquid profecisse, experientia docuit, vt ob hos similesque excessus in plurimis episcopatibus *fora archidiaconalia* clausa fuerint. In *c. 5. §. 22.* ICtus prælaudatus adducit *synodale statutum de anno 1625.*, in quo *c. 13.* archidiaconis Osnabrugensibus iniungitur, vt *commissarios viros inculpatæ vitæ, in sacris ordinibus constitutos, graues, modestos, & Deum timentes habeant; excessus* CANONICE *puniant, ab omni auaritiæ sordiumque specie abstineant, pœnas pecuniarias (si quando aliæ non ita proficiunt) ad salutem tamen animarum referant, nec* POENITENTIAE LOCO PECVNIAM EMVNGANT - - *Quodsi interdum canonica sanctione pecuniaria pœna aut decreta aut decernenda sit, ea in pios tantum vsus eo ipso, quod exacta fuerit, assignetur, ne magis auaritiæ, quam correctionis causa extorta censeatur.* In *synodo anno 1651.* habita *decreto 29.* pariter admonentur archidiaconi, *vt visitationibus diligenter insistant, non tamen ad* EMVNCTIONEM, *sed* AD COMPVNCTIONEM *& emendationem.* Vtrobique respexerunt ad *concil. Tridentinum sess. XXV. de reform.* quo *c. 3. pœnæ pecuniariæ*, in *vsus* tamen *pios* conuertendæ, approbatæ sunt. Aut enim reducendas pœnitentias antiquas patres crediderunt, quod tamen fieri non poterat; aut hanc *commutationem* seu *redemtionem* permittendam, quæ tamen (1) ita exercenda esset, ne ab *inuitis* pœna pecuniaria exigeretur, sed instar *beneficii* illis concederetur, qui loco *pœnitentiæ* subeundæ hanc eleemosynam vel quasi sponte offerunt: (2) præterea quoque cauendum esset, ne lucro archidiaconorum vel eorum commissariorum cederet, quod *piis causis* addictum esset, vt in *cit. tr.* Dn. KRESSII *in appendice pag. 164.* responso ICtorum Coloniensium corroboratum est. Hæc vero sine dubio sunt pia desideria, quorum euentus non facile sperandus, interim tamen euincunt, pœnitentias hodie plusquam *veras pœnas* esse.

A qua non abstinuerunt archidiaconi.

Variis decretis non obstantibus.

Concilio tamen Tridentino suo modo hæc mulcta probata.

§. XIX.

§. XIX. Alteram causam huius decrementi constituit MORINVS *de admin. sacram. pœnit. lib. X. c. 19.* in *expeditionibus cruciatorum*, in fine seculi XI. susceptis, quam etiam agnoscit FLEVRIVS *tom. XVIII. histor. eccles. in disc. prælim. §. XI.* Neque enim derogatio quædam aut abolitio *expressa* vnquam facta, sed sensim & pedetentim ea secuta est ex nouo hoc instituto, quod autoritate & suasu VRBANI II. susceptum est ab infinita hominum multitudine. Etenim præmium huius *expeditionis* in eo consistebat, vt qui illam suscepisset, relaxationem immensarum pœnitentiarum delictis impositarum consequeretur. Inualuerat eo tempore, prout supra dictum, ea sententia, multiplicanda esse tempora pœnitentiarum pro singulis delictis, eiusdem generis sæpius reiteratis, vt immenso tempore sibi lugendum esse crederet adulter, qui per plures annos cum adultera quadam sese inquinauerat. Hæc noua computandi ratio plerosque deterrebat a pœnitentia tanti temporis suscipienda, a qua *in totum* liberabantur, hoc suscepto itinere, quod *plenarias indulgentias* peregrinantibus tribuebat. Inde factum, vt, quia tot hominum myriades ex vniuerso occidente se *cruce* signabant, antiquæ pœnitentiæ vsum suum amiserint. Expeditiones hæ locum *pœnitentiæ* intrabant, & antiquam eo ipso abolebant. Ait FLEVRIVS *cit. l. Tant que les croisades durerent, elles tinrent lieu de penitence; non seulement à ceux, qui se croisoient volontairement, mais à tous les grands pecheurs, à qui les eveques ne donnoient l' absolution, qu' à la charge de faire en personne le service de la terre sainte pendant un certain tems, ou d' y entretenir un nombre d' hommes armez. Il sembloit donc, qu' aprés la fin des croisades on du revenir aux anciennes penitences: mais l' usage en etoit interrompu depuis deux cens ans au moins, & les penitences etoient devenües arbitraires. Les eveques n' entroient plus gueres dans le détail de l' administration des sacramens: les freres mandians en etoient les ministres le plus ordinaires, & ces missionaires passageres ne pouroient suivre pendant un long tems la conduite d' un penitent, pour examiner les progrez & la solidité de sa conversation, comme faisoient autrefois les propres pasteurs: ces religieux etoient obligez d' expedier promptement les pecheurs pour passer à d' autres.*

Decreuerunt etiam (2) pœnitentiæ per expeditiones in terram S. quibus indulgentiæ plenariæ additæ, imo loco pœnitentiæ fuerunt.

§. XX. His ipsis verbis aperit nouam eamque *tertiam* huius decrementi causam, quam constituit in *ordinis mendicantium priuilegiis*, qui pererrantes orbem, pœnitentiam administrabant, & sine strepitu quoscunque, nouo more, *euentualiter* & sub *conditione* scilicet, absol-

(3) per ordines mendicantes, pœnitentiis præpositos.

absoluebant, si *arbitrariam* pœnitentiam iis impositam impleuissent, qui non amplius tot annorum luctum desiderabat. Misericordes hi mendicantium confessionarii erant, adeoque quorumcunque pœnitentium affluxum habebant, vt vere vnice huic negotio addicti essent, vnde tamen inuidiam episcoporum sibi attrahebant.

Denique (4) curia Romana per indulgentias concessas promouit abolitionem veterum pœnitentiarum,

§. XXI. Vltima denique causa ipsam curiam Romanam, ceu *matrem indulgentissimam*, concernit, & in nouiter ab ea assumtis quærenda est principiis. Interfuit rei Romanæ ad firmandum *imperium ecclesiasticum supremum*, vbique laxare iuris rigorem, & matris indulgentissimæ vbera omnibus præbere potius, quam dominatum, iam aliunde satis firmatum, exercere, cum hoc *odium*, illud *amorem*, *venerationem* & *obedientiam cæcam*, quam curia Romana vnice intendebat, generet atque producat. Dixi de hoc argumento in *dissert. prælim. ad tom. IV.*, & variis formulis curiæ Romanæ propriis hoc non illustraui tantum, sed etiam ostendi, quibus in caussis potissimum suam exhibere soleat indulgentiam, vt quotidianus ex omnibus mundi angulis ad hanc sedem, ceu ad *numen terrestre*, esset recursus. Potissimum vero petentibus veniam peccatorum indulgentem, vt piam matrem decuit, se præbuit, & facilis fuit in concedendis variis occasionibus *nouis* atque *inusitatis indulgentiis*.

a quibus different indulgentiæ antiquæ,

Hæ antiquitus nihil aliud erant, quam *relaxationes temporum* pœnitentibus præscriptorum, *ex causa prægnante*, cum plures circumstantiæ impedire potuerint, quo minus seueritas, quæ iam modum omnem excesserat, erga pœnitentes locum habere potuerit.

olim rariores,

Rarior tamen hæc indulgentia erat, cuiuscunque episcopi dispositioni & arbitrio relicta. Verum iam illa aduenerant tempora, quæ antiquum rigorem non amplius ferebant, nec consultum videbatur rei ecclesiasticæ, canones antiquos sequi, præsertim cum, decurrentibus mille annis, Romanum Imperium ad summum perruperat apicem, & quæuis negotia potiora ad suam reuocauerat sollicitudinem.

hodie profusissimæ ex nouo principio de thesauro ecclesiæ,

Inde noua a scholasticis assumta & in scenam producta sunt principia de *thesauro ineffabilium meritorum Christi & sanctorum*, vt *cit. diss. ex c. 7. extrau. commun. h. t.* obseruaui, vnde in *compensationem* pœnæ pro peccatis subeundæ indigentibus larga manu aliquid dari & præberi posset, quod *pœnitentiarum* defectum largissime suppleret, & *satisfactionis* vicem habere posset, si modo conditio, sub qua conceduntur indulgentiæ, impleta fuerit, quæ potissimum *denarium sacrum* concernit.

soluto sacro denario.

Sic indulgentiæ, quæ liti inter LVTHERVM & TEZELIVM, imo ipsam *curiam Romanam*, causam dederunt, iis concessæ fuerunt plenariæ, qui ad

ad *reparationem Basilicæ S. Petri* adiutrices manus præbuerunt, & quæstoribus seu collectoribus horum nummorum dona promtissima obtulerunt manu, vt *formula harum indulgentiarum*, relata ab HERMANNO VAN DER HARDT *in hist. liter. reformat. P. IV. p. 2.* designat, & illustrant *reformationis historiæ scriptores*, vt SECKENDORFFIVS, TENZELIVS, LOESCHERVS aliique. Formulæ similes, in quibus aliæ conditiones sunt præscriptæ his, qui indulgentiarum commodis frui voluerunt, adlatæ sunt a Dn. KAPPIO in der Sammlung einiger zum Päbstlichen Ablaß gehörigen Schrifften *p. 18. sqq.* adiecta *p. 19. summaria instructione pro Commissariis*, & Dn. VALENTINO ERNESTO LOESCHERO in *actis & documentis reformationis tom. I. c. 18. pag. 361.* Nouæ semper excogitatæ formulæ inusitatæ, sed, vt ventosi quæstores clamabant, efficaciores præcedentibus, vt pinguior & lucrosior indulgentiarum redderetur nundinatio, & qui paulo ante eas acquisiuerant, inducerentur cœco impetu, etiam ad has nouas acquirendas. Celebris inprimis ea formula fuit: *ac si visitasset basilicas vrbis tempore iubilei*, de cuius imaginario effectu *§. 15.* actum, quæ etiam hodie *plena virtutis* esse creditur. Cum itaque hæ merces admodum venales & simul in deliciis plebis cœcæ & creduli orbis essent, auctæ infinitis modis sunt harum mercium expositiones. Non erant *ecclesiæ* aut *capellæ*, non *altaria*, quæ carerent indulgentiis, vel quæ quorundam annorum dierumque pœnitentiis præscriptorum libertatem & remissionem non concederent, qui ad altare dona offerebant consueta, quod TENZELIVS *in histor. reform. P. I. p. 99. sqq.* specialius exponit. Qui tales *indulgentias* ecclesiis, capellis, atque altaribus acquirebant, *opus meritorium* fecisse credebantur, vt ipsis indulgentiarum priuilegiis meriti huius memoria annecteretur, alia vt non tangam.

vel aliis conditionibus impletis.

Capellis etiam & ecclesiis varia indulgentiarum priuilegia data.

§. XXII. Conceduntur autem iuxta *c. 2. extrau. comm. h. t.* indulgentiæ *nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ;* nam pœnitentiæ per capitis diminutionem statum suum priscum iam dudum amiserunt, & in *pœnas temporales* mutatæ fuerunt, quæ vel *in totum* vel *pro parte* remitti possunt intuitu temporis mensuræ, antiquitus præscriptæ, vt PASSERINVS *de indulgent. qu. 12. & 14.* ex mente curiæ Romanæ enucleat. Censetur enim *plenitudo potestatis* vnice in *pontifice* residere, per quam *totales, plenarias & illimitatas*, si vult, concedere potest *indulgentias*, si credimus PASSERINO *cit. l. qu. 85.* Episcoporum potestas creditur *subordinata & minus plena*, adeoque *limitatas* tantum concedunt inpulgentias ad

Conceduntur indulgentiæ vel in totum vel pro parte,

plenariæ a pontifice,

ab episcopis limitatæ,

ad annum vel XL. dies,

ad *annum* vel *XL. dies.* Ita cauit INNOCENTIVS III. in *c. 14. X. h. t.* aiens: *quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam ecclesiarum prælati facere non verentur, & claues ecclesiæ contemnuntur, & pænitentialis satisfactio eneruatur, decernimus, vt cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia vltra* ANNVM, *siue ab vno solo, siue a pluribus episcopis dedicetur, ac deinde in anniuersario dedicationis tempore XL.* DIES *de iniunctis pænitentiis indulta remissio non excedat.*

propter indiscretas indulgentias.

Hoc etiam repetitum in *c. 3. h. t. in 6.*, sub pœna *nullitatis*, vt vires non obtineat indulgentia, quæ statutum tempus excedit. Hæc constitutio in *concilio Lateranensi* sine dubio facta est contra *indiscretas indulgentias* eo tempore vsitatas, quibus ad *myriades annorum* indulgebatur remissio *pænæ temporalis*, vt *Kalendaria indulgentiarum* a Dn. KAPPIO *cit. l.* exhibita docent, ex opinione, sæpe relata, assumta de *multiplicando tempore* iuxta quantitatem reiterati delicti eiusdem generis. Hoc dogma *directo* abolere noluisse videntur patres huius concilii; *per indirectum* tamen eidem cladem intulerunt, restringendo *indulgentias episcopales* ad *XL. tantum dies*, quamuis *cardinales* concedere soleant vsque ad *centum dies*, teste PASSERINO *cit. qu. 85. n. 628.*

Indulgentiæ ecclesiis ad augendos reditus datæ ad XL. dies, qui XL. dies pia fraude multis modis multiplicatæ. Erici Aepiscopi priuilegium indulgentiarum ecclesiæ D. Vdalrici huius loci datum XL. dies cum carena. XL. dierum addiderunt carenam ex ratione subtili.

§. XXIII. Inprimis vero ad promouendum concursum populi ad ecclesias priuilegiatas, earumque reditus augendos ad *XL. dies* indulgentiæ in perpetuum illis sunt concessæ, sed variis *artibus piis* auctæ, vt *per indirectum* plurium annorum indulgentiis gauderent. *Artificium* hoc *pium* illustrabo exemplo ecclesiæ huius loci, *D. Vdalrico* dicatæ, & pluribus *indulgentiarum priuilegiis* instructæ. Anno 1291. ERICVS Archiepiscopus Magdeburgensis concesserat huius ecclesiæ indulgentias *XL. dierum* cum *carena*, quæ est *ieiunium XL. dierum in pane & aqua* iuxta *c. 8. X. de accusat.* & *c. 2. X. de sponsa duor.* Cum enim in quædam delicta constituta esset *carena* cum *aliquot annorum pænitentia*, vt in *c. cit. 8.* ei, qui per calumniam accusauerat aliquem, vnde capitali affectus erat supplicio, imposita fuit *carena cum septem annorum pænitentia*, inde collegerunt, pœnitentiam esse vel *specialem*, ieiunium *XL. dierum in pane & aqua* continentem: vel *generalem*, quæ pluribus annis, quibus lugere & variis afflictionibus semet macerare debet, circumscribitur, adeoque indulgentiam *XL. dierum*, quibus coarctata est *indulgentia communis* episcoporum, non excludere remissionem *carenæ* seu *ieiunii XL. dierum*, quod etiam ad idem tempus restrictum est. Priuilegium prædictum est huius tenoris:

ERI-

„ERICVS Dei gratia sancte Magdeburg. ecclesie Archiepiscopus, „universis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum pervenit, salu„tem in eo, qui est omnium vera salus. Gratum obsequium & Deo „pium tociens impendere opinamur, quociens mentes fidelium ad pie„tatis & devocionis opera excitamus. Quapropter de omnipotentis Dei „misericordia ac sue matris Marie virginis gloriose, nec non beato„rum Petri & Pauli Apostolorum ac sancti Mauritii, *patroni nostri*, „meritis, ac autoritate & nostra confisi, omnibus vere pœnitentibus & „confessis, qui in quatuor festivitatibus beate virginis Marie, ac Apo„stolorum & beati VDALRICI confessoris, nec non sabbatis per circu„lum anni & in ceteris festivitatibus *ejusdem ecclesie*, ad *eandem eccle„siam* causa devocionis accesserint, & eidem in structura aut alia ne„cessitate qualicumque manum adiutricem porrexerint, *quadraginta „dies* & *carenam* de *injuncta eis pœnitentia* misericorditer in Domino „relaxamus, in cuius rei testimonium presens scriptum duximus sigil„lendum, Datum Magdeburg Anno Domini MCCXCI. in die Inno„centum, pontificatus nostri Anno nono.

§. XXIV. Enimuero hæc indulgentia paucorum dierum cum *carena* haud sufficere visa fuit ecclesiæ huius, D. VDALRICO sacratæ, *venerationem* & *existimationem* amplificandam, inde excogitata hæc cautela fuit, vt etiam ab aliis episcopis, quorum semper Romæ adest magna copia, indulgentiæ ei *ad XL. dies* concederentur. Quamuis enim episcopus non nisi subditis suis eas dare queat, & ita etiam privilegium tale a diœcesano ecclesiis sibi subiectis concedendum sit, obseruante PASSERINO *cit. l. qu. 85. n. 621.* nihil tamen impedit, quo minus etiam *extranei* hanc gratiam indulgere possint, *accedente approbatione ordinarii.* Tale diploma indulgentiarum, quod *episcoporum quatuordecim*, Romæ anno 1295. consistentium, sigillis munitum est, prædicto anno impetrauit ecclesia D. VDALRICO dicata, quod *Archi-episcopus* Magdeburgensis post biennium confirmauit, huius tenoris:

Ab aliis quoque episcopis huic ecclesiæ indulgentiæ ad XL. dies concessæ,

cum approbatione diœcesani,

„Vniuersis sancte matris ecclesie filiis, ad quos presentes litere „pervenerint, Nos Dei gracia PAVLVS Melfetanus, IACOBVS Ace„nensis, LAMBERTVS Veglensis, HVBERTVS Feretranus, CIPRIA„NVS Bovensis, ROMANVS Circensis, ANDREAS Liocensis, PER„RONVS Larmensis, AMARDVS Lucerne, frater MICHAEL Alba„nie, AZO Casertanus, FRANCISCVS Fanensis, DANIEL Liquedo„mensis, ROGERVS sancte Severine, PETRVS Stagin. & Curzule epi„scopi salutem in domino sempiternam. Omnes stabimus ante tri-

a quatuordecim episcopis Romæ consistentibus.

„bunal domini nostri Iesu Christi, recepturi prout in corpore gessimus, „sive fuerit bonum, sive malum, idcirco oportet nos diem messionis „extreme nostre, bonis operibus prevenire, ac eternorum intuitu se„minare in terris, quod reddente domino cum multiplicato fructu re„colligere valeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes: „quemadmodum, vt ait Apostolus, qui parce seminat, parce & metet, „qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam eter„nam. Cupientes igitur, vt ecclesia sancti Odalrici in Hallis Magde„burgensis diœcesis, congruis honoribus frequentetur, & a cunctis „Christi fidelibus jugiter veneretur, omnibus vere penitentibus & con„fessis, qui ad dictam ecclesiam sancti Odalrici parrochialem caussa deuo„cionis seu peregrinacionis in festivitatibus subscriptis, videlicet nati„vitatis domini nostri Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphanie, in cena „domini, & in festo Pasce, Ascensionis, Pentecosten, & in quatuor „festis sancte semper virginis Marie, in diebus rogacionum, sanctorum „Johannis baptiste, Georgii & Laurentii martirum, Martini, Liuini „& Nicolai confessorum, beatorum Petri & Pauli ac omnium aliorum „apostolorum sanctorum, Johannis Evangeliste, & Odalrici predicte „ecclesie patroni, sanctarum Margarete, Katarine & Lucie virginum, „ac beate Marie Magdalene, beati Michaelis archangeli, ac in festo „omnium sanctorum & in dedicacionibus predicte ecclesie & omnium „altarium ibidem existencium, & per octavas perdictarum festivitatum, „& in singulis diebus dominicis, & sextis feriis quadragesime, & in sin„gulis sabbatis annuatim, & in animarum omnium accesserint, & ibi„dem divinum officium singulis sabbatis de beata virgine Maria, quod „in summo altari inibi cantabitur, vel predicationem dei vsque in fi„nem devote audierint, nec non qui secundum evangelice doctrine ex„ortacionem, vbi dicitur, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, „sed habebit lumen vite eterne, qui plebano dicte ecclesie seu ipsius„met vices gerentibus infirmos cum corpore Christi visitantibus spi„ritu humilitatis prebuerint comitivam, seu qui singulis diebus domi„nicis cum plebano & clericis suis dicte ecclesie seu eius vices gerentibus „cymiterium urbicum circumierint, & orationem dominicam cum sa„lutatione angelica pro remedio omnium animarum ibidem requie„scencium & animabus omnium fidelium defunctorum dixerint mente „pia, seu qui predicte ecclesie fabrice reparacionibus, luminaribus, „libris, vestimentis, calicibus, campanis seu quibuscunque aliis necessa„riis manus adjutrices porrexerint, vel quicquam facultatum suarum „eidem

„eidem ecclesie in extremis legaverint, donaverint, miserint, per se vel „per alios quocumque modo licito procuraver nt. Nos de omnipo-„tentis Dei misericordia beatorum Petri & Pauli apostolorum eius „auctoritate confisi *singuli nostrum* singulas dierum quadragenas de „injunctis sibi pœnitentiis, dummodo consen us diœcesani ad id acces-„serit, misericorditer in domino relaxamus. In cuius rei testimonium „presenti scripto sigilla nostra duximus apponenda. Datum Rome „anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus „domini Bonifacii Pape VIII. anno primo.

„Nos Borchardus Dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie „Archiepiscopus, universis cupimus esse notum, quod indulgenciam „a diversis Episcopis impetratam, ad ecclesiam beati Vdalrici intra mu-„ros civitatis Hallensis nostræ diœcesis ratam habemus, seruabimus „quoque gratam, super quo omnibus vere contritis & confessis ejus-„dem ecclesie benefactoribus de omnipotentis Dei misericordia & bea-„torum Petri & Pauli Apostolorum ejus autoritate ac gracia confisi, „quadraginta dies indulgenciarum, de injuncta sibi pena, misericor-„diter relaxamus, ipsorum indulgenciam cum alia, sicut est supra scri-„ptum, in presenti litera confirmantes. In cujus rei testimonium, „eandem literam nostri sigilli munimine jussimus roborari. Hall „Anno domini MCCXCVII. in dominica, qua cantatur: exurge.

Confirmatio & approbatio archiepiscopi,

In hoc diplomate notanda est formula: *Singuli nostrum singulas dierum quadragenas de iniunctis sibi pœnitentiis, dummodo diœcesani consensus ad id accesserit, relaxamus*, qua indigitatur, (a) singulos in diplomate notatos remissionem *quadragenæ* indulgere: (b) *quadragenam XL.* dies complecti, vt recte obseruat PASSERINVS *cit. tr. qu. XIV. n. 143.* adeoque errasse CHEMNITIVM *in exam. concil. Trid. P. IV. loc. 3. c. 4. p. 91.* per *quadragenam* tres *carenas* seu *tres quadragesimas* intelligendas esse, cum vltra *XL. dies* singuli remissionem indulgere haud potuerint: (c) desideratum fuisse *consensum diœcesani*, qui etiam accessit, cum noua *XL. dierum* gratia, atque ita in hoc diplomate 600. *dierum indulgentiam* pro singulis actibus piis in eo designatis datam. Ex eadem pia fraude profectum est diploma indulgentiarum a *cardinalibus XXIV. capellæ S. Rochi in templo cathedrali Lubecensi* anno 1515. datum, apud CASPARVM HENRICVM STARCKEN *in histor. Lubec. eccl. P. I. p. 83.*, in quo singuli de iniunctis pœnitentiis *centum*, h. e. omnes simul 2400. *dies* relaxarunt.

Vt XL. dies tot vicibus multiplicentur, quot essent concedentes.

§. XXV.

Nouæ indulgentiæ a quatuor episcopis eidem datæ ecclesiæ. Rursus a sex.

§. XXV. Porro sub dato *Halæ 12. Septembr. 1430.* BERNHARDVS Episcopus Hebronnensis, suo, & *Archiepiscopi Magdeburgensis*, ac episcoporum *Hildesiensis* & *Brandeburgensis* nomine nouam indulgentiam & quidem singuli, *XL. dies cum Carena*, qui 320. dierum remissionem continent, ecclesiæ huius loci prædictæ dederunt. Rursus anno 1361. *sex episcopi ex Auenionensi ciuitate* longe plura opera deuotionis designarunt, quibus indulgentia *XL. dierum*, a singulis *separatim* concessa, in prædicta ecclesia acquiri potuit. En ipsum diploma, consensu Archiepiscopi PETRI, & noua eiusdem gratia *XL. dierum* munitum, vnde & nouæ 280. *dierum indulgentiæ*, facta multiplicatione, priuilegium accepit:

„Uniuersis sancte matris ecclesie filiis, ad quos presentes litere „pervenerint. Nos miseratione divina RICHARDVS Naturensis, „RAPHAEL Archadiensis, LAZARVS Boutrontinensis, PETRVS Valonensis, AVGVSTINVS Salubriensis, PAVLVS Sirapetrensis, episcopi, salutem in domino sempiternam. Splendor paterni luminis, „qui sua mundum ineffabili illuminat claritate, pia vota fidelium de „sua clementissima majestate sperantium, tunc enim precipue benigno „favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum meritis „& precibus adjuvatur. Cupientes igitur, vt parochialis ecclesia sancti „Odalrici opidi Hallis Magdeburgensis dioeceseos congruis honoribus „frequentetur, & a Christi fidelibus jugiter veneretur, omnibus vere „penitentibus contritis & confessis, qui ad dictam ecclesiam in singulis sui „Patroni ac beate Marie virginis & omnium Apostolorum & evange„listarum & per totum annum festivitatis, nec non in singulis totius „anni quatuor temporibus ac in communi animarum septimana ac sin„gulis secundis feriis totius anni predicti accesserint, & ipsius ecclesie „sancti Odalrici predicti totum cimiterium solemniter, & devote cir„cuierint, nec non qui huiusmodi cimiterii circuitu interfuerint, ac in „omnibus infra scriptis videlicet natalis domini, circumcisionis, Epi„phanie, Parasceves, Pasce, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, „Corporis Christi inventionis & exaltationis sancte crucis, sancti Mi„chaelis Archangeli, sanctorum Johannis Baptiste & evangeliste, & „quatuor ecclesie doctorum, in festo omnium sanctorum, & comme„moracione fidelium animarum predictarum, ac in dicte ecclesie de„dicacionibus, ac per octavas omnium festivitatum predictarum octavas „habencium, singulisque diebus dominicis & sabbatis ac festivis causa „devocionis, oracionis seu peregrinacionis accesserint, &, ut prefertur, „dictum

„dictum cimiterium circuierint, seu ipsius Cimiterii circuitu interfue-
„rint, seu qui de beata virgine et pro defunctis missas singulis diebus
„dominicis, et diebus Apostolorum, et singulis secundis feriis tocius
„anni predicti devote legerint seu cantauerint, et qui dictis missis,
„tempore et diebus predictis devote interfuerint, aut qui aliis missis,
„predicationibus, matutinis, vesperis aut aliis diuinis officiis ibidem de-
„vote interfuerint, vel qui corpus Christi aut oleum sacrum, cum ibidem
„portentur, usque ad dictum Cimiterium ipsius ecclesie, et usque ad
„portam ipsius ecclesie reverenter secuti fuerint, nec non qui seroti-
„num pulsum maioris campane audiuerint, et in ipsius pulsatione fle-
„xis genibus ter pater noster et ave Maria dixerint, seu qui ad fabri-
„cam, luminaria, vestimenta, libros, calices seu quevis alia ornamen-
„ta dicte ecclesie, *aurum, argentum vel aliquod caritativum subsidium*
„*donaverint, legaverint, seu donari vel legari procuraverint*, seu quo-
„vis alio modo dicte ecclesie manus porrexerint adiutrices; aut qui
„pro reverendo patre domino Archiepiscopo Magdeburgensi *prece-*
„*dentium confirmatore*, ac pro discreto domino Gerhardo ipsius ec-
„clesie sancti Odalrici plebano harum literarum impetratore, ac pro
„animabus omnium parentum suorum Deum pie exoraverint, quo-
„ciensçunque quandocunque et ubicunque premissa vel *aliquod premis-*
„*sorum* devote fecerint, de omnipotentis Dei misericordia et beato-
„rum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, *singuli no-*
„*strorum quadraginta dies* indulgentiarum de injunctis eis penitenciis
„misericorditer in domino relaxamus, *dummodo diœcesani voluntas*
„*ad id accesserit* et *consensus*. In cujus rei testimonium sigilla nostra
„presentibus literis sunt appensa. Datum Avinione anno domini
„millesimo trecentesimo sexagesimo primo. Indictione XIV. die
„prima mensis Ianuarii, Pontificatus domini Innocentii Pape sexti
„anno nono.

Addita est membranæ *confirmatio diœcesani* huius tenoris: „PETRVS Dei et Apostolice sedis gratia sancte Magdeburgensis eccle-
„sie Archiepiscopus, uniuersis Christi fidelibus presencia inspecturis,
„salutem in domino sempiternam. Animarum saluti benigno pro-
„videre volentes affectu prescriptas indulgencias, et alia in huiusmo-
„di litera, cui presens nostra litera sigillo nostro sigillata et affixa est,
„contenta rata habemus atque grata, auctoritateque nostra ordinaria
„approbamus, et etiam presentibus confirmamus. Insuper omnibus

Confirmatio Diœcesani.

„vere penitentibus confeffis et contritis, qui beneficia in prædicta li-„tera contenta fecundum eorum poffibilitatem pro parte vel in toto „impleuerint, de benignitate faluatoris domini noftri Jefu Chrifti „et gloriofe virginis Marie matris ejus, nec non beatorum Petri „et Pauli Apoftolorum ejus et fancti Mauricii patroni noftri auctori-„tate confifi, quadraginta dies indulgenciarum de injunctis ipfis peni-„tenciis in domino mifericorditer relaxamus. Datum in caftro no-„ftro Gebikenfteyn Anno Domini millefimo trecentefimo feptuagefi-„mo fecundo in vigilia Pafche.

Nouum augmentum prioribus acceffit per indulgentiam Petri epifcopi in partibus infidelium.

§. XXVI. Auxit numerum bonorum operum, quibus in hac ecclefia *XL. dierum* noua indulgentia impetrari potuit, anno 1436. PETRVS Epifcopus in *partibus infidelium*, Archiepifcopi Magdeburgenfis *Vicarius in Pontificialibus*, cuius diploma etiam hic adiiciam:

„PETRVS, Dei et Apoftolice fedis gratia Epifcopus Berfabe-„enfis, reverendiffimi in Chrifto patris et domini domini Guntheri „fancte Magdeburgenfis ecclefie Archiepifcopi Vicarius in Pontificia-„libus, univerfis fancte matris ecclefie filiis falutem in domino fempi-„ternam. Paftoralis officii nos cura follicitat per amplius et aftringit, „ut his, que divinum cultum augent, et ad falutem proficiunt ani-„marum, vigilantibus ftudiis intendamus. Cupientes igitur, ut eccle-„fia parrochialis fancti Olrici in Hallis Magdeburgenfis dyocefis con-„gruis honoribus frequentetur, atque a Chrifti fidelibus jugiter vene-„retur, omnibus vere penitentibus contritis et confeffis, qui ad ipfam „ecclefiam in feftivitatibus precipuis, videlicet nativitate Chrifti, Epi-„fanie, Pafche, Afcenfionis, Pentecoftes, corporis Chrifti, Johannis „Baptifte et omnium fanctorum atque in omnibus et fingulis feftivita-„tibus glorififfime virginis Marie, ut conceptionis, nativitatis, an-„nunciacionis, purificacionis, vifitacionis, affumpcionis ac in omni-„bus et fingulis feftivitatibus Apoftolorum, in commemoracione „omnium fidelium defunctorum, in dedicacione ipfius ecclefie, et pre-„cipue in fefto beati Olrici ac aliorum patronorum ipfius ecclefie, et „per octavas eorundem caufa devocionis, oracionis feu pereginacio-„nis acceflerint, et qui ad fabricam luminaria atque alia neceffaria de-„derint feu manus porrexerint adjutrices, et qui in eorum teftamen-„tis vel extra, aurum, argentum, veftimentum feu aliqua caritativa „fubfidia dicte ecclefie legaverint, donaverint, feu procuraverint, „vel pias eleemofinas dederint, vel qui presbitero dicte ecclefie, cum

„defert

„defert ſacramentum eukariſtie vel ſacramentum ſacre unctionis ad „infirmos, devote comitativam fecerint, vel qui ad ſonitum campane, „cum de ſero pro ſalutatione glorioſiſſime virginis Marie pulſatur, „Angelicam ſalutationem flexis genibus tribus vicibus cum devocio-„ne dixerint, quocienscunque quicunque premiſſa fecerint ſeu ali-„quod premiſſorum, de merito confeſſorum beneficioque ſacratiſſime „paſſionis, domini noſtri Jeſu Chriſti, auctoritate confiſi quadraginta „dies indulgentiarum de ipſorum injunctis penitentiis miſericordi-„ter in domino relaxamus, inſuper eandem graciam facimus atque „easdem indulgencias concedimus omnibus vere penitentibus, qui „ibidem coram ymaginibus argenteis nec non conſecratis, videlicet „coram ymagine glorioſiſſime virginis Marie, vel coram ymagine „ſancti Olrici quinque pater noſter et totidem ave Maria flexis geni-„bus cum devocione dixerint. Datum Magdeborch anno domini „MCCCCXXXVI. ipſo die Epiſanie domini, noſtro ſub ſigillo pre-„ſentibus appenſo.

Noua indulgentia centum dierum a cardinale Nicolao huic eccleſiæ data.

§. XXVII. Indulgentiam *centum dierum* nouam anno 1451. prædicta eccleſia accepit a cardinale NICOLAO, legato per Alemanniam conſtituto, dum Magdeburgi commoraretur, virtute huius diplomatis:

„NICOLAVS miſeracione divina tituli ſancti Petri ad vincula „ſacroſancte Romane eccleſie Presbiter cardinalis, Apoſtolice ſedis per „Alemanniam legatus, univerſis et ſingulis Chriſti fidelibus, ſalutem in „domino ſempiternam. Splendor paterne glorie, qui ſua mundum „illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de ipſius clementiſ-„ſima majeſtate et miſericordia ſperancium, tunc precipue benigno fa-„vore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas ſanctorum preci-„bus et meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut eccleſia parrochialis „ſancti Vdalrici opidi Hallis Magdeburgenſis dioceſis congruis hono-„ribus frequentetur, fideleſque ipſi eo libencius devocionis cauſa „confluant ad eandem, quo inibi dono celeſtis gratie uberius conſpe-„xerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia ac beatorum „Petri et Pauli Apoſtolorum ejus meritis, et auctoritate confiſi, „omnibus vere penitentibus et confeſſis, qui in nativitatis, circumci-„ſionis, Epiphanie, reſurrectionis, aſcenſionis et corporis domini no-„ſtri Jeſu Chriſti, Penthecoſtes nec non nativitatis, Purificationis, an-„nunciacionis aſſumptionisque beate Marie virginis et nativitatis beati „Johannis Baptiſte, dictorumque Petri et Pauli Apoſtolorum, ac

 „ipſius

„ipsius ecclesie dedicationis et patroni festivitatibus celebritate quo-
„que omnium Sanctorum eandem ecclesiam devote visitaverint, et di-
„vinis interfuerint, ibidemque atque de bonis sibi a Deo collatis pro
„ejusdem ecclesie structura et ipsius ornamentorum augmento et re-
„paracione manus porrexerint adjutrices, *centum dies* de iniunctis eis
„penitenciis misericorditer in domino relaxamus, *presentibus perpe-
„tuo duraturis.* Datum Magdeburge sub nostro sigillo die tunc
„vicesima prima mensis Junii anno a nativit. domini millesimo qua-
„dringentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus sanctissimi in Chri-
„sto patris, et domini nostri, domini Nicolai, divina providentia Pa-
„pe quinti, anno quinto.

Accessit confirmatio ERNESTI Archiepiscopi Magdeburg. cum *noua XL. dierum gratia*, atque ita incrementum 140. dierum prioribus accepit ecclesia prædicta:

Confirmatio diœcesani.

„ERNESTVS, Dei et Apostolicæ sedis gratia sancte Magde-
„burgensis Archiepiscopus, primas Germanie et Halberstadiensis ec-
„clesiarum Administrator, Dux Saxonie, Landgrauius Thuringie ac
„Marchio Misne, publice profitentes recognoscimus, Nos omnes
„et singulas indulgentias, a reverendissimo in Christo patre domino
„sacrosancte Romane ecclesie Cardinali supradicto ad ecclesiam par-
„rochialem sancti Vdalrici in oppido Hallis Magdeburgensis nostre
„diocesis gratiose datas et concessas, auctoritate nostra ordinaria ap-
„probasse et confirmasse, quasque presentibus Dei nomine auctorita-
„te predicta ratificamus, approbamus et confirmamus, nostras qua-
„draginta indulgentiarum dies modo et forma atque temporibus su-
„prascriptis adiicientes. In quorum fidem et testimonium has no-
„stras roborationis literas connexas sigilli nostri jussimus et fecimus
„appensione communiri. Datum in castro nostro Gebichenstein,
„anno domini millesimo quingentesimo die mercurii XXI. Mensis
„Octobris.

Nouum augmentum indulgentiarum a VI. cardinalibus prioribus superadditum.

§. XXVIII. Cum ergo pleniores cardinalium essent concessiones, quidam doctor iuris VOLCKMARVS KOYAV, ciuis Hallensis, æstu quodam singularis deuotionis vel quasi, iter Romam suscepit, et *duobus diplomatibus*, a *X. cardinalibus* ecclesiæ, D. VDALRICO sacratæ, anno 1454. nouas indulgentias, *centum dierum* remissionem, a singulis indultam, continentes, peperit, ab ERNESTO confirmatas, noua singulis diplomatibus adiecta *XL. dierum* gratia, ita vt ex hoc acquestu pro singulis operibus piis, ibidem designatis, pœnitentibus

1080.

1080. dierum relaxationem offerre et communicare potuerit modo designata ecclesia, indulgentiis iam abundans, priores si addideris. En vtrumque diploma, quorum primum a *sex cardinalibus* subsignatum:

GEORGIVS Prenestinus, ISIDORVS Sabinensis Episcopi, „GVILLERMVS tituli sancti Martini in montibus, ANTONIVS titu„li sancti Grisogoni, LATINVS tituli sanctorum Johannis et Pauli „Presbiteri, PROSPER tituli sancti Georgii ad velum aureum Dya„conus, miseratione divina sacrosancte Romane ecclesie Cardinales, „universis et singulis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis, „salutem in domino sempiternam. Splendor sempiterne glorie, qui „sua mundum ineffabili illuminat claritate, pia vota fidelium, de cle„mentissima ipsius majestate sperantium, tunc precipue benigno fa„vore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum preci„bus et meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia „sancti Vdalrici oppidi Hallensis Magdeburgensis diocesis congruis „honoribus frequentetur, fidelesque ipsi eo libentius devotionis causa „confluant ad illam, quo ex hoc ibidem celestis dono gracie ube„rius se noverint refectos, et a Christi fidelibus jugiter veneretur, de „omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolo„rum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis vere penitentibus „et confessis, qui dictam ecclesiam in nativitatis, circumcisionis, Epi„phanie, resurrectionis, ascensionis, pentecostes, trinitatis et corpo„ris domini nostri Jesu Christi, nec non singulis gloriose virginis „Marie, ac nativitatis beati Johannis Baptiste, duodecim Apostolo„rum, quatuor Evangelistarum, ac sancti Michaelis Archangeli, „omniumque sanctorum, et ipsius ecclesie dedicationis ejusque patro„ni festivitatibus et celebritate devote visitaverint annuatim, et ad re„parationem et conservationem edificii, calicum, librorum, alio„rumque ornamentorum pro divino cultu inibi necessariorum manus „porrexerint adjutrices, nos cardinales prefati et quilibet nostrorum „pro qualibet die ipsarum festivitatum et celebritate hujusmodi cen„tum dies indulgentiarum de injunctis eis penitentiis misericorditer in „domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus du„raturis. In quorum fidem et testimonium presentes nostras literas „fieri, nostrorumque cardinalatuum sigillorum jussimus et fecimus ap„pensione muniri. Datum Rome sub anno a nativitate domini mille„simo quadringentesimo quinquagesimo quarto, die vero Lune sexta

 „men-

„mensis Maji, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini „Nicolai, divina providentia Pape quinti, anno octavo.

Confirmatio Archiepiscopi.

Adiuncta est huic membranæ confirmatio hæc Dicecesani: „ERNESTVS, Dei et Apostolice sedis gratia sancte Magdeburgensis „Archiepiscopus, Primas Germanie et Halberstadiensis ecclesiarum Ad„ministrator, Dux Saxonie, Lantgravius Thuringie ac Marchio Mis„ne, publice profitentes recognoscimus. Nos omnes et singulas in„dulgentias, a reverendissimis in Christo patribus dominis, sacrosancte „Romane ecclesie cardinalibus supradictis ad ecclesiam parrochialem „sancti Vdalrici opidi nostri Hallis Magdeburgensis nostre diocesis „gratiose datas, et concessas, auctoritate nostra ordinaria approbasse et „confirmasse, quasque presentibus Dei nomine auctoritate predicta „ratificamus, approbamus et confirmamus, nostras quadraginta indul„gentiarum dies modo et forma atque temporibus suprascriptis adii„cientes. In quorum fidem et testimonium has nostras roborationis „literas connexas sigilli nostri jussimus et fecimus appensione com„muniri. Datum in castro Gebichenstein anno domini millesimo „quingentesimo die Marcurii XXI. mensis Octobris.

In fine adiecta est notitia eius, qui hanc indulgentiarum gratiam Rome impetrauerat, et quidem, vt additur, in *propria persona*, quod *singularis meriti* argumentum est:

Ob laudem, gloriam et honorem Dei omnipotentis ejusque gloriose virginis matris Marie totiusque celestis curie pro salute animarum venerabilis dominus VOLCKMARVS KOYAV *arcium liberalium et utriusque juris doctor has indulgentias* PROPRIA IN PERSONA in *Romana curia impetravit anno, ut patet in data.*

Sequitur alterum diploma, a quatuor cardinalibus subsignatum:

Indulgentia quatuor cardinalium eidem ecclesiæ concessa.

„GEORGIVS Episcopus Penestus, ISYDORVS Episcopus „Sabinensis tituli sanctorum Marcellini et Petri, LATINVS tituli „sanctorum Johannis et Pauli, PROSPER tituli sancti Georgii ad „velum aureum Dyaconus, miseratione divina sancte Romane eccle„sie cardinales, universis et singulis Christi fidelibus presentes literas „inspecturis, salutem in domino sempiternam. Splendor paterne „glorie, qui sua mundum ineffabili illuminat claritate, pia vota fide„lium de clementissima ipsius majestate sperancium tunc precipue „beni-

„benigno favore profequitur, cum devota ipforum humilitas fancto-
„rum precibus et meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut parrochia-
„lis ecclefia fancti Vdalrici, opidi Hallis Magdeburgenfis diocefis con-
„gruis frequentetur honoribus fidelesque ipfi eo libencius devocio-
„nis caufa confluant ad illam, quo ibidem celeftis dono gratie uberius
„fe noverint refectos, ac a Chrifti fidelibus jugiter veneretur, de
„omnipotentis Dei mifericordia, et beatorum Petri et Pauli Apofto-
„lorum ejus auctoritate confifi omnibus et fingulis vere penitentibus
„et confeffis, qui dictam ecclefiam in nativitate, circumcifionis, Epi-
„phanie, refurrexionis, afscenfionis, pentecoftes, trinitatis, et cor-
„poris domini noftri Jefu Chrifti, nec non nativitatis, annunciatio-
„nis, conceptionis, purificationis atque vifitacionis beate Marie fem-
„per virginis, ac nativitatis Johannis Baptifte, duodecim Apoftolo-
„rum, quatuor Evangeliftarum, fancti Michaelis Archangeli, fancti
„Mauricii, Marie Magdalene, atque Vdalrici, omnium fanctorum
„et ipfius ecclefie dedicacionis feftivitatibus et celebritate ac eciam ad
„officium nove proceffionis et ftacionis pro affumpcione ipfius glo-
„riofe Marie virginis venientibus nec non in omnibus et fingulis die-
„bus Jovis per circulum anni miffam, de corpore Chrifti omnibus
„diebus Veneris, ac in quocunque altari miffam de paffione domini
„noftri Jefu Chrifti, antequam vel poft cantetur vel dicetur refpon-
„forium tenebre, devote vifitaverint annuatim, et ad reparacionem
„et confervacionem edificii, calicum, librorum, aliorumque orna-
„mentorum pro divino cultu inibi neceffariorum, manus porrexe-
„runt adjutrices, nos cardinales præfati et *quilibet noftrorum pro quoli-
„bet die* ipfarum feftivitatum et celebritate huiusmodi, centum dies
„indulgenciarum de iniunctis eis penitentiis, mifericorditer in domi-
„no relaxamus, prefentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.
„In quorum fidem et teftimonium prefentes noftras literas fieri, no-
„ftrorumque cardinalium figillorum juffimus et fecimus appenfione
„communiri. Datum Rome fub anno a nativitate domini millefimo
„quadringentefimo quinquagefimo quarto, die vero decima menfis
„Maji, Pontificatus fanctiffimi in Chriftro patris et domini noftri, do-
„mini Nicolai, divina providentia Pape quinti, anno octavo.

Confirmatio dioecefani.

„ERNESTVS Dei et Apoftolice fedis gratia fancte Magdebur-
„genfis Archiepifcopus, Primas Germanie, et Halberftadienfis ec-
„clefiarum Adminiftrator, Dux Saxonie, Lantgravius Thuringie ac
„Mar-

„Marchio Misne publice profitentes recognoscimus, nos omnes et „singulas indulgentias, a reverendissimis in Christo patribus dominis „sacrosancte Romane ecclesie cardinalibus ad ecclesiam parrochialem, „ecclesie sancti Vdalrici in oppido nostro Hallis Magdeburgensis no„stre diœcesis gratiose datas et concessas, auctoritate nostra ordinaria „approbasse et confirmasse, quasque presentibus Dei nomine autori„tate predicta ratificamus, nostras quadraginta indulgentiarum dies „modo et forma atque temporibus supra scriptis adicientes. In „quorum fidem et testimonium has nostras roborationis literas con„nexas sigilli nostri jussimus et fecimus appensione communiri. Da„tum in castro nostro Gebichenstein anno domini millesimo quin„gentesimo die Mercurii vicesima prima mensis Octobris.

Vt vero etiam *meriti*, per eum acquisiti, qui has indulgentias procurauerat, memoria constaret, hæc *notatio* membranæ subiecta:

Ob laudem et honorem Dei omnipotentis gloriosequc virginis Mariæ pro salute animarum dominus VOLCKMARVS KOYAV *arcium liberalium magister et utriusque juris doctor has indulgentias propria in persona in Romana urbe impetrauit anno domini etc. ut in data.*

Altari eiusdem ecclesiæ a quatuor cardinalibus indulgentia 400. dierum data.

§. XXIX. Rursus *anno 1464. altari corporis domini nostri Iesu Christi* in ecclesia, D. VDALRICO in hac vrbe dicata, constituto a *quatuor cardinalibus* duplici diplomate centum dierum indulgentia concessa, quæ 400. *dierum* remissionem continent. Dabo etiam vtrumque diploma. Primum his conceptum formalibus:

„JOHANNES tituli sancte Prisce, IACOBVS tituli sancte Ana„stasie, miseratione divina sacrosancte Romane ecclesie Presbiteri „cardinales, universis et singulis Christi fidelibus, presentes literas „inspecturis, visuris, sive audituris, salutem in domino sempiter„nam. Splendor paterne glorie, qui sua mundum ineffabili illu„minat claritate, pia vota fidelium, de ipsius clementissima majesta„te sperantium, tunc precipue benigno fauore prosequitur, cum de„vota ipsorum humilitas, sanctorum precibus et meritis adjuvatur. „Cupientes igitur, ut altare corporis domini nostri Jesu Christi situm „in ecclesia parrochiali sancti Vdalrici in Hallis Magdeburgensis dio„cesis congruis frequenter honoribus, et ut Christi fideles eo liben„tius devotionis causa confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono „celestis gratie uberius se noverint fore refectos, et a Christi fideli„bus

„bus jugiter veneretur, de omnipotentis Dei misericordia, beato-„rumque Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi ad dilecti „in Christo Johannis Schencke civis Hallensis instantiam et requisi-„tionem, omnibus et singulis vere penitentibus et confessis, qui di-„ctum altare in profesto visitationis et sabbati post visitationis in vigi-„lia assumtionis et sabbati post assumtionis et in profesto purificatio-„nis gloriosissime virginis Marie diebus celeberrimis hujusmodi de-„vote visitaverint annuatim, et ad reparationem et conservationem „edificii, calicum, librorum, aliorumque ornamentorum pro divi-„no cultu inibi necessariorum manus quotienscunque porrexerint ad-„jutrices, nos cardinales prefati diuisim pro qualibet dierum hujus-„modi centum dies indulgentiarum, de injunctis eis penitentiis mise-„ricorditer in domino relaxamus, presentibus vero et perpetuis futu-„ris temporibus duraturis. In quorum omnium fidem et testimo-„nium premissorum presentes nostras literas exinde fieri, nostro-„rum sigillorum jussimus et fecimus appensione communiri. Datum „Rome anno a nativitate domini nostri millesimo quadringentesimo „sexagesimo quarto, die vero quinta decima mensis Maji, Pontifica-„tus sanctissimi in Christo patris domini nostri, domini Pii divina „providentia Papæ secundi, Anno sexto.

Posterius his conceptum verbis:

„IOHANNES tituli sancte Praxedis, GERARDVS tituli sancte „Sabine, miseratione divina sacrosancte Romane ecclesie Presbiteri „cardinales, universis et singulis Christi fidelibus, presentes literas „inspecturis, visuris pariter et audituris, salutem in domino sempi-„ternam. Splendor paterne glorie, qui sua mundum ineffabili illu-„minat claritate, pia vota fidelium, de ipsius clementissima maiestate „sperantium, tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota „ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cu-„pientes igitur, ut altare corporis domini nostri Jesu Christi, situm in „ecclesia parochiali sancti Vdalrici in Hallis Magdeburgensis diocesis, „congruis frequentetur honoribus, et ut Christi fideles magis et eo „libentius devotionis causa confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem „dono celestis gratie uberius se noverint fore refectos, et a Christi fi-„delibus iugiter veneretur, de omnipotentis Dei misericordia beato-„rumque Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ad di-„lecti in Christo Johannis Schencke civis Hallensis instantiam et re-

„quisitionem omnibus et singulis vere penitentibus et confessis, qui „dictum altare in profesto conceptionis et sabbathi post conceptionis „gloriosissime virginis Marie, sabbathi post nativitatis domini nostri „Jesu Christi, sabbati post resurrectionis ejusdem domini nostri et „ipsius altaris dedicationis diebus festivis et celebris huiusmodi devote „visitaverint annuatim, et ad reparationem et conservationem edifi„cii, calicum, librorum aliorumque ornamentorum inibi necessario„rum manus quotienscunque porrexerint adjutrices, nos cardinales „prefati, pro quolibet dierum hujusmodi centum dies indulgentia„rum de injunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus „presentibus vero et perpetuis futuris temporibus duraturis. In quo„rum omnium fidem et testimonium premissorum presentes nostras „literas exinde fieri, nostri sigilli jussimus et fecimus appensione com„muniri. Datum Rome sub anno a nativitate domini nostri millesi„mo quadringentesimo sexagesimo quarto, die vero quinta decima „mensis Maji. Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini Pii „divina providentia Pape secundi Anno sexto.

§. XXX. Cum anno 1500. hæc ecclesia *refectionem* desideraret *necessariam*, ope indulgentiarum a *XI. cardinalibus* concessarum, et ab *archiepiscopo* confirmatarum, sumtus in eam faciendi ab his collecti sunt, qui 1180. dierum relaxationem redimere cupiuerint, quod vnicuique diplomati *XL. dierum gratiam* diœcesanus addiderit. Vtrumque diploma, quod cum reliquis adductis in armario ipsius ecclesiæ continetur, etiam hic adferam, vt *artes lucrandi et pia cautela*, infinitas lucrandi indulgentias, inde liqueant, licet vel maxime *cardinalium* et *episcoporum* potestas ad *C. vel XL. dies* tantum restricta fuerit:

„OLIVERIVS Sabinensis, GEORGIVS Albanensis, et IERO„NIMVS Penestrinus, episcopi Baptiste tituli sanctorum Johannis et „Pauli, RAYMVNDVS tituli sancti Vitalis presbiteri, ALEXANDER „Cosine et Damiani diaconus, miseratione divina, sacrosancte Ro„mane ecclesie cardinales, universis et singulis Christi fidelibus pre„sentes literas inspecturis, salutem in domino sempiternam. Quan„to frequentius fidelium mentes ad opera caritatis inducimus, tanto „salubrius animarum suarum saluti consulimus. Cupientes igitur, ut „*parochialis ecclesia sancti Vdalrici oppidi Hallis Magdeburgensis dio„cesis*, ad quam, sicut accepimus, honorabiles nostri magistri, fa„brice

„brice ipsius ecclesie singularem gerunt devotionem, congruis fre„quentetur honoribus, et a Christi fidelibus iugiter veneretur, ac in „suis structuris et edificiis debite reparetur, conservetur, et manu te„neatur, nec non libris, calicibus, luminaribus, ornamentis ecclesiasti„cis, ac rebus aliis divino cultu necessariis decenter muniatur, utque „Christi fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, „et ad reparationem, conservationem, manutentionem, ac munitio„nem huiusmodi manus promtius porrigant adiutrices, quo ex hoc „ibidem dono celestis gratia uberius conspexerint se refectos, nos „cardinales prefati, videlicet *quilibet nostrorum* per se de omnipoten„tis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius „auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque „sexus vere penitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in singu„lis videlicet sancti Vdalrici et nativitatis domini nostri Jesu Christi „ac pasce resurrectionis eiusdem, nec non pentecostes, ipsiusque ec„clesie dedicationis festivitatibus et diebus a primis vesperis usque ad „secundas vesperas inclusive devote visitaverint annuatim, et ad pre„missa manus porrexerint adjutrices, pro singulis festivitatibus et die„bus prefatis, quibus id fecerint, *centum dies* injunctis eis peniten„tiis misericorditer in domino relaxamus, presentibus *perpetuis futu„ris temporibus duraturis*, in quorum fidem premissorum literas no„stras hujusmodi fieri, nostrorumque sigillorum jussimus appensione „communiri. Datum Rome in domibus nostris, anno a nativitate „domini millesimo quingentesimo, die vero octava mensis Augusti, „Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini „Alexandri, divina providentia Pape sexti anno nono.

Addam etiam *confirmationem diœcesani*:

Confirmatio.

„ERNESTVS, Dei et Apostolice sedis gratia sancte Magde„burgensis Archiepiscopus, Primas Germanie et Halberstadensis ec„clesiarum Administrator, Dux Saxonie, Landgravius Thuringie ac „Marchio Misne publice profitentes recognoscimus, nos omnes et „singulas indulgentias a reverendissimis in Christo patribus dominis, „sacrosancte Romane ecclesie cardinalibus supradictis, ad ecclesiam „parrochialem sancti Vdalrici in oppido nostro Hallis Magdeburgen„sis nostre diocesis gratiose datas et concessas auctoritate nostra or„dinaria approbasse et confirmasse, quasque presentibus Dei nomine „auctoritate predicta ratificamus, approbamus et confirmamus, nostras

„quadraginta indulgentiarum dies modo et forma atque temporibus „suprascriptis adiicientes. In quorum fidem et testimonium has no„stras roborationis literas connexas sigilli nostri jussimus et fecimus „appensione communiri. Datum in castro nostro Gebichenstein, „anno domini millesimo quingentesimo die Mercurii XXI. mensis „Octobris.

Alterum diploma huc redit:

„Oliverius Sabinensis Episcopus, dominicus tituli san„cti Clementis, ludovicus iohannes tituli sanctorum quatuor „coronatorum, baptista tituli sanctorum Johannis et Pauli, gvil„lermus tituli sancte Pudentiane Presbiteri, iulianus sanctorum „Georgii et Bachi Diaconus, miseratione divina sacrosancte Romane „ecclesie cardinales, universis et singulis Christi fidelibus presentes „literas inspecturis, salutem in domino sempiternam. Quanto fre„quentius fidelium mentes ad opera caritatis inducimus, tanto salu„brius animarum suarum saluti consulimus, cupientes igitur, ut *par„rochialis ecclesia sancti Vdalrici opidi Hallis Magdeburgensis diocesis*, „ad quam, sicut accepimus, honorabiles nostri magistri fabrice ipsius „ecclesie singularem gerunt devocionem, congruis frequentetur ho„noribus, et a Christi fidelibus jugiter veneretur, ac in suis structuris „et edificiis debite reparetur, conservetur, et manuteneatur, nec „non libris, calicibus, luminaribus, ornamentis ecclesiasticis ac re„bus aliis divino cultu necessariis decenter muniatur, utque Christi fi„deles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, et ad „reparationem, conservationem, manutentionem, ac munitionem hu„jusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem „dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, nos cardinales „prefati videlicet quilibet nostrorum per se de omnipotentis Dei mi„sericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate „confisi omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere pe„nitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in singulis videlicet vi„sitationis et assumtionis ac nativitatis et purificationis beate Marie „virginis in suisque ecclesie dedicationis festivitatibus et diebus a pri„mis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive devote visitave„rint annuatim, et ad premissa manus porrexerint adiutrices pro sin„gulis festivitatibus, et diebus prefatis, quibus id fecerint, *centum „dies* de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus, „pre-

„presentibus *perpetuis futuris temporibus duraturis.* In quorum fi-
„dem premissorum literas nostras huiusmodi fieri, nostrorumque si-
„gillorum jussimus appensione communiri. Datum Rome in domi-
„bus nostris, anno a natiuitate domini millesimo quingentesimo, die
„vero octava mensis Septembris, Pontificatus sanctissimi in Christo
„patris et domini nostri domini Alexandri diuina prouidentia Pape
„sexti anno nono.

En etiam *confirmationem dioecesani* membranæ appensam:

„ERNESTVS Dei et Apostolice sedis gratia sancte Magde-
„burgensis Archiepiscopus, Primas Germanie et Halberstadensis ec-
„clesiarum Administrator, Dux Saxonie, Lantgrauius Thuringie, ac
„Marchio Misne publice profitentes recognoscimus, nos omnes et
„singulas indulgentias, a reuerendissimis in Christo patribus dominis
„sacrosancte Romane ecclesie cardinalibus supradictis ad ecclesiam
„parrochialem sancti Vdalrici, in opido nostro Hallis Magdeburgen-
„sis nostre diocesis gratiose datas et concessas auctoritate nostra or-
„dinaria approbasse et confirmasse, quasque presentibus Dei nomine
„auctoritate predicta ratificamus, approbamus, et confirmamus, no-
„stras quadraginta indulgentiarum dies modo et forma atque tempo-
„ribus supra scriptis adiicientes. In quorum fidem et testimonium
„has nostras roborationis literas connexas sigilli nostri jussimus ac fe-
„cimus appensione communiri. Datum in castro nostro Gebichen-
„stein anno domini millesimo quingentesimo, die Mercurii vicesima
„prima mensis Octobris.

§. XXXI. Quodsi singula opera pietatis, in his diplomatibus determinata, et indulgentiarum a singulis concessarum gratia munita, computatione facta conferimus, facile quis eo æuo *vno opere bono*, cuius in omnibus diplomatibus mentio facta est, ad *tria millia dierum* et vltra relaxationem sibi acquirere potuit, quæ vltra *octo annos* efficiunt: his si alia *opera meritoria* addideris, de nouo eiusdem relaxationis *alia occasione* particeps fieri potuit, vt facile per *cursum anni integrum* cumulum centum et vltra annorum colligere licuerit, vt probabile sit, hanc ecclesiam concursu populi in designatis diebus magnopere inclaruisse. In ea enim plerique adhuc hærebant sententia, (1) pro frequenti reiteratione *delictorum eorundem* multiplicanda esse tempora, et sic infinitorum annorum relaxatione opus esse.

Cumulus multorum dierum computatione facta conficitur.

 Neque

Neque enim vllum decretum ecclesiasticum huic commento dicam scripsit, vtut in omnium ore versaretur, et inprimis per *monachos* promoueretur, sed in *simplicitate* hac *pia* constanter substiterunt, donec tandem hoc superstitionis paulo crassioris figmentum a B. LVTHERO impugnatum et fere destructum fuerit, vt iam Romanæ ecclesiæ scriptores hunc infinitum annorum numerum reiiciant negentque vtplurimum. Accessit (2) constans sententia de necessitate *satisfactionis* DEO faciendæ per *pænitentiam*, secundum mensuram temporis præscripti peragendam, quæ *emenda DEO et ecclesiæ facienda* dicitur in diplomate *de anno 1231.* apud AVBERTVM MIRAEVM *tom. II. oper. in suppl. P. I. c. 70. p. 852.* Continetur in eo sententia lata ab archidiacono et officiali Cameracensi contra GVILIELMVM DE GRIMBERGIS, bonorum plurimorum ad abbatiam Affligeniensem pertinentium vsurpatorem, in qua hæc *pænitentia* vel potius *pæna* sub titulo pœnitentiæ ei imposita: *De emenda vero DEO et ecclesiæ super tantis iniuriis præstanda nostræ se subiecit per omnia ordinationi, quam de virorum bonorum consilio ordinauimus in hunc modum. Videlicet, quod dictus miles nudo pede, nudo capite, in puris camisia et braccis, virgam tenens in manu, in recognitionem prædicti reatus, ad pedes domini abbatis in pleno capitulo Haffligeniensi ad hoc solenniter conuocato se prosterneret, humiliter et deuote ab abbate et conuentu veniam petiturus.* Rectæ rationi quidem conueniens erat, vt veniam peteret ab abbate et capitulo læsis, idque iuste ab eo exigi poterat: cetera *spectaculum* quoddam *pænitentiale*, referentia præludia *emendam* seu *satisfactionem DEO faciendam*, designasse videntur, inter quæ notari meretur *virgarum* decus insigne, quas manibus gestauit, vt indigitaret, harum disciplinam puerilem se meruisse.

Restitutionem pœnitentiarum antiquarum quidam optarunt.

§. XXXII. His occasionibus, maxime vero *nundinationibus papalibus* effectum est, vt vsus antiquarum pœnitentiarum prorsus consenuerit, nec amplius creduli terreantur multiplicatione pœnitentiarum *infinitorum annorum*, cuius *monastici commenti* saniores inter catholicos pudet atque piget. Forsan hæc caussa fuit, quod quidam *restitutionem pænitentiarum antiquarum publicarum* in *peccatis* præcipue *manifestis* optauerint atque vrserint. ANTONIVS ARNOLDVS Doctor Sorbonnicus in tr. de *frequenti communione* consilia sua huc direxit, censuitque consultum piumque esse, vt antiqui pœnitentiarum modi tum in *delictis manifestis*, tum in iis, quæ per confessionem presbytero nota fuerunt, restituerentur, et delinquentes a communio-

Vt Arnoldus Doctor Sorbonnicus,

munione tamdiu abstinere iuberentur more prisco, donec emendationis suæ argumenta certa edidissent. Probatus is est liber ab *archiepiscopis quinque*, ab *episcopis tredecim* et a *XXI. doctoribus*, imo ab ipso HVGONE GROTIO *in epist. append. epist. 669.* addente hæc: *Et quidam iam in vsum ea in suis ecclesiis introduxere. Nam canones veteres in vsum reducere episcopis licet, etiam ex concilii Tridentini autoritate et exemplo Caroli Borromaei archiepiscopi Mediolanensis, qui inter sanctos habetur. Neque ad eam rem Roma consulta opus est. Quodsi et pontifex sua sponte quaedam corrigat, vt cum dies festos accidit, et cum imagines multas sustulit, accipiendum id grata manu.* Stante vero *indulgentiarum largissimarum* vsu vix sperandum est, vt rigor antiquus resuscitari possit, vtpote qui illis efficaciam et virtutem putatiuam adimit. His abolitis, vel parcissime nec vniuersaliter concessis, facilius pœnitentiarum publicarum vsus restitui potest, quod persuasissimum habere debeant iuxta articulum fidei ecclesiæ Romanæ, peccata absque implemento *pænitentiæ* indictæ, seu *satisfactione* remitti non posse. Sicuti vero prius non sperandum est, ita nec posterius vniuersaliter.

et Grotius.

§. XXXIII. Ex his, quæ paulo vberius ex fatis huius doctrinæ tradita sunt, in propatulo est, *confessionem* fuisse vel *publicam* in delictis manifestis: vel *priuatam* in *delictis occultis*, auriculari confessione manifestatis. In vtraque specie olim *pænitentiam publicam* fere vnice cognitam fuisse per sex priora secula, etiam in delictis *occultis*, episcopo sponte manifestatis, demonstrat MORINVS *de admin. sacram. pænit. lib. V. c. 9.* vt quidem, qui *arcana confessione* se episcopo proderent, inter *pænitentes* iuxta *mensuram temporum* starent, a communione interim alieni; non tamen publice ea *pænitentibus* imponeretur, nec *exomologesin publicam* adiunctam haberet, nec *publica reconciliatione indigeret. c. 14. C. 26. q. 6.* Sed hæc *actio publicæ pænitentiæ* erat *spontanea*, vt ESPENIVS *de iur. eccles. P. II. tit. 6. c. 2. §. 9.* non diffitetur, certissimo indicio, legem *auricularis confessionis*, et priuatim *indictæ pænitentiæ*, ad salutem omnino necessariæ, non fuisse eo tempore cognitam, sed recentioris æui institutum nouum esse. Inde etiam nata est *priuata* et *auricularis confessio*, noua plane lege circumscripta et præcepta omnibus et singulis ab INNOCENTIO III. in *concilio Lateranensi IV.* relata in *c. 12. X. h. t.* et hac de causa ad *quinque praecepta ecclesiæ*, decantata relata. Ait pontifex: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit*,

Olim publica pœnitentia fere tantum frequentata.

Priuata hodierna confessio sub lege necessitatis introducta ab Innocentio III.

rit, omnia sua solus peccata saltim SEMEL IN ANNO *fideliter confiteatur* PROPRIO SACERDOTI, *et iniunctam sibi pœnitentiam* PROPRIIS VIRIBVS *studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in* PASCHA *eucharistiæ sacramentum: nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin et viuus ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens Christiana careat sepultura.* Est (I) hæc necessitas auricularis confessionis omnibus *fidelibus* imposita, clericis et laicis, nemine excepto, nequidem, vt credo, *pontifice*, quippe qui primum inter *fideles* tenet locum, vnde etiam exemplo regum et principum suum habet confessionarium proprium. (II) Hæc *confessio auricularis* ab hoc tempore in *necessitatem absolutam* abiit, quæ antea *consilii* et *spontanea* erat, vt ex antea adlatis argumentis liquet. (III) Per hanc constitutionem *auricularis confessio* ad *iura parochialia* relata est, quod *proprio sacerdoti*, qui est parochus, saltim semel in anno, confessio hæc fieri debeat, ita vt *alieno parocho* facta nullius sit momenti, vt in tr. *de iure paroch. sect. IV. c. 1. §. 11. sqq.* monstratum est. Ait enim pontifex: *Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absoluere vel ligare.* Est enim *incompetens* iudex in hoc *foro pœnitentiali*, ad rationes ciuiles composito, in quo sententia a iudice incompetente lata est nulla. (IV) Inde vero simul inualuit *excommunicatio minor*, parocho et sacerdoti, qui est a confessionibus, indulta, vt possit confitenti absolutionem ex *iusta causa* denegare, et simul eum arcere ab *eucharistiæ vsu*, tanquam *impœnitentem*, salua *communione ecclesiastica*, vt probatum dedi *tom. III. iur. ecclef. tit. de missa §. 43. sqq.* Nouum hoc institutum esse fatetur CHRISTIANVS LVPVS *tom. II. oper. p. 51. nou. edit.* aiens: *Antiquitus nulla erat excommunicatio minor, sed quiuis excommunicato communicans incurrebat idem penitus vinculum, quomodo nunc communicans in crimine. Et hanc sententiam omnes episcopi, nec non et patricius Florentius probarunt et confirmarunt.* Adhuc seculo XII. vnam tantum eandemque *excommunicationem* cognitam fuisse *tom. III. cit. l. §. 46.* euidenter demonstraui, vt plusquam manifestum sit, hanc doctrinam et disciplinam nouam ex INNOCENTII III. *auriculari* et *parochiali confessione* enatam fuisse. Id quod si perpenderent, qui ex *intempestiuo zelo*, quem imperitia et ignorantia rerum sacrarum produxit, magnis animi motibus

Stringit hæc lex noua omnes fideles.

Non amplius spontanea est.

Inde excommunicatio minor inualuit.

Cuius fundamentum lubricum.

bus ius *excludendi* indignos a confessionibus et vsu S. cœnæ propugnant, atque cogitarent, ius hoc nouum sub densissimis ecclesiæ tenebris natum fuisse, non tam contumaces essent in exercitio huius iuris retinendo, nec eum a sacra cœna excluderent, qui nondum *communione ecclesiastica* priuatus est, quod olim ad *ecclesiasticum σιδηρόξυλον* relatum fuit.

Nec euchari-stiam sine auriculari confessione percipere licet.

§. XXXIV. Fontem quoque (V) in hoc textu deprehendimus noui instituti, vt nemo ad S. cœnæ vsum admitti debeat, nisi *confessione proprio sacerdoti facta*, quod a moribus XII. seculorum alienum fuit, et tamen tanta animi fiducia a propugnatoribus *auricularis confessionis* asseritur. Hæc quidem absque vsu *sacræ cœnæ* esse potest secundum morem Romanæ ecclesiæ, non vero hic sine illa. (VI) Inde differentia quoque deducta, quod excommunicatio *maior* soli episcopo, virtute *iurisdictionis* ecclesiasticæ, attributa fuerit; *minor* autem etiam *sacerdoti parocho* virtute *iuris clauium*, ab INNOCENTIO III. eis communicati, vnde etiam nostrates ius denegandi *absolutionem* ei, quem indignum iudicant, arcessunt, et simul ius excludendi a S. cœna deriuant. Quia enim in ecclesiis protestantium hæc coniuncta sunt, vt alterum absque altero esse nequeat, inde negata *absolutione*, negatur etiam *admissio ad S. cœnam*. Quis vero crederet, per *XII. secula* clauem *ligantem* et *soluentem* adeo dormiisse, vt *minor* hæc *excommunicatio* prorsus cessauerit, si ex *iure clauium* hoc ius deducendum esset. Per hæc secula absolutio demum sequebatur, peracta pœnitentia, et mensura temporum impleta, ac ita demum restituebatur plene in ius fraternitatis et vsum sacramentorum. Ast *Innocentiana lege* effectum est, vt, confessione arcana facta, et pœnitentia imposita, statim absolutio sequatur, quo ad vsum S. cœnæ admitti queat. (VII) Ceterum ab omni hæc confessio desideratur, *qui ad annos discretionis peruenit*, h. e. vt quidam ineptiunt, *qui septimum* superauit *annum*, quos merito redarguit GONZALEZ *ad c. 12. h. n. 2.* censetque, hoc confessionarii relinquendum esse arbitrio, cum *anni discretionis* desiderent aliquod iudicium, vt peccata agnoscere, illa serio detestari, et deflere ex contritione cordis queat. (VIII) Proprium sacerdotem esse *parochum*, dixi. Cum vero reges et principes nulli regulariter parochiæ adscripti sint, in morem abiit, vt *confessionarios proprios* habeant, sacerdotes aulicos, vel alios, quos sibi elegerunt ex ordinibus monasticis. Etenim (IX) postquam amplissima priuilegia quibusdam ordinibus concessa, audiendi confessiones,

Inde ius clauium parochis communicatum.

Quinam anni discretionis.

Reges habent proprios confessionarios.

Etiam ex ordinibus monasticis.

Vnde iura parochialia imminuta.

nes, admodum attrita hodie sunt *iura parochialia*, adeo, vt GONZALEZIO teste *ad cit. c. 12. n. 3. hodie parochus pro confessionibus faciendis fere negligatur.* Sufficit enim, si *semel tantum in anno* h. e. tempore paschatos confessionem *proprio sacerdoti* quilibet edat: reliquo tempore cuicunque ex *ordinibus priuilegiatis* peccata sua confiteri permittitur, ne quæuis parocho prodere cogatur. Competens ergo est quilibet sacerdos in *foro pœnitentiali* secundum hoc ordinum plurimorum priuilegium: sed tempore paschatos tantum *parochus.*

Omnia peccata sunt confitenda.

§. XXXV. Confitenda autem (X) sunt confessionario *omnia peccata fideliter*, tum quod absque *orali confessione* ex hypothesi erronea Romanæ ecclesiæ peccatum remitti non possit: tum etiam quod sacerdos alioquin determinare pœnitentiam, seu *pœnam* aut *satisfactionem* nequeat, quam necessariam desiderant ad peccatorum remissionem. ALBERTVM M. hac de causa *obscœna* etiam et *impudica*, in vsu coniugii maxime, explicare debuisse, THEOPHILVS RAYNAVDVS arbitratus est, obseruante BAELIO *in diction. sub art. Albert le grand*, vt confessionarii de his monstris sufficienter instructi essent.

Obscœna etiam et monstra libidinum.

Necessarium est, ait, *enodationem solidam atque legitimam dubiorum circa fœditates illas emergentium præstare alicubi apud probatos doctores, cuiusmodi fuit Albertus, qui proinde reprehensione vacat, etiamsi illum veluti scriptionis putorem suis commentariis immiserit.* Nunquam tractandas fuisse has quæstiones turpes, addit, *nisi illa cogerent monstra, quæ his temporibus in confessionibus audiuntur. Ne ergo confessionarii rudes sint medicinæ, quæ facere debent adeo frequentibus morbis, iustum censuit* ALBERTVS, *in illud oletum stylum demittere.* Etiam ex hoc fundamento defendit RAYNAVDVS SANCHEZIVM, impurissimum licet scriptorem, vt *tom. IV. tit. de haret. §. 85.* obseruaui, simulque addidi, his institutis inquisitionibus de variis monstris libidinum, allici ipsas feminas atque puellas innocentes sæpe ad libidinem, imo et ipsos confessionarios nonnunquam. Rectius hæ libidinum species ad ea delicta ablegandæ, *quas non scire proficit*, vt dicitur in *l. 31. C. ad L. Iul. de adult.* adeoque commendandum potius confessionariis foret illud: *manum de tabula.* Interim adeo *confessionem omnium peccatorum* necessariam esse constituerunt, vt si desit sacerdos, etiam alteri cuicunque, *laico* quoque, confessio fieri queat. Ita censuit AVGVSTINVS relatus in *c. 88. de pœnit. D. 2.* inquiens: *tanta vis confessionis est, vt si deest sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quod pœnitens non potest confiteri*

Confessio etiam laico fieri potest.

fiteri coram ſacerdote, quem deſideranti nec locus nec tempus offert. Et ſi ille, cui confitebitur, poteſtatem ſoluendi non habet, fit tamen dignus venia ex ſacerdotis deſiderio, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim ſunt leproſi, dum irent oſtendere ora ſacerdotibus, antequam ad eos peruenirent. Vnde patet, dominum ad cor reſpicere, dum ex neceſſitate prohibentur ad ſacerdotes peruenire. De *pœnitentia* loqui videtur AVGVSTINVS, in qua *exomologeſis* ſeu *confeſſio publica* erat neceſſaria in *criminibus*, ob quæ eiectus quis erat. Alia *pœnitentia* eo tempore ignota erat, nec deſiderabatur in *criminibus occultis*, niſi quis *ſponte* eam ſubire paratus eſſet, quo caſu confeſſio *ſacerdoti* fiebat priuatim. Hanc commendabant et laudabant patres ex corrupto iam *pœnitentiæ* conceptu, non abſolute imperabant. Vel itaque AVGVSTINVS intelligendus eſt de eiecto, qui tamen reuerti deſiderabat, ſed occaſione publice confitendi deſtitutus erat: vel etiam de eo accipi poteſt, qui *occultorum* ſibi criminum conſcius erat, priuatim *ſponte* manifeſtanda ſacerdoti ſub *ſigillo confeſſionis*, vel, ex ſententia AVGVSTINI, cuicunque alii in defectu ſacerdotis et caſu *inſtantis periculi* mortis. *Confeſſioni orali* hic nimium tribuit, quam tamen ſcriptura S. tantum deſiderat in *delictis* in *proximum* commiſſis, cui hæc ſunt confitenda, vt læſus inde intelligat, lædentem agnoſcere iniuriam alteri illatam, et venia dignum eſſe. Verum tam profuſam et indiſcretam confeſſionem ſacerdoti, aut cuicunque alteri faciendam, ſub *neceſſitate praecepti*, ignorat ſcriptura ſacra, et praxis primitiuæ eccleſiæ. Nimia tamen hæc *confeſſionis oralis* commendatio anſam dedit, vt omnibus et ſingulis ſub neceſſitate *praecepti* omnium et ſingulorum *peccatorum* confeſſio oralis, ſacerdoti facienda, tandem iniuncta fuerit. Ita vero ſacerdotes in ſenſu proprio *ius clauium* exercent, quia *clauibus* ſibi adſcriptis intima cordis aperire, et *occultiſſima* recludere poſſunt, ſolius DEI reſeruatis alias adſcripta. Obſeruarunt iam prudentiores, hac arte ſacra effectum fuiſſe, vt confeſſionarii regum, principum et potentiorum, maxime vero *mulierum illuſtrium*, omnium arcanorum, quæ ſæpe ſceleribus multis implicita ſunt, ſint facti participes, et ſimul *directores conſcientiæ* conſtituti, quo ſub regimine quæuis ad *ſacri imperii commoda* flectere, et eum, cui a confeſſionibus ſunt, ita conſtringere poſſunt, vt ex nutu ſuo *publica* et *priuata* agere debeat. *Ligant* enim et *ſoluunt*, prout e re eccleſiæ eſſe videtur, quia *ſalus eccleſiæ* ſeu *hierarchiæ* ſemper ſacerdotibus ſuprema lex eſſe debet. Hanc enim dicunt

neceſſaria.

Auguſtinus confeſſioni orali nimium tribuit.

ex hac demum effectum, vt ſacerdotes omnium arcanorum fiant participes.

esse CAVSAM DEI, quæ vtplurimum causa *hierarchiæ* seu *regiminis sacerdotalis* est, et sub hac larua patres et sæpe clerici quarumcunque religionum causam propriam, quam agunt, tegere contendunt. (XI) Iniuncta pœnitentia *propriis viribus* implenda est, vt suffragia monastica eorumque bona opera, ceu censeri volunt, non redimat, sibique ea ad suæ satisfactionis implementum attribuat; quamuis alias his ipsis magnum pondus adscribere soleant, quæ tamen hic excludere voluisse videtur pontifex, neutiquam vero *indulgentiarum commoda*, vt antea dixi. Denique (XII) hæc *auricularis confessio* et *vsus eucharistiæ* tempore præscripto adeo desideratur, vt hæc negligens excommunicari et sepultura ecclesiastica priuari debeat. Quis ergo negaret, hanc *pœnitentiam* esse *coactam*, quæ sub tam grauissima pœna, quæ *capitalibus* et *capitis deminutionibus* respondet, singulis imposita est? quod iam *tom. II. tit. de sepult.* §. 54. obseruatum. Imo inde vsus forensis deducendus, secundum quem testes interrogari solent: Ob Zeuge fleißig zum Abendmahl gehe, wannehr er das letzte mahl in dem Beichtstuhl gewesen? quod per hunc textum excommunicatione ligatus sit, qui vsum eius, præscripto tempore, intermittit, et sic testimonium ferre nequeat; nisi forsan *de proprii sacerdotis consilio* eo tempore abstinuerit, cum huius solius sit, de eo cognoscere.

Pœnitentia propriis viribus implenda.

Pœna negligentium auricularem confessionem.

§. XXXVI. Quid? quod, vt hanc *coactam pœnitentiam externam*, *et hypocriticam* vtplurimum *confessionem*, quia extorta est, eo magis in vsum deducerent, in eodem *concilio generali*, cuius sententia refertur in *c. 13. X. h. t.* nouum *coactiuum remedium* adhibendum fuit. Etenim *medicis corporis* iniunctum est, vt ad ægrotantes vocati eos omnibus modis inducant, quo ante omnia *medicos animarum* aduocent, quibus peccata sua fateantur morbo laborantes. Ait pontifex: *Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente domino languido, quem sanauerat: vade et amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat; præsenti decreto statuimus et districte præcipimus medicis corporum, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, et inducant, vt medicos aduocent animarum: vt postquam fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante, cesset effectus.* Pietatem hoc præceptum spirare videtur, si *pietas* dicenda, quæ per *confessionem oralem* fit, et quæ extorquetur ab inuito per denegationem remediorum ad sanandum corpus ægrum

Medici ægrotantes inducere debent, quo ante omnia aduocent confessionarium.

ægrum necessariorum. Sed pergit INNOCENTIVS III. *Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto iacentes cum eis a medicis suadetur, vt de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, vnde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum huius nostræ constitutionis, postquam per prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter.* Coguntur ergo sub *metu excommunicationis* medici, vt cogant ægrotantes ad *medicum animæ* aduocandum, et *confessionem auricularem* faciendam, quo nihil a religionis ratione alienius excogitari potuit. Denique hoc addit pontifex monitum: *Ceterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.* Plura hoc textu notatu digna contineri nemo inficias ibit; qua de causa nihil ἄτοπον me fecisse autumo, quod ante aliquot annos filii tertio geniti, GEORGII LVDOVICI, nunc Professoris iuris ordinarii in Academia Gottingensi, elaborationi, hoc iuris canonici argumentum: *de medicorum animæ et corporis in sanandis ægris coniunctione* commiserim atque commendaverim, in quo periculum virium ingenii sui et industriæ faceret, et simul commentarium pleniorem huius textus daret. Quamuis vero omnia, quæ ad eius illustrationem facere possunt, exhauserit, meum tamen etiam erit, quasdam obseruationes ex hac dissertatione hic regustare, et prouinciæ, quam mihi imposui, satisfacere.

Sub pœna excommunicationis.

Et ita medici cogunt ægrotantes ad confessionarios aduocandos.

§. XXXVII. Videlicet (I) in sanandis ægris pontifex desiderat *consortium medicorum*, qui corporis, et *sacerdotum*, qui curam animæ habeant, quos *medicos animæ* vocat, quæ locutio admodum scriptoribus familiaris, vt in *cit. diss. §. IV. sqq.* monstratum. In ipso hoc *Concilio Lateranensi*, vnde textus adductus desumtus est, rationem huius appellationis adfert pontifex, eamque potissimum in *confessione auriculari*, vt optima *animæ medicina*, prout penitus persuasum habet, constituit, aitque: *sacerdos*, facta auriculari confessione, *sit discretus et cautus*, et MORE PERITI MEDICI *superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias, et peccati, quibus prudenter intelligat, quale ei debeat præbere consilium et cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad saluandum* (vel potius, vt alii legunt, *sanandum*, quæ lectio cum fonte ipso conuenit, in quo dicitur: πρὸς τὸ

Sacerdotes confessionarii dicuntur medici animæ,

Qui sedulo omnes morbi circumstantias percontari debent.

ἰάσασθαι τὸν νοσοῦντα, *ad sanandum ægrotum)* ægrotum. *Peccatoris circumstantiæ* et *peccati* a confessionario sedulo percontandæ sunt, vt illius quidem *intentionem*, ex *causa finali* deductam, *mores*, *temperamentum* et alia, quæ *intimæ mentis consilia* produnt, accurate intelligat, et nihil sub pectore absconditum maneat, quod *confessionario* haud reveletur. Hanc *medicinam animæ* sine dubio intelligit pontifex, ante *medicinam corporis* adhibendam ægrotanti, etiam *inuito* et *reluctanti*, vt infra plenius ostendam. (II) In hoc tamen consortio nihilominus *medici animæ* et *corporis* sibi opponuntur, quod *regulariter* hæc duo officia in vno subiecto concurrere non possint, sed inter se sint quodammodo *incompatibilia*, nisi ad *sanandum corpus ægrotantis* adhibenda sit *medicina spiritualis*, ab *ecclesia Romana* approbata, quod illa promtuario instructa sit, vnde *remedia spiritualia* depromi queant, non tantum ad *animam*, sed etiam ad *corpus sanandum.*

Suo modo etiam sunt medici corporis.

Medentur α) per exorcismos,

§. XXXVIII. Huc pertinent (α) *exorcistæ*, quales etiam sunt *sacerdotes*, quod nemo sacerdos ordinari queat, nisi *quatuor minoribus ordinibus* iam instructus fuerit. Atque hi *probabiles medici ecclesiæ* per ipsam *ordinationem* creantur, vt tit. *de sortileg.* §. 13. *sqq.* docui, et *carminibus exorcisticis impotentiam coniugalem*, fascino procreatam, tollere, *c. 4. C. 33. q. 1.* atque alia *mala*, maxime ab energumenis, *spectra*, *dæmones* ab ædibus, quibus infestantur, denique etiam *pestem*, *serpentes*, *locustas*, aliaque animalia noxia abigere nituntur, vt *cit. l.* §. *XIX.* monstraui. (β) Ad parochi *officium ordinarium* etiam pertinet *extrema vnctio*, quæ *medicina animæ et corporis* esse creditur, quamque succincte explicaui *tom. I. tit. de sacra vnctione* §. 23. fusius autem examinauit filius in *dissert. cit.* §. 9. *sqq.* Aperte docuit *concilium Cabilonense de anno 813. c. 47.* in ea *veram corporis et animæ medicinam* latere: *Non est igitur parui pendenda huiusmodi* MEDICINA, *quæ* ANIMAE CORPORISQVE *medetur languoribus.* Id etiam designant et indicant *preces*, quæ in confectione *olei infirmorum*, vt vocatur, fieri solent, relatæ in *pontificali Rom. p. 573. emitte, quæsumus, domine, spiritum sanctum tuum, paracletum de cœlis in hanc pinguedinem oliuæ, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad* REFECTIONEM MENTIS ET CORPORIS, *vt tua sancta bene✝dictione sit omni hoc vnguento cœlesti medicinæ perunctio*, TVTAMEN MENTIS ET CORPORIS, *ad euacuandos omnes dolores, omnes infirmitates omnemque* AEGRITVDINEM MENTIS *et* CORPORIS *etc.* Idem quoque euincit ipsa ægrotantis inunctio hac formula facta apud LAVNOIVM *de infirm.*

β) per extremam vnctionem,

in qua medicina corporis latere creditur,

infirm. vnct. tom. I. oper. p. 469. Inungo te oleo sancto et sacrato, vt virtute Spiritus S. tribuat tibi haec sacra vnctio SANITATEM ANIMAE *et* CORPORIS. Equidem Apostolos *oleo* multos *aegrotantes* sanasse, nouimus *Matth. X, 1. Luc. IX, 1. 2. Marc. VI, 7.* haec tamen sanatio *miraculosa, extraordinaria* atque ita comparata fuit, vt aeger mox pristinae sanitati, *vnctione* facta, restitutus fuerit, quamuis etiam absque ea sanitatem miraculoso modo restituerint, *Act. III, 16.* vnde *medicina ordinaria*, a sacerdotibus administranda, deduci nequit. Neque enim in *virtutibus miraculosis* Apostoli *successores* acceperunt, sed hae ad eorum *praerogatiuas* referendae. Vtplurimum ergo pro tuenda hac *medicina animae et corporis* in medium adferunt decantatum praeceptum *Iacobi V, 15. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiae, et orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini, et oratio fidei saluabit infirmum et adleuabit eum dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Presbyteros hosce, quos IACOBVS aduocandos praecipit, eodem sanandi miraculoso modo, quo Apostoli, praeditos fuisse, idoneo asseri nequit fundamento, quamuis omnis in hoc sit DALLAEVS *de vnct. extrema c. 6.* cuius sententia sub examen reuocata est in *dissert. cit. de medicor. animae et corp. in sanand. aegris coniunct. §. 10.* Res huc redit: nondum a DALLAEO probatum fuisse, presbyteros *quoscunque* (nam *illimitate* loquitur IACOBVS) miraculoso sanandi dono, et aequali potestate cum Apostolis instructos fuisse: *curationum dona*, Ἰαμάτων χαρίσματα, *1 Cor. XII, 9.* quibusdam propria fuisse *extra ordinem*, PAVLVM testari; ea tamen *presbyteris, qua talibus*, haud assignata: distingui potius *comm. 28.* diuersa *dona* et *officia* in ecclesia, atque asseri, constituisse quidem in *ecclesia* (h. e. in fidelium numero vbique latentium) DEVM primum *Apostolos;* secundo *prophetas;* tertio *doctores;* deinceps *virtutes;* postea χαρίσματα ἰαμάτων; *adminicula; gubernationes; genera linguarum;* sed non omnes vno eodemque dono praeditos fuisse, quod *comm. 29.* vrget: apostolica sanandi *dona extraordinaria* presbyteris singulis non fuisse concessa: laicos inter *fideles* dono sanandi *miraculoso* quandoque eo tempore adhuc praeditos fuisse, adeo vt ne quidem *iuri sacerdotali* attribui possit: IACOBVM quidem *suadere*, vt aegrotantes aduocarent *seniores ecclesiae*, tum vt *oleo* eos inungerent: tum vt preces pro iis ad DEum funderent, sed a *more iudaeis vsitato* hoc tractum et fidelibus commendatum fuisse: solitos fuisse iudaeos inungere aegrotantes, eosque incantare, obseruante LIGHTFOOTIO *Vol. II. oper. p. 113.* et hunc morem ad locum IACOBI applicante

ad exemplum vnctionum apostolicarum,

quae tamen miraculosa.

fundamentum quaerunt Iac. V, 15.

qui locus ex dono apostolico sanandi haud explicandus,

sed ex more iudaeorum illustrandus.

inunctiones iudaeorum aegrotantium,

te hoc modo: *Cum igitur hæc inunctio ægrotorum vna cum incantamentis mos fuerit vulgaris et exsecrandus: hic apostolus melius eos docet, accersendos scilicet presbyteros seu ministros ecclesiæ ad ægrotos, vt inungerent, et vna pias et vehementes preces* (non *incantamenta*, more iudaico) *pro iis funderent, quod non solum magis vsui et solamini foret, verum euangelio magis consentaneum, quam incantamenta omnia, quæ vsurpata sunt.* Addo, *iudæos exorcistas* omnem sanandi vim *exorcismis* et *incantamentis* tribuere; IACOBVM vero his dicam scribere, et loco eorum *ardentes* et *fidei plenas preces* fidelibus commendasse, atque præcauisse hoc modo, ne fideles ex iudæis, ad patrios ritus admodum pronos, *incantamentis iudaicis* caperentur: omnem virtutem sanandi ægrum potius *supplicationi fidei* adscribi, non *oleo*, idque ex *comm. 16.* liquere: *supplicate alius pro alio, vt sanemini, multumque valet efficitque viri boni precatio*: ne quidem presbyterorum *supplicationem* necessariam fuisse, sed in genere hanc singularem virtutem tribui *supplicationi fidelium:* denique ne quidem IACOBVM loqui de eis, qui in vltimo mortis articulo sunt, et quorum mors appropinquat, sed generatim potius de his, qui restituendi pristinæ sanitati erant, ac etiam absque periculo mortis ægrotant, adeoque frustra hanc *medicinam animæ* et *corporis* vnctioni adscriptam fuisse.

vis precum in sanandis ægris.

§. XXXIX. Ceterum (III) *naturalibus remediis* sanandi artem exercere et sic *corporis medicum* simul agere, olim non fuit interdictum *medicis animæ* per decem priora secula. Abusus demum prohibitionem peperit, quod *monachi* et *canonici* magis quæstui medicorum quam regulis sibi præscriptis intenderent. Quocirca ab INNOCENTIO II. in *concil. Rhemens. de anno 1131.* apud HARDVIN. *tom. VI. P. II. p. 1192.* et in *concil. Lateran. de anno 1139. art. IX. ibid. p. 1289.* et *Turon. de anno 1180.*, vnde desumtum est *c. 3. X. ne cleric. vel mon.*, *monachis* et *canonicis regularibus* ars sanandi prorsus est interdicta, adeo, vt in *c. 19. X. de homicid.* monachus quidam, qui mulierem quandam a gutturis tumore liberare curauerat, *grauiter deliquisse dicatur, officium alienum vsurpando, quod minime sibi congruebat.* Clericis *secularibus* non eadem lex scripta, nisi demum ab HONORIO III. in *c. 5. X. ne cleric. vel mon.* quo *studium theologiæ*, quod, exculta sanandi arte, neglectum videbatur, ampliaretur, et *fides catholica circumcincta esset muro inexpugnabili bellatorum*, seu *clericorum*, qui hæreticis resistere efficaciter possent. Iam enim *studium theologicum scholasticorum* subtilibus doctrinis atque tot nodis scopulisque erat inuolutum, vt totum desi-

Naturalia remedia adhibere clericis haud interdictum,

sed primum monachis et canonicis,

ab Honorio III. etiam aliis clericis,

deſideraret hominem, et magnæ molis eſſet, *bellatorem* illius peritia inſtruere, qua hæretici conuinci poſſent. Mediante *diſpenſatione* ars ſanandi clericis et monachis permitti poteſt, modo ad *inciſionem* vel *aduſtionem* haud proceſſerint, qua alias irregulares fierent; quid? quod teſte ANDREA MENDO de *iure academ. lib. II. qu. 30. n. 367.* GREGORIVS XIII. *ſocietati Ieſu* priuilegium conceſſerit, vt conſenſu et autoritate ſuperiorum, deficientibus aliis medicis, artem hanc exercere poſſint, quo ipſo factum, vt *animæ* et *corporis* medici eſſe, et vtriusque ſpartam implere queant. Imo mirandum eſt, INNOCENTIVM III. qui *conſortium vtriusque medicinæ* in ſanandis infirmis adeo vrſit inculcauitque, in interdicto eccleſiaſtico ſubſtitiſſe, cum tamen finem hunc facilius obtinere potuiſſet, ſi permiſiſſet, vt parochi etiam artem exercere potuiſſent medicam.

Niſi præuia diſpenſatione concedatur.

§. XL. Etenim (IV) *medici corporis* conſtitutionem INNOCENTII III. ſusque deque habuiſſe videntur, ne ægrotantibus mortis timorem incuterent, qui ex præſentia *medici animæ* præſagium mortis vt plurimum, ſicuti ex præſentia *medici corporis* ſpem vitæ et reſtitutionis capere ſolent. Indicarunt id patres in *concilio Dertuſano de anno 1429.* apud HARDVINVM *tom. VIII. p. 1084.* faſſi, decretum INNOCENTII obliuione aut contemtu caruiſſe effectu. Vt ergo in vſum deduceretur, *medicis corporis* ſub pœna *excommunicationis*, *ipſo facto incurrendæ*, iniunxerunt, vt ſtatutum INNOCENTII III. fideliter obſeruare ſtuderent, *et nullum infirmum* VLTRA TERTIAM VICEM *viſitare præſumerent, de quo non ſcirent, quod in illa ægritudine ſalutare ſacramentum pœnitentiæ ſuſceperit*, quippe in quo omnem et primariam *animæ medicinam* conſtituunt. Eadem ſanctio repetita eſt in *concilio Narbonenſi c. 52. anno 1551.* apud HARDVINVM *tom. X. concil. p. 459. Mediolanenſi P. II. conſt. 6. de anno 1565.* apud EVNDEM *cit. l. p. 654.* atque *conſtit. conuentus Melodun. de anno 1579.* ſub *tit. de pœnit.* apud LVDOVICVM ODESPVNIVM *in concil. nouiſſ. Galliæ p. 94.* Denique etiam PIVS V. in bulla *de anno 1566.* in *bullar. magno tom. II. p. 177.* relata, *biduum* præſcripſit medicis, ne ſcilicet *tertio die* vlterius ægrotantes viſitarent, *niſi longius tempus eis confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam*, conſcientiæ eius relictam, *conceſſerit.* Repetita eſt hæc ſanctio in *concil. Burdegal. de anno 1583. tit. 12.* apud ODESPVNIVM *in concil. Galliæ nouiſſ. p. 284. Medici poſt vnam aut alteram viſitationem, ſub excommunicationis pœna expreſſa et aliis conſtitutionibus Pii V. ſancitis pœnis, ad ægrotorum curationem non accedant, niſi certo cogno-*

Sed medici præceptum Innocentii III. neglexerunt,

denuo inculcatum Dertuſano concilio,

vt ſubtractione medicinæ ægrotantes cogerent ad medicos animæ aduocandos,

uerint, postquam in hunc morbum inciderint, peccata IDONEO *sacerdoti fuisse confessos.* Sic itaque *per indirectum* coguntur ægrotantes ad *pœnitentiæ sacramentum*, cum tamen in *vera* et *salutari pœnitentia* omnis exulet virtus, nisi spontanea fuerit, et *coacta pœnitentia* sit *hypocritica*, omni *vera contritione* et *fiducia* in saluatorem destituta. Hæc etiam ratio induxit pontifices, vt prohiberent, ne ægrotantes *infideles medicos*, *iudæos* scilicet, ad sanandum corpus aduocarent, quippe qui hanc obligationem, tam stricte medicis impositam, implere non possunt, quod factum in *bulla* GREGORII IV. *de anno 1581.*, in *tom. II. bullar. magni 448.* relata. Præstat omnino, medicos quoque adhibere non tantum in *arte* probatos, sed etiam *pios* et *rem christianam* serio agentes; vt etiam ægrotantes salutaribus consiliis, de cura animæ non negligenda, instruere possint secundum salutare monitum B. SPENERI *tom. IV.* der *theologi*schen Bedencken *c. VII. art. 3. sect. 12. p. 384.* aientis: dabey einem christlichen medico unverboten, vielmehr gantz anständig ist, seinen patienten, die er Zuspruchs bedürftig befindet, auch christlich zuzusprechen, damit sie sich zu GOTT recht wenden, von dem der Segen aller Artzeney kommen muß. Hæc methodus sanior atque præstantior est INNOCENTIANA, qui sub *excommunicatione* medicos adstrinxit, quo inducant ægrotantes, etiam subtractione auxilii et medicamentorum, vt *confessionem omnium peccatorum suorum* coram parocho edant, parum profuturam, quod ab inuitis hoc modo exigatur.

Infideles medici ab ægrotantibus arcendi.

Ita vero fit pœnitentia coacta.

§. XLI. Quamuis vero (V) hoc INNOCENTII III. decretum generale sit, et bulla PII V. loquatur de *infirmis in lecto iacentibus*, non desunt tamen, qui illud ad *morbos periculosos* tantum restringunt, vt THOMAS. ACTIVS *de infirmitate eiusque priuileg. et effect. P. II. p. 217. n. 6.* et FRANCISCVS PELLIZARIVS *in manuali regularium tr. V. c. 3. sect. 1. n. 11.* in quo mentem pontificum haud assecuti videntur, qui id vnice egerunt, vt *confessionis auricularis* vsum quouis modo augere studerent, quippe a quo *salus ecclesiæ* pendere visa est. Quam ob rem, vt arctius vinculum medicis adhuc imponeretur, PIVS V. in *bulla cit. §. 6.* constituit, vt nullus in arte medica ad honores doctorales admitteretur, *aut ei quomodolibet medendi facultas a quouis collegio vel vniuersitate concederetur*, nisi *mediante iuramento* sese obstrinxerint de obseruandis iis, quæ in sanctione eius præscripta sunt. Addit §. 7. *vt ordinarii iuramentum prædictum* etiam *a medicis iam promotis*, *seu licentiam medendi iam habentibus*, *omnibus iuris remediis exigant*, *neque*

Ad quoscunque ægrotantes in lecto iacentes hoc præceptum pertinet.

Mediante iuramento etiam medici obstringendi ad hoc præceptum seruandum.

neque aliquos ad medendum in ciuitatibus et diœcesibus admittant, nisi eis constiterit, eosdem iuramentum huiusmodi præstitisse, et contumaces, et iurare et iuramentum iam præstitum exhibere recusantes, gradu medicinæ et omnibus priuilegiis eisdem medicis tam coniunctim quam diuisim eis et eorum cuilibet concessis per quosuis etiam Romanos pontifices, priuent, et ab ingressu ecclesiæ arceant, donec resipuerint.

§. XLII. Equidem (VI) supra §. *XXXIV.* iam obseruaui, confessionem auricularem etiam apud alium, quam *ordinarium parochum*, edi posse atque sufficere, si *semel tantum in anno* quilibet fidelium *proprio sacerdoti* confiteatur peccata per *c.12. X. h. t.*; sed in *casu infirmitatis* non alios aduocandos esse *animæ medicos*, quam *parochos*, intentioni INNOCENTII III. conuenire videtur, vtpote qui in eodem *concilio Lateranensi* præcipue his hoc *tribunal pœnitentiale* commisit, nisi forsan periculum præsens mortis adsit. Id cautum in *concil. Nemausensi* apud HARDVINVM *tom. VII. concil. p. 913. nolumus tamen, quod prædicti fratres* (minores et prædicatores) *confessiones infirmorum audiant, absque licentia proprii sacerdotis, nisi infirmis mortis periculum immineret*, quod etiam sancitum *in concil. Arelat. c. 21.* apud EVNDEM *cit. l. p. 732.* Notum enim est, quanta dissidia sint inter *parochos* et *ordines hos religiosorum*, qui libenter se ingerunt, infirmis molesti sunt, et, sub prætextu *curæ animæ*, infirmorum thesauris inhiant, vt facile horum confluxus et parochi præsentia in bellum intestinum et domesticum degenerare possit, prout iocoso *colloquio*, quod *Funus* inscriptum, tale spectaculum coram ægrotantis lecto exhibuit ERASMVS, atque hoc ipso seculi sui mores depinxit satyrice.

Non alii aduocandi quam parochi.

Monachi etiam in casu necessitatis;

§. XLIII. Denique (VII) ad *officium medicorum* in *cit. c. 13. X. h. t.* etiam hoc præcipue relatum, ne quidquam pro *corporali salute* suadeatur ægrotantibus, quod in periculum animæ cedere possit, seu *per quod ad peccatum mortale inuitari possit ægrotus*, vt dicitur in *concil. Narbon.* de *anno 1695. c. 16.* apud HARDVINVM *tom. XI. concil. p. 18.* quod §. *15. sqq. cit. differt.* variis obseruationibus illustratum. Neque tantum *medicos* hoc concernit præceptum, sed quoscunque alios, consilia ægrotantibus suggerentes, cum nulla ars magis a quibuscunque, etiam vetulis, rusticis, imperitisque occupari soleat, quam sanandi. Atque huc pertinent 1) *superstitiosa remedia*, quæ ex *insano consilio mulierum* adhiberi ab insipidis solent, vt dicitur in *c. 2. X. de apost.*, simulque illustratur impio eius exemplo, qui, *vt sanaretur, per iterationem iniuriam fecerat baptismi sacramento.* Pariter *ligaturæ* sunt

Nihil suadendum ægrotantibus, quod in periculum animæ cedere queat.

Reprobata superstitiosa remedia, vt ligaturæ,

sunt damnatæ in *c. 2. C. 26. qu. 2.* tempore AVGVSTINI admodum frequentes, quod indicat *serm. 308. de martyre Stephano tom. V. oper. p. 1274. edit. Paris. aliquando ægrotat fidelis, et ibi est tentator. Promittitur illi pro salute illicitum sacrificium noxia et sacrilega ligatura, nefanda incantatio, magica consecratio promittitur.* Quam ob rem in *c. 15. C. 26. qu. 7.* adhortatur, IDEM sacerdos, vt doceant fideles, quod per magicas artes incantationesque infirmitati hominum nihil remedii adferri possit. Verum idem quoque dicendum docendumque esset de *exorcismis sacerdotalibus* contra pestem, morbos alios, noxia animalcula, cetera, vt ad *tit. de sortileg.* monui. In parem censum veniunt *philacteria*, seu *amuleta* ad arcendos pellendosque morbos adhibita, et a medicis olim etiam in vsum deducta, vt obseruat IOSEPHVS NERIVS *analect. lib. II. c. 8. in thes. iur. Rom. tom. II. p. 402.* Vsum eorum antiquissimum esse, nec Aegyptiis atque Hebræis incognitum, docet HERMANNVS WITSIVS in *Aegypt. lib. I. c. 9.* pedetentim de gente in gentem translatum, vt etiam Francos infecerit Germanosque, quibus serio prohibitus apud BALVZ. in *capitul. regum Francor. tom. I. p. 151. et p. 934.* *Olei sancti* et *chrismatis* abusum in sanandis ægris notauit etiam recte THOMAS. ACTIVS *de infirmit. c. 44. n. 27.* quem in finem in *concil. Mogunt. de anno 813. c. 27.* apud HARDVIN. *tom. IV. concil. p. 1014.* presbyteris iniunctum, *vt sub sigillo custodiant chrisma, et nulli* SVB PRAETEXTV MEDICINAE *vel maleficii donare inde præsumerent* sub priuatione honoris. Et quis ignorat superstitiosum *aquæ baptismalis* vsum, quem contra varia mala salutarem esse sibi aliisque persuadere conantur. Præcipue vero ab officio medicorum alienum censeri debet, sollicitare ægrotantem ad *coitum illicitum*, sanitatis recuperandæ causa, maxime eum, qui in cœlibatu viuere cogitur. Laudat proinde ALTESERRA ad *decretal. Innocentii III.* in *c. 13. X. h. t.* Eboracensem Episcopum, quod vitæ salutem potius contemnere quam medicos, proponentes, quod absque *coitu* conualescere non posset, audire maluerit. De *expellendo* suasu medici *fœtu* ad conseruationem vitæ disputat IO. PONTAS *in diction. cas. consc. sub art. abortus.* Denique quamuis ieiunia *ex præcepto ecclesiæ* sancte seruanda sint, nonnunquam tamen saluti hominum noxia et periculosa sunt, vt ex *consilio medicorum* suspendenda sint. Id enim medicis minime interdictum censeri debet, ne ægrotantem atque infirmum a *ieiunio* reuocent, vt docet PAVLVS ZACHARIAS *in quæst. medico-legal. lib. V. tit. 5. qu. 5.* quin potius credendum, legem de *seruando ieiunio* hominibus illis

philacteria, oleum sanctum, aqua baptismatis, coitus illicitus, nimia ieiunia.

demum

demum impositam, qui absque detrimento valetudinis suæ ieiunare possunt, et sic culpandi potius quam laudandi, qui ieiunia etiam cum periculo vitæ suæ superstitiose seruare potius, quam frangere voluerunt, *tom. III. de obseru. ieiun.* §. 34. docui. Conf. ACTIVS *de infirm. c. 43. n. 25.*

§. XLIV. Vidimus *coactiones directas* et *indirectas* ad *auricularem confessionem*, tum *tempore paschatos*, tum vero etiam *ab ægrotantibus* faciendam. Quia vero hæ speratos non potuerunt habere effectus, nisi sacerdotes etiam constringerentur ad ea occultanda, quæ illis in *confessione* reuelata sunt, vel ad *sigillum confessionis*, vt loquuntur, sancte seruandum, INNOCENTIVS III. denuo in *c. 12. X. h. t.* hoc repetiit constituitque: *Caueat autem omnino* sacerdos, *ne verbo aut signo aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumserit reuelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.* *Sigillum* hoc *confessionis* natum est cum more occulta delicta episcopo confitendi, quod, cum *libertatis* et *consilii* ab initio esset, vt sæpius dixi, ita merito præcauendum erat, ne, quod in *animarum alleuationem* et *salutem* a patribus commendatum esset delinquentibus, hoc in eorum interitum cederet. Testis est de antiqua ecclesiæ disciplina BASILIVS *in epist. canon. c. 34. adulterio pollutas mulieres et confitentes ob pietatem, vel quomodocunque conuictas, publicare patres nostri prohibuerunt, ne conuictis mortis causam præberent.* Laudat hanc virtutem et *sigilli sanctitatem* in AMBROSIO PAVLLINVS in *vita eius*, aitque: *causas criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi domino, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, vt intercessores apud Deum sint magis, quam accusatores apud homines.* His quoque principiis imbutus erat AVGVSTINVS, vt non tantum delicta, quæ quis confessus erat, sancto premeret atque tegeret silentio, sed etiam, quæ secreto de quodam *tertio* ei reuelata erant, non proderet, interim tamen, quantum fieri posset, errantem in viam salutis reduceret, vt egregie hoc silentium depingit in *c. 19. C. 2. q. 1.* supra *tit. de accus. tom. IV. §. 91.* exposito. Pariter GREGORIVS in *c. 2. de pœnit. in 6.* hoc sigillum confessionis grauiter inculcat: *sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non pro-*

Sigillum confessionis sacerdotibus impositum.

Ratio eius.

Antiquitas et testimonia.

pinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando peragat. Atque hoc quidem rectæ rationi conuenit atque bonæ fidei, ne, quod secreto fidei alicuius per reuelationem commissum, contra datam fidem, quam alter elegit, aliis communicet, reuelata prodat, et ita perfide agat, vt plenius ex principiis rectæ rationis demonstratum in diss. de *oblig. reuelandi occulta c. 1.*

Scripsit de hoc argumento Lochonius,

§. XLV. Sed omnium industriam in hoc argumento dilatando atque ex recta ratione et sacris deducendo, superauit *doctor* quidam *Sorbonnicus* in tr. Parisiis 1708. edito sub tit. *traité du secret de la confession pour servir d' instruction aux confesseurs et pour rasseurer les penitens.* Auctorem huius tractatus esse LOCHONIVM, ex aliis scriptis, speciatim de *disciplina ecclesiastica*, iam cognitum, referunt TRIVVLTINI *ad ann. 1708. mens. Aug. p. 1352.* insimulque addunt, libellum hunc omnium applausu exceptum fuisse, vt post tres menses de noua editione eius instruenda cogitatum fuerit. Ast, quod vt plurimum contingere solet, dum autor vitia quædam et abusus circa *sigillum confessionis* commissos tollere studuit, in contraria lapsus est, *sanctitatem* huius vltra modum extendendo, et omnem fere præscindendo occasionem, arcana in confessionibus facta prodendi. Ansam ei dederat casus quidam *Facultati theologicæ* vniuersitatis Parisiensis propositus de Titio, parocho inculpatæ vitæ, et quem nulla suspicio, quod lasciuo more vixerat, maculauerat. Hunc, quod nouæ dignitatis ecclesiasticæ culmen ei destinatum esset, cum inuidia quorundam religiosorum, perdere, et ab illo excludere vellent maleuoli quidam, ex ordine sine dubio eorum, qui priuilegio audiendi confessiones mactati erant, tempore *quadragesimæ* per modum *missionis cuiusdam* ad eius parochiam, vt sermones publicos haberent, accesserunt, et mox in his sub pœna damnationis omnibus, vt illis confiterentur quæuis peccata sua, a tempore, quo *annos discretionis* acceperunt, iniunxerunt, sub prætextu, quod confessiones eorum, antea factæ, magis sacrilegæ quam legitimæ essent. En audaciam hominum! Magnus mox confluxus ad hos tres *confessionarios* vel potius *emissarios* factus, qui nouum genus inquisitionis contra Titium instituentes, multis exhortationibus et quæstionibus graues fuerunt puellis atque vxoribus confitentibus: annon rem habuissent cum parocho suo? vtrum earum pudicitiam attentasset, aut sororum, cognatarum, vel aliarum vsum illicitum habuisset? Pœnitentes parochum suum ab hac

occasio huius libri,

suspi-

suspicione penitus purgarunt; quod indigne ferentes tres missionarii, concussionum quosuis adhibuere modos, quo Titium huius criminis reum facere possent, et a quibusdam tamen quandam confessionem contra parochum extorserunt. Comoedia hac finita, feminas has, quas in confessionibus sub *pœna damnationis aeternæ* constrinxerant, vt proderent parochum, et contra eum deponerent, coram officiali, testimonii ferendi causa, producunt, qui sub interrogationibus plurimis eas tandem induxit, vt conquererentur, pessime secum agi, quod de iis, quæ ad *confessionem* earum pertinerent, interrogarentur. Hac generali confessione acquieuit officialis, et, quod per collusionem sine dubio antea proposuerat, in effectum deduxit, Titiumque officio sacro priuauit. Atro carbone hunc processum notauit Facultas Theologica, autorique ansam dedit, vt opusculum de *sigillo confessionis* conscriberet. Miratus est autor in *præfatione*, quod hoc argumentum singulari cura a nemine hactenus expositum fuerit, sed sparsim tantum quædam *de officio boni confessionarii* hinc inde fuerint tradita, cum tamen dignitas eius grauiorem desideraret meditationem. Hac de causa in tribus prioribus capitibus de *natura secreti*, et eius *sanctitate* ex recta ratione egit, *cap. IV.* ad *sigillum confessionis auricularis* progressum fecit, eius naturam et sanctam custodiam in capitibus sequentibus explicuit, et vastissimum eius ambitum *c. VII.* declarauit, atque tam late extendit, vt omnis proditio sub quocunque prætextu exclusa esse debeat, ad quam tamen ansam dedisse videtur bulla GREGORII XV. infra adducenda, de qua agit *c. XI. sqq.* Hac bulla videlicet iniunctum est confessionariis, vt si ex confessionibus feminarum cognouissent, pudicitiæ earum insidias fuisse structas a proprio vel alio sacerdote, pœnitentes sub grauissima pœna obligarent constringerentque ad *denunciationem* contra parochum similesque clericos faciendam, qua concussione nihil potuit esse iniquius. Verum, prout sæpe iam monitum est, hæc peculiaris huius tribunalis pœnitentialis est ratio, vt, quæcunque præcautiones adhibeantur, concussiones euitari vix queant, et mirandum sit, laicos se huic gurgiti periculoso tam imprudenter committere, vnde non possunt non infinita mala in eos redundare. Sanctum hoc *sigillum confessionis* esse, omnes persuasissimum habent, sed non cogitant, varias esse artes, hanc eludendi sanctitatem, quas quotidie hominum malitia producit. Fere eodem tempore, quo LOCHONIVS in Gallia suum compilauit opusculum, in Germania ADRIANVS BEIERVS, ICtus in Academia Ienensi

Contenta huius tractatus.

Adrianus Beierus idem argumentum excussit.

nensi non incelebris, eundem suscepit laborem, et anno 1707. edidit tractatum de *sigillo confessionis*, qui sub pari sollicitudine, et debitis cautionibus adhibendis hoc argumentum enucleauit, sed tam latum ambitum sanctitati huius sigilli non dedit, quem ei attribuit LOCHONIVS. Denique *eodem anno* etiam in Regiomontana academia a BALTHASARE TILESIO de *sigillo confessionis*, publica disputatione actum, non eadem tamen amplitudine, quam argumentum hoc desiderat. Ita, quod mirandum est, hoc argumentum in tribus diversis locis sub incudem reuocatum, cuius rationes etiam hic exponere animus est.

et Balthasar Tilesius.

§. XLVI. Videlicet huius *sigilli sanctissimi* consequens erat, 1) vt episcopus, *qui alieni sceleris se conscium nouerat*, forsan quod ei reuelatum esset, peccantem quidem corripere, et ad compunctionem *secretis correptionibus* inducere posset; *quodsi tamen correptus pertinacior fuerat*, sese *publicae communioni* ingerens, qua priuandus fuerat, si de delicto *publice* constitisset, indemnatus in communione omnium, praeterquam eius, qui eum reum iudicabat, permanere debebat iuxta *c. 2. C. 2. q. 2.* Euidentius hoc declaratur in *c. 3. eod. placuit, vt, si quando episcopus dicit, aliquem sibi soli proprium crimen* (quod tamen non nominandum aut indicandum erat) *fuisse confessum, atque ille neget, et poenitere noluerit* (quae verba in cod. *canon. Afric. eccles.* adduntur, a GRATIANO omissa) *non putet ad iniuriam suam episcopus pertinere, quod illi soli non creditur, et si scrupulo propria conscientia se dicit neganti nolle communicare.* In *codice canon. eccl. African. c. 132.* apud IVSTELLVM et VOELLIVM *in biblioth. iur. canon. p. 398.* canon adductus his verbis finitur; quae vero a GRATIANO adduntur, ad sequentem canonem pertinent, mox explicanda. Collegio vero exinde, (α) eum, qui *secreto* fassus erat episcopo crimen, excommunicari non potuisse nec subdi poenitentiae, si *arcanam confessionem* publice negabat, nec vt *eiectus* seu *exclusus poenitere* volebat: (β) soli episcopo, qui eum *communione*, ob delictum manifestatum, priuatum asserebat, non credi, nec ei integrum fuisse, crimen ipsum *nominatim* propalare: (γ) si episcopus allegabat, se neganti communicare nolle, quod certo sciret, crimen sibi manifestatum esse, id patres Africanos improbasse. Atque huc pertinent verba, quae GRATIANVS adductis subiicit ex *c. 133. codic. canon. Afric. eccles. quamdiu excommunicato* h. e. cui episcopus communicare detrectat, *non communicauerit suus episcopus, eidem episcopo* ab

Olim episcopus ob arcanam confessionem neminem eiicere poterat, nisi volentem.

Ne quidem quoad se excludere poterat.

ab aliis non communicetur episcopis, vt magis caueat episcopus, ne dicat in quenquam, quod aliis documentis conuincere non potest. (δ) Permissum fuisse episcopo, cui *arcana confesfione* manifestatum erat crimen a delinquente, eum publice accusare, quatenus, *nouis repertis probationibus*, atque aliis idoneis argumentis postea eum publice conuincere poterat. Neque enim hoc modo condemnabatur ex *reuelatione confesfionis*, quæ nullius momenti erat, sed ex *noua superuenientе probatione*, quæ ei ad accusandum aditum parabat. Postea ALEXANDER III. in *c. 2. X. de offic. iudic. ordin.* quædam antiquæ huic doctrinæ declarationis gratia addidit: *si sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicuius criminis, vel si confessus fuerit, et emendare* (pœnitere) *noluerit, nisi ordine iudiciario quis probare posfit, non debet eum nominatim redarguere,* (aut eum nominare) *sed indeterminate, sicut dixit Christus: vnus vestrum me traditurus est. Si vero ille, cui damnum illatum, petierit iustitiam, potest excommunicare autorem damni, licet ei confessus sit, sed tamen non potest eum* NOMINATIM *remouere a communione, licet sciat, eum esse reum, quia non vt iudex* (in foro contentioso) *scit, sed vt DEVS: sed eum debet admonere, ne se ingerat, quia nec Christus Iudam a communione remouit.* Inde rursus colligo: (α) *sacerdotem* h. e. *episcopum ex arcana confessione* neminem ab ecclesia nominatim eiicere, et sic nec ad *pœnitentiam publicam* cogere potuisse, ne *sigillum confessionis*, cuius vinculum sanctissimum est, alias violetur: (β) ex nouis probationibus superuenientibus potuisse eundem accusare, quo publice postea eiiceretur: (γ) facta arcana confessione, non secutam fuisse *euentualem absolutionem*, vt hodie in *auriculari* confessione fit, sed ei, vt eiectionem merito, *pœnitentiæ beneficium* commendatum fuisse, nec vbi illud suscipere recusauit, eum *absolutionis* gratiam sperare potuisse: (δ) episcopo tamen *indefinite* delictum redarguere, eumque excommunicare licuisse, qui hoc ipso se maculauerit: (ε) hoc etiam locum, si tertius damnum ex hoc delicto passus fuerit et ad indemnitatem prouocauerit, habuisse, quamuis eum autor delicti adhuc latuerit, quem indicare episcopus non potuit: (ζ) alias esse partes *iudicis*, alias *confesfionarii*, qui quæ nouit, vt *DEVS*, nosse dicitur; *secretorum* enim *cognitor DEVS et iudex est*, iuxta *c. 11. D. 32.*, non vt *homo*. Et quæ sacerdoti sub *sigillo confesfionis* manifestantur, magis DEO, cuius vices ille sustinere dicitur in eo actu, quam *homini* reuelata esse creduntur, vt Dn. PERTSCH *in tr.* vom Recht der Beichtstühle *sect. II. c. 4. §. 4.*

Ex nouis repertis probationibus eum accusare poterat.

Declaratio Alexandri III.

Olim facta confessione non fiebat absolutio euentualis.

Iudicis et confessionarii diuersa officia.

etiam obseruat, quamuis etiam recta ratio sanctissimam huius secreti custodiam præcipiat, vt LOCHONIVS *cit. tr. c. 1. sqq.* optime obseruavit. Ita vero *forum pœnitentiale* eo tempore haud agnitum, in quo hodie sacerdos vt *iudex* agit, punit, absoluit, condemnat, cogit pœnitentem ad satisfactionem, et imperium in conscientiam exercet.

Coguntur tamen confitentes ad denunciandum aliquando.

§. XLVII. Quam ob rem 2) quod directo fieri nequit, nec *per indirectum* factis aut signis audendum, aut id agendum, vt reuelata in confessionibus publicentur, id quod tamen fieri credendum est, si adstringuntur pœnitentes, vt, quæ in confessionibus secretis reuelarunt contra *tertium*, veluti sacerdotem, qui pœnitentis pudicitiam in *ipso actu confitendi* attentauit, aut violauit, officiali tam atrox factum contra sacerdotem denuncient, et ita inquisitioni locum faciant. Quamuis enim confessionarii ita non reuelent arcana, cogunt tamen pœnitentes feminas, vt semet ipsas prodant iudici, et factum sacerdotis denuncient. Contra tales sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in *actu confessionis* ad actus lasciuos prouocare et allicere tentant, PIVS IV. constitutionem anno 1561. edidit, relatam in *bullar. magno tom. II. p. 44. n. 31.* atque *inquisitoribus hæreticæ prauitatis* in Hispania facultatem dedit, contra tales procedendi, eosque præuia degradatione brachio seculari tradendi. Confirmauit hanc bullam GREGORIVS XV. *anno 1622.* in *bullar. magno tom. III. p. 432. n. 34.* atque §. 7. hanc adiecit clausulam: *Mandantes omnibus confessoriis, vt suos pœnitentes, quos nouerint ab aliis vt supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, vt præfertur, tractantes, inquisitoribus seu locorum ordinariis prædictis: quodsi hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum confessarios sollicitantes seu tractantes, vt supra, iidem locorum ordinarii et inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.* Hac bulla revera *per indirectum* permittitur, quod *directo* prohibitum est. Etenim si mulier in *actu confessionis a parocho suo* sollicitata est ad concubitum, (quod in Hispania frequentissime fieri, scriptores memorant) hæc vero postea religioso cuidam confessionem auricularem edat, vt plurimum hic mulieres interrogare solet, annon a suo sacerdote vel alio quocunque confessionario (vtpote quorum mores norunt) in *actu confessionis* vnquam sollicitatæ fuerint ad concubitum? Id quod si negare nequeunt, iuxta hanc bullam hic confessionarius eas constringere et omnibus modis inducere tenetur, vt illæ tam graue facinus denuncient, et simul semet ipsas prodant, quo ipso tamen per indire-

Si sacerdotes in actu confitendi puellas alliciunt ad concubitum, ex Gregorii XV. bulla.

Ita per indirectum sigillum frangitur.

ctum

ctum *figillum confeffionis* panditur, et omnis eius fanctitas perit. Quamvis enim confeffionarii arcanam confeffionem non reuelent, ad reuelandum tamen pœnitentes adigunt, et ita, quod quis per alium facit per fe feciffe merito exiftimatur. Nec diuerfum de hac conftitutione fentire potuit LOCHONIVS *cit. tr. p. 131. fq.* afferendo, eam in Gallia nec potuiffe recipi, nec probatam fuiffe, *parce qu' elle donnoit une atteinte indirecte au fceau de la confesfion; car enfin, n' eft ce-pas faire foi-mefme ce qu' on fait faire par d' autres? Et qu' importe, qu' un confeffeur ne revele pas lui-mefme un myftere d' iniquité, s' il ordonne, s' il* CONTRAINT, *s' il* FORCE *un penitent de le decouvrir? Et n' eft-il pas, pour ainfi dire, une caufe plus morale, qui influe dans l' effet, qu' il veut produire; et qu' il produit en effet d' autant plus, que ce confeffeur lui-mefme, qui ne s' acquiterra pas de ce devoir, en doit étre puni, par les inquifiteurs et les ordinaires.* Nihilominus tamen non abfolute a *follicitatione* ad denunciandum alienus effe videtur LOCHONIVS, fed *c. 17.* multas præcautiones adducit, fub quibus hæc admitti et commendari quandoque queat, quæ tamen ita comparatæ funt, vt abufus vix præcaueri queat.

ex fententia Lochonii.

§. XLVIII. Grauiter proinde 3) peccat confeffionarius, fi crimina, ipfi in *confesfionis actu* reuelata, magiftratui denunciat, quod *pœna depofitionis* coercendum iuxta *c. 12. X. h. t. in f.* nec *fundamentum inquifitionis* conftituit. Idem quoque de eo dicendum, quod parocho proprio *fub figillo confesfionis* extra *ordinarium confesfionis auricularis actum* manifeftatum eft, id quod *regulariter* factum fuiffe creditur, fi quidpiam *ordinario confesfionario* reuelatum eft, vt ex eius ore confilium caperet. Non ad *locum facrum*, in quo *ordinariae confesfiones* fieri folent: non *ad formulam folitam*, quibus confitentes pro more vti folent: nec *ad tempus* ordinarie faciendis confeffionibus deftinatum; nec ad *actum facramentalis confesfionis*: fed ad ipfam negotii qualitatem refpiciendum, fecundum quam (a) confcientiam faucíam habens, et in anguftiis conftitutus, aperit *medico animæ* certam delicti fpeciem, et quidem (b) *qua tali*, vt, quia *medicus* animæ eft, confcientiæ vulneribus medeatur, et (c) *remedia falutaria* fuppeditet. Quis tam ieiunus atque ineptus foret, vt affereret, hunc ad *figillum confesfionis* non effe obligatum, licet confeffio non fit facta in *ordinario loco*, nec idoneo et confueto *tempore*, nec coram facerdote *facerdotalibus veftimentis*, fed tantum communibus, imo domefticis induto, nec adhibita confueta formula. Cape exemplum ex

Confeffionarius denunciare nequit crimen, quod ei fub figillo confeffionis reuelatum, etiam extra actum confeffionis auricularis,

Augustino consentiente

doctrina AVGVSTINI relata in *c. 19. C. 2. q. 1. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant: aliquando nobis* PRODVNTVR AB VXORIBVS *suis, plerumque zelantibus; aliquando maritorum salutem quaerentibus.* NON PRODIMVS PALAM, *sed in secreto arguimus. Vbi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus illud negligimus, ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto, sauciamque gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum.* Quid ergo si hodie vxor confessionario suo *intra priuatos parietes* prodat maritum, quod cum priuigna sua aliquoties rem habuerit illa ipsa inspiciente, imo ad inspiciendum et tolerandum coacta a marito, rogetque confessionarium, vt animae vtriusque succurrat, et sibi quoque consilio salutari non desit; vtrum sacerdos tale facinus magistratui prodere potest valide, et an de iure hoc facit? Iuxta AVGVSTINVM graviter delinquit fractae fidei reus sacerdos, si quae, *quomodocunque* reuelata sunt sacerdoti, prodat, cum ei haec reuelata sint, non vt *proditori*, sed vt *medico animae*, cui *silentii fides* incumbit. Qui distinguunt inter **beichten**, et **vertrauen**, illi separare conantur, quae non sunt diuidenda, sed eadem, aientes: **es hat mirs nur vertrauet, und nicht gebeichtet**, vt recte obseruat TILESIVS *cit. l. p. 4.* Praetextu quidem non destituuntur, qui ita distinguunt, asserentes, *auricularem* peccatorum *reuelationem*, vulgo beichten, in *actu sacramentali confessionis* fieri DEO, non *homini*, vel *homini vt Deo*, vt loquuntur, per ea, quae §. *46. in f.* dicta, quae haud sunt reuelanda, ne arcana Deo commissa prodantur; sed quod simpliciter fidei committitur alterius, vt *amici*, citra respectum *qualitatis sacerdotis*, id tantum *hominis*, *qua talis*, fidei commissum, quae sigillum tam efficax non habet, vt fides Deo data. Ignorauit hanc differentiam purior ecclesiae aetas, cum *delicta occulta* episcopo et sacerdoti non aliter reuelari queant, quam vt *curatori animae*, in hunc finem, vt remedia salutis suggerat, et errantes in viam reducat. Adducta differentia vnice ex *sacramenti* conceptu fluxit, quod in *auriculari confessione* et *poenitentia* latere creditur. Haec si fit, sacerdos *vicem Dei* agere creditur, cum *vice Dei*, **an GOttes statt**, iuxta formulam vulgatam, absoluat confitentem a peccatis. Enimuero protestantes nullum in ea agnoscunt *sacramentum:* vicariatum diuinum alias respuunt, et nescio, quo fato, eundem in *auriculari confessione* retinuerint, et propugnauerint. Me iudice *fides arcani* semper sancte seruanda, quia quicquid curatoribus his animae vbicunque locorum concreditur et manifestatur, id ani-

Vana distinctio inter **beichten** et **vertrauen**.

Semper fides arcani sancte seruanda.

animæ et conſcientiæ cauſa ſit, adeoque differentia inter beichten et vertrauen, omni deſtituta eſt fundamento. Quæ cum ita ſint, palam eſt, in adducto caſu ſacerdotem peſſime agere, ſi factum relatum magiſtratui denunciet, credatque, ſe ad hoc etiam obligari, quod extra *ordinariam auricularem confeſſionem*, auſſer dem Beichtſtuhl, huius facinoris conſcius factus fuerit. Nihilominus tamen ex actis ipſis ante aliquot annos contrarium obſeruaui, et parochum, cui *arcana confeſſione* domi crimen adductum ab vxore manifeſtatum erat, proditorem illius fuiſſe imo denunciantem, vt mirandum ſit, ad denunciationem tam peſſimam atque illicitam inquiſitionem contra *maritum*, *vxorem* et *priuignam* fuiſſe motam, quæ potius contra *denunciantem* decerni debuiſſet. In hanc ſententiam etiam iuit ordo ICtorum huius loci anno 1694. reſponſo:

Hat Anna Nielitzin ihrem Beichtvater entdecket, als wenn ſie mit einem Zimmer-Geſellen Ehebruch getrieben, und darbey ſich dergeſtalt melancholiſch erwieſen, daß ihr der Beichtvater nicht genug Troſt zuſprechen können, deßhalben ietzo wieder ſie inquiriret werden will.

Ob nun zwar ſonſt die extraiudicialis confeſſio ein ohnſtreitiges indicium ad inquirendum machet; Weil aber dennoch die Anna Nielitzin ſolches gegen niemand, als gegen ihren Beichtvater, gedacht, und dieſer allerdings ad ſilentii fidem verbunden geweſen, denſelben auch nicht entſchuldigen kan, daß ſie ihm ſolches nicht ordentlich gebeichtet, ſondern ihm nur ſonſten extra locum confeſſionis dieſes offenbahret, denn es genug iſt, daß ſie dasjenige, worüber ſie ſchwermüthig geweſen, ihm pro exoneranda conſcientia geſagt, und von demſelben Troſt verlanget, in welchem Fall auch ein jedweder priuatus ad ſilentium ductu iuris naturæ verbunden iſt,

CARPZ. *iuriſpr. eccleſ. lib.3. def. 25. n.14.*
MOLINA *de I. et I. tr. 4. diſp. 5. n. 4.*

und einem Prediger, wenn er dergleichen nachſaget, nicht zu glauben iſt, ſondern ſolches vielmehr pro crimine falſi zu achten;

DECIAN. *pr. crim. lib. 7. c. 17. n. 8.*

Zugeſchweigen, daß gedachte Anna Nielitzin wegen ihres Mannes 20. Jähriger Kranckheit in einen melancholiſchen Zuſtand gekommen, und dahero was ſie ex melancholia geſagt, ihr nicht præiudici-

diciren kan; überdem der Zimmer-Gesell längst von hier gereiset, und also man das corpus delicti per vtriusque partis confessionem, wie in adulterio nöthig ist, nicht haben kan.

So möchte sie dahero denen Rechten nach mit der inquisition nicht beleget werden, oder es ist dieselbe, weil sie im Hertzogthum Magdeburg angesessen, zum wenigsten mit der gefänglichen Verhafft zu verschonen und mit der defensione pro auertenda inquisitione zu hören. V. R. W.

Confessionarius testis esse cogitur,

§. XLIX. Pari ratione 4) confessionarius non potest compelli ad testimonium dicendum contra eum, qui de delicto commisso est suspectus, et probabiliter id illi panderit in *auriculari confessione*, vt *tom. I. tit. de testibus cog.* §. 7. *sqq.* iam docui, et ad eum traxi casum, quando extra *ordinariam confessionem auricularem* aliquid sacerdoti reuelatum est. (5) Nec post mortem pœnitentis propalanda sunt *arcana confessione* manifestata, cum de mortuis non nisi bene, vt recte censet BAYER. *cit. tr. c. 3.* §. 54. cum Dn. PERTSCHIO *in tract.* vom Recht der Beichtstühle *sect. II. c. 4.* §. 13.; nisi forsan hoc ei ex singulari causa confitens permisisset, imo imperasset, de quo casu plenius agit BAYERVS *cit. tr. P. II. c. 2.* (6) Denique adeo *inuiolabilem sigilli* huius *sanctitatem* extendunt, vt ne quidem, *imperante magistratu*, reuelatio sit facienda, sed omnibus deprecanda modis, cum ad illicita nemo cogi queat, CARPZOVIO iudice *lib. III. iurisprud. consist. def.* 25.

Marginalia: nec post mortem confitentis reuelare delictum. — nec imperante magistratu.

Sigillum tamen ad crimina committenda non pertinet.

§. L. Enim vero 7) non tanta debet huius vinculi sanctitas, vt se etiam extendat ad crimina committenda, de quo casu plenius agit BAYERVS *cit. l. P. II. c. 4.* cum Dn. PERTSCHIO *cit. l.* §. 17. Nec est, quod credas, hunc non esse dabilem casum, cum tanta sæpe sit *confessionariorum* potestas vel potius audacia, vt, quod sub intimis cordis latebris reconditum est, per *interrogationes*, etiam aliquando captiosas, eruere, et confitentem ad confessionem eorum adducere possint, quæ sibi tantum proposuit, nondum autem executus est. Hoc quidem conclamatum est, peccata futura remitti non posse, adeoque non esse sperandam absolutionem ab eo, qui *propositum animi*, ad infinitas quæstiones factas tandem aperit; interim tamen hæc etiam confessio sub eodem *sigillo* facta dicitur, quod tamen seruare non tenetur sacerdos, si confitentem a proposito criminis atrocis committendi deflectere, et periculum imminens aliter auertere nequit, quicquid in con-

contrarium asserant patres ex societate Iesu, quorum duram sententiam retulit ZIEGLERVS *ad Lancellott. lib. II. tit. 5. §. 9.* Lites hæc causa grauissimas cum clero Gallicano, inprimis vero cum *Parisiensi academia* anno 1611. illis peperit, cum etiam saniores inter catholicos dogma Iesuitarum horreant. Cum enim etiam in hac palæstra scholas publicas aperire et merces suas exponere omni niterentur ope, contradicente ipsa Academia, ad parlamentum res delata, et auditis vtriusque partis oratoribus atque patronis præses primarius VERDVNIVS octo Iesuitas in sanctius consilium aduocari iussit, iisque proposuit, potestatem publice docendi illis fieri non posse in Academia, nisi doctrinam suam ad dogmata communiter in Gallia recepta componerent, quatuorque *articulis primariis* cum *Generali suo* subscriberent, in quibus ab Academia dissentirent. Horum primus *papam conciliis œcumenicis* subiiciebat: alter constituebat, *pontificem nullum ius in seculare imperium regum principumque sibi arrogare, eosque excommunicare atque regnis suis priuare posse:* tertius tangebat argumentum de *sigillo confessionis* plus iusto a Iesuitis extenso, atque huc redibat, *sacerdotem, cui per viam confessionis auricularis innotuit instans conspirationis vel parricidii regii periculum aut attentatum crimen læsæ maiestatis, obstringi ad reuelationem huius secreti magistratui faciendam,* quo instans malum a collis ciuium auerteretur. Vltima propositio denique *clerum magistratui seculari subiiciebat.* Allegabant Iesuitæ, sibi legem quidem dictam esse, quod ad doctrinam illius loci, in quo viuunt, se conformare deberent, sui autem iuris non esse, vt etiam *Generalem* ad iurandum in hæc verba constringerent; qua facta declaratione *lubrica* et *ambigua* recitationibus publicis illis interdictum est. VBALDINI, nuncius sedis Romanæ, hoc decreto grauiter offensus est, præcipue vero permoleste tulit articulum de *sigillo confessionis*, quem impietatem, sacrilegiumque spirare, et securitati summorum imperantium insidias struere censuit. Rationes hoc subducebat modo: *recepta hac doctrina, fieri non potest, vt quisquam tam atrox facinus præmeditatum in confessionis actu sit reuelaturus. Sacerdos itaque deficiente confessione non potest pœnitentem a tam malo proposito auertere. Ceterum si per viam confessionis auricularis tales insidiæ sacerdoti indicantur, permissum ei est, sub verbis generalibus sine personarum denominatione periculum instans pandere. Itaque id efficere, vt homines a præmeditato crimine confitendo deterreantur, nihil aliud est,* pergit, *quam sacerdotibus media, saluti reipublicæ inser-*

Quamuis hoc asserunt Iesuitæ,

ægre ferente academia Parisiensi,

a qua in quatuor articulis dissenserunt.

Nuncius papalis causam Iesuitarum defendit,

ex rationibus sophisticis,

inseruientia, *adimere*. Vid. VASSOR *dans l' histoire de Louis XIII. tom. I. p. 215. sqq. et p. 282.* Hoc artificioso et plusquam subtili eloquio VBALDINI doctrinam curiae Romanae Galliae obtrudere, atque hoc lenocinio illicere atque captare emtores voluit; sed frustra, vtut reginae praesidio frueretur. Alia non addo, ab interpretibus supra laudatis pleniori opera excussa atque illustrata.

Crimina manifesta ad censuram episcopalem spectant.

§. LI. Ceterum quamuis *sacerdotes parochi* vel alii ex *priuilegio* potestatis remittendi peccata ab INNOCENTIO III. per *c. 12. X. h. t.* participes facti fuerint, id ipsum tamen ad *quaeuis delicta* porrigendum haud est. Etenim (I) distinguendum est inter *crimina manifesta*, quibus imponenda *poenitentia publica*, et *occulta:* haec quidem *regulariter* ad *forum poenitentiale parochorum* et sacerdotum, quibus ius confessiones audiendi est, pertinent, vt ex *cit. c. 12.* verbo: *omnia sua peccata*, liquet, id quod etiam *sigillum confessionis* indicat. Ast *crimina manifesta*, ob quae *publica poenitentia* subeunda est, adhuc spectant ad *censuram episcoporum*, vel *archidiaconorum*, vice episcoporum agentium, vt supra de *poenis pecuniariis*, in quas *poenitentias* huiusmodi transmutarunt, dictum est. Hae enim per *modum iurisdictionis* decernuntur, et quidem, si *solennitatem* desiderant adhuc hodie, ne quidem *vicarius generalis in spiritualibus*, sine *speciali mandato*, eas imponere et poenitentes publice reconciliare potest, quod hic actus episcopo reseruatus sit, vt obseruat PETRVS LEVRENIVS *de vicar. episc. qu. 146.* Sunt etiam *publicae* absque *solennitate* peragendae, quod nonnunquam sufficiat, vt publice peccantes publice tantum corripiantur. Etenim *in concil. Tridentino sess. XXIV. de reform. c. 8.* episcopis indultum est, *vt hoc poenitentiae genus in aliud secretum possint commutare, quando ita magis iudicauerit expedire*, quales etiam sunt eae, quae ad *censuram archidiaconorum* spectant, quia harum nomine *pecuniaria poena* soluenda, quae hodie magis frequentatur. Hoc sic factum est, facilius in plenam restituuntur communionem, a qua ob *crimina manifesta*, solenni poenitentia publica expianda, exclusi videntur; ad minimum si cum quadam *solennitate* subeunda est poenitentia publica, tamdiu pro exclusis reputandi, donec ab episcopo absoluti fuerint. Hoc facto demum ad *vsum S. coenae* rursus admittuntur, cuius in *priuata absolutione* statim sine mora participes fiunt, quia haec ante peractam poenitentiam, et sic *euentualiter*, a parocho indulgetur.

Quatenus publica et solenni poenitentia expianda.

§. LII.

§. LII. Præterea (II) diſtinguendum eſt inter *crimina reſeruata* et *non-reſeruata*, vt hæc quidem ad abſolutionem cuiusuis ſacerdotis ſpectent, non jtem illa, quippe quæ ad illorum forum non pertinent. *Perſuaſum enim ſemper in eccleſia fuit*, aiunt TRIDENTINI *ſeſſ. XIV. de ſacram. pœnit. c. 7. et veriſſimum eſſe hæc ſynodus confirmat, nullius momenti abſolutionem illam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet iurisdictionem.* Atqui in *caſibus, reſervatis* pontifici vel epiſcopo, ſacerdos parochus iurisdictionem nec *ordinariam* nec *delegatam* habet, ergo in his abſolutionem indulgere nequit. Adeo vero confeſſionario hæc poteſtas abſoluendi eſt denegata, vt ſi epiſcopus ſuo ſubdito conceſſerit, *vt ſibi poſſit idoneum eligere confeſſorem;* ille tamen, quem ita elegit, in caſibus, eidem epiſcopo ſpecialiter reſeruatis, nullam habeat penitus poteſtatem, *cum in generali conceſſione non veniant, quæ non eſſet quis veroſimiliter in ſpecie conceſſurus*, qua iuris ratione in hoc argumento vtitur BONIFACIVS VIII. in *c. 2. h. t. in 6.* Cum vero plures ſint caſus pontifici vel episcopis reſeruati, conſequens eſt, (α) ſacerdotem confeſſionarium peritia huius iuris innutritum et inſtructum, atque *approbatum* eſſe debere, ne in *caſibus reſeruatis* abſolutionem temere ac per imperitiam indulgeat, id quod in ſcrutinio ante ordinationem ſuſcipiendo percontandum eſt. Non leue ſane officium eſt, pœnitentibus eſſe a confeſſionibus, ſed experientiam, conſcientiam, et peritiam penitiſſimam iam olim deſiderauit. Idcirco *in concil. Pariſ. VI. de anno 829. c. 32. in f.* apud HARDVIN. *tom. IV. concil. p. 1317. in f.* cautum: *Presbyteri imperiti ſolerti ſtudio ab epiſcopis ſunt inſtruendi, qualiter et confitentium peccata diſcrete inquirere, eisque congruum modum ſecundum canonicam autoritatem pœnitentiæ nouerint imponere.* Denique ex *concilii Trident. decreto ſeſſ. XXIII. de reform. c. 15.* non alii admittuntur, quam *ſpecialiter* ab episcopo *approbati*, quod de presbyteris *non-parochis* intelligo, cum hi ſatis idonei eo ipſo reperti fuerint, quod parochiæ præfecti. Repetitum hoc eſt in *conſtit. conuentus Melodun. de anno 1597.* apud LVDOVICVM ODESPVNIVM *in concil. Galliæ nouiſſ. p. 95.* (β) Huic quoque conſequens eſt, vt ſi *caſus reſeruati* in confeſſione auriculari occurrunt, confeſſionarius ſuspendere debeat abſolutionem, et remittere pœnitentem vel ad *pontificem* vel ad *epiſcopum.* Quo ipſo fit, vt tamdiu a *communione eucharistiæ* excludendus ſit, donec abſolutionem in his caſibus a competente iudice impetrauerit. Ita rurſus

Sunt etiam reſeruati caſus, a quibus parochi abſoluere nequeunt.

Si vel maxime alicui conceſſa ſit poteſtas ſibi eligendi confeſſionarium.

Arduum hinc munus confeſſionarium.

resuscitatur status antiquus *pœnitentium* in tali subiecto, quippe qui durante eo, pro *eiectis* secundum quid habebantur, donec absoluti fuissent.

Autores de casibus reseruatis.

§. LIII. Habet hoc argumentum scopulos plures, in quibus euoluendis et superandis magnam diligentiam posuit IOANNES CHAPEAVVILLIVS canonicus pœnitentiarius et vicarius Leodiensis in tr. *de casibus reseruatis*, qui exhausisse illud penitus videtur. Succinctior est IO. GEORGIVS KIENE *de casibus summo pontifici, episcopis et prælatis religionum reseruatis*, quem tractatum præcipue in gratiam canonicorum præmonstratensium scripsit, qui vel parochias curant, vel confessiones excipiunt, quia *præmonstratensis canonicus* monasterii Marchtallensis eiusdemque *Prior* fuit. Reseruationes hæ in ea forma, in qua hodie apparent, sine dubio inualuerunt post INNOCENTII III. constitutionem de *foro pœnitentiali ordinario*, singulis parochis generatim communicato, quæ cum confessionem *omnium peccatorum* omnibus et singulis fidelibus iniunxisset, pontifices atque episcopi censuerunt, quædam crimina esse excipienda a censura parochorum, talia scilicet, quæ ob *enormem* suam *qualitatem* singularem aliquam cautionem desiderare viderentur, ad quam adhibendam non satis periti fuisse videbantur parochi, adeoque etiam olim episcopali subiecta tantum erant virgulæ censoriæ. Aiunt *patres Tridentini sess. XIV. de sacram. pœnit. c. 7. magnopere ad populi Christiani disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, vt atrociora quædam et grauiora crimina, non a quibusuis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absoluerentur.* Etenim, quo grauius malum et vulnus censetur, eo peritiorem adhibendum esse medicum censent, qui remedia efficaciora possit adhibere, vt ait CHAPEAVVILLE *cit. l. c. 2. qu. 2.* Sed, omissis his verborum lenociniis, in ea prorsus sum sententia, *casus* hos *reseruatos* antiquam et tot seculis continuatam disciplinam quadam ratione resuscitasse. Etenim olim ab *episcoporum censura* vnice pependit *administratio pœnitentiarum* tam in *manifestis* criminibus, quam in *occultis*, sponte, *arcana confessione*, manifestatis; quanquam, ingrauescentibus illorum negotiis, tandem *presbyteris quibusdam partem* huius *sollicitudinis* delegauerint, vt non diffitetur THOMASSINVS *P. I. de discipl. eccl. lib. 2. c. 14. §. 1.* Hoc rerum statu in episcoporum arbitrio erat, in quantum et quosnam presbyteros in administrationem huius censuræ admittere voluerint, quod illis supremum arbitrium *negotii pœnitentialis* superesset. Non alia autem olim quam grauiora et enormia delicta ac crimina in pœnitentia-

Origo horum casuum.

Ratio reseruationum harum.

tentialibus notata *arcanæ* vel *publicæ confessioni* subiecta erant: non lapsus quotidiani, non excessus leuiores, sed ita demum comparata pœnitentiis expianda erant *iuxta mensuram temporum*, ob quæ excommunicatio ab ecclesia decernebatur. Quis autem assereret, ob leuiora peccata, ob lapsus quotidianos, immodicam iram, detrectationem, lasciuos sermones, scurrilitatem, inobedientiam erga parentes, sobrietatem neglectam, similiaque eiectioni locum fuisse?

Omnia peccata traxit Innocentius III. ad forum parochorum.

§. LIV. Ast *Innocentiana constitutio* latius forum hoc extendit, eique dedit ambitum amplissimum. Etenim (a) *omnia peccata*, grauiora, et leuiora confitenda esse parocho voluit, vt nihil sub pectore absconditum lateret, quod notitiam parochorum, per *clauem*, quam exercent, aperiendam, effugere posset. Interest enim et refert, nihil latere in animo hominum et præcipue *laicorum*: quæuis desideria, consilia, cogitationesque inordinatas effundere in sinum parochi tenentur, vt tanquam *conscientiæ director* internæ dispositionis in singulis pœnitentibus perfectam habeat notitiam. (b) Ita vero *parochorum* et *sacerdotum potestas* mirum in modum aucta, atque fere exæquata fuit *episcopali*, cum iuxta *c. 12. X. h. t.* ad illam potestatem *in genere* admissi fuerint, quæ olim *episcopis* propria, et ad minimum ab eorum pependit arbitrio et dispositione. Sine vlla enim *restrictione* aut *reseruatione* pontifex propriis sacerdotibus aliisque, qui confessiones audiendi *potestatem extraordinariam* acceperunt, idem ius *absoluendi* et *pœnitentias imponendi* dedit, quod antehac episcopi præcipue exercuerunt, vel quibusdam intra *certum modum* delegarunt. Id quod cum (c) curia Romana pedetentim animaduerteret, et episcopi præterea ægre ferrent, simpliciter sacerdotes sibi in huius iuris exercitio exæquatos esse, non aliud superfuit remedium, amissam potestatem recuperandi, vel ad iura amissa regressum habendi, quam reseruatis *criminibus grauioribus*, quippe quæ etiam olim primario *pœnitentiali* suberant *foro episcopali*, atque hoc modo pontifex plura ad sua reseruata traxit: quædam episcoporum reseruatis relicta sunt. Accedebant (d) curiæ Romanæ peculiares *rationes politicæ*, ne euilescerent *absolutoria decreta pontificum*, in tribunali, pœnitentiarum causis præposito, expedienda; si enim quilibet *simplex sacerdos* quosuis reatus remittere, et ab iis absolutionem indulgere voluisset, recursus ad limina Petri magnopere exaruisset, cuius auxilio posthac non indigerent peccatores grauissimi, si cuiuis confessionario absolutio a *quibusuis criminibus* esset indulta. Equidem (e) hoc non adeo nouum videbatur institutum fuisse, cum iam

Ita aucta potestas parochorum.

Sed rursus deminuta per reseruationes.

Papa sibi plures reseruauit casus ex rationibus politicis.

Iam seculo XII. reseruatio pa-

palis, sed rarior facta.

iam olim quædam *crimina manifesta*, ob quæ excommunicationem delinquens incurrerat, *pontificis absolutioni* reseruata fuerint, veluti *manus iniectio in clericum vel monachum*, et *violatio ecclesiarum* anathematis vinculo subiecta, a quo nullus episcoporum reum absoluere potest ex decreto INNOCENTII II. in *c. 29. C. 17. qu. 4. donec* delinquens *se apostolico conspectui præsentet, et eius mandatum suscipiat.* Obseruant eruditi, ipsos episcopos ansam curiæ Romanæ dedisse, eique autores fuisse, vt quosdam casus seculo XII. sibi reseruaret. Inprimis solliciti erant de *sanctitate* et *inuiolabilitate* tum *clericorum*, tum *ecclesiarum* conseruanda, contra inuasiones et iniurias laicorum. Id vero rectius fieri non posse censebant, quam si delinquentes *conspectui apostolico* sese sisterent, et ab eo remissionem impetrarent, quod ipsum INNOCENTIVS II. in *cit. c.* facile approbauit. Iam anno 1143. ab episcopo Wintoniensi cautum fuisse refert MATTHAEVS Parisiensis *ad cit. ann. p. 66. ne aliquis, qui ecclesiam, cœmiteriumque violauerit, vel in clerico aut viro religioso manus iniecerit violentas, ab alio quam ipso papa possit absolui.* Rationem huius decreti præmiserat hanc: *nullus enim honor et reuerentia ferebatur Dei ecclesiæ vel eius ordinatis, a prædonis sceleratis, sed æque clerici et laici capiebantur, redimebantur, et in vinculis tenebantur.* Remittebantur ergo delinquentes, anxie absolutionem desiderantes, ad pontificem cum literis episcopi, qui consilium eius approbans, per canonem adductum *generatim* decernebat, violatores ecclesiarum et clericorum non aliter remissionem impetraturos esse, nisi se *conspectui* stitissent. Iam vero *illo tempore*, vt optime obseruat ESPENIVS *P. II. de iur. eccles. tit. 6. c. 7. §. 12. nemo a pontifice absolutionem impetrabat, nisi personaliter pontifici se sisteret, et ab eo pœnitentiam accepisset, adeo vt vel ipsa itineris fatigatio pars pœnitentiæ iudicaretur.* Hac retrahere cogitabant furentes a *violatione clericorum et rerum sacrarum, religioni*, prout eo tempore effigiata erat, prorsus aduersa, quæ illis curæ cordique vnice fuit. Verum ad *seculi XII.* disciplinam hæc *reseruatio papalis* pertinet, parum antea cognita, et ex *necessitate* quadam facta, vt ab hoc admodum irregulari casu consequentia nulla ad *præterita tempora* trahi queat. Præterea vero hic ipse concernit crimen *manifestum*, publice, non in abdito, commissum, per violationem *sanctitatis clericalis*, vel *ecclesiarum*, quæ singularem curam custodiamque desiderabat. Ostendi vero vix poterit, ante translationem *fori pœnitentialis ordinarii* in *parochos* ab INNOCENTIO III, delicta quædam *in occulto* commissa *pontifici* reseruata fuisse,

Ad suggestionem ipsorum episcoporum facta.

Non vero in occultis.

fuiſſe, quod per mille annos canonibus vnice ſe regi paſſus fuerat. Denique (f) ordines mendicantium iam *a confeſſionibus* eſſe ceperant ex pontificis priuilegio, quorum poteſtas tamen coarctanda eſſe videbatur, vt per *indirectum* priſci mores, qui epiſcopo cenſuram *de grauiſſimis criminibus occultis* concesserant, reſtituerentur. Inde vero colligo, *forum pœnitentiale parochorum* religioſorumque ſacerdotum adeo attritum et imminutum fuiſſe, vt, quo latius patebat ex INNOCENTII III. decreto, eo anguſtiores limites pedetentim acceperit, atque ad leuiores exceſſus et lapſus quotidianos fere duntaxat reſtrictum fuerit. Quæ exempla ex antiquitatibus CHAPEAVVILLE *cit. tr. c. 2. qu. 3.* adfert, quibus morem reſeruandi quædam delicta iam a temporibus CYPRIANI deducere intendit, tam aliena ab hoc argumento ſunt, vt his excutiendis immorari haud neceſſe ſit. Deficiente enim tali *ordinario foro pœnitentiali*, parochis vel presbyteris in genere commiſſo, non neceſſe fuit, reſeruationes delictorum facere. Denique exempla a THOMASSINO *P. I. lib. 2. de diſcipl. eccl. c. 14. §. 4. ſqq.* adducta, iam ad ſeculum XIII. et eius initia ſpectant, quæ demum poſt INNOCENTII III. *decretum indiſcretum* incrementa varia acceperunt, poſtquam parochis *forum ordinarium pœnitentiale* commiſſum eſt.

Expediebat etiam propter ordines mendicantium plura crimina excipere.

§. LV. Vt vero liqueat, his reſeruationibus priſtinam diſciplinam reſuſcitatam et reſtitutam fuiſſe, per INNOCENTII III. vero decretum omnes et quoscunque lapſus atque leuiores exceſſus *nouiter* et ſub lege *neceſſitatis* confeſſioni auriculari ſubiectos fuiſſe, videamus paucis, quam ampliſſimus *epiſcopalium* et *papalium reſeruationum* cumulus in *iure canonico, bullario magno*, et *ſtatutis ſynodalibus* determinatus fuerit. *Epiſcopales* enim determinantur in *ſtatutis ſynodalibus*, quæ hoc in argumento admodum variant. In *ſtatutis ſynodalibus Leodii anno 1499.* editis teſte CHAPEAVVILLIO *cit. tr. c. 2. qu. 3. c. 4. de pœnit. et confeſſione* hæc deſignatio *caſuum reſeruatorum* habetur; *Presbyteri reſeruent epiſcopo* MAIORA PECCATA (olim tantum confesſione arcana epiſcopo indicata) *vtpote homicidia, ſacrilega, incendia, peccata contra naturam, concubitum perſonarum conuentualium, in ſacris ordinibus conſtitutarum, inceſtus videlicet cum conſanguinea vel affine, vel cum ea, quæ votum caſtitatis emiſit, iniectiones manuum in parentes, oppreſſiones paruulorum, negligentias pereuntium in igne et aqua natos amittentium, veneficia, periuria ſolennia, fidei fractiones, votorum transgreſſiones, ſimoniam, adulteria manifeſta, hæreſes, apoſtaſias, maleficia earum, quæ malefaciunt coniuges, ne poſſint coire, vel*

Epiſcopales reſeruationes in ſtatutis ſynodalibus definiuntur,

vt Leodienſibus,

quæ procurant ſterilitatem vel abortum, falſarios, qui literas vel ſigillum vel monetam falſificant: in his mittant presbyteri ad epiſcopum abſolvendos, nec abſoluant eos ſine licentia ſpeciali, vel niſi in articulo mortis. Iam annō 1310. Archiepiſcopus Moguntinus PETRVS in *ſtatutis ſynodalibus* eosdem caſus ſibi reſeruauerat, relatos a LVNICHIO *contin. II. ſpicileg. eccleſ. p. 66.* niſi quod hic *adulteria* in genere exceperit, cum in *Leodienſibus ſtatutis* tantum *manifeſta* adulteria huc relata fuerint. In *ſtatutis ſynodi prouincialis Treuirenſis* BALDVINI archiepiſcopi *de anno 1310.* apud LVNICH. *cit. l. p. 106. c. 93.* recenſentur XXXIX. reſervati caſus, atque hi delinquentes notantur, veluti. „1) vototum fractores „et poſt votum caſtitatis matrimonium contrahentes: 2) contrahentes „matrimonium prima viuente, et continentes, religionem intrantes et „ſacrum ordinem ſuccipientes inuita vxore propria poſt carnalem copulam ſubſecutam: 3) confeſſi, ſe credidiſſe hæreticam prauitatem, „et ſe hæreticos recepiſſe et iis fauiſſe: 4) ſimoniaci quocunque ge„nere ſimoniæ, præterquam mentalis: 5) ab epiſcopo alieno ſine li„centia proprii epiſcopi ordinati et tonſurati: 6) homicidium facien„tes, facto, præcepto, conſilio, conſenſu, excitatione, vel quolibet alio „modo: 7) concipientes filium non a viro, quem vir credens eſſe fi„lium illum nutrit, vel inſtruere intendit: 8) viri, qui in mortem con„iugis, et vxores, quæ in mortem viri cum effectu machinantur: 9) „presbyteri celebrantes ſcienter in eccleſia vel parochia interdicta, et „ſacerdotes nuptias benedicentes: 10) clerici vel laici ſcienter corpus „excommunicati vel etiam tempore interdicti non excommunicati in „cœmeterio ſepelientes: 11) excommunicati a canone in illis caſibus, „in quibus epiſcopus abſoluere poteſt; et etiam irregulares in illis ca„ſibus, in quibus epiſcopus diſpenſare poteſt: 12) matrimonium clan„deſtine contrahentes, et qui ei interſunt: 13) falſarii literarum apo„ſtolicarum ſiue epiſcopalium vel officialium, ſiue publicorum inſtru„mentorum: 14) ſacerdotes ſcienter celebrantes in altari non conſe„crato, vel ſine ſacris in diuinis celebrantes etiam ieiuni. Item non „ordinati in presbyterum miſſam celebrantes, et non ordinati in dia„conum ſolemniter et publice euangelium legentes, et non ordinati in „ſubdiaconum ſolemniter et cum veſtimentis ſubdiaconi epiſtolam in „miſſarum ſolemniis legentes: 15) clerici iurantes tactis ſacroſanctis „euangeliis, et periurantes, et quando dubitatur, vtrum aliquid ſacrum „ſit ſeruandum vel non: 16) vbicunque ſolennis pœnitentia eſt in„iungenda: 17) incendiarii et effractores eccleſiarum et domorum ec„cleſia-

Moguntinenſibus, Treuirenſibus.

„clesiasticarum et nocturni depopulatores agrorum et famosi latrones,
„qui in itineribus insidiantur: 18) per saltum, aliquo ordine præter-
„misso vel etiam furtiue et contra prohibitionem promoti; et reba-
„ptizati, et reordinati et confirmati: 19) excommunicati, suspensi vel
„interdicti celebrantes missam scienter, vel officium suum solenniter
„sicut prius agentes, et qui excommunicati vel interdicti beneficium
„susceperunt: 20) coeuntes cum moniali sacra virgine: 21) deflora-
„tores virginum vi, oppresse et rapte: 22) opprimentes siue peri-
„mentes prolem suam studiose vel negligenter ante partum vel post:
„23) quomodolibet abutentes chrismate vel hostia vel alia re sacra:
„24) rapinam vel sacrilegium committentes in ecclesia: 25) scienter
„baptizantes proprium filium vel etiam vxoris suæ ex alio viro vel e
„conuerso, præter in articulo necessitatis, vel etiam aliis deficientibus,
„vel etiam in catechismo vel confirmatione tenentes: 26) in ecclesia
„maxime consecrata luxuriam committentes; humanum semen quo-
„modocunque studiose emittentes; 27) scienter coeuntes cum iudæa
„vel saracena vel pagana & e conuerso: 28) verberantes patrem vel
„matrem, vel alias enormes iniurias iis irrogantes: 29) sortilegi, di-
„uinatores, malefici, incantatores, augures, aruspices, dæmones pro
„quacunque causa inuocantes, vel similia facientes: 30) contrahentes
„matrimonium post sponsalia cum aliis iuramento interposito contra-
„cta, illis per ecclesiam non dissolutis: 31) violatores ecclesiæ vel cœ-
„miterii: 32) peccatum sodomiticum committentes cum quibuslibet
„consanguineis vel affinibus: 33) sacerdotes vel ministri, quorum
„culpa vel negligentia aliquid inhonestum circa sacramentum altaris
„euenerit; 34) cognoscentes consanguineas suæ vxoris vel sponsæ:
„35) procurantes siue per se, siue per alium in alios sterilitatem:
„36) blasphemantes Deum publice vel matrem eius, vel sanctos, vel
„falsum testimonium proferentes, et laici iuramenti transgressores;
„qui tamen post transgressionem satisfaciunt de eo, quod iurauerant
„facere vel seruare: 37) sacerdotes coeuntes cum ea, quas baptiza-
„runt, vel confessiones audiuerunt, vel etiam cum iis, quæ speciali af-
„finitate sibi sunt coniunctæ: 38) contrahentes matrimonium cum ea,
„quam cognouit per adulterium, superstite legitima vxore sua vel e
„contra: 39) mulieres, quarum viri diu absuerunt, et de quorum mor-
„te certitudo non habetur, et contra prohibitionem ecclesiæ, matrimo-
„nium cum alio contrahentes; idem e conuerso. Vt vero de *his casi-
bus* nullum supersit dubium, et nemo in eo errare queat, in *concil. Tho-
losano* de anno 1590. *c. 4.* §. 1. 2. apud LVDOVICVM ODESPVNIVM *in
concil.*

concil. Galliæ nouiss. p. 523. cautum est: *edenda est episcopi autoritate in qualibet diœcesi facienda confessionis formula, casusque, quos reseruatos vocant, subscribendi, vt qui in eos inciderint,* POENITENTIARIVM *adeant. His obseruandis omnibus, quæ libro hac de re edito praescribentur, omnes et singuli confessores teneantur.* In §. 8. additur: *qua sedis parte sedebit confessionarius, casus summo pontifici et episcopo reseruati absolutionisque formula appensæ tabulæ descripta legantur.*

Serius hæ factæ sunt reseruationes.

§. LVI. Verum infinitum foret, si singulorum statutorum synodalium *reseruationes* referre vellem. Paucis duntaxat obseruo: 1) post *concilium Lateranense* IV. anno 1215. habitum, vnde desumtum est *c. 12. X. h. t.* imo, post *decretales* anno 1230. publicatos non statim *reseruationes* in *statutis synodalibus* designatas et determinatas, sed post diuturniorem tractum id demum factum fuisse, ex quo parochi indiscrete iuxta *cit. c. 12. X. h. t. quorumcunque peccatorum* remissionem ad suum forum pœnitentiale traxerunt. Etenim in *Statutis Colon.* de anno 1620. apud LVNICH. in der Fortsetzung *P. 1. spicil. eccles. p. 346.* et in his, quæ anno 1266. publicata sunt ab EODEM *cit. l. p. 363.* relata, casus reseruati nulli adducti sunt, sed demum *in statutis synodalibus de anno 1280.* apud EVNDEM *cit. l. p. 382.* vbi demum hæc sanctio deprehenditur: *item præcipimus, vt sacerdotes nobis, vel illis, cui vices nostras pro tempore in spiritualibus committimus,* MAIORA PECCATA *et inunctionem pœnitentiæ pro iisdem reseruent, vt sunt* etc. Vnde confirmor eo magis in sententia antea allata, specialem determinationem *casuum reseruatorum* demum inualuisse, postquam *ordinarium forum pœnitentiale* ad parochos virtute *c. 12. X. h. t.* deuolutum est, quod antea quibusdam tantum presbyteris, iuxta episcopi dispositionem, delegari solebat sub *limitata potestate.* 2) In dubiis casibus suspendere debent parochi absolutionem, consulentes prius episcopum vel eius vicarium, aut etiam alios sapientes viros, quæ clausula *cit. l.* adiecta est, hac sub præcautione, *vt non prodant nec reuelent confitentem, sed in genere casum referant duntaxat.* Hoc facto vel absoluere pœnitentes vel ad alium mittere debent. 3) Quandoque etiam *confessionariis* extra ordinem hæc potestas indulgetur, vel a *pontifice*, vel ab *episcopis*, vel ab *ipso iure communi*, vt in *casibus reseruatis* absoluere possint iusta causa id suadente. A *pontifice* vel eius *summo pœnitentiario* hæc potestas concedi solet confessionariis, qui in illis locis, vbi desunt episcopi, veluti in *territoriis protestantium*, sacra peragunt, et vtplurimum, velut *missionarii*, a pontifice constituti, atque *extra ordinem* tam ampla potestate instrui solent. Sed nonnunquam etiam *sum-*

Quandoque extra ordinem parochi quoque in his casibus absoluunt, 1) ex pontificis delegatione,

summus pœnitentiarius quosdam *presbyteros* in quibuscunque locis hac potestate instruit, vt §. *LVIII.* infra dicam. Ab *episcopis*, pro faciliori exitu huius causæ, nonnunquam certo modo parochis idem indultum est, quale quid factum deprehendi in Archiepiscopi Coloniensis HERMANNI *reformat. de anno 1528. P. VII. c. 37.* apud LVNICH. *cit. l. p. 725.* et quidem ex hac causa, *quod vel peccator non habens in promtu sacerdotem, qui illum absoluat, confiteri differat vel contemnat: vel quod minores ætate aut mulieres difficulter adducantur, vt ex suis parochiis* NON SINE LEVI SVSPICIONE *ad archiepiscopum seu eius commissarios proficiscantur.* Hæ sunt causæ, quæ vt plurimum deterrent pœnitentes a confessionibus, quod *sine graui suspicione* vix mitti possint ad episcopum, vnde maiora illis mala imminent. *Quare*, sunt verba reformationis, *vt consulamus et verecundiæ et famæ, visum nobis est, hanc potestatem nostram a peccatis et casibus nostræ absolutioni reseruatis (occultis tamen,) omnibus parochis per diœcesin nostram constitutis, rite vocatis delegare, modo tamen vicariorum nostrorum in pontificalibus consilium requirant et adhibeant: nostris tamen suffraganeis potestatem facientes, aliter in diœcesibus suis, vti consultius videbitur, super hac re ordinandi.* Prudens hæc sanctio calculum meretur, quod vix mitti possit pœnitens ad episcopum, vt non suspicionem grauem incurrat *commissi criminis*, quod ex *reseruatis casibus* facile coniectura assequi quilibet potest. Denique a *iure communi* concessa hæc potestas est parochis, absoluendi a casibus reseruatis *in articulo mortis, c. 5. X. de sentent. excomm. c. 11. X. de offic. iud. ord.* Aiunt patres Tridentini *sess. XIV. de sacram. pœnit. c. 7. pie admodum in ecclesia Dei semper custoditum, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis. Atque ideo* OMNES SACERDOTES *quoslibet pœnitentes a quibusuis peccatis et censuris absoluere possunt.* Non ergo hæc potestas restricta est ad *parochos*, sed ad *omnes sacerdotes*, qui moribundo a confessionibus sunt, extensa, vt etiam censet CHAPEAVVILLE *cit. tr. c. VII. qu. 7. et 8.*

2) ex episcoporum indultu,

3) a iure communi in articulo mortis.

§. LVII. *Reseruationes papales* variis ex fontibus peti solent. Parciores ab initio et quidem seculo XII. fuisse, et ex suggestionibus ipsorum episcoporum ortas, supra §. LIV. dictum. Ast sicuti curiæ Romanæ nihil prius nihilque potius fuit, quam quauis occasione potestatem suam supremam extendere, episcoporum vero imminuere; ita etiam pro augendo frequentissimo recursu ad curiam suam pontifices cumulum *reseruatorum casuum* pedetentim admodum auxerunt, vt vix

Reseruationes papales.

certus numerus definiri queat, cum per bullas noui casus quotidie prioribus adduntur. 10. CHAPEAVVILLE *P. I. c. 5.* ad fontes hosce *reservationes* reducit, vt quædam 1) determinatæ sint in *bulla cænæ domini:* 2) quædam in *iure communi:* 3) quædam in *extrauagantibus* iuri insertis: 4) quædam in *bullis recentioribus*, vt plurimum *bullario magno* insertis. Ex *bulla cænæ domini XX.* casus IDEM recenset, et illustrat KIENE *cit. tr. P. I. c. 2.* illos scilicet, qui illorum tempore, quo opuscula sua tum conscripserunt, h. e. *anno 1603. et 1629.* cogniti fuerunt, quos etiam in compendio SIXTVS IV. in *c. 5. extrau. comm. h. t.* enarrat. Etenim hæ bullæ, quæ in *cæna domini* publicari solent, varia hinc inde incrementa et additamenta acceperunt, quod ex collatione earum, quæ a pontificibus publicatæ sunt, liquet, relatarum *tom. I. bull. magni p. 282. 516. 714. tom. II. p. 462. tom. III. p. 248. et tom. IV. p. 116.* His addendæ ex *tom. V. p. 218. 528. 531.* ex *tom. VII. p. 66. §. 7.* ex *tom. VIII. p. 6. sqq.*, quæ CLEMENTIS XI. anno 1701. publicata, ex quibus numerum certum eruere et plenius illustrare non vacat. *Ex iure communi*, quod in *decreto* et *decretalibus*, autoritate papali publicatis, consistit, recensentur a CHAPEAVVILLIO *cit. l. p. 50.* sequentes: 1) manus inicientes in clericos: *c. 29. C. 17. qu. 4.* 2) excommunicati a delegato pontificis, si insorduerunt, h. e. vltra annum in excommunicatione steterunt: *c. 26. X. de offic. et potest. iud. deleg.* 3) *falsarum literarum papalium* possessores, si eas intra XX. dies non destruxerint: *c. 4. X. de crim. falsi in f.* 4) scienter communicantes cum excommunicatis a pontifice: *c. 18. X. de sent. excomm.* 5) incendiarii: *c. 19. eod.* 6) ecclesias effringentes et spoliantes: *c. 22. eod.* 7) eligentes imperatorem, regem, principem vel alterius dignitatis illustris personam senatorem, capitaneum, patriciumque vrbis Romæ sine speciali licentia sedis apostolicæ: *c. 17. de elect. in 6.* 8) insequentes, percutientes vel capientes cardinalem, eius filios nepotesque; *c. 5. de pæn. in 6.* qui casus tamen reuocatus est ad *bullam cænæ domini:* 9) occidentes vel persequentes eos, qui in reges, principes eorumque ministros excommunicationis vel interdicti sententiam protulerunt, aut aliis licentiam dantes, illos occidendi aut in bonis grauandi lædendique: *c. 11. de sentent. excomm. in 6.* 10) inquisitores, episcopis inferiores, qui odii, gratiæ, lucri, aut commodi temporalis obtentu omiserunt procedere contra aliquem ex causa hæreseos, vbi procedendum erat: *clem. 1. vers. verum de hæret.* 11) religiosi sine licentia expressa parochi administrantes extremam vnctionem, eucharistiam, benedicentes nuptiis, vel absoluentes excommunica-

Ex quatuor fontibus,

1) ex bulla cœnæ domini,

2) ex iure communi,

nicatos a pœna et culpa: *clem. 1. de priuil.* 12) clerici vel religiosi, inducentes aliquem ad vouendum, iurandum, aut promittendum de sepultura in sua ecclesia eligenda: *clem. 3. de pœn. in f.* 13) nobiles vel domini temporales cogentes aliquem ad diuina celebranda in locis interdictis. *clem. 2. de sent. excomm.* In *extrauagantibus Ioh. XXII. et communibus* hi notantur: α) qui exenterant mortuos, vt eos conseruent, aut eos conscindunt in frusta eaque concoquunt: *c. 1. extr. comm. de sepult.* β) qui dant aut accipiunt aliquid ob ingressum in monasterium: *c. 1. extr. comm. d. simon.* γ) simoniam committentes in ordinandis clericis vel beneficiis conferendis et eorum mediatores seu proxenetæ: *c. 2. eod.* δ) religiosi mendicantes conuolantes ad ordinem non mendicantium sine speciali facultate a pontifice impetrata, excepto ordine carthusianorum: *c. 1. extr. commun de regul.* ε) qui docent, peccare eum mortaliter, qui dixerit, beatam Mariam virginem fuisse conceptam in peccato originali, et vice versa, qui constituit, peccare eum mortaliter, qui oppositum docet: *c. 2. extr. comm. de reliq. et ven. SS.* ζ) qui accipiunt aut promittunt aliquid in curia Romana aut ad obtinendam iustitiam, aut ad gratiam alicuius rei promerendam. *c. 1. extrau. comm. de sent. excomm.* Hæc prohibitio intolerabilis sollicitantibus visa fuit, scientibus, Romæ nihil sine præmio vel pretio obtineri posse; hinc reuocata a GREGORIO XIII. anno 1574. *in bullar. magn. tom. II. p. 390.* dicitur a CHAPEAVVILLIO *cit. l. p. 53.*, quod tamen falsum est, cum GREGORIVS XIII. confirmauerit potius et extenderit BONIFACII VIII. decretalem relatam. η) confessionarii, qui sub prætextu *facultatis concessæ*, absoluendi pœnitentes in *casibus etiam reseruatis*, (quam tamen *indulgentiæ papales plenariæ* omnino largiuntur,) in posterum *in casibus contentis in literis, quæ consueuerunt in die cœnæ domini publicari*, absoluendi potestatem sibi arrogauerint, aut *quinque* VOTA PRIVILEGIATA, *tom. III. tit. 34. lib. 3. §. 25. sqq.* illustrata, commutauerint. *c. 5. extrau. comm. h. t.* Ita vero reuocantur omnes facultates largissimæ, nonnunquam confessionariis dari solitæ, et inanes redduntur plenariæ indulgentiæ sub amplissima forma concessæ, quæ olim ecclesiis, altaribus, et capellis per modum *priuilegii* ab ipsis pontificibus datæ sunt, vt SIXTO IV, autori huius bullæ, recte applicari possit illud:

Promittis: promissa negas: deflesque negata.
Quis, tribus his positis, te neget esse Petrum?

Denique si reseruationes, quæ ex *nouis bullis papalibus*, in *bullario magno* plena manu relatis, colligi et coaceruari possunt, (quem labo-

3) ex extrauagantibus Ioh. XXII. et communibus,

4) ex nouis bullis in bullario deprehensis.

rem tamen non facio meum) prioribus addendæ essent, insigne accederet incrementum ad cumulum casuum *reseruatorum papalium*, vt etiam, si vlla alia, certe hæc doctrina ad *excessus papales*, de quibus supra *tit. 31. §. 1. et tit. 33. §. 3.* dixi, referri debeat.

Casus reseruati papales subsunt Romæ summo pœnitentiario.

§. LVIII. *Examini* et *absolutioni* in *casibus reseruatis* Romæ præpositus est *summus pœnitentiarius*, quod officium pontifex non alii, quam cardinali, committit. In hoc vero priuilegiatum est, quod eius iurisdictio non exspiret morte pontificis et sede vacante, *clem. 2. vers. eo tamen. de elect.* quoad ea, quæ *forum pœnitentiale* concernunt; in aliis enim quiescit, vt ex PII IV. bulla notat IACOB. COHELLIVS *in notit. cardinal. c. 54. p. 258.* cum plura alia præter *forum pœnitentiale* ipsi concredita sint, vt notat AVTOR tr. qui inscribitur: *Tableau de la cour de Rome P. II. c. 2.* Olim etiam pœnitentiarii plures Romæ erant, varia subordinatione inter se diuisi, sine eminente dignitate, antequam ad *parochos quosuis* pœnitentiale forum ordinarium per *c. 12. X. h. t.* transiuerit. *Postquam vero*, ait GOMESIVS *in comm. in regul. cancellar. qu. 1. p. 5.*, *cura sacri officii pœnitentiariæ vni cardinali demandata fuit*, (ad excutiendos casus reseruatos) *totus ille communis pœnitentiariorum honos, tota denique confessariorum subordinatio et reciproca cura perire, ac simul cum officio ad vnum tantum cardinalem, quem maiorem pœnitentiarium appellarunt, deuenit.* Hic iuxta *bullam* PII *in bullar. magno tom. II. sub n. 83. p. 280.* debet esse presbyter, magister in theologia, seu decretorum doctor: impeditus alium ex collegio cardinalium substituit, qui per semet ipsum hoc munus expediat. Plures sub se habet officiales, vt *regentem*, *correctorem*, *sigillatorem*, ceteros, quorum munus *ibidem* designatur. Cum autem non omnes, qui in *casibus reseruatis* absolutionem quærunt, Romam adire possint, potestatem habet, *in partibus* delegandi et quidem *gratis vbique vicarios confessionarios*, qui in *casibus reseruatis* absoluere possint, vt autor *du tableau de la cour de Rome cit. l. p. 171.* obseruat, simulque addit *p. sq.* enormia crimina *contra legem diuinam* commissa leuiori pretio redimi: ast his, qui vel leuiores excessus contra *præcepta papalia* perpetrarunt, absolutionem non concedi, nisi graui ære soluto. O tempora! o mores!

Forum pœnitentiale protestantium. Cum differentia a more Romanæ ecclesiæ.

§. LIX. Ad *forum pœnitentiale*, quo protestantes vtuntur, progredior, atque obseruo, confessiones *ante vsum sacræ cœnæ* quidem ab his in plerisque locis retentas fuisse, maiori tamen cum libertate. Etenim (α) nullum agnoscimus *sacramentum* in *pœnitentia externa*,

nec

nec (β) constringimus confitentes, vt specialem omnium delictorum enumerationem coram sacerdote faciant, contenti sola *confessione* peccatorum *generali*, Deo deuotis facta precibus: multo minus (γ) *satisfactionem*, quam vulgo *poenitentiam* dicunt, imponimus his, qui etiam sponte quædam delicta confitentur, sola satisfactione Christi, fide apprehensa, contenti, adeoque (δ) ad *instituta ecclesiastica positiua* hunc ritum referimus, mutationi obnoxia, nec per se necessaria, *poenitentiæ veræ internæ* omnem virtutem attribuentes. Denique (ε) *absolutionis formula consueta*, et in ecclesia Romana vsitata, quidem vtimur, sed ab aliis iam monitum est, hanc in simplicem *annunciationem gratiæ diuinæ* et remissionis peccatorum a Deo sperandæ immutandam esse. Sicuti enim hæc ex erroneo principio Romanæ ecclesiæ ortum traxit, a praxi primitiuæ ecclesiæ abhorret, quæ tantum absoluebat eiectos a *vinculo exclusionis* et ratione *satisfactionis*, ecclesiæ læsæ faciendæ, vt *diss. III. ad Plinium secundum et Tertull.* §. L *sqq.* docui; ita merito abstinendum ab eo iure, quod ad *reseruata diuina* spectat, et ad cuius exercitium sese legitimare non valent sacerdotes, præsertim cum in *confessionis actu* id non agatur, vt eiectos reconciliemus ecclesiæ, eosque restituamus in integrum, sed tantum vt ad S. cœnam accedere cupientes sui officii admoneamus. Denique quia (ζ) ostendi, vsum hunc *auricularis confessionis* ante S. eucharistiæ perceptionem vnice INNOCENTII III. instituto deberi, et ita sub ipsis ecclesiæ tenebris hunc natum, in primitiua ecclesia autem commendatam quidem *confessionem*, sed singulorum arbitrio relictam fuisse; expediret, si et hodie singulorum arbitrio relinqueretur, vtrum hoc ritu vti, an vero illo abstinere mallent? quod factum est laudabili plane et sapientissimo consilio a potentissimo rege Borussiæ gloriosæ memoriæ intuitu *palatinæ residentiæ* in edicto, quod *in iure paroch. sect. IV. c. 1.* §. *18.* recitaui. Conf. Dn. PERTSCH. vom Recht der Beichtstühle *sect. I. c. 4.* §. *20. sqq.* Et cum de hoc argumento plurimis actum iam scriptis, actum non agam, sed ad specialia properabo.

Et libertate et qualitate arbitraria. Absolutionis formula communis merito emendanda.

Ipsa quoque auricularis confessio singulorum arbitrio relinquenda esset.

§. LX. Confessionem hanc esse *ius bannarium* et *parochiale* iuxta *c. 12. h. t.* certum est, et in ecclesiis quoque protestantium vtplurimum retentum. Sed cum in plerisque ecclesiis maioribus plures sint *ministri ecclesiæ*, æque vt in templo aulico principis, adeoque hi omnes recte *proprii sacerdotes*, quos desiderat pontifex in *c. 12. X. h. t.* vocentur, nihil obstare videtur, quo minus in *mutando confessionario* quilibet plena gaudere debeat libertate. Neque enim in hac mutandi

Liberum an sit mutare confessionarium in eadem ecclesia.

di

Affirmatur, quod ius parochiale non violatur, sententia c. 3. de pœnit. D. 6.

di facultate concessa aliquid agitur, quod *iuri parochiali* aduersatur; id quod tantum prohibet, ne quisquam *alieno parocho* seu *extra suam parochiam* alieno sacerdoti, nisi cum *sui parochi consensu*, confessionem auricularem edat. Equidem VRBANVS II. *in c. 3. de pœnit. D. 6.* in hæc edixit verba: *Placuit, vt deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, sine eius consensu, cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confessus est. Qui vero contra hæc statuta facere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit.* Sed vix quemquam tam ieiunum fore arbitror, vt inde argumentum contra hanc *libertatem mutandi confessionarium* exsculpturus sit. Etenim 1) testatissimum est, tempore VRBANI II. confessionem nondum fuisse *actum parochialem*, nec *imperatum actum* ante S. cœnæ vsum: 2) graui crimine qui se conscium nouerat, illud sponte confitebatur vel episcopo vel sacerdoti, cui volebat, qua confessione facta, 3) necesse erat, vt ab eo *legem* et *formam* pœnitentiæ subeundæ acciperet, et ob iam factam confessionem eius directioni iuxta mensuram temporis præscripti in eo casu se committeret. Quocirca 4) eum deserere aliumque in confessione huius criminis non poterat eligere sacerdotem, nisi forsan causa ita ardua huic videretur, quæ captum ipsius superaret, vt quid faciendum statuendumque esset, ignoraret. Ceterum 5) si de nouo crimen, quod denuo pandere sacerdoti cogitabat, commiserat, non adstringebatur, vt eidem, cuius fidem et sigillum antea in alia elegerat causa, rursus confiteretur, et perpetuo ab eius ore et arbitrio penderet, quod intuitu huius nouæ causæ nulla *litis pendentia*, vt ita loquar, esset, quæ tantum in priori casu aderat.

Hodie tamen hæc libertas impugnatur.

§. LXI. Quis vero crederet, etiam hodie huic *libertati* adeo insidias strui, vt semel electus confessionarius credat, se ius quæsitum in confitentem habere, vt a suis subselliis recedere nequeat. Eadem fere luditur fabula hodie in ecclesiis protestantium, quam in *ecclesia primitiua* obseruauit HIERONYMVS in *c. 5. D. 95.* in qua *vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi*, h. e. eos sibi adeo vindicabat, suosque esse dicebat, vt eius tantum consilio in quibuscunque causis vti, nec aliorum monita audire deberet, adeoque vt *patrem spiritualem* et *directorem conscientiæ* quilibet se iis obtruderet, quos baptizauerat, vnde non poterant non *semina schismatum* in ecclesiam spargi. Ita pariter, qui adstringunt confitentes, vt semper eodem confessionario, cuius fidem semel elegerunt, vtantur, id agunt,

agunt, vt *suos* esse confitentes arguant, eosque sibi iure quodam, nescio quo? vindicent, clamantes: Dieser ist mein Beicht=Kind. Neque vero hoc iure *bannario* tantum vtuntur erga priuatos: ipsis etiam principibus hanc legem scribunt rigidioris sectæ sodales, vt *perpetuum* et *immutabilem* sibi eligant *confessionarium*, cuius a consilio et nutu in rebus ad conscientiam spectantibus pendeant in posterum. Nonnunquam olim *capellanos hereditarios* sibi principes quidam constituerunt, vt *tit. praeced.* §. *LIX.* obseruaui, non tamen aliter quam *iure priuilegii;* enim vero in *eligendo confessionario* eoque rursus *mutando* principes sibi ab antiquo obstaculum poni haud passi sunt, præcipue cum *ius bannarium parochiale* ad templa aulica haud debeat extendi, vt *in iure paroch. sect. III. c. 2. §. 31.* docui, nec *ius ecclesiasticum antiquum et recentius* principi manus liget. Hisce tamen non obstantibus in *causa Hendeliana tit. praeced. §. 87.* relata plenius autem excussa *tom. I. consult. et decis. P. I. argum. 106.*, magnis animi motibus de hac *libertate confessionarium mutandi* tum intuitu *principis*, tum ratione *aliorum* concertatum est, quia quidam, quibus D. HENDELIVS primarius sacerdos aulicus Anspacensis a confessionibus fuerat, hac libertate vsi alium confessionarium elegerant: tandem ipse etiam princeps serenissimus consilium ceperat, HENDELIO misso, alium sibi eligendi confessionarium, vt tamen officium *sacerdotis aulici* primarii retineret. Hac *mutatione* exacerbatus motus ingentes excitauit, et facile responsum aliquod *anno 1709. Mens. Octobr.* obtinuit, quod causæ suæ patrocinium præbebat. Allegabant Theologi pariter et ICti, a quibus hoc responsum impetrauerat: es wäre seinem heiligen Beicht=väterl. Amt zu nahe getreten, theils von seinen Beicht=Kindern, theils aber auch von seinen Mit=Collegen und Kirchen=Dienern: Von seinen Beicht=Kindern (1) durch den Herrn Hoffrath v. S. als der zwar höflich und bescheidentlich, an sich aber dennoch sündlich, seinem bisherigen Beicht=Vater, dem General-Superintendenten anzeigen lassen, daß er, nebst seiner Frauen gesinnet, seinen Beichtstuhl zu verlassen, und einen andern zu erwehlen, aus Uhrsachen, nicht aus Mißgunst, Bitterkeit und Gehäßigkeit, gegen ihm, dem bißherigen Beicht=Vater, sondern weil pro primo dergleichen Aenderung in loco wol mehr vorgegangen; pro secundo, man keinen Gewissens=Zwang aus dem Beichtstuhl machen solte, den man pro tertio an vielen Orten gar nicht brauchte, und darum, ob wol dessen Frau in seiner Abwesenheit, als hochschwanger, des vorigen Beicht=Vaters sich wieder

Etiam principi quidam hanc libertatem negant.

Responsum contra libertatem mutandi confessionarium intuitu principis.

wieder bedienet, er dennoch sich bisher dessen geeussert. (2) Gleichermassen vom Herrn Hoffrath W. dem äusserlichen nach zu iudiciren, in noch höherm Grad, als welcher vorher in differenz mit Hr. General-Superintendenten gelebet, allem Ansehen nach, wie in facto oben gezeiget, darum, daß Hr General-Superintendens ihme einzureden gehabt, daß er bereits Jahr und Tag des Liebes-Mahls unsers HErrn und Heylandes Christi sich geäussert, welches ja ein gewissenhaffter Beicht-Vater nicht ohngeahndet lassen kan, will er anders nicht selbst mit eigener Seelen-Gefahr, sich vor GOttes gestrengen Richterstuhl in Verantwortung setzen: Und noch währender Zeit dieser differenz, zu einem andern Prediger des Orts sich gewendet, vor ihm seine Beichte abzulegen, Absolution und Communion zu empfangen, und dabey so frech seyn dörffen, gleich als könne der allsehende GOTT den Hertzens Grund, wo die Wurtzel des bösen Haß, Grollens und Wiederwillens, der hie im Werck selbst sich so gleich zeiget, nicht einsehen, und werde derselbe mit menschlichem Vorwand und Heuchelschein sich so gleich gnädig finden lassen, vorzugeben, daß er gegen Hrn. General-Superintendenten gar keinen Haß trage, sein versöhnliches Hertz, wo er Gelegenheit haben würde, mit gefälligen Liebes-Diensten thätlich zu erweisen, darbey zugleich auf Serenissimi Genehmhaltung sich beruffen. Wir können auch (3) Gewissens halber, und ohne schwere Verantwortung vor GOttes Ehren-Thron, Serenissimum selbst von dieser anmaßlichen Betrübung des ordentlichen Beicht-Vaters nicht ausnehmen, alsfern dieselbe der Anstösse an ihrem vorigen Beicht-Vater, warum sie selben gleichfalls verlassen wollen, Meldung thun, und doch noch nie dieselbe in specie ihme anzeigen lassen, daß er, so solche gegründet, selbige aus dem Wege räumen können, noch weniger dieselbe untersuchen, und darüber erkennen lassen, ob diese von seiner Schuld kommen, oder gegründet seyn, wovon wir aber hiernechst besonders, und mit etwas mehrern, handeln müssen.

Von des Hrn. General-Superintendenten Mit-Collegen, und Kirchen-Dienern ist sein heilig Amt mercklich geschwächet, darnieder gedrückt, und vernichtet worden. 1) Durch Hrn. Caplan M. K. daß er so fort auf das Zumuthen des Hrn. Hoffraths W. sich willig finden lassen, ein solches von seinem ordentlichen bisherigen Beicht-Vater anspringendes Beicht-Kind anzunehmen: die vom Hrn.

Hrn. General-Superintendenten ihme gethane admonitiones und remonstrationes, die sein Hertz, wenn es nicht darin schon præoccupirt und verhärtet gewesen, besser penetriret, und auf andere Wege geleitet haben solten, in den Wind geschlagen, die äusserliche Worte und Prætexte dieses Beicht-Kindes sogleich vor bekannt angenommen, und das innere des Hertzens nicht auf die rechte Probe geleget, oder getrachtet, vorhero aus dem Grunde mit dem Herrn General Superintendenten zu reden, und die wahre Ursache des Abtritts von denen falschen zu unterscheiden, sondern mit Annehmung dieses Beicht-Kindes, Absolution und Communion, so fürgeeilet, daß er nicht einmahl die Oster-Ferien über, warum er doch vom Herrn General Superintendenten ersuchet, auch vom Herrn T. laut lit. F. ermahnet worden, es anstehen lassen wollen, da doch sonst der Herr Hoffrath W. es Jahr und Tag anstehen lassen. 2) Durch Herrn Stadt-Pfarrer D. T. ebenfalls, und mit weit grösserm Excess, indeme derselbe bey gleicher Gelegenheit, nicht nur pro primo ein fremdes Beicht-Kind, ohne mit dem vorigen Beicht-Vater mündlich, und hertz-collegialischen Vertrauen, sattsam conferiret, und auf den Grund gesehen, sondern auf bloß geschehener schrifftlicher intimation, daß ein solches passiren werde, so gleich admittiret, lit. G. sondern auch pro secundo, ohngeachtet Herr General-Superintendens ihme nicht nur die ad Serenissimum eingesandte unterthänigste Hertz-bewegliche remonstration, sondern auch das wieder Herr M. K. eingeloffene Altdörfische Consilium communiciret. Woraus er sich eines andern, in allen vorkommenden dubiis vollkommlich bescheiden können, und seinem Gewissen besser rathen sollen, und ihme selbst es auf seine Seele gegeben, und also mit ihme auch es Christlich wohl gemeynet, er dennoch ein so herbes untheologisches Schreiben an ihn General-Superintendenten erlassen, worinn er 1) nicht erkennen will, daß er deßhalben so grosse Verantwortung auf sich lade; 2) menschliche respecten der Ehre GOttes nicht undeutlich vorziehet, die Ungnade förchtend; 3) die freye admission eines fremden Beicht-Kindes, als eine in GOTTES Wort ausgemachte Sache, wovon man nicht so viel Wesens, und aus Mücken Cameelen machen dörfte, ohne einigen locum aus der Schrift anzuziehen, ventiliret, und dahin schreibet, zum ohnfehlbahren Zeichen, eines zumahlen bey solchen Umständen, recht kecken und untheologischen Sinnes und præcipitanz, wozu er wohl

 nicht

nicht gekommen wäre, wenn er vorhero gelesen und erwogen hätte, wie so tapfere einzele Theologi und Collegia, so hocherleucht, gewissenhaft und schriftmäßig, ein anders ohnpassionirt dargethan, zu finden bey dem DEDLKENNO *Vol. I. part. III. sect. IV. n. 3. p. 442. et plur. seqq.* 4) noch frecher in das Feld hinein schreibet, daß, wenn alle Facultäten in der gantzen Welt zusammen treten, dieselben nicht zu erweisen vermöchten, daß die Annehmung eines neuen **Beicht=Kindes ein Verdammniß=würdiges Werck** sey, als wann unter einer zuläßigen und unzuläßigen, GOtt gefälligen und seinem heiligen gerechten Willen zuwider laufenden admission gar kein Unterscheid sey; **und doch sich selbst so rühmet, wie er das Wort GOttes so gut verstehe, als sein Vorgesetzter und General=Superintendens:** 5) dem Herrn General-Superintendenten eine solche admission fremder Beicht-Kinder beylegen wollen, welche imputation, und daß es gantz anders damit hergegangen, ohnwissend, daß es fremde Beicht-Kinder gewesen, die man alsbald wieder hinweg gewiesen, so bald man es innen geworden, durch beygebrachte Zeugnisse gleich prosternirt worden; 6) nur mit fleischlichen Arm drohet, und wie er dem Herrn General-Superintendenten eines anmachen könne, wenn er seine Schrifft producirt, da doch gewißlich, wie vor Augen liegt, Herr General-Superintendens seines unterthänigsten respects gegen Serenissimum nie vergessen, wann er auch im Geist und Wahrheit seinen Eifer vor GOttes Ehre, und Erhaltung GOtt wohlgefälliger Ordnung in Evangelischen Kirchen vordringen lassen. 7) die Sanftmuth vom General-Superintendenten verlanget und wünschet, und selbst derselben sich gäntzlich entäussert, und was dergleichen einem Theologo nicht wohl anständiges zu lesen aus seinem Schreiben lit. H. pro tertio über dieß alles, als Herr General-Superintendens ihme darauf, **mit recht theologischen Grund und Modestie** den Ungrund seiner præsuppositorum vor Augen gelegt, demselben ferner noch eine weit schimpflichere, bittere, ja zum theil injurieuse Antwort ertheilet, welches ihm um so viel übler zu deuten, als dennoch der Herr General-Superintendens sein Vorgesetzter und vorheriger Beförderer gewesen, deme er mehrern respect, wovon er ja noch nicht frey gesprochen worden, und Danck, auch allein aus natürlicher Billigkeit schuldig gewesen, welche Verbindlichkeiten seine Feder besser im Zaum halten sollen, als wie er so licentiose dahin geschrie-

geschrieben: Der General-Superintendens könne die motus peccaminosos nicht zähmen, der alte Pharisäer sey zu tief bey ihm eingewurtzelt: die eigene Liebe gehe bey ihm über alles: er müsse in allen Stücken recht haben, und gantz vollkommen unschuldig, andere hergegen nur Zöllner, Schächer, und verdammliche Leute seyn. Der alte Adam sey in- und bey ihme noch gar zu muthig, und was dergleichen am Ende aber noch am frechsten, gleichsam in GOttes reseruatum einen Eingriff zu thun, denen Hoffärtigen zu wiederstehen, wie GOTT selbsten, 1 Petr. 5. v. 5. der doch der Hoffärtigen Hertzens-Sinn allein erkennen mag, Luc. 1. v. 51. da er vielmehr das in acht genommen haben solte, was der Apostel an eben dem Orte ermahnet, daß die Jungen denen Aeltesten unterthan seyn, allesamt aber an der Demuth fest halten sollen.

Vid. adi. ad lit. I. signum N.

Rationes contra libertatem mutandi confessionarium.

Daß nun durch dieses alles, dem heiligen Priesterlichen Amt in specie dem Beichtstuhl, so wohl von denen Beicht-Kindern, als andern Kirchen-Dienern, gar zu nahe getreten worden, und wieder das Gewissen lauffe, wohl folglich Seelen-gefährlich sey, dessen dürffen wir nicht weitern Beweisthum hie führen, dieweil durch das Theologische Responsum eines wackern Theologi zu Jena, und gantzer Theologischen Facultät zu Altorff mit satten Gründen dargethan worden, daß (1) die Privat-Beicht eine alte, heilsame, in der Augspurgischen Confeßion und deren Apologie bestätigte Ordnung seye, (2) daß wo die Kirchen-Gewohnheit, seinen gewissen Beicht-Vater zu haben, einmahl eingeführet, gar trifftige Ursachen obhanden, solche nicht zu ändern, (3) wenn einer einmahl mit gutem Bedacht ihme einen gewissen-Beicht-Vater erwehle, er von solchem, ohne die Ursachen zu melden, mit gutem Gewissen nicht abtreten könne, sondern sich schwerlich dadurch versündige, auch bey solchen wissentlichen Sünden, bey keinem andern Prediger fruchtbarlich die Absolution erreichen; (4) auch der neu annehmende Prediger dessen Sünde sich theilhafftig mache, und schwere Verantwortung auf sich lade. Welche beyde Responsa, wie sie aus GOttes Wort und unsern libris symbolicis wohl befestiget seyn, also können wir nicht anders, als dieselbe hiemit durchgehends approbiren; Um so mehr, als auch wir, die beyde Theologische und Juristische Facultäten allhier, bereits in Anno

 1696.

1696. auf die von Halle uns proponirte Frage: **Ob die Mutation des Beichtstuhls erlaubt werden könne?** Præmissis et refutatis contrariis argumentis mit festen Schluß-Gründen die negatiuam behauptet haben, mit dem Anhang, daß dergleichen Aenderung nicht geschehen könte, ohne Gewissens-Beschwerung und Gefahr der Seelen Heyl und Seligkeit, wie solches weitläufftig ausgeführet zu finden apud Dn. Colleg. nostrum Dn. HARPRECHT. *in Consil. Tubingens. 55. ad quæst. 16. et 23.* worauf wir uns hiemit gleichfals bezogen haben wollen, doch die nachdrückliche, daselbst aus des tapfern Rostockischen Theologi, SIMON PAVLI, Gutachten zu findende, beym DEDEKENNO *alleg. loc. num. 3. p. 442. sqq.* in formalibus recensirte, und in diesem casu in allen Umständen, und fast durchgehends wohl anschlagende Worte, zu kurtzer Decidirung dieser Sachen, ipsissimis, beyzufügen, nicht unterlassen sollen; vbi ita: **Ich sage, daß niemand, er sey Edelmann, Fürstl. Beamter, oder Fürst, König und Käyser, Bürger oder Bauer, und wie einer Nahmen haben möchte, wenn er auf einigen Menschen einen wissendlichen, vorsetzlichen, und unversöhnlichen Grollen hat, das Hochwürdige Abendmahl würdiglich und mit Nutzen seiner Seelen empfahen könne, vielweniger, wenn er solchen Grollen auf seinen ordentlichen, und von GOTT vorgesetzten rechtmäßigen Seelsorger,** Pastorn **und Beicht-Vater hat, auch dergestalten, daß er für Zorn und Rachgier 1) das Amt mit der Person aus eigenem Vorwitz und Boßheit verwirfft und verachtet, wie davon der Sohn GOttes Matth. 5. deutlich genug handelt. Nun habe ich keinen Zweifel, es wirde ein solcher, der, berührter massen, die Veränderung mit dem Prediger vorzunehmen begehret, fürgeben und aussagen: Er habe auf seinen ordentlichen Seelsorger keinen Haß noch Grollen; verachte ihn auch deswegen nicht, doch begehre er einen andern. Aber diß ist er, in diesem Fall, nicht mächtig, denn eines ist das, daß er seinen ordentlichen** Pastorn **und Seelsorger von seiner ordentlichen** Vocation **und Bestallung nichts nehmen, und einem andern, der nicht dazu beruffen ist, geben muß. GOTT hat ihn in sein Amt gesetzt, derowegen ihm ein Mensch nichts daran verkürtzen kan: Und krafft dessen, ist der**

der Edelmann, der Beamte, ja der Fürst selbst, eben so wohl an seinen ordentlichen Seelsorger verbunden, als der Seelsorger an ihn: also, daß er nicht mag, seines Gefallens, denselben verachten, verwerffen, und einen fremden gebrauchen: wie Christus der Sohn GOttes dawider spricht Joh. 10. Die Schaafe folgen ihrem Hirten nach, aber einem fremden folgen sie nicht nach. Neben deme ist ein solcher, so wenig mit dem Prediger oder Collegen desselbigen Orts, als mit dem fremden und benachbarten Pfarr-Herrn dieses mächtig, darum daß sein Werck seinem Worte und Erklärung, daß er seinen Seelsorger nicht verachte noch hasse, gar zu wieder laufft; dann hasset er ihn nicht, so kan er ihn wohl bey sich leiden, und insonderheit seines heiligen Amts gebrauchen, kan er ihn aber nicht leiden, und insonderheit seines heiligen Amts gebrauchen, so hasset er ihn ja freylich, und zwar mit solchem greulichen Haß und Verachtung, daß ich nicht wissen könte, wie greulicher Haß und Verachtung immermehr in eines Menschen Hertz kommen könte, sintemal er zugleich GOtt und sein göttlich Amt, in diesem seinem Diener hasset, und verachtet, angesehen, daß er, auf solche maasse, das hochwürdige Sacrament nicht anders als zu seinem Gericht und Verdammniß empfangen kan. Der Collega desselben Predigers wird ja bey sich erwegen, was das sey, wissentlich einem Menschen das Nachtmahl zu seinem Gerichte und Verdammniß zu geben, wissentlich das allerheiligste Blut des ewigen Sohnes GOttes einem offenbaren haßsüchtigen Menschen zu reichen, welcher ohne das zur Hölle gehöret Gal. 5. Warlich die Sünde solchen Predigers ist grösser als Judas Sünde: derohalben wird auch, da sie unbußfertig verharren, ihre Verdammniß viel greulicher und schwerer seyn ꝛc. Ich will den Fall setzen; dieser Edelmann, Bürger oder Bauer, Fürst, Käyser oder König, versöhnete sich mit dem Pfarr-Herrn, und begehrte gleichwol darauf den andern Collegam, so sollen sie dennoch beyderseits wissen, daß es viel nützlicher seye, bey dem ersten und versöhneten Beicht-Vater zu bleiben, auf daß aller böser Schein nach Pauli Vermahnung in der 1 Thessalon. 5. gemeidet, und die geschehene Versöhnung nicht als heuch-

heuchlerisch, gleißnerisch und falsch, geurtheilet werde: wie sie denn auf solchen Fall, schwerlich anders kan geurtheilet werden; Ist die Versöhnung gegen die Person des Predigers dergestalt im Hertzen gemeinet, als nun solcher will, daß sich GOttes Hertz gegen ihn versichern soll, so kan und will er sich auch wohl, ohn alles wiedersprechen, zu derselben halten, und das heilige Abendmahl von ihr gebrauchen, so ist die Versöhnung ein gefärbter Schein, deswegen GOtt ein gestrenger Richter zwischen ihnen seyn wird. Dieses ist, was wir nunmehro schon vor 13. Jahren, GOttes heiligen und unwandelbaren Wort und Willen exactissime gemäß respondiret haben; bey welcher einmahl erkannten Wahrheit wir abstrahendo von allen personal-respect GOtt gefälliger massen, ietzt und künftig hin, beständigst zu verharren haben; und wenn Hr. Hoffrath W. und Herr Hoffrath v. S. eines und andern theils des Herrn General-Superintendenten Collega, der Stadt Caplan M. K. und Stadt-Pfarrer Doct. T. vor diesen Spiegel mit Andacht und Gottesfurcht zu treten belieben wolten, wird sich ihnen die Figur, daß eine solche Aenderung des ordentlich erwehlten Beicht-Vaters, so schlechterdings ein Mitteldîng und in GOttes Wort nicht verbotten sey, nicht mehr so præsentiren, allem Christlichen Wohlvermuthen nach aber, von selbst besser in sich gehen, und auf dem Wege, wovon sie getreten seyn, zeitlich wieder zurück zu kehren: vielweniger wird Herr Doct. T. ihme so leicht mehr seine bisher in dieser so wichtigen Sache so frech gebrauchten Redens-Arten, als wenn alle Welt zusammen trete, sie nicht erweisen könten, oder auch Christlich oder Lutherisch nicht zu erweisen sich getrauen, daß dergleichen mutation von so grosser und wichtigster consequenz, und kein Mittelding sey, daß dieses heisse aus der Mücke ein Cameel machen, und dergleichen entfallen lassen. Lese er nur ferner, was so viele, alle tapfere in GOTT ruhende Theologi, und gantze orthodoxe Facultäten, so Christlich, recht Lutherisch und GOtt gefällig darüber raisonniret und geschrieben haben: wie beym DEDEKENNO *cit. loc.* so viele Blätter davon angefüllet seyn von *p. 442.* bis *464.* Wir könten es lediglich bey diesem wohl bewenden lassen, als woraus der gantzen Sache Gerechtsame vor Herrn General-Superintendenten sich zur Gnüge vor Augen stellt. Nur finden wir noch nöthig, noch einige dubia, so in dieser Sache in specie urgirt wer-

werden, mit gar kurtzen zu beleuchten. So wendet man ferner über voriges dieses insonderheit ein:

1) Daß man auf solche Weise einen Gewissens-Zwang aus dem Beichtstuhl mache, welches wieder die Christliche Freyheit lauffet. Es ist aber denselben gar leicht zu begegnen, wie kein Gewissens-Zwang ist, und der Christlichen Freyheit entgegen lauffet, wann wir nach heilsamen weltlichen Satzungen und Ordnungen leben, wie denn der kluge CICERO *pro Cluent.* hanc in rem gar recht iudiciret, wann er schreibet:

Dubia resoluuntur.

Legum ideo omnes serui sumus,
vt liberi esse queamus.

Wann vornehmlich wir GOTT und seinem Wort gehorchen, welches ja unsere Christen-Pflicht ist, welche wir willig und nicht mit Zwang ins Werck richten sollen, und so wir daraus treten, ist es eine unzuläßige licenz und Mißbrauch der Freyheit. Warum wolten wir nicht willigst das Wort des HErrn hie in acht nehmen, so er durch den Apostel an die Ebräer 13. v. 17. ausgesprochen: **Gehorchet euren Lehrern und folget ihnen, denn sie wachen über eure Seelen, als die da Rechenschaft dafür geben sollen, auf daß sie das mit Freuden thun und nicht mit Seufzen, denn das ist euch nicht gut!** Warum dem Verboth des HErrn nicht nachleben, wann er so ernstlich verbeut die Lehrer zu verachten und so gar derselben Verachtung auf sich selbst ziehet Luc. 10. v. 16. sprechend: **Wer euch verachtet, der verachtet mich,** und in der 1sten an die Thessalonicher am 4ten v. 8. **Wer nun verachtet, der verachtet nicht Menschen, sondern GOTT,** wenn man nehmlich die Apostolische Vermahnungen verachtet; *ibidem v. 1.* Hieher gehöret, was gar schön wieder diejenige, welche fast auf gleiche Weise einwenden wollen, daß solcher gestalt man wieder unter die Päbstliche Tyranney käme, ein alter Lehrer unser Würtenbergischen Kirchen CASPAR LYSERVS *ad Sereniss. Wurtembergensem Ducem Christophorum P. M.* in einem Sendschreiben verfasset, und in effectu dieses repræsentiret, daß die disciplina ecclesiastica keine Tyranney, und demenach solche heilsamlich eingeführte Kirchen-Ordnung kein solcher Gewissens-Zwang sey, ille enim ita:

Causantur quidam nescio quam tyrannidem timere, ne illam rursus (per excommunicationem) in oues Christi exercere paulatim inci-

incipiamus, qualem multis seculis exercuit Papa: Ast non est, quod timeant. Quid enim quæso, Princeps illustrissime, forma illa disciplinæ affinitatis habet cum Papistarum Tyrannide? Isti vero, qui, nescio, quam tyrannidem causantes hoc prætextu salutarem hanc disciplinam recusant, videant, ne sint ex illorum numero, qui apud *Lucam XIX.* legatione missa ad illum potentem Dominum inquiunt: Nolumus hunc regnare super nos, qui enim huic censuræ subesse recusant, quid, quæso, Illustrissime Princeps, aliud faciunt, quam quod Christi rebelles, et immorigeri, colla iugo eius nolunt subdere. Quamobrem non dubium est, quin iisdem minetur quoque pœnam Christi iis, quæ statim apud Lucam sequuntur, verbis, quum dicit: Inimicos illos meos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me; horribile profecto iudicium, quod nobis Christus ipse denunciat, quod merito corda nostra, si scintillam timoris Domini habuerint, commouere debeat, ne sceptro eius nos regi recusemus etc. Recenset hanc epistolam IO. VALEN. ANDREAE *in August. Selenian. Part. I. epist. 226. vbi pag. 240. et 249.*

2) Hat eingewendet werden wollen, daß man des Beichtstuhls an theils Orten gar nicht brauchte, weshalben um so mehr die Aenderung des Beichtstuhls nach Belieben eines ieden zuläßig und indifferent sey. Es ist aber hierauf zu wissen, und in vorigen bereits ausfindig gemacht, daß 1) die Beybehaltung der privat-Beichte und also auch des Beichtstuhls von denen Augspurgischen Confessions-Verwandten in gantz heiligen Absehen Christenfrigst wohl beliebet und bestättiget worden *A. C. Art. XI.* 2) Daß man versiret an einem solchen Ort oder in solchen Landen, wo diese heilsame Kirchen-Ordnung (vid. *Respons. Ienens.*) einmal eingeführet, daß ein ieder seinen ihme erwehlten Beicht-Vater habe, den er ohne rechtmäßigen und in ordentlich angestellter Untersuchung also befundene Uhrsachen mithin nicht willkührlich verlassen könne, allermassen es alsdenn so wohl wegen der Ordnung, als auch aus Ursache des innersten des Hertzens, als mit Haß und Widerwillen annoch angefüllet, kein Mittelding mehr, sondern mit schwerer Sünden und Verantwortungen angefüllet ist; wie aus obigen und denen dabey angezogenen responsis klar erhellet, folget also im geringsten nicht: An etlichen Orten braucht man des Beichtstuhls gar nicht: Ergo ist an solchen Orten, wo das Gegentheil löblich und

und ordentlich eingeführet, als ein willkührliches Werck, so wol ratione Kinder als anderer Prediger, die eines andern Beicht-Kinder ohne *Consens* des vorigen zu seiner Betrübung annehmen; Wir könten deßhalb, wann es noth wäre, hierinn noch ferner auch consensum & praxin veteris ecclesiæ mit vielen hieher beyholen, welche eines andern diejenige bescheiden können, die hierinnen so einfältig auch *contra historiam ecclesiasticam* und sonsten mit ihren ungegründeten weltlichen und sündlichen *raisonnements* sich vergehen, und auch oft Fürsten und Herren damit auf Abwege führen, dessen sie desto grössere Verantwortung haben; Certe non solere quenquam admitti, nisi formatus, vt vocabant, a diœcesano suo episcopo attulisset litteras, videre est

Ex concil. Laodicens. I. A. C. CCCXI. can. XLI.

Et inter *Nicænos canones* RVFINVS *L. I. cap. VI.* & hunc refert:

Ne quis excommunicatum ab episcopo suo admittat siue laicum siue clericum sub pœna eiusdem censuræ, quod in concilio *Antiocheno A. CCLIX.*

Gangrensi A. 361.

Carthaginensi IV. A. 398.

Aliisque exinde synodis multoties confirmatum.

vid. HVLSEMANN. *de iure & mod. correpT. frat. p. 244. n. 149. seqq.*

3) Wollen alhier diejenige, welche die Aenderung des Beichtstuhls so leicht aufnehmen, sich damit schützen, wenn sie auf den consensum Serenissimi, als Principis und Episcopi im Lande, sich beruffen. Auf dieses aber dienet, 1) daß dergleichen Allegirung und Beybringung mehrentheils umb so sündlicher, als sie gemeiniglich denselben, mit solchen ihren falschen præsuppositis sub- & obreptitie erschleichen, da sie sich nicht getrauen, die wieder ihren alten Beicht-Vater einwendende Uhrsachen an das Tageslicht kommen oder darüber rechtmäßig gehöriger Orten erkennen zu lassen, weil es sich alsdenn nur zuviel äussern möchte, daß die Schuld des Widerwillens bey ihnen hafftе, und von ihrer Lebens-Arth herrühre, warum etwan dieser Geistliche sein Seelen-Amt mit Ernst, recht getreulich und GOtt gefällig verwaltet: 2) daß es nicht genug seye, allerhand geringe Uhrsachen wider den Beicht-Vater einzuwenden, und solche, welche einem ieden, wer der auch seyn mag, aus menschlicher

Schwachheit ankleben, ein solcher verrichtet zwar sein Amt an GOttes statt, ist und bleibet aber dabey ein Mensch, und bleibet es denn wol bey dem Ausspruche des Apostels in 2. an die Cor. 4. v. 7.: **Wir haben den Schatz in irdischen Gefässen, auf daß die überschwengliche Kraft sey GOttes, und nicht von uns;** sondern es müssen *releuante* Ursachen seyn, die ihn verwerfflich machen, veluti si notorie sceleratus, impurus, adulter & id generis criminis obnoxius, *quod vel remotionem iustissime mereatur.*

BALDVIN. *in cas. Conscient. L. IV. c. 9. cas. 5.*
Add. KOENIG. *cas. Consc. c. 5. §. 7. p. 358.*

3. Müssen auch diese Ursachen nicht nur allegiret, sondern auch vorhero durch rechtmäßige *Cognition* gehöriger Orten *diiudiciret* werden,

cum non esse aut non apparere paria sint, de iure nostro *L. 77. ff. C. E. V. supra cit. nost. cons.* apud Dn. HARPRECHTVM *L. V. n. 350.* quo etiam pertinet Responsum fac. Theol. Rostoch. apud DEDEKENNVM *d. l. part. 9. p. 457. ibid.*

denn es sich in keine Wege leiden will, daß man berufene Prediger und Seelsorger, als die an jenem Tage Rechenschaft ihrer anbefohlnen Kirchen geben sollen, für keinen Richter verklaget, noch einiger Uebelthat beweiset, propria autoritate ohne einige Erkäntniß des Rechtens verstossen, und zugleich *Pars* und Richter seyn wolle rc.

De principe, mutationem confessionarii faciente.

Endlich und 4) will dieses noch das allerwichtigste dubium seyn, ob dieses alles auch *Serenissimum* selbst binde, ob dieselbe als Fürst und *Episcopus* vor Ihre hohe Person in Erwehlung eines neuen Beicht-Vaters nicht freyere Hand haben, die *allegir*te Anstösse ebenfalls anzuzeigen hätten, und dieselbe durch unpartheyische ordentlich untersuchen zu lassen gemüßiget wären? Es hat aber auch dieses aus vor deducirten bereits seine decision, indeme auch Fürst, König und Käyser das heilige Amt eines Christlichen Predigers und Beicht-Vaters auf vorangezeigte Weise zu respectiren haben, da auch der göttliche Befehl: **Gehorchet euren Lehrern und folget ihnen:** und Ausspruch: **Wer euch verachtet, der verachtet mich** rc. dieselbe allerdings mit angehet: Ja diese haben noch grössere Verantwortung, wenn Ihr Exempel der Kirchen zum Anstoß dienet, und andern zur Unordnung Anlaß giebet. Es haben dieselbigen die Beichte nicht nur schlechterdinges vor etwas Leibliches, sondern allerdings

dings auch vor ein geistlich Werck anzusehen, auch in dem Respect, daß sie zur Kirchen-Ordnung gehören, welche GOtt geboten in der 1. an die Cor. 14. v. 40. und daß die damit verknüpfte Absolution auch etwas wahrhaftig-geistliches inwendig und göttlich-kräftiges sey, wodurch der Himmel würcklich aufgeschlossen, und die Gnade GOttes mitgetheilet und versiegelt wird: und derohalben kan auch der Fürst, König, Käyser dieses Mittel mit gutem Gewissen nicht von sich stossen, noch denjenigen, der von Christo die Macht hat, wie publice in der Predigt von der Cantzel, also auch priuatim in dem Beichtstuhl die Sünde zu vergeben, verwerfen, er habe dann vorher genugsame und zu Recht ausgemachte Ursachen. So nun der Prediger wahrhaftig und als ein göttliches Werckzeug absoluiret, und Sünde vergiebet, wie solches Nostrates gründlich erweisen.

B. LVTH. *Vom. V. Ien.* von den Schlüsseln *fol. 232.*
GERHARD. *in loc. Theol. Com. de Minist. §. 250.*
HVLSEMANN. *breuiar. c. 9. §. 11.*

Aus Pauli Gezeugniß selbsten auch es am Tage ist, daß der Prediger das Amt der Versöhnung führe, in der 2 an die Cor. 5. v. 18. 19. 20. Wie will es denn ein Mensch, wer der auch ist, vor GOtt verantworten, welcher dieses Amt der Versöhnung in demselbigen von sich stösset, und so viel an Ihm ist, untüchtig machet.

Wann nun im gegenwärtigen Casu Ihro Hochfürstl. Durchl. rc. in Dero ersten gnädigsten Decret sub Lit. D. einfliessen lassen, daß Sie in der Person Ihres bisherigen Beicht-Vaters, des General-Superintendenten, Anstösse gefunden, welche Ihro das Vertrauen zu ihm genommen, Dieselbe aber bis dahin dem General-Superintendenten, der doch so sehnlich, ja um GOttes willen drum gebeten, nicht wissend gemacht, daß er etwa, im Fall solche sich finden solten, dieselbe ausbessern und ablegen könne, weniger dieselbe gebührend untersuchen, und darüber erkennen lassen; so können wir auch aus Christlicher unterthänigster mittragender Beysorge vor Dero eigene theure Seele nicht anders statuiren, als daß, so lange dieses unterbleibet, und der Groll aus dem Hertzen nicht recht ausgetilget ist, auch Dieselbe nicht ohne Gefahr göttlichen Zorns bey einem andern Beicht-Vater die Absolution empfangen. Zwar scheinet das letztere gnädigste Decretum *sub Lit. Q.* hierin einen bessern Behuff dieser Aenderung des Beicht-Vaters zu geben, indem selbiges diese Anzeige giebt, daß Ihro Hochfürstl. Durchl. den gefaßten Unmuth und Ungnade in Hochfürstl. gnä-

decernatur, cum tamen nulla lex ecclesiastica mutationem prohibeat in eadem parochia: 4) nequidem principem absolui ab hac necessitate retinendi confessionarium, cum tamen haud remotum fuit primarium obstaculum: *principem esse episcopum*, (quod constituunt Dni respondentes) & *legum ecclesiasticarum arbitrum*, non ministrum, aut aulicorum sacerdotum suorum subditum, sed hos potius eius *ministros* & eius iussibus subiectos esse.

§. XLII. Quocirca non mirandum est, caussa hac ad nostram Facultatem delata, hanc *anno 1714. Mense Martii* in alia omnia iuisse, & sequens responsum dedisse:

Responsum facultatis iuridicae Hallensis pro libertate mutandi confessionarium.

Als uns einige Fragen zugesendet, und darüber unser rechtliches Gutachten verlanget worden; Demnach erachten wir Ordinarius, Decanus und andere Doctores der Iuristen-Facultät auf der Königlich-Preussischen Vniuersität zu Halle nach fleissiger Verleß- und Erwegung einmüthig vor Recht:

Anfangs in der ersten Abtheilung wird gefraget:

Intuitu principis.

Ob ein Evangelisch-Lutherischer Reichs-Fürst seinen Beicht-Vater, eigenem Gefallen nach, ändern, und an des vorigen Stelle einen andern annehmen möge?

Rationes dubitandi.

Ob es nun wol scheinen möchte, daß dieses gleichwol vieles Bedencken verursachte, dann anfangs die ausdrückliche Disposition INNOCENTII III. *Cap. 12. X. de pœnitent.* vorhanden, in welcher mit deutlichen Worten versehen, daß keiner seinen Beicht-Vater ohne desselben seinen Vorbewust und Einwilligung ändern möchte; auf welche Verordnung man hieselbst auch in einer Evangelisch-Lutherischen Kirchen um so viel gewisser zu sehen hätte, theils weil solcher Schluß auf einem allgemeinen concilio Lateranensi anno 1215. gemachet worden, davon

IACOB BOILEAV *in Historia confess. c. 30.*

DALLAEVS *Lib. 4. de confess. c. 24.*

theils auch, weil unter denen Evangelisch-Lutherischen Rechts-Gelehrten die Regel wäre: daß man in dubio, si agatur de peccato vitando, dem Päbstlichen Kirchen-Recht noch bis ietzo folgen solte,

STRYKIVS *Exam. iur. feud. cap. 2. qu. 9.*

theils auch, weil BONIFACIVS VIII. *in cap. 2. de pœnit. in 6.* so gar davor gehalten, daß nicht einmahl durch eine Gewohnheit eingeführet werden könte, seinen Beicht-Vater nach eigenem Gutdüncken zu verändern; wie denn eben deswegen die Evangelische Rechts-Gelehrte

auf solche beyde Texte in Beantwortung dieser Frage sich noch bis ietzo bezogen,

STRYKIVS *ad lib. 2. Brunnem. cap. I. membr. 4. §. 1. p. 132.*
CARPZOV. *lib. 2. iurispr. eccles. def. 290. n. 17.*

welcher letztere so gar auch in dem Vorurtheile stehet, daß ein Beicht-Kind, welches sich verschwohren, seinen Beicht-Vater abzudancken, selbigen dennoch zu behalten, und dazu mit Straffe gezwungen werden müste; über dieses so gar auch in decretis von dem Pabst Vrbano II.

can. 3. placuit. dist. 6. de pœnit.

versehen, daß bey Verlust seines Amts kein Geistlicher sich unterstehen solte, ein Beicht-Kind, welches seinen Beicht-Vater vorhero abgedancket, anzunehmen; welches alles bey einem souverainen Fürsten sein ebenmässiges Ziel deswegen hätte, weil auch so gar aus denen ältesten Zeiten bekannt wäre, daß Könige und Fürsten nicht denen Priestern ohne Unterscheid gebeichtet, sondern auch ieder seinen besondern Beicht-Vater gehabt hätte; also geschiehet des Königes in Spanien Ordonii seines Beicht-Vaters schon anno 947. Meldung,

YEPEZ. *in Chron. S. Bened. tom. 4. p. 450.*

in Franckreich hatten schon vor den Zeiten der Carolinger die Könige ihre besondere Beicht-Väter, davon ins besondere

THOMASSINVS *de disciplin. vet. eccles. part. I. lib. 2. c. 109. n. 7. 8. 9. 10. 11.*
BALVZIVS *in gestis Aldrici, tom. 3. misc. p. 5.*
IAC. BOILEAV *in histor. conf. auric. cap. 23. pag. 342. 343.*

welche Beicht-Väter aber die Könige nach vieler ihrer Meynung nicht allein ohne Päbstlichen consens nicht annehmen, sondern auch um so viel weniger, ohne Einwilligung des Pabstes, abschaffen dürffen, weil der Pabst nur einigen Königen in Engelland, Schweden, und anderswo, dann und wann, frey gegeben, daß selbige allein ihre Beicht-Väter eigenem Gefallen nach annehmen und ändern können, davon

RAYNALDVS *anno 1272. num. 59. anno 1281. num. 23. anno 1305. num. 14. 49.*
THOMASSINVS *part. I. lib. 2. c. 102. §. 8. p. 554.*

wie

wie dann auch anno 1089. *in Meldensi* concilio deswegen ins besondere wider die Hoffleute versehen, und verordnet worden, daß sich solche nicht ihrem Gefallen nach Beicht-Väter erwählen, sondern hierunter des Bischoffs seiner Gewalt, wen er ihnen setzen würde, unterworffen seyn solten:

concil. Meldense can. 9.

THOMASSINVS *Part. 2. lib. I. c. 9. n. 1. p. 23.*

wozu noch andere Ursachen kommen, nach welchen die Evangelischen Theologi davor halten, daß keiner seinen Beicht-Vater, eigenem Gefallen nach, ändern könte, weil dergleichen Beicht-Kind einen Groll und Feindschafft im Hertzen behielte, iudicio Theologorum Ienensium & Lipsiensium

bey DEDEKENNO *vol. 1. Part. 2. membr. 3. n. 57. 58. consil. Wittenberg. Part. 2. p. 147. 148.*

weil der Prediger dadurch bey der Gemeine verdächtig gemachet, und sein Amt verhindert würde;

BALDVINVS *in cas. consc. lib. 2. c. 10. cas. 5. p. 383.*

MENGERING. *in informat. consc. p. 767.*

BVDDEVS *in theol. mor. lib. 3. c. 3. §. 59.*

weil einem fremden Priester der Zustand des Beicht-Kindes nicht also bekannt wäre, daß dieses dadurch auch in einem unbußfertigen Zustand die Absolution erschleichen könte;

DVNTE *in decis. cas. p. 233.*

weil die Schaafe ihren Hirten nicht ändern, noch einem Prediger seinen Verdienst, worauf er vociret, schmählern dürfen, sondern in der Gemeinde des HErrn alles ordentlich zugehen müste;

BALDVINVS *lib. 2. c. 10. cas. 5. p. 384.*

weil dadurch ein Beicht-Vater in Furcht gebracht und zurück gehalten würde, dem Beicht-Kinde sein Unrecht mit Nachdruck zu verweisen.

KORTHOLD. *in pap. fid. cap. 4. posit. 5.*

Rationes decidendi.

Dieweilen aber anfangs aus der Kirchen-Historie sattsam bekannt, daß die Einführung und Annehmung eines gewissen Beicht-Vaters von menschlichen Ordnungen herrühre, und von Christo und den Aposteln weder gebothen noch verbothen sey, wie dann in der Mitte des dritten Jahr-Hunderts nach Christi Geburt Anno 250. als davon

SOCRATES *l. 5. c. 19.*

zeuget,

zeuget, allererst deswegen ein Priester zum Beicht-Vater oder Pœnitentiario gesetzet worden, weil einige Christen sich ein Gewissen gemacht, mit Leuthen, welche gewisse Sünden an sich hatten, zum Tisch des HErrn zu gehen, tum ecclesiarum episcopi canoni adiunxerunt, vt in singulis ecclesiis presbyter quidam pœnitentiæ præesset, quo lapsi post baptismum coram presbytero, ad eam rem designato, peccata sua confiterentur, davon auch

SIMONIVS *de pœnitent. Ritu c. 4.* und
ALTESERRA *lib. 2. iur. can. c. 8.*

gehandelt haben; und dieses ist der Endzweck solcher Beicht-Väter gewesen, damit sie einem ieden Beicht-Kinde den Grad der Busse und Straffe auflegen mögen, die sein bekanntes Verbrechen verdienet; und weil solches denen Bischöffen allein vorbehalten worden, hat man ihnen auch die Gewalt allein gegeben, daß selbige die Priester zu Beicht-Vätern ausersehen und benennen mögen, davon

IACOB. SIRMONDVS *tom. 3. misc. de pœnit. c. 6. p. 41.*

gar gründlich gehandelt.

Weil aber solche Beicht-Väter öffters, was gebeichtet worden, ausgesaget, und andere, die kein Vertrauen zu ihrer Person gehabt, von Beichtung ihrer Sünde zurück gehalten: als ist der Bischoff zu Constantinopel Nestorius anno 383. bewogen worden, die ordentliche Beicht-Väter wiederum abzuschaffen, und entweder eines ieden seinem Gewissen die Beichte zu überlassen, oder aber frey zu geben, daß er sich, eigenem Gefallen nach, einen Priester, zu dem er ein Vertrauen gehabt, ausersehen und erwehlen könne, dem er seine Sünd nahmentlich bekennete;

SOCRATES *lib. 5. c. 19.*
SOZOMENVS *lib. 7. c. 16.*

und ob sich gleich die Protestirende, als

CALVINVS *lib. 3. instit. c. 4.*
PETR. MOLINAEVS *lib. I. de pœnitentia c. 3.*
CHEMNITIVS *in exam. concil. Tridentin. de confess. cap. 5. pag. 192.*

mit denen Päbstlichen Theologis, als

SIRMOND. *tom. 3. miscell. c. 8.*
IACOB BOILEAV *cap. 10. conf. auric.*

EM. A

EM. A SCHELSTRATE *in concil. Antioch. can. 2. cap. 3. art. 2.*

darüber streiten, ob dadurch aller Priester Beichten, oder nur die öffentlichen Kirchen-Bussen abgeschaffet worden, so kommen selbige doch alle darinnen überein, daß zu solcher Zeit einem jeden frey gelassen worden, so oft er gebeichtet, sich eigenem Gefallen nach, einen Priester, zu welchem er ein Vertrauen gehabt, zu erwehlen, welche Erklärung auch

LEO ALLATIVS *in consens. orient. & occident. lib. 3. c. 18. n. 2. pag. 1298.*

annimmt; welches alles dahin zielet, daß gleich wie die Wahl eines Beicht-Vaters nur auf menschlichen Satzungen beruhet, man also um so vielweniger Grund habe, hierinnen einem Evangelischen Reichs-Fürsten, der die Kirchen-Satzungen in seinem Lande, aus vernünftigen und erheblichen Ursachen, eigenem Gefallen nach, ändern mag, Maaß und Ziel vorzuschreiben; wie dann so gar auch die Römische Kirche, des *cap. 12. X. de pœnit.* unerachtet, dafür hält, daß iedermann mit Einwilligung des Pabsts oder Bischoffs seinen Beicht-Vater, eigenem Gutdüncken nach, ohne sich über einer Ursache heraus zu lassen, frey ändern möge;

NATALIS *in theolog. mor. part. II.*
RAINERIVS *in pantheolog. tit. confessio cap. 19. p. 525.*

welcher Freyheit sich auch die Päbste dadurch bedienet, indeme selbige verschiedener Geistlichen Ordens-Leuthen ihren Priestern die Macht gegeben, an allen Enden und Orten, des ordentlichen Priesters ohnerachtet, Beichte zu sitzen, und Absolution zu sprechen, davon

CORIOLANVS *ad concil. Rhem. in addit. summar. fol. 71.*
BRVNO CHASSAINVS *de priuil. reg. tract. 2. propos. 2. C. 6.*

daher andere Theologi auch den Schluß machen, hodie post priuilegium bullæ, & ampla priuilegia religionibus concessa parochus pro confessionibus audiendis fere negligitur,

ARACCIO *in decis. moral. quæst. 8.*
GONZALEZ *ad cap. XII. X. de pœnit. n. 3.*

indem nehmlich die meiste Römisch-Catholische zu denen Ordens-Priestern, ihres strengen Lebens halben, ein grösseres Vertrauen, als zu der so genannten weltlichen Geistlichkeit ihres Pfarr-

Herrns zu haben pflegen, der sich hieraus so wenig, als ein Artzt, machen kan, den man bey gewissen Kranckheiten wechselt. Da nun ieder Evangelischer Reichs-Fürst in seinen Landen, absonderlich aber in seiner Hoff-Kirchen iura papalia & episcopalia (das ist, alle iura circa sacra, derer sich im Pabstthum der Pabst oder die Bischöffe angemasset) hat: so würde es sehr ungereimt, und gegen die Freyheit des Evangelischen Glaubens lauffen, wenn man einem Reichs-Fürsten in solcher das Joch der Geistlichkeit noch schwerer machen wolte, als selbiges die Römisch-Catholische iemahls getragen haben, oder noch ietzo zu tragen gewohnt seyn; ja es würde derjenige, der solches behaupten würde, so gar ein crimen status begehen, und vor einen Friedens-Stöhrer zu halten seyn, nachdem der so theuer erworbene

pax Osnabr. artic. 5.

die protestirende Fürsten von allen Satzungen der Geistlichkeit frey gelassen hat: wie denn auch deswegen in verschiedenen Evangelischen Kirchen, absonderlich in Francken, Schwaben und am Rhein-Strohm, die Weise, einen gewissen Beicht-Vater anzunehmen, oder zu behalten, gäntzlich aufgehoben, und vielmehr aus der Gemeinde iedem frey gelassen ist, entweder ohne Privat-Beichte sich zum Tisch des HErrn zu nahen, oder aber sich ietzo dieses, und dann wiederum eines andern Priesters, in Ablegung der Beicht, zu bedienen;

SPENER. in Theolog. Bedencken *part. I. art. 6. Sect. 4. p. 205.*

BUDDEUS *theol. moral. lib. 3. c. 3. §. 3.*

Ja der erstere Theologus gar sehr wünschet, daß diejenigen Kirchen-Ordnungen, die dem Beicht-Vater einen Zwang, des nicht änderns, zulassen, aufgehoben, und iedem frey gelassen werden möge, von demjenigen, zu welchem ihn sein Hertz träget, die Absolution zu nehmen.

SPENER. in Theolog. Bedencken *tom. 4. cap. 7. art. 4. Sect. 29.*

Dannenhero, wenn das Beicht-Kind ändert, und der Beicht-Vater sich wider diese Freyheit leget, der letztere zu erweisen, und alle præsumtiones wider sich deswegen hat, weil er dadurch die Gewissen in Zwang zu setzen gedencket:

IDEM *ll. cc.*

und

und demnach ein Evangelischer Reichs-Fürst und Landes-Herr übler dran, und gezwungener, als der geringste Unterthan in vielen Evangelischen Lutherischen Kirchen seyn würde, denen besagter massen frey stehet, ihren Beicht-Vater ohne Ursache zu verändern; und hindert dagegen nichts, wenn gleich der besagte Reichs-Fürst in denen ordentlichen Kirchen-Ordnungen seiner Lande sonsten selbst versehen, daß niemand ohne Einwilligung des *Consistorii* und angezeigte Ursachen seinen Beicht-Vater ändern möge, weil doch dergleichen Kirchen-Ordnungen den Landes-Herrn selbsten so wenig binden mögen, als ihm vielmehr frey stehet, selbige auch in Ansehung seiner Unterthanen wiederum zu ändern und aufzuheben, nemo enim sibi legem potest dicere, a qua integrum ei non est, iterum recedere: über dieses die oben angeführte Evangelische Theologi und Rechts-Gelehrte nur von Unterthanen, welche denen Evangelischen Kirchen-Ordnungen unterworfen seyn, nicht aber von einem in geistlichen Sachen an keine Satzungen gebundenen Reichs-Fürsten reden, selbige deswegen auch der vorgelegten Frage nicht entgegen seyen; wie denn auch so gar in den Chur-Sächsischen Kirchen-Ordnungen, wo die Aenderung des Beicht-Vaters ohne Einwilligung des Consistorii nicht erlaubt, dennoch iedem Patrono, der verschiedene Kirchen unter sich hat, erlaubet ist, unter seinen Pfarr-Herren des Beicht-Stuhls halben zu wechseln,

CARPZOV. *lib. 3. iur. eccles. def. 102.*

dawider endlich nichts hindert, was von der Aergerniß und Verachtung des abgedanckten Beicht-Vaters vorgegeben wird, weil die Abdanckung an sich nichts unzulässiges ist, der gemeine Mann hierunter leichtlich unterwiesen, und ihm aller Anstoß benommen werden mag, absonderlich wenn der Evangelische Reichs-Fürst den quæstionirten Beicht-Vater sonsten bey allen Ehren-Aemtern lässet, folglich dadurch an den Tag leget, daß er sich in Aenderung des Beicht-Stuhls nichts, als die Freyheit, die an sich, Göttlichen Gesetzen nach, iedem Christen zukomme, bediene: womit auch die Klage, daß der Reichs-Fürst dadurch einen Groll wider den abgedanckten Beicht-Vater in dem Hertzen behielte, wegfället, weil das Gegentheil in andern Stücken gegen ihn bezeuget, und ein mächtiger Unterscheid ist, unter Feind seyn, und zu einem kein Vertrauen haben, massen das erste die Wissenschaft einer Ursach erfordert, das andere aber in einer Zuneigung des Gemüthes bestehet, welche letztere meistens aus einem verborgenen

Trieb herrühret, und deswegen um so viel weniger gezwungen werden mag, hiernächst das Gleichniß von denen unvernünftigen Thieren, und eigentlichen Schaafen, auf ein Beicht-Kind, das seiner Seelen Heyl selbsten wahrnehmen mag, sich im geringsten nicht reimet; Und was die in rationibus dubitandi angegebene Furcht betrifft, solches kein rechtschaffener Beicht-Vater seyn würde, der sich aus Schrecken zeitlicher Ungnade, oder Entgehung eines eingebildeten Vortheils oder Hochachtung in seinem Amt stumm zu machen, und zurück halten lassen wolte; nächst deme die Erschleichung der Absolution hieselbst deswegen destoweniger zu befahren ist, theils, weil die Lutherische Kirche keine Ohren-Beicht leidet, theils auch, weil an verschiedenen Lutherischen Kirchen iedem zugelassen ist, des Nachtmahls ohne Priuat-Beicht, oder Priuat-Absolution sich zu bedienen, und solches

LVTHERVS *tom. 7. Ienens. p. 10.*

selbsten in acht genommen, und öffters ohne Beicht zum Nachtmahl gegangen, auch solches NB. andern verständigen Personen auch frey gelassen hat, dergleichen Freyheit, aller Kirchen-Ordnungen ohngeachtet, sich auch ein ieder Evangelisch-Lutherischer Reichs-Fürst bedienen mag; worzu noch kommet, daß sich die Evangelisch-Lutherische Fürsten von der Hildebrandinischen Tyranney, wodurch die Käyser und andere souveraine Häupter in den öffentlichen Bann gethan, und aus dem Beicht-Stuhl gewiesen worden, gar nichts zu besorgen, indeme die A. C. der Geistlichkeit dergleichen Zwang über Christliche Potentaten nicht mehr einräumet; der selige

SPENER *Theol.* Bedenck. *Part. 3. art. 7. c. 5.*

auch leichtlich begriffen hat, daß, wenn man denen Evangelisch-Lutherischen Priestern den Zwang mit dem Beicht-Stuhl wiederum frey lassen solte, selbige in eben den abscheulichen Mißbrauch, daraus wir einmal gerettet worden, wiederum verfallen würden;

Decisio. Als halten wir davor, daß ein Evangelisch-Lutherischer Reichs-Fürst seinen Beicht-Vater zu ändern, und einen andern in dessen Stelle, eigenem Gefallen und Erkäntniß nach, zu setzen, in denen Rechten wohl befugt seye.

Zwey-

Zweytens, drittens und viertens wird gefraget:

Ob ein Evangelischer Reichs-Fürst dem abgedanckten Beicht-Vater eine Ursache seiner Veränderung anzuzeigen, und nicht vielmehr demselbigen anbefehlen möge, dieserwegen nicht weiter in Ihn zu dringen?

An princeps caussas mutationis factæ indicare teneatur?

Rationes dubitandi.

Ob nun wol in der ersten Frage gesaget worden, daß die Päbstlichen Kirchen-Rechte bey Veränderung und Abdanckung eines Beicht-Vaters demselben die Ursachen anzuzeigen, und dessen Einwilligung von ihm zu erfordern, dem Beicht-Kinde auferlegen,

cap. 12. X. de pænit. cap. 2. de pænitent. in 6. can. 3. distinct. 6. de pænit.

nachgehends auch eben deswegen die Päbstliche Rechts-Lehrer sehr sorgfältig seyn, solche Ursachen der Veränderung des Beicht-Stuhls zu untersuchen, und die hinlänglichen von denen Schein-Ursachen zu entscheiden, davon

SANCHEZ. *disp. 9. n. 3. & disput. 26. n. 9.*

S. THOM. *part. 4. sent. disp. 17. qu. 3. art. 3. qu. 5.*

als da sind, wenn der Priester nicht verschwiegen genug, wann er mehr Eiteles, als Geistliches an sich hat, wann er hochmüthig, wann er von demjenigen, was ihm im Beicht-Stuhl anvertrauet worden, nachhero seinen Nutzen ziehen, und sich seiner Herrschaft über das Beicht-Kind anmassen wollen, wann er in dem Beicht-Stuhl selbsten seinen Nutzen und Affecten suchet, und was dergleichen mehr seyn, welche

RAYNERVS *in pantheolog. de confess. c. 19.*

zusammen überhaupt also beschreibet: In his casibus, aut similibus, quando pœnitens periculum aliquod spirituale vel corporale NB. probabiliter timet, expedit ei, vt ad alium confessorem recurrat; ferner die Regel in der gesunden Vernunft und natürlichen Billigkeit gegründet zu seyn scheinet, daß das Beicht-Kind, wann es etwas gegen den Beicht-Vater bey sich heget, denselben darum anspreche, und ihn zu seiner Verantwortung lasse, welches auch deswegen in allen Kirchen-Ordnungen versehen, und deswegen dem Beicht-Kinde so lange seine Veränderung gegönnet wird, bis der Beicht-Vater gehöret, und von dem Kirchen-Rath die Ursachen der Veränderung des Beicht-Stuhls vor hinlänglich gehalten worden: wie dann eben deswegen keinem Priester erlaubet ist, dergleichen Beicht-Kind anzunehmen, bis er sich

darüber mit dem vorigen Beicht-Vater deshalben besprochen hat. Endlich selbsten in den Ursachen der Veränderung theils Evangelische Theologi so hart seyn, daß sie einem Beicht-Kinde, welches mit dem Beicht-Vater in Procefs gerathen, von selbigen aufs heftigste injuriiret und beleidiget worden, dennoch die Veränderung des Beicht-Stuhls unter dem Vorwand nicht zulassen wollen, weil es ohnmöglich sey, daß das Beicht-Kind von Hertzen sich versöhnet, wenn es den Beicht-Vater nicht behalte, ohnerachtet sich das Beicht-Kind mit einem Eyd verschworen, nimmer bey dem abgedanckten Beicht-Vater zu beichten.

Rationes decidendi.

Dieweilen aber anfangs, so viel die Päbstlichen Satzungen betrifft, die Evangelische Reichs-Fürsten an selbige nicht gebunden, sondern durch den *art. 5. instr. Pac. Osnabrug.* davon befreyet sind; nachgehends einem Evangelischen Reichs-Fürsten so gar auch die Schärffe der Päbstlichen Rechte nicht entgegen seyn, indem selbige die Anführung der Ursachen alsdann nur erfordern, wann das Beicht-Kind mit gutem Willen des Beicht-Vaters selbigen ändern will, nicht aber wenn solches hierunter den Bischoff oder Pabst antritt, und von beyden einen Consens erlanget, dann in dem letztern Fall der Beicht-Vater sich schlechterdings und ohne Anfrage gefallen lassen muß, was diese hierunter gut finden und befehlen: da nun die Evangelische Fürsten Iura Papalia & Episcopalia haben, so würde derjenige härter als die Päbstliche Rechte selbsten handeln, der hierunter einem Evangelischen Fürsten die Hände binden wolte; über dieses was die eintzele Kirchen-Ordnung betrifft, bereits in Beantwortung der ersten Frage gesaget worden, daß ein Evangelischer Reichs-Fürst selbige seinen Unterthanen fürgeschrieben, er aber daran nicht gebunden werden möge; endlich vielmehr hierinnen rechtschaffene Theologi denen Priestern in dergleichen Fällen, wann ein Beicht-Kind von ihnen ausstehen will, die Lehre geben, daß sie solches, wo nicht gerne sehen, dennoch um so viel weniger hindern, oder die Gewissen zwingen sollen, theils weil sie hierunter einer grossen Verantwortung sich entladen, und dannenhero die regulæ de clerico renitente hieher gehören, theils auch, wann sie sich wider den Abgang eines oder mehrern Beicht-Kindes setzen, oder die Ursachen richterlich entschieden wissen wollen, sie dadurch bey der Gemeinde viel mehr Aergerniß anrichten, und sich in den Verdacht eines Ehr-Geitzes oder Geld-Geitzes, Rachgierde, oder eines Eigensinnes

setzen,

setzen, als wenn sie dieses alles geduldig ertragen, vor die abgehende Beicht-Kinder bitten, und erfreuet sind, wann derjenige, den sie nicht gewinnen können, von ihrem Amts-Bruder zur Buß und Bekehrung gebracht wird, mutationem confessionarii non ægre fert bonus Pastor, qui non sua quærit, sed quæ Domini; perinde ei est, per quem proficiat auditor; qui igitur de mutatione querelas mouent, in suspicionem incurrunt auaritiæ aut ambitionis.

RAYNEZIVS *de confess. cap. 19. p. 524.*

SPENERVS *in Theolog.* Bedencken *Part. 4. art. 2. Sect. 1.*

Da nun der erstere, welcher dieses mit hundert andern saget, aus dem Pabstthum ist, wo man vorgiebt, der Beicht-Stuhl sey iurisdictio prætoria, und ein geistliches Schultzen-Gericht, der Confessionarius sey instar Prætoris, und ein geistlicher Gerichts-Herr über seine Beicht-Kinder, welche deshalben die iurisdictionem an keinen Fremden übertragen und prorogiren mögen, wie die Evangelische Theologi mit Widerlegung dieses geistlichen Gerichts-Zwangs viel zu thun haben, davon

CHEMNITIVS *in exam. concil. Trident. in tit. de Confess.*

und andere gar nachdrücklich handeln, so solten die Evangelische Priester billig in sich gehen, und aus Veränderung des Beicht-Stuhls keinen Lermen machen, und sich von denen päbstlichen Ohren-Beichten beschämen lassen; wie man denn auch noch diese Freyheit in dem Pabstthum findet, daß iedem erlaubt ist, ausser seinem Parocho bey einem Ordens-Priester, der die Gewalt von dem Bischoff oder Pabst hat, zu beichten, davon in der Antwort auf die erste Frage Erwehnung geschehen; letztens auch, wenn ein Beicht-Kind vorgiebt, daß ihn sein Hertz aus Andacht zu diesem oder jenem Priester, die Absolution von ihme zu nehmen, trage, daß er GOtt um die Anzeige eines Beicht-Vaters, den er mit bessern Nutzen gebrauchen könte, gebeten, und ihm den neuen Beicht-Vater GOtt in sein Hertz gegeben hätte, solches alles mitten in den päbstlichen Zeiten zugelassen, und weiter keine Ursach von dem änderenden Beicht-Kind verlanget worden, davon die Acta SS. voll sind; letztens noch selbsten in verschiedenen Evangelischen Lutherischen Kirchen eingeführet ist, daß nicht allein ieder seinen Beicht-Vater eigenem Gefallen nach ändern, sondern auch gar nicht verbunden, dem abgedanckten eine Ursache seiner Veränderung anzuzeigen oder wahrzumachen, zugeschweigen, daß die Anführung der Ur-

sachen

sachen bey einem in geistlichen Sachen souverainen Fürsten nicht ein-mahl ihre Würckung erreichen würde, denn wenn auch selbiger den vorigen Beicht-Vater eine Ursach wissen liesse, und dieser sich entschuldigen, der Reichs-Fürst aber die Entschuldigung nicht annehmen wolte, er doch keinen Richter über sich hätte, der ihme etwas ab- oder zusprechen könte; zu welchen allen noch dieses kommet, daß der Evangelische Reichs-Fürst den quæstionirten Beicht-Vater nicht allein seiner Gnade versichert, sondern ihme auch aufgegeben hat, der vorgenommenen Veränderung des Beicht-Stuhls halben von ihme keine Ursache zu verlangen, oder mit Vorstellungen deswegen in ihn zu dringen, dannenhero öfters gedachter Beicht-Vater sich hierunter begreifen, und desjenigen Eides und Respects erinnern sollen, womit er seinem Landes-Herrn sich in allen Stücken unterwürfig gemacht, in welchen die göttliche Gesetze nicht ein anders versehen haben.

Decisio.

Als halten wir davor, daß ein Evangelischer Reichs-Fürst nicht allein seinen Beicht-Vater, ohne ihm Ursachen zu eröffnen, erlassen, sondern auch über diß ihme verbieten könne, solcher wegen nicht ferner in ihn zu dringen.

Fünftens und sechstens wird gefraget:

Quid si confessionarius in casu a principe mutationis factæ turbas moveat?

Ob ein Evangelischer Reichs-Fürst seinen Beicht-Vater, der des veränderten Beicht-Stuhls wegen, dessen *Special*-Verbot ohnerachtet, wider ihn einseitige *Responsa* einholen, und selbige *propaliren* lassen, ihn auch deswegen in Predigten verdammet, und seine Bediente als heillose Leute ausgerufen, aller übrigen *Chargen*, ohne fernere Untersuchung zu entsetzen befugt seye.

Rationes.

Ob es wol nun scheinen möchte, daß gleichwol iedwedem Prediger obliege, das Straf-Amt, so gar auch wider die Obrigkeit, Könige und Fürsten, nach dem Exempel der Propheten und Apostel, zu gebrauchen;

CARPZOV. *lib. 3. iur.-eccles. def. 102. n. 3.*

Nachgehends, da die defensio bey einem ieden Iuris naturalis zu seyn scheinet, dem quæst. Prediger nicht verdacht werden möge, daß er sich über den factis, die ihm übel ausgeleget, und für strafbar gehalten worden, belehren lassen, um den Principem durch das Urtheil unpartheyischer Collegien auf mildere Gedancken zu bringen; Ferner, da einige so gar in denen Gedancken stehen, daß ein weltlicher Fürst sei-

seinem Prediger, der dem Volck und der Gemeinde zum Besten mit angenommen worden, nicht für sich seines Amtes erlassen, vielweniger absetzen könte, am allerwenigsten aber, ohne daß das Verbrechen gebührend untersuchet, und darüber ordentlich erkannt worden, sine caussæ enim cognitione dimissionem sacerdotis ipso iure nullam esse, saget

CARPZOVIVS *lib. 3. iur. eccles. def. III. n. 10.*

man hieselbst sine caussæ cognitione ohnmöglich dem Prediger seinen Abschied geben können, zu geschweigen, daß es auch hieselbst an denen sonst bey denen Predigern üblichen gradibus admonitionis zu fehlen schiene, indeme die Erlassung und Entsetzung desselben so gleich erfolget;

Rationes decidendi.

Dieweilen aber Anfangs bey der ersten Frage bereits erwiesen worden, daß die Aenderung des Beicht-Stuhls, welche der Landes-Fürst vorgenommen, gar nichts unzulässiges mit sich geführet, solchem nach, da der quæst. Prediger hierauf einen Lermen auf der Cantzel angefangen, er in actu prorsus illicito gestanden, folglich, wenn er auch mit seines gleichen, oder andern Unterthanen zu thun gehabt, er deswegen iniuriarum belanget, und mit empfindlicher Strafe beleget werden mögen.

CARPZOVIVS *lib. 3. iur. eccles. def. 98.*

SIMON *de actione iniur. aduers. sacerdot.*

Da nun aber das Delictum wider den Landes-Fürsten selbst begangen, selbiges weit höher und schärffer angesehen werden müssen, indeme die Remotion eines Predigers sonsten auf crimina falsi und andere Verbrechen gesetzet ist, welche weit von geringeren Schaden und Nachtheil in dem gemeinen Wesen sind, als wenn die Obrigkeit zur höchsten Ungebühr angetastet, und für verdammet ausgeschryen, mithin die Liebe und das Vertrauen der Unterthanen gegen ihren Landes-Herrn geschwächet, und leichtlich Gelegenheit zu Mißtrauen, Aufruhr und Empörung gemachet wird. in welchem Absehen auch die öffentliche Reichs-Gesetze dergleichen unruhige Prediger bestrafet wissen wollen;

Recess. Imp. ann. 1530. §. 55.

Recess. Imp. ann. 1542. §. 41.

Ueber dieses, da auch dem Bericht nach der Landes-Fürst dem quæst. Prediger insonderheit untersagen lassen, daß von denen entstandenen Mißhelligkeiten er nichts gedencken und propaliren solte, in welchem

Stücke, wie in allen andern mit göttlichen Gesetzen nicht streitenden Dingen, er dem Landes-Fürsten allerdings gehorchen sollen, und da er dem special-Befehl seines Landes-Herrn freventlicher und eigenthätiger Weise entgegen gehandelt, das Verbrechen hiedurch nicht allein ungleich schwerer gemachet, sondern auch nunmehro der Prediger sich alles daraus entstandene Ungemach selbsten zuzumessen hat, indem er den Befehl seines Herrn wie den Dienst GOttes ansehen, und solchem mit Bezähmung seiner eigenen affecten sich willig unterwerffen sollen. Gleichwie auch ferner GOtt der Allerhöchste den Ungehorsam vor das abscheulichste Laster ansiehet, es einem Landes-Fürsten und Vicario Dei um so viel weniger verdacht werden mag, wann er auf die violirung seiner special-Befehle eine noch so grosse und empfindliche Straffe setzet, in deren determinirung ihme ein Rechts-Gelehrter keine Gräntzen oder Ordnung vorschreiben mag, ie gewisser es ist, daß es ein Stück der Landes-Hoheit sey, wider die delicta Gesetze zu machen, und auf solche gewisse Straffen zu setzen: da auch endlich ein Landes-Herr verbunden ist, seine Bediente, absonderlich, welche Ihm am nächsten seyn, und auch fürnehmlich, wann solche in ihrem Amt angegriffen werden, mit Nachdruck zu schützen, ja, wie die gemeine Rechte selbsten wollen, die wider selbige ausgestossene Beschimpfungen dergestalt zu bestraffen, als wenn selbige wider den Landes-Herrn selbsten ausgestossen und begangen wären, der Prediger auch dieserwegen, daß er solche Bediente in dem Dienst ihres Herrn vor heillose Leute öffentlich ausgeschryen, die Entsetzung verdienet haben würde: letztens, was CARPZOVIUS und andere de iudice laico, und daß solche keinen Prediger absetzen können, gesaget, hieher um so viel weniger gehöret, ja bekannter, daß die Evangelische Landes-Fürsten Iura Episcopalia & Papalia haben, folglich ihnen auch, denen päbstlichen Kirchen-Satzungen nach, zukommet, die Verbrechen der Geistlichen, ihrem Gutdüncken nach, zu bestraffen, zu geschweigen, daß ihre Consistoria von ihnen, und sie nicht von ihren Consistoriis oder Kirchen-Verfassungen dependiren:

Decisio. Als halten wir davor, daß der Landes-Fürst seinen ehemahligen Beicht-Vater, oben in der Frage angeführter Beschuldigungen und Verbrechen halben, von allen seinen Bedienungen abzusetzen befugt sey.

§. LXIII.

§. LXIII. Quæ fuerit ſententia Theologorum Ienenſium de *libertate mutandi confeſſionarium* tum quoad *principem*, tum quoad privatos, liquet ex reſponſo anno 1713. Menſ. Oct. dato:

Sententia Theologorum Ienenſium.

Durchlauchtigſter Hertzog,

Gnädigſter Fürſt und Herr.

Aus Ew. Hochfürſtl. Durchl. an uns ergangenem gnädigſten Schreiben, und dem beygefügten, haben wir in unterthänigſtem Gehorſam mit mehrern erfahren, was des Herrn Marggrafen zu Onoltzbach Hochfürſtl. Durchl. an Ew. Hochfürſtl. Durchl. wegen des geweſenen Superintendenten Dn. Händels ergehen laſſen, auch welcher geſtalt Ew. Hochfürſtl. Durchl. gnädigſt befohlen, über die beyde annectirte Fragen: **Ob ein Evangeliſcher Fürſt oder ieder Chriſt nicht ſeinen Beicht-Vater ändern könte? Und: Ob bey der Veränderung des Beicht-Stuhls einer ſeinem Beicht-Vater die Urſachen anzuzeigen ſchuldig ſey?** unſere führende theologiſche Meynung zu eröffnen. Nachdem nun unſere Pflicht erfordert, dieſem allen in unterthänigſtem Gehorſam nachzukommen: ſo gehet, was die erſte Frage anlanget, unſere einmüthige Meynung dahin, daß zuförderſt ein Unterſcheid zu machen unter *Priuat*-Perſonen, und ſolchen, welche GOtt in den Stand der hohen Obrigkeit geſetzet, und welche nach der bekannten und in GOttes Wort gegründeten Lehre, unſerer Kirche auch in ſacris von aller menſchlichen Poteſtät independent ſeyn. Von den erſten, nemlich den Priuat-Perſonen, iſt wiederum zu mercken, daß, **gleichwie *in iure diuino* davon nichts geordnet, daß man bey einem Beicht-Vater bleiben müſſe, den man einmal erwehlet,** wie dann auch diſsfalls in den libris Symbolicis unſerer Kirchen nichts davon gedacht wird; alſo kommt es zuförderſt auf die an ieglichem Ort gemachte Kirchen-Geſetze oder eingeführte Gewohnheiten an. An einigen Orten iſt es ſo bewandt, daß man weder per legem eccleſiaſticam, noch per conſuetudinem verbunden iſt, bey einem Beicht-Vater zu verbleiben, und ſtehet es alſo auſſer Streit einem ieglichen frey, ob er denjenigen, den er einmal erwehlet, behalten, oder einen andern annehmen will, auch wie oft er ſolches thun will. Wiewol nicht zu leugnen, daß es ſcheinet beſſer zu ſeyn, wenn man ohne erhebliche Urſachen ſich nicht ändert, weil, wenn man beſtändig bey Einem bleibet, derſelbe des

Zustandes unserer Seelen sich desto genauer erkundigen, und dasjenige, was etwan zu der Seelen Heil und Seligkeit nöthig, erinnern kan. Und dieses ist gleichfalls zu *observiren*, wo es die angeführte Gewohnheit mit sich bringet, daß man bey einem Beicht-Vater bleibe; denn ob zwar consuetudo keine vim obligandi hat, dannenhero auch, wo sich eine erhebliche Ursache zeigen solte, man an solchem Ort ohne eintziges Bedencken eine Aenderung treffen kan, iedoch hat man solches nicht so leicht und ohne wichtige Ursache zu thun, sintemal, anderer Inconuenientien zu geschweigen, der Beicht-Vater dadurch in den Verdacht gesetzt wird, als hätte er sein Amt nicht recht verwaltet, oder sonst in etwas versehen, daß man sich seines Amts nicht mehr bedienen wolte, aus welchen und andern dergleichen rationibus einige Theologi und Iure-Consulti zu beweisen pflegen, daß man seinen Beicht-Vater nicht ändern solle,

vid. BALDVINVS *de casib. consc. L. II. cap. X. cas. 5.*
SAMVEL STRYKIVS *ad Brunnemanni Ius Ecclesiast. L. II. cap. I. Membr. 4. p. 332.*

welches iedoch weiter nichts erweiset, als daß man solches nicht ohne erhebliche und wichtige Ursachen thun könte. Daß man aber schlechterdings seinen Beicht-Vater nicht ändern könne, ist hieraus nicht zu schliessen. Anders verhält sich die Sache, wo per legem ecclesiasticam verordnet, daß man bey einem Beicht-Vater verbleiben solle: denn da sind Priuat-Personen oder Unterthanen verbunden, solches zu thun, es sey denn, daß sie von dem Landes-Herrn oder in dessen Namen von dem Consistorio dispensation erhalten, welche ihnen nicht allein dann und wann pfleget ertheilet zu werden, sondern wenn wichtige und erhebliche Ursachen vorhanden, ist es auch der Billigkeit gemäß, damit nicht denen Beicht-Vätern, die gerne herrschen wollen, Gelegenheit gegeben werde, ihnen eine tyrannidem über die Gewissen anzumassen.

Mit hohen Standes-Personen, sonderlich denen, welche in obrigkeitlicher Gewalt stehen, und also auch in sacris von keiner menschchen Potestät dependiren, hat es gewisser massen eine andere Bewandniß, indem man nicht sagen kan, daß sie verbunden wären, den einmal erwehlten Beicht-Vater zu behalten. Daß das ius diuinum, als darinnen directe & immediate von dieser Sache nichts enthalten, hier nicht in consideration zu ziehen, ist bereits zuvor erinnert. Solte es nun in dem Lande einer so hohen Person ohnedem einem ieden frey stehen,

stehen, einen Beicht-Vater mit einem andern zu verwechseln, hat es auch seine Richtigkeit, sintemal ein Landes-Fürst nicht deterioris conditionis seyn wird, als seine Unterthanen. Wäre consuetudo da, daß man einen Beicht-Vater, den man einmahl erwählet, behielte, so thäte man zwar wohl, wenn man ohne erhebliche Ursachen nicht mutirte: doch da consuetudo nicht einmal vim obligandi priuatos hat, wird hohe Herrschaft um so viel weniger dadurch können verbunden werden. Gesetzt aber, es wäre auch per leges ecclesiasticas verordnet, daß man bey einem Beicht-Vater bleiben solte, so würde hohe Obrigkeit dadurch auch nicht verbunden. Denn die leges ecclesiasticæ können denjenigen, von welchem sie gegeben worden, oder aufs wenigste omnem authoritatem & vim obligandi bekommen, nicht verbinden. Es ist zwar sehr heilsam und gut, wenn hohe Obrigkeit mit ihrem eigenen Exempel dasjenige bestätigen, was Sie verordnen; iedoch kan man nicht sagen, daß Sie durch solche Gesetze, welche von Ihnen herrühren, oder alle Kraft bekommen, solten verbunden werden. Sonderlich aber, wenn Sie hohe und wichtige Ursachen haben, davon abzugehen, können Sie es nicht allein mit gutem Gewissen thun, sondern es ist auch kein Mensch befugt zu fragen, warum sie es gethan. Es scheinet zwar, als wenn einige unserer Theologorum, wie auch Iure-Consultorum dahin gingen, als wenn man schlechterdings verbunden wäre, bey dem einmal erwehlten Beicht-Vater zu bleiben,

vid. GERHARDVS *loco de ministerio eccles. §. 117.*
DEDEKENNVS *in consiliis Theol. Part. III. c. 1. Membr. 3. Sect. 3. N. 58.*
STRYKIVS *ad Brunnem. ius eccles. loco cit. p. 332.*

Allein zu geschweigen, daß sie sich hauptsächlich auf dem iure Canonico gründen, welches doch bey uns keine Kraft, iemand zu verbinden, hat: so reden sie auch eigentlich nicht von solchem casu, davon ietzo die Frage ist, welches leicht könte gezeiget werden, wenn es die Nothdurft erforderte. Die Ursachen aber, die man gemeiniglich anführet, solches zu beweisen, sind so beschaffen, daß man zwar daraus schliessen kan, daß man ohne erhebliche Ursachen seinen Beicht-Vater nicht verändern solle, keinesweges aber, daß man verbunden seye, schlechterdings bey einem zu verbleiben, welches, gleichwie es nicht wohl von Priuat-Personen kan prætendiret werden, man um so viel weniger hohen Standes-Personen kan anmuthen.

Aus diesem, was bisher angeführet, wird auch leicht abzunehmen seyn, was auf die andere Frage, ob bey Veränderung des Beichtstuhls einer seinem Beicht-Vater die Uhrsachen anzuzeigen schuldig sey? zu antworten. Wann Priuat-Personen an einem solchen Orte leben, wo man per legem ecclesiasticam an einen Beicht-Vater gebunden, und sie suchen dispensation bey hoher Herrschaft, ist es billich, daß sie die Uhrsachen anführen, warum sie solche dispensation verlangen: ist es aber bloß per consuetudinem eingeführet, daß man bey einem Beicht-Vater bleibet, sind sie zwar stricto iure nicht verbunden, die Uhrsache ihrer Veränderung anzuführen; wenn aber durch Verschweigung derselben könte ein scandalum gegeben, oder sonsten was übles angerichtet werden, thun sie wohl, wenn sie selbe eröffnen. Was aber hohe Standes-Personen anlanget, welche das ius supremum in sacris haben, gleichwie sie lege ecclesiastica nicht verbunden sind, auch so ferne sie independent sind, keinem Menschen, sondern allein GOtt, von Ihrem Thun und Lassen Rechenschaft zu geben verpflichtet; also kan auch keinesweges von Ihnen erfordert werden, daß sie die Uhrsachen, warum sie einen andern Beicht-Vater annehmen wollen, melden solten. Sie thun zwar wohl, wenn es sich schicket, und sich sonsten nichts bedenckliches dabey befindet, wann sie solche nicht geheim halten; so fern sie aber ihre besondere rationes haben, warum Sie solche Uhrsachen nicht offenbahren wollen, so sind Sie auch nicht verbunden, solches zu thun. Denn sie per nullam legem specialem verbunden seynd, bey einem Beicht-Vater zu bleiben, so kan man auch keine Uhrsache finden, warum sie stricto iure verbunden wären, die Uhrsache ihrer Veränderung, wenn sie eine vornehmen wollen, anzuzeigen &c.

Sententia Theologorum Helmstadiensium.

§. LXIV. Addam etiam responsum Theologorum Helmstadiensium, a Serenissimo principe, ANTONIO VLRICO in hac caussa consultorum, qui in plerisque anno 1713. mens. Octobr. in eandem iuerunt sententiam:

Durchlauchtigster Hertzog,

Gnädigster Fürst und Herr,

Euer Hochfürstl. Durchl. hat gnädigst gefallen, in Dero an Unsere Facultät den 21. Octobr. dieses Jahrs abgelassenen Schreiben

ben ein unpræoccupirtes Bedencken in thesi mit behüfigen rationibus dubitandi und decidendi über nachgesetzte Fragen von uns in Gnaden zu begehren:

1) Ob ein Evangelischer Fürst oder ein iedweder Christ nicht seinen Beicht-Vater ändern könne?
2) Ob bey Veränderung des Beichtstuhls einer seinem Beicht-Vater die Uhrsachen anzuzeigen schuldig sey?

Nun erfordert unsere unterthänigste Pflicht und Schuldigkeit gegen unsern regierenden lieben Landes-Fürsten und Herrn Eurer Hochfürstl. Durchl. über vorgelegte Fragen, nachdem dieselbe ein ieder unter uns fleissig erwogen, unsere Collegialische Meynung und theologisches Gutachten in tieffster Unterthänigkeit hiermit vorzulegen.

Was die erste Frage betrifft, so hält dieselbe wiederum zwey Theile in sich:

(a) Ob ein Evangelischer Fürst seinen Beicht-Vater ändern könne?
(b) Ob ein ieder Christ seinen Beicht-Vater ändern könne?

Den ersten Theil dieser Frage anlangend, halten wir in thesi, wie wir gefraget werden, und mit Aussetzung der Umstände, so die Sache in einen andern Stand setzen, davor,

De libertate principis circa mutationem confessionarii.

Daß ein Evangelischer Fürst wohl seinen Beicht-Vater ändern könne,

und zwar aus folgenden Ursachen, 1) weil die confessio und absolutio priuata, an sich selbst nulla lege diuina befohlen und eingesetzet ist; wie auch dieses die reinesten Lehrer unserer Kirchen hin und wieder erkennen. Z. E. KOENIG ehemahliger Theologiæ Professor zu Altorf in seinen *casibus conscientiæ p. 368.*: Dicimus itaque primo, confessionem priuatam, in euangelicis ecclesiis vsitatam, in sacris literis præscriptam aut mandatam non esse; adeoque nec absolute necessariam: introductam tamen &c. D. IO. LVD. HARDMAN. in seinem *pastore euangelico l. 3. c. 31. p. 676.*: Nam quamquam confessio priuata non habeat expressum diuinum mandatum, ac proinde non sit absolutæ necessitatis, reti-

retinetur tamen &c. IDEM *p. 677.*: Licet itaque hæc priuata confessio coram ecclesiæ ministro non sit iuris diuini, sed tantum iuris positiui ecclesiastici, ob dictas tamen caussas &c. Dahero dann auch solche in denen ersten Sæculis in der Christlichen Kirchen nicht bräuchlich gewesen. Noch ietzo ist an verschiedenen Orten, wie keine priuata confessio, also auch keine absolutio priuata, sondern nur eine publica und generalis, und folglich weder die Behaltung eines gewissen Beicht-Vaters gebothen, noch dessen Aenderung verbothen: Kommt es nun 2) auf das ius positiuum ecclesiasticum an, so ist dieses gleichfalls nicht vniuersale, sondern nur particulare. Welchem ein Fürst, wenn er seine Unterthanen so wohl mit Gesetzen, als mit seinem eigenen Exempel bewegen will, sich gemäß erzeigen wird. Weil er aber zugleich in unserer Kirchen die iura episcopalia hat, vermöge deren er die Gesetze giebet, oder doch confirmiret; so kan er von niemanden gezwungen werden, denenselben ohnverrückt nachzuleben. Zumahl da 3) billig von einem Christlichen Regenten zu vermuthen, daß er solches ohne erhebliche Ursachen nicht thun werde; und daß 4) der neue confessionarius auch ein ehrlicher und gewissenhafter Mann seyn werde, welcher ebenfalls in diesem Fall sein Amt in acht zu nehmen wissen wird. Zu geschweigen, daß 5) ein Fürst, da er nach Befinden denen priuat-Leuthen die Freyheit, ihren Beicht-Vater zu ändern, geben kan, consequenter vor Dero eigene hohe Person nicht deterioris conditionis seyn muß; und ob zwar 1) in iure canonico *cap. omnis X. de pœnitentiis & remissionibus* stehet: Si quis alieno sacerdoti voluerit iusta de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote. Auch 2) ein Fürst, wenn er der æquität folgen will, seinen Unterthanen auch in diesem Stücke mit gutem Exempel billig vorgehen muß, damit sich nicht andere daran stossen, und er selber dadurch zu erkennen gebe, daß es Ihme bey dem Gesetze kein Ernst sey. Dazu noch kommt, daß 3) ein Fürst post legem latam in ecclesia nicht mehr als ein Fürst, sondern als ein Glied der Kirchen zu consideriren ist, und er also, was vorhero libertatis gewesen, post legem latam als etwas, quod necessitatis ist, anzusehen hat; iedennoch aber so ist, was das 1) betrifft, bekannt und ausgemacht, daß Evangelische an alle leges iuris canonici, worunter auch diese sanction mit begriffen, nicht gebunden seyn, zu geschweigen, daß das ius canonicum auch iuris positiui ist, und bey den canonisten viele cautelas leiden muß. Auf das 2) ist zu wis-

wissen, daß ein Christ-Fürstliches Gemüthe sich allerdinges nach der von ihm eingeführten oder doch confirmirten Ordnung achten werde; so lange nemlich, als es keine erhebliche Ursachen davon abzugehen vor sich findet: woferne es aber genöthiget wird, solches zu thun, so kan kein verständiger Unterthan sich daran stossen, weil er siehet, daß ein Fürst eben dieses thut, was er auf bedürfenden Fall aus dessen Händen zu gewarten hat: Und was endlich das 3) dubium anlanget, so ist zwar ein Fürst ein Glied der Kirchen, iedoch ein solches, welches zugleich die dignität unveränderlich mit sich führet. Daher muß er auch die essential-Stücke, wie andere Glieder, ohne exception in acht nehmen; was aber accidental-Sachen sind, so durch Ihn eingeführet oder confirmiret werden, da kan bey keinem Fürsten eine absoluta necessitas oder Zwang einen Platz haben. Anietzo nicht zu gedencken, daß absonderlich von einem Fürsten die præsumtion sey, er habe die Annehmung eines Beicht-Vaters bey der Anzahl seiner Prediger implicite conditionate eingerichtet.

De libertate singulorum in ecclesia.

Bey dem andern membro der ersten Frage halten wir davor, daferne die Kirchen-Ordnung hievon nichts gewisses determiniret, so komme demjenigen Unterthan, der seinen Beicht-Vater ändern will, nicht allein die erste ratio, welche bey dem vorigen membro angeführet worden, zu statten, sondern auch verschiedene praxes unserer Kirchen. Zum Exempel: Wo hebdomadarii Pastores sind, da einer um den andern wöchentlich Beichte sitzet, da kan ein Beicht-Kind bald bey diesem bald jenem zur Beicht gehen: woferne aber die Kirchen-Ordnung und die observanz eine solche Abwechselung nicht zulassen, vermeynen wir, daß ein priuatus dazu nicht schreiten müsse, damit nicht andere diesem Exempel folgen, und eine confusion entstehe; sondern er kan auf solchen Fall seine Nothdurft bey dem Consistorio vorstellen, und anhalten, daß ihm vergönnet werde, bey einem andern zu confitiren. Und daß aus erheblichen Ursachen eine solche Veränderung wohl könne verstattet werden, auch daß *in thesi* davon zu reden, nicht an sich selbst unzuläßig und sündhaft, ist ausser Zweifel. Facultas theolog. Lipsiensis spricht davon bey dem DEDEKENNO *in consil. vol. 3. edit. de anno 1671. pag. 454.* folgender gestalt: Wenn es nicht aus Zorn oder Haß geschehen, achten wir, daß einen Beicht-Vater vor seine Person freywillig anzunehmen oder zu ändern wohl zugelassen, und niemand

allhier an ein gewisses subiectum zu binden, vielweniger zu zwingen sey, wie dann in unsern Kirchen oft zu geschehen pfleget, daß die Beicht-Kinder auch bey Lebzeiten des ersten einen andern confessionarium annehmen, oder nach desselben Absterben an diejenigen, welche eben in diesem gradu des Amts succediren, nicht verbunden seyn. Facultas theolog. Helmstadiensis bey eben diesem DEDEKENNO *vol. I. part. 3. l. 1. n. 16. p. 676.*: Sich einen Seelsorger und Beicht-Vater erwählen, und bey demselben bleiben, oder in einer Pfarre bald von diesem bald von einem andern die heilige absolution empfangen, ist arbitrarium, und stehet zu eines ieden Gutachten und Willkühr; woferne die Leute wissen, und unterrichtet seyn, daß ein Prediger, so viel die absolution und andere gemeine Amts-Sachen anbelanget, nichts mehr als der andere, vom HErrn Christo Gewalt und Macht habe, und des einen Amt nicht kräftiger sey, als des andern: welches responsum D. KOENIG *loc. c. p. 404.* sapiens responsum nennet. Wie auch die theolog. Facultät zu Königsberg *loc. c. n. 17. p. 680.*: So ist das auch keine Jüdische Heucheley, sondern ein Mittelwerck, wenn ein Christ ungezwungen aus Freywilligkeit ihm in seinem Kirchen-Spiel einen gewissen Beicht-Vater bis an sein Ende erwählet, bey dem er sein Hertze ausschüttet, und geheime Noth an GOttes Statt entdecket, klaget, und Trost begehret: doch ists kein Zwang. Denn es kan ein Christ aus gewissen Ursachen ihm auch wohl den andern und dritten Lehrer zum Beicht-Vater erwählen. Der sel. STRYK hält in seinen *additionibus ad Brunnemanni ius eccles. ad cap. 1. n. 2. pag. 310.* davor, daß ex iusta caussa & præuio Consistorii consensu die Veränderung des Beicht-Vaters wohl könne vorgenommen werden.

Und wir vermeynen ohne Maaßgebung, daß ein Evangelischer Prediger nicht übel thun würde, wann er von selbst absque superiorum decreto solches zugebe und geschehen liesse: und da etwa ein oder anderer seiner bisherigen Beicht-Kinder einen andern Beicht-Vater erwählen solte, dieses vernünftig und bescheidentlich dissimulirte, damit er allen Verdacht des Eigen-Nutzens, *priuat-interesse* und *passionirten* Gemüths desto mehr von sich ablehnete.

Die zweyte Frage, so in Ew. Hoch-Fürstl. Durchl. gnädigsten Schreiben uns vorgeleget wird, ist:

Ob bey der Veränderung des Beicht-Stuhls einer seinem Beicht-Vater die Ursache anzuzeigen schuldig sey?

An caussas mutationis indicare teneatur mutans confessionarium?

Die Entscheidung dieser Frage fliesset aus der Antwort auf die erste. Ein Evangelischer Fürst ist nicht schuldig, seinem Beicht-Vater, als der keine iurisdiction über ihn hat, anzuzeigen, warum er einen andern confessionarium erwählet. Ein Priuatus aber, dem die Kirchen-Ordnung dergleichen eigenmächtige Abwechselung nisi præuia caussæ cognitione nicht zulässet, ist schuldig, Ursachen anzuzeigen, warum er solche Veränderung vornehmen wolle, oder bereits vorgenommen. Daß aber dem Beicht-Vater selber seine rationes anzuzeigen, halten wir nicht nöthig.

Und dieses ist, gnädigster Fürst und Herr, auf die von Ewr. Hochfürstl. Durchl. uns vorgelegte Fragen unser unterthänigstes Gutachten und collegialische Meynung. Wie wir aber *in thesi* gefraget seynd, und wir *in thesi* darauf geantwortet, so wird diese unsere Antwort ad hypothesin nicht müssen gezogen werden; weil zum öftern in hypothesi sich gantz andere Umstände finden, die den statum controversiæ ändern, auch verursachen, daß, was an sich zulässig war, wegen dabey vorkommenden circumstantien als unzulässig und verboten angesehen werden muß. Ewr. Hochfürstl. Durchl. empfehlen wir übrigens in Schutz GOttes rc.

Helmstadt den 16ten Octobr.
1717.

Decanus, Senior und übrige Doctores und Professores der Theolog. Facultät auf der Iulius-Vniuersität zu Helmstadt.

§. LXV. Denique adiungam etiam *consistorii sacri* Hennebergici responsum huius tenoris:

Hochwürdigster rc.

Responsum consistorii sacri Hennebergici.

Ewr. Hochfürstl Durchl. hat gnädigst gefallen, dasjenige Schreiben, welches an dieselbe des Herrn Marggrafen zu Brandenburg-Onoltzbach Hochfürstl. Durchl. wegen angeführter Erörterung, derer zugleich angefügten, und *in Thesi* dahin gehenden zweyen Fragen:

1) Ob

1) Ob ein Evangelischer Fürst, oder ein ieder Christ, nicht seinen Beicht-Vater ändern könne?

2) Ob bey Veränderung des Beicht-Stuhls einer seinem Beicht-Vater die Ursache anzuzeigen schuldig sey?

am 16. Aug. lauffenden Jahres gelangen lassen, uns in Abschrift zu communiciren mit dem, in höchster Veneration unterm 13ten dieses angehenden Monaths Octobris empfangenen gnädigstem Befehl, solches mit Fleiß zu überlegen, und Unsere Gedancken hierüber, mittelst gehorsamsten Berichts nächstens zu eröffnen. Ob nun wol von dieser Materie die vorhandene Casuisten insonderheit verschiedlich geschrieben, und unter selbigen besonders der bekandte DEDEKENNVS in seinen *consiliis ecclesiasticis*, den statum caussæ & controuersiæ zu heben sich bemühet: so impliciren doch ihre asserta meistentheils solche hypotheses, welche mit ihren dabey vorkommenden circumstantiis dermassen verwickelt zu seyn scheinen, daß man hinter der Sachen wahre und eigentliche moralität, und ad iustitiam vniuersalem hierinfalls dennoch nicht gelangen, und was in thesi, remotis omnibus accidentibus, gewiß und positiue zu statuiren sey, so genau nicht begreiffen, herausbringen, und hinlängliche satisfaction erlangen kan. Solten aber Ewr. Hochfürstl. Durchl. in hohen Gnaden erlauben, daß wir hier berühren, was die bewährtesten scriptores iuris moralis & canonici hin und wieder davon angemercket haben: so würde es anfangs auf die quæstionem præiudicialem in genere, num scilicet confessio peccatorum externa ex iure diuino, an ex iure positiuo ecclesiæ originem habeat, & absolute ad veram pœnitentiam necessaria sit? ankommen; und bey deren Erledigung ad defendendam negatiuam nicht undienlich anzuführen seyn, was der gelehrte ZIEGLER über des *Lancelotti institutiones iuris canonici lib. 2. tit. 5. §. 8.* geschrieben, wenn er sich vernehmen lässet: confessionem externam curam sacerdote factam, non esse absolute necessariam ad obtinendam a Deo absolutionem; sed si actus contritionis erga Deum *cum fiducia in Christum* fiat, illum ex parte peccatoris perfectam constituere conuersionem, quam deinceps ex parte Dei excipiat remissio, siue iustificatio: & vnumquemque posse non tantum coram ministro ecclesiæ, sed etiam in casu necessitatis coram alio Christiano priuatim confiteri Deo peccata sua & absolutionem petere, quoniam etiam laici in casu necessitatis docere possint,

adeo, vt potestas absoluendi ipsis deneganda non sit, cum absoluere a peccatis nihil aliud sit, quam generalem doctrinam euangelii in indiuiduo applicare ad certam personam vere pœnitentem; welcher Meynung denn auch der von jenem angezogene HENR. HOPPFNER. in seinem *tract. pract. de cœna sect. 1. aphor. 13. n. 3.* und der ehemahls berühmte SCHILTER. in denen *institut. iuris canon. libr. 2. t. 4. §. 13.* nebst dem CARPZOVIO *lib. 2. def. ecclesiast. 283. n. 9.* beygepflichtet haben; und so viel an Tag geben, externam eiusmodi confessionem peccatorum, welche der berühmte STRYK. in seinem *commentar. ad Brunnem. ius ecclesiast. actum secundum externum pœnitentiæ pag.* 747. benennet, non esse absolute necessariam necessitate medii ad absolutionem a Deo obtinendam, sed ex necessitate præcepti, tanquam requisitum concomitans pœnitentiam, ad ostendendam contritionis & fidei veritatem ministro Christi ordinario, qui hanc ideo exigat, ne impœnitentibus & indignis remissionem annunciet; welches denn auch in der heiligen Schrift selbst, worinnen nur zwey Stücke zu einer wahren Busse erfordert werden, gegründet ist, und vom gedachten ZIEGLERO *dict. lib. 2. tit. 5. §. 5. in notis*, vbi rectius, inquit, in nostris ecclesiis duæ tantum pœnitentiæ partes, contritio scilicet & fides, constituuntur, cum nec alias constituerit ipse saluator noster, *Marc. 1. v. 5. & Act. Apost. 26. v. 20.* behauptet wird, darneben aber *pag. 349.* am Ende beyfüget: vtilem quoque esse talem confessionem coram sacerdote faciendam a parte aliorum, qui aut exemplum conuersionis, vt & ipsi convertantur, inspiciant, aut de conuerso gaudeant, & Deo gratias agant, requiri etiam a parte ipsius peccatoris, vt ipse se humiliet, & talem fateatur, qui misericordia & venia indigeat; woraus dann erfolget, daß die Priuat-Beichte, nicht so wohl aus dem göttlichen Recht, als vielmehr aus denen heilsamen constitutionibus & ordinationibus ecclesiasticis ihren Ursprung habe, und zu besserer Erhaltung guter Kirchen-Disciplin löblich eingeführet worden, auch von solcher nicht so leicht zu recediren sey. Von diesem principio aber nun auch ad specialia, und auf die vorgegebenen beyden Fragen fortzuschreiten, fället so gleich zu erwegen vor, quod religio non possit imperari, sed libera esse debeat, cum nemo possit cogi, vt credat aliquid inuitus, und daß, so viel die erste Frage anbelanget, in thesi, wie einem iedweden Christen, also auch absonderlich einem Evangelischen Fürsten und Stande, welchem die iura circa sacra & episcopalia zustehen, seinen Beicht-Vater zu verändern,

dern, erlaubt sey, und aus der einmahl beschehenen election und Gebrauch eines gewissen confessionarii, keine solche obligatio bilateralis, daß nach der Zeit von solcher nicht abzuweichen, erwachsen könne; es ist aber diese Bescheidenheit dabey zu gebrauchen, daß ein priuatus zum wenigsten bey einem Priester der diœcese verbleibe, und keinen extraneum erwähle, welcher auch nach der doctrin des CARPZOVII *lib. 2. tit. 18. def. consistor. 290.* dergleichen confitenten nicht annehmen darf, es geschehe denn mit Einwilligung des consistorii, und Genehmhaltung des vorigen confessionarii, welches auch der oben angeführte STRYK. ad *Brunnemann. ius ecclesiast. lib. 2. m. 4. §. 11.* statuiret, und weitläuftig deduciret, quod cum in nostris ecclesiis retenta fuerit confessio priuata, certo ecclesiæ ministro facienda, non liceat alteri sacerdoti pœnitentem suscipere sine illius consensu, cui prius se commisit, sub pœna depositionis, iuxta *c. fin. de pœnitent.* Die Ursachen dessen aber führet CARPZOV. *dict. loc. §. 6.* nicht undeutlich dahin an, daß oftmahls viel und mancherley Unrichtigkeit dabey erfolge; ecquis enim, dicit, non videt &c. permutatione ista confessionarii suspectum reddi pastorem ordinarium, qui deseritur, quasi officium suum non pro dignitate administret, qua tamen in re iniuriam ipsi fieri posse, scandalum præberi aliis, qui ad hoc exemplum facile suos quoque permutarent, pastores, qua ratione obsequium ministerio debitum cum omni disciplina facile corrui, licentiam peccandi introduci, dum auditores ab vno pastore ad alium vagantur, neminem accurate ipsorum vitia taxare audere, dum semper metuendum sit, ne denuo, hoc pastore deserto, alium quærant; Bey welcher Bewandniß leicht abzunehmen, daß kein priuatus nach seiner Gewissens-Freyheit, weilen Er an die Gesetze gebunden ist, ohne *permission* seinen Beicht-Vater mit eigenmächtiger Erwählung verändern, noch die sacra absolutionis, synaxeos, ausser Landes suchen dürfe, welches CARPZOV. *lib. 3. def. eccles. 105.* und SCHILTER. *lib. 2. t. 40. §. 12.* auch in so weit extendiren, daß es nicht einmahl zugelassen sey, in dem Fall, wenn er mit Ihm im Procefs und Feindschaft lebe. Was aber einen Evangelischen Fürsten, und andere hohe Standes-Personen, quæ iure territoriali circa sacra gaudent, concerniret: ist davor zu halten, daß eine solche hierinne mehrere liberté geniesse, und da sie ihren Unterthanen circa hunc passum mutandi confessionarii dispensiren kan, um so weniger an dero eigenen hohen Person ein gleiches auszuüben, verhindert werden möge, cum principis pote-

potestas in eo præcipue consistat, vt actus ipsius alterius iuri non subsit, docente ita HVG. GROTIO *de iur. B. & P. lib. 1. c. 3. §. 7.* cum princeps sit supra legem, quamuis digna quidem vox sit maiestatis regnantis, legibus viuere positiuis, licet illis sit solutus, & cesset vis coactiua; gestalt auch CARPZOV. *l. 3. def. eccles. 106.* und SCHILTER. *instit. I. C. l. 2. t. 4. §. 12.* dafür halten, quod patronus plurium ecclesiarum in qualibet ius habeat, confessionario vtendi; Ist nun solches einem blossen patrono ecclesiæ vergönnet, wie solte es denn einem Fürsten, der das ius episcopale hat, verwehret seyn? Was hiernächst die andere Frage, **ob nemlich bey Veränderung des Beicht-Stuhls dem Beicht-Vater die Ursachen anzuzeigen sind?** anbetrifft: solche erörtert sich guten theils aus dem, was bey der ersteren bereits mit angeführet worden; Und ist quoad personam principis abermahls, unsers wenigen Erachtens, die negatiua verior, indem er pro parœciano, von welchem doch alle bis daher allegirten iura handeln, nicht zu halten, mithin von deren dispositione negatiua & prohibitione allerdings zu eximiren; mit einem priuato aber hat es freylich eine andere Bewandniß, und kan wol schwerlich hier affirmatiue respondiret werden. Dann wann iuxta DESSEL. *in cromat. ad ius canon. lib. 3. tit. 20. §. 10. in not.* die Veränderung des ordentlichen Beicht-Vaters regulariter nicht statt hat, sondern offenständigen Rechtens ist, quod peccata confiteri & absolutionem petere, nec non sacra synaxi quis vti debeat, *in propria* seu *ea parochia*, cuius est parochianus, nec hic, ordinario pastore relicto, ab alterius ecclesiæ & diœceseos ministro ad sacram cœnam admitti debeat, nisi cum consensu consistorii, & prioris sacerdotis: so folget ja nothwendig, daß die Ursachen vorher, warum ein solcher der Seelen-Pflege in derjenigen parochie, dahin er gewiesen, sich entziehen wolte, gebührend angezeiget werden müssen, bevorab da auch nach denen canonischen Rechten paternitas & filiatio quædam inter confessionarium & parœcianum vorhanden ist: sec. *can. 30. qu. 1. c. 8. sqq.* und die dispensation zu Annehmung eines andern Beicht-Vaters um so eher zu erhalten stehet, nachdem eine gantz schwere Sache seyn wolte, in einer solchen heiligen Handlung einigen Zwang zu gebrauchen, indem das behörige Vertrauen cessiret, und gar leicht sich ein und das andere eräugnen möchte, welches die bey der Beicht und communion höchstnöthige Andacht verhindern, und die Gewissen confundiren, und irre machen dürfte. Dieses sind also unsere wenige

An caussæ mutationis indicandæ sint?

wenige Gedancken, bey gegenwärtigen beyden Fragen; wormit Ewr. Hochfürstl. Durchl. dem allmächtigen Schutz GOttes zu allen Hochfürstl. beständigem Wohlergehen, Dero beharrlichen hohen Hulden und Gnade aber wir uns in tieffster deuotion empfehlen, und verharren

Ewr. Hochfürstl. Durchl.

unterthänigst treugehorsamste
Zu dero Hennebergischen Consistorio verordnete Räthe und Assessores &c.
A. P. G. Förster.
C. P. Thomas.

Conclusio.

§. LXV. Ex consensu itaque & Theologorum & ICtorum atque eorum argumentis planum atque liquidum est, *libertatem mutandi confessionarium* principi saluam, nullaque lege aut eius ratione restrictam esse. Ad *priuatos* vero quod attinet, vtut *extra parochiam* alium confessionarium in iis locis, in quibus *iura parochorum bannaria* vigent, nemo eligere queat sine consensu eius, qui *ius sacrorum* exercet, vt *tom. 1. consult. & decis. P. 1. arg. 86.* & in *iure paroch. Sect. IV. c. 1. §. 13.* monstratum est, quod alioquin *ius parochiale* violetur; ita hoc extendi nequit ad eum casum, si plures sunt *ministri* verbi diuini in *eadem ecclesia*, quorum tantum respectu *mutatio confessionarii* suscipitur. Etenim 1) quæ HARPRECHTVS *consil. LV. n. 293.* in contrarium adfert, duntaxat eam præcipue tangunt circumstantiam, si extra parochiam *alienum confessionarium*, deserto proprio sacerdote, quis eligere velit, quod *iura parochialia*, vbi hæc recepta, haud permittunt; alioquin nec *iuris diuini* ratio mutationi resistit. Etenim contrarium ex verbis PAVLI *ad Hebr. XIII.* gehorchet EUREN Lehrern &c. (per quos PROPRIOS *parochos* intelligit) male adstruitur, nec quicunque *presbyteri* aut *doctores* pro *parochis* accipiendi, id quod tamen *cit. l. n. 104.* intendere videtur HARPRECHTVS; alioquin dicendum, *ius parochiale* esse iuris diuini, quod nemo dixerit. Vbi ergo hoc deficit vel remissum est, ibi libertas mutandi confessionarium limitibus non est inclusa. 2) Quamuis inter ipsos Catholicos confessiones auriculares *actibus parochialibus* adscriptæ; non tamen ita circumscriptæ sunt, vt non liceat in monasteriis *extra tempus præscriptum* alium pro lubitu eligere confessionarium.

Libertas quoad priuatos.

in eadem parochia.

3) Hic

3) Hic tantum quæstio est de mutatione *confessionarii* in eadem parochia, in qua rationes *prohibitionis* cessant prorsus, quæ vnice ex *iure Bannario parochiali* desumtæ sunt. 4) Peruerse huc trahitur *c. 2. h. t. in 6.* in quo BONIFACIVS VIII. ius *sibi eligendi idoneum confessionarium*, concessioni episcopali adscribit, additque: *nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit soluere vel ligare.* Etenim α) accipienda est hæc sanctio de electione sacerdotis extra *parochiam;* non de mutatione confessionarii *in eadem parochia:* β) eadem nequidem ad *ordines priuilegiatos*, ex *licentia episcoporum* ad confessiones quorumcunque audiendas instructos, trahi potest, quorum munus inutile & sine effectu foret, nisi eos adire cuiuis integrum esset, extra *tempus paschale.* γ) Ius, *libere sibi eligendi confessionarium*, præcipue modo designatum tempus tangit, quo alius, quam proprius sacerdos, adiri nequit, nisi quis ex *licentia episcopi* libertatem eligendi sibi confessionarium acceperit. δ) Hac de caussa in *literis indulgentiarum* a pontifice hæc facultas dari illis solet, qui illas quouis ære redimunt. Nullum itaque præsidium, nullum propugnaculum ex hoc textu dissentientes pro sua caussa, male fundata, incrustanda petere possunt. Quin potius 5) ex iam adducta expositione liquet, maiori libertate pollere pœnitentes in ecclesiis Romano-Catholicis, quam in plerisque Protestantium. Etenim in nonnullis etiam libertatem restitutam esse, obseruatum est in *responsis* allatis, atque ita optandum foret, vt tum ipse confessionis actus cuiuscunque libertati relinqueretur: tum etiam vt a *iure bannario parochiali* liberaretur; vtrumque autem eo facilius obtineri poterit, si nummus confessionarius prorsus aboleretur, & parochis decrementum huius lucri aliunde resarciretur. Iniquum enim imo impium foret, si hoc lucrum, quod in *partem salarii* eis cedit, eis subtraheretur, nec aliunde compensatio huius damni fieret. 6) Denique vbi, his non obstantibus, æmulationes inter collegas eiusdem parochiæ, ex *mutatione confessionarii*, emergunt; vbi in tantam vesaniam erumpit confessionarius prior, vt post hanc mutationem sacris interdicere vel a sacra cœna velit mutantem arcere: ob hunc *excessum* merito suspendendus reus, quem vnice lucri bonus odor ex *nummo confessionario* & *ambitionis* ratio progenerauit. Reliqua argumenta pro *libertate mutandi confessionarium* facientia satis abundeque ex ipsis responsis peti possunt, inter quæ 7) hoc palmarium est, quod nec confessiones hæ auriculares sint *iuris diuini*, nec *ius bannarium parochiale* originem inde petat, sed mu-

Pontificis sententia de iure sibi eligendi confessionarium.

mutationi liberæ, pro re nata, obnoxium ſit, eo magis promouendæ, quo certius conſtat, totum *ius parochiale* ex conceptu de *eccleſia*, vt *republica quadam* ſingulariter conſtructa, originem traxiſſe, cui Proteſtantes dudum dicam ſcripſerunt.

Fundamentum priuatæ confeſſionis in noſtris deeſt eccleſiis.

§. LXVII. Denique ſolidum fundamentum *confeſſionis priuatæ* & *publicæ* in eccleſiis Proteſtantium deficit, vt, qui patrocinium huic præbent, cauſſam tam acerrimæ propugnationis idoneam non habeant. Etenim 1) agnoſcimus, *confeſſione* omnium peccatorum non eſſe opus, qua de cauſſa *generalem* tantum adhibemus, quæ *coram ſacerdote* non præciſe facienda, ſed magis in ardentibus ad Deum fuſis precibus conſiſtit. Hæc optima confeſſio, quæ ex contrito corde cum fiducia in CHRISTVM Deo fit: 2) ſi quis cordis ſui anguſtias & conſcientiæ angores parocho aperire geſtiat, id quod cuiuis integrum eſt, extra ordinem ad hoc admitti, & in quocunque loco ei hanc confeſſionem ſub ſigillo edere poteſt, nec in hunc finem *priuatæ confeſſionis* propugnatio tanto ardore ſuſcipienda. 3) Si ob rudem plebeculam retinenda, non tamen generaliter & ſub lege *neceſſitatis* omnibus & ſingulis imponenda, ſed libertati ad minimum eſſet reſtituenda. 4) In tam inſigni multitudine confitentium, quæ ſæpe concurrit in maioribus parochiis, plebeculæ rudi parum conſulitur, parocho temporis penuria admodum coarctato. 5) Plurimæ ſunt Proteſtantium eccleſiæ, quæ vſum *priuatæ confeſſionis* non agnoſcunt, nec tamen curam *rudis plebeculæ* deponunt, rectius ſine dubio inſtituendam, ſi quilibet parochus intra priuatos parietes eos ad ſe aduocet, de quorum ſalute & inſtructione ſollicitus eſt. 6) Primario *confeſſio priuata* originem traxit ex erronea ſententia de *ſatisfactione operis* ſuſcipienda, quam reſpuimus, & *confeſſione* præmittenda omnium & ſingulorum peccatorum *auriculari*, vt condigna pœnitentia confitenti imponi queat, qui finis apud nos ceſſat, vt plane omnis deſit huius antiqui inſtituti finis. 7) Si *generalis confeſſio* ſufficit, quod quidem Proteſtantes fatentur, non neceſſe eſt, vt ſinguli *priuatim* eam edant, ſed, præeunte parocho, omnes vno ore & vna voce eam edere commodius, & ſeria adhortatione ad veram & internam pœnitentiam agendam præparari queunt. 8) Hoc modo *formulæ abſolutionis*, qua infiniti confitentes offenduntur & ſaniores ſacerdotes, ſuperſedere poſſet parochus, *generali annunciatione remiſſionis peccatorum* contentus, perſpectumque habens, a *reſeruata diuino* abſtinendum, nec temere *vicariatum Dei*, quem in pontifice reſpuimus, induendum. 9) Offendiculo ſumus Romano-

Ca-

Catholicis, nobis obiicientibus, quod ob *ſacrum denarium* confeſſionem priuatam generalem tantis animi motibus in effectu defendamus, quem ipſi prorſus reſpuunt, qui ſi deeſſet, facilius contentiones de eius vſu quieſcerent vel ſedari poſſent. Denique 10) dictum ſupra, defuiſſe per mille annos & vltra, imo vsque ad INNOCENTII III. tempora, *forum pœnitentiale ordinarium parochorum*, quod hic ſub ipſis eccleſiæ tenebris demum exſtruxit: defuiſſe priuatam pœnitentiam in *primitiua* eccleſia, & *publicam* tantum vſitatam: denique tantum per *modum conſilii* illam commendatam, in *libertate* tamen ſingulorum conſtitutam. Hæc ſi conſideramus attentius, nihil cauſſæ eſt, quare hanc Iunonem adoremus.

Nec publica pœnitentia vtilitatem præſtat.

§. LXVIII. Aeque graues ſunt rationes, quæ animum a *publica* pœnitentia, prout hodie compoſita eſt, laudanda & commendanda retrahunt. Etenim (I) *publica pœnitentia* ſecundum veram ſuam indolem nemini imponitur, niſi *excommunicato*, vt hoc ſub beneficio reſtitui poſſit in integrum, & ad *communionem eccleſiæ* reuerti. Cum vero hæc apud nos rariorem vſum habeat, illa quoque genuina applicatione deſtituitur. (II) Si non eiectos ad *pœnitentiam publicam* cogimus atque adſtringimus, in veram *pœnam ciuilem* degenerat, cuius indolem in eccleſiis catholicis iam dudum induit. At vero eccleſiæ Proteſtantium tum *iurisdictione* tum *iure puniendi* deſtituuntur, ſine quibus principiis concipi nequit, quatenus *inuitis* imponitur. (III) Agnouere iam dudum alii, pœnitentiæ publicæ vſum, quatenus ſupereſt, reuera ad *pœnam* referendum eſſe, cum etiam nonnunquam per *ſententiam alia* decernatur, contra eam *noua* defenſio petatur, & quod magis eſt, de eius transmutatione in *pœnam pecuniariam* ſæpius agatur, conſentiente CARPZOVIO in *iurispr. eccleſ. lib. 3. def. 85. n. 8. def. 86. & 87.* adeo vt talem transmutationem fieri poſſe arbitretur. Hæc metamorphoſis adeo deformauit pœnitentiam, vt ea magis abſtinendum ſit. Interim (IV) negare nequeo, grauiter delinquentem vt putridum membrum a cœtu eccleſiaſtico excludi poſſe, quod eccleſia *iure collegii* etiam facere poſſet, niſi *cognitio* ſuper excommunicatione a conſiſtorio præmittenda eſſet in foris Proteſtantium. Ita vero contingit, vt *duplici pœna* adfici videatur, cum excommunicatus ſeu a ſacris excluſus non liberetur a *pœna criminali.* Hoc vero *ex accidente* contingit, quia is, qui delinquit grauiter, ſimul eſt *membrum eccleſiæ*, cuius communione cum ob crimen perpetratum ſe indignum fecit, ea merito priuandus, prout etiam in *aliis collegiis* contingit, ſi quis ita de-

linquat, vt ſimul *iure collegii* excidat, & *criminali pœna* plectendus ſit. Tunc ergo demum (V) legitimari poteſt *pœnitentia externa*, ſi, more priſco, excommunicatus eam ſibi imponi ſollicite *petat*, *inſtet* ſerio, & ſe ad *deprecationem publicam* admitti anxie *poſtulet*, quo ad *amiſſam communionem eccleſiæ* hoc modo reſtituatur. Hoc modo non eſt *pœna*, ſed *beneficium*: *inuito* per ſententiam non obtruditur, ſed ſponte ab eiecto ſuſcipitur, vt medium reſtitutionem in integrum recuperandi: rationem habet vſumque genuinum, quo vtroque deſtituitur iuxta ius canonicum. (VI) Ita denique vnicum huius pœnitentiæ ſubiectum ſtupratæ aut adulterio ſe maculantes, quæ fere vnice hodie huic ſubiiciuntur cenſuræ, haud amplius conſtituere, ſed aliorum grauiſſimorum criminum rei, quatenus excommunicati ſunt, huc referri deberent, vt ſapienter cautum in *ord. eccleſ. Magdeburg. c. XXII. §. 7.* Praxin contrariam recenſet CARPZOV. *lib. III. iurispr. conſiſt. def. 82. n. 8.* nec improbat. Ait: *Pœnitentia publica pœnitentibus, quantumuis publice non-excommunicatis, iniungi ſolet, ad hoc, vt eccleſiæ reconcilientur transgreſſores, & ſcandalum remoueatur.* Aſt quomodo eccleſiæ reconciliandi, qui ab eccleſia haud relegati ſunt? ſi *ob ſcandala remouenda* pœnitentiæ locus eſſe debet, *inuito* inſtar *pœnæ* imponitur, & infinitis modis reiteranda erit. Tunc demum rationem habet, ſi more antiquo prius *excommunicatio* decernitur, & pulſantes eccleſiæ fores per *deprecationem publicam* recipiuntur rurſus in gremium eccleſiæ. Atque hoc modo (VII) procedendum eſſe, ex ipſo proceſſu *pœnitentiæ publicæ* hodierno quodammodo colligitur, dum ſtupratæ & adulteræ tamdiu ab vſu ſacræ cœnæ excluduntur, donec *deprecationem publicam* fecerint, ac ſi antea excommunicati fuiſſent, quod tamen factum non eſt, certo tamen indicio, hoc, quem dixi, modo procedendum eſſe.

Pœnitentiæ publicæ hodierna ratio.

§. LXIX. Primario *pœnitentiæ publicæ* ratio conſiſtit in *deprecatione publica & confeſſione criminis peracti*, more primitiuæ eccleſiæ, idque vel *mediate* per parochum eccleſiæ, *exomologeſin* & *deprecationem* delinquentis nomine e ſuggeſtu recitante: vel *immediate* in quibusdam locis ab ipſo pœnitente, quando hic in medio vel certo templi loco vel coram altari poſitus interrogationibus congruis compellitur, adductis a CARPZOVIO *cit. l. def. 82. n. 9.* quo facto, publice abſoluitur, quod rurſus antiquum morem eccleſiæ ſapit, iuxta quem nemo publice abſoluebatur regulariter, niſi ob *crimina publica* eiectus, a qua cenſura demum abſolui dicebatur. Hoc etiam conſpirat cum

cum iure primitiuæ ecclesiæ, quod duntaxat in *delictis publicis*, seu *publice notis* locum habeat, secundum CARPZOV. *cit. def. 89.* modo etiam *exclusio a communione ecclesiæ* secundum illius morem præcederet. Hoc si fieret, nullo discrimine habito, quiuis exclusi ad eam essent admittendi, si per eius susceptionem ad ecclesiam reuerti sitirent, quod itidem suo modo agnoscit CARPZOV. *cit. l. def. 93.* Ita demum ab omnibus abusibus liberaretur *pœnitentia publica*, & pristinæ integritati restitueretur, quod etiam pluribus aliis obseruationibus illustratum est in *diss.* sub præsidio HENRICI A BODEN habita *de abusu pœnitent. publicæ.* Quandoque etiam expedit, diuulgato quodam crimine, cuius *certitudinem* eruere haud licet, tantum admonitionem seriam pro *scandalo* vitando, ad parochianos ex cathedra sacra facere, vt decreuit ordo ICtorum huius loci *M. Aug. 1700.*

& emendatio.

Als derselbe uns einen Bericht nebst beygefügten Articulis und David T. darauf gethane Antwort zugeschicket rc.

Obwohl David T. aus eigener Bewegnüß den Schultzen und Gerichte zu Ludwigsdorff in sein Haus gefodert, und denenselben eröffnet, wie er im 14ten Jahr seines Alters mit einem Hunde, im 18ten Jahre mit einer Ziege vielmahl, auch einmahl mit einem Pferde sich vermischet, welches er auch, da er Articuls-weise vernommen worden, nochmahls zugestanden und bekant;

Weil aber dennoch derselbe mit sonderlicher Leibes- und Gemüths-Beschwerung, laut des Medici Attestats, behafftet, und daher wohl geschehen können, daß er aus einer Melancholie zu diesem Bekänntniß kommen, hieselbst auch, wenn voriges gleich nicht wäre, kein corpus delicti vorhanden, auch bereits mehr als 20. Jahr verflossen, da solches geschehen seyn soll, binnen welcher Zeit auch dem *crimini Sodomitico præscribi*ret wird, überdem dieser Mann seines nachher geführten Lebens und Wandels halber ein gutes Gezeugniß hat; So ist wieder denselben ferner nichts vorzunehmen, sondern ihm beweglich zuzureden, daß im Fall er ja in seiner Jugend dergleichen Verbrechen verübet haben solte, er solches in beständiger Busse GOtt abzubitten hätte, welcher ihm seine Gnade nicht versagen würde, ob er gleich nicht zur äusserlichen Straffe gezogen worden, wie denn auch, da dieses sein Bekäntniß sonder Zweiffel deß Orts kund worden, dem Prediger mit zu geben, daß er deßhalb an die Gemeinde eine Erinnerung thue, wie eine gewisse Person sich eines schweren

ren in der Jugend verübten Verbrechens schuldig erkant, und zur Bestrafung sich selbst erboten; Nachdem aber der Obrigkeit den Grund der Sache zu untersuchen unmöglich fiele, diese Bekäntniß auch zum theil aus betrübtem Gemüthe entstanden, so würde die christliche Gemeinde erinnert, sich an diesem Fall nicht zu ärgern, sondern vielmehr den grossen GOtt hertzlich anzurufen, daß er dieser Person seinen freudigen Geist verleihen wolle, damit sie in Erkäntniß ihrer Sünde der Gnade GOttes sich versichern möge, darbeneben auch ein iedweder in sein eigen Hertz gehen, die Sünden seiner Jugend untersuchen, und selbe gleichergestalt hertzlich bereuen und dem grossen GOtt abbitten möchten. V. R. W.

TITVLVS XXXIX.

DE SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS.

§. I.

Constitutio Vnigenitus non sine ratione a curia Romana defenditur.

Quamuis *h. t.* non tantum de *excommunicatione* sed etiam de *suspensione* & *interdicto* agat, rubrica tamen duntaxat in editionibus, quas inspicere licuit, designato modo concepta est, nec ab ea diuersus ex codex membranaceus ill. Dn. de LVDEWIG, cuius mentionem feci *tit. de iniur. & damno dato §. IV.* Nihilominus tamen WIESTNERVS *in institut. iur. canon.* in quibus stricto pede compilationem RAYMVNDI secutus est, hunc titulum ita inscripsit: *de sententia excommunicationis, suspensionis & interdicti*, qua vero autoritate id fecerit, me quidem latet, nisi quod, prout *tit. de pænit. §. 7.* indigitaui, crediderit, hunc titulum ita inscribendum esse, quod hic de *censuris*, quibus *contumaces* ad frugem reduci dicuntur, agatur. Atque huc referunt (1) *excommunicationem*, quæ non tantum per omnia secula infinitis malis publicis ansam dedit, sed hoc seculo inprimis in ambiguum crimen deducta est. Excitauit videlicet in *ecclesia Romano-catholica* ingentes fluctus constitutio decantata, *vnigenitus* CLEMENTIS

TIS XI. anno 1713. publicata; curia Romana tamen, his non obstantibus, de rigore suo nihil remisit, sed condemnationi *thesium CI.* tenaciter inhaesit. Neque aliter agere potuisse videtur, quod *propositiones* quaedam inter eas reperiantur, quae, licet *verae* sint, verboque diuino conformes, autoritatem tamen vel *papalem* vel *episcopalem* imminuere, & refringere videntur, pro qua conseruanda etiam *veritati* ipsi bellum indicendum. Summopere sine dubio offendit curiam Romanam episcoposque dominantes *propositio XC.* quae haec est: *Ecclesia autoritatem excommunicandi habet, & eam exercet per primos pastores, de* CONSENSV *saltim* PRAESVMTO TOTIVS CORPORIS. Cum enim *laici* quoque corporis huius membra sint, per indirectum hi quoque ad *concursum* huius *iuris gladii spiritualis* videntur vocati vel admissi, quod tamen *reipublicae ecclesiasticae*, quae corruptis temporibus nata, intolerabile visum fuit. Aeque paradoxa CLEMENTI XI. visa fuit propositio XCI: *Excommunicationis iniustae metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus de ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Iesu Christo, atque ipsi ecclesiae per caritatem affixi sumus.* Haec si ferenda esset propositio & defendenda, neruus ecclesiasticae disciplinae, gladiusque spiritualis parum roboris ponderisque haberet. Docendum ergo, iniustam etiam eiectionem ligare excommunicatum, omnesque effectus *spirituales & ciuiles* in eum producere. Hac de caussa etiam damnanda fuit *propositio XCII: Pati potius in pace excommunicationem & anathema iniustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum.* Ergo secundum CLEMENTEM XI, qui damnauit hanc thesin, *veritas* potius prodenda, quam vt *vigor excommunicationis*, in qua salus *hierarchiae* seu *imperii sacri* consistit, exarescat aut spernatur. Nec ferenda fuit ex ratione status ecclesiastici *propositio XCVII: Nimis saepe contingit, membra illa, quae magis sancte & magis stricte ecclesiae vnita sunt, respici atque tractari tanquam indigna, vt sint in ecclesia, vel tanquam ab ea separata. Sed iustus viuit ex fide & non ex opinione hominum.* Quid enim? si iudicium sacerdotum in dubium vocare; si statuere liceret, *iudicium papale* vel *episcopale* non semper esse *iudicium Dei*: ingentem iacturam caperet respublica ecclesiastica, ad cuius conseruationem omnes doctrinae accommodandae & componendae sunt, si credendum est Societatis Iesu Theologis, vtpote qui constitutionis praedictae promotores & autores fuere.

quod contra excommunicationem quaedam in thesibus damnatis continentur.

§. II.

Curia Romana admodum sollicita pro conseruanda excommunicationis autoritate.

§. II. Videlicet ſicuti *excommunicationis gladius neruus eccleſiaſticæ diſciplinæ & ad continendos in officio populos valde ſalutaris eſſe* dicitur in *concil. Trident. ſeſſ. XXV. de reform. c. 3.* ita poſtquam eccleſia Romana *ſtatum politicum* induit, nihil magis ipſi curæ cordique fuit, quam vt *excommunicationis terrorem* augeret, eique effectus tales, quos quilibet horret, atque quibus *terrore panico* omnes percelluntur, adſcriberet, edictisque ſuis confirmaret. Cum vero e re omnium ſit, inania ſpectra & terriculamenta, quibus tantum pueri terrentur, denudare, eorumque vanitatem oſtendere, primario vera ratio *excommunicationis*, quam iam titulo *de pœnis* ſuccincte expoſui, tradenda, & præterea docendum erit, eccleſiam corruptam ſeu in *rempublicam* ac *ſtatum politicum* transmutatam, eam grauiter deformaſſe, & finem eius verum, quem purior eccleſia ſub *ſtatu perſecutionis* habuit, prorſus dereliquiſſe, atque in *medium politicum*, laicos in paſſiua & cœca obedientia retinendi, ſeu *contumaces*, prout loquuntur, ad obedientiam reducendi, transmutatum fuiſſe, adeoque eidem plures & grauiſſimos *effectus ciuiles*, olim incognitos, addidiſſe.

Scriptores, qui curiæ Romanæ dogmata in hac doctrina defendunt.

§. III. Intelligo autem per *ſcita eccleſiæ Romanæ* doctrinam publicam, quæ tum *in iure canonico* potiſſimum per *decretales* pontificum determinata, tum per *curiæ Romanæ ſodales* explicata, ac ſecundum mentem eius expoſita eſt. Hanc præ ceteris par nobile fratrum, IOSEPHVS GIBALINVS *de ſacra iurisdictione in ferendis pœnis & cenſ. eccleſ.* & IOANNES DE DICASTILLO *de cenſuris & pœnis eccleſiaſticis*, ex familia ſocietatis Ieſu, tradiderunt, & ſcholaſticorum principia in hac doctrina ex aſſe ſecuti ſunt. Hiſce iungendus eſt IACOBVS EVEILLON in tract. quem inſcribit: *traité des excommunications & monitoires avec la maniere de publier, executer et fulminer toutes ſortes des monitoires et excommunications.* Auem ex cantu facile cognoſcere licet, ſi modo vel obiter libri *rubrum* inſpiciatur; omnia enim rurſus ad mentem *Romanæ curiæ* in eo ſunt adornata, atque compoſita. Idem quoque præſtitit MARIVS ALTERIVS *in diſput. de cenſuris eccleſ. nempe de excommunic. ſuſpenſ. & interdicto cum explicatione Bullæ cœnæ Domini.* Quia vero metu *excommunicationis* etiam arcanorum delictorum extorquere poſſunt reuelationem, & ita hoc *gladio ſpirituali* etiam intima cordis rimari: non defuerunt quoque, qui ſpeciatim hunc eius vſum ex principiis eccleſiæ Romanæ communibus docuerunt, vt ANTONIVS LAZARIVS *in quæſt. canon. de monitor. ſeu excommun. ad effectum reuelandi*, & THEOPHILVS RAYNAVDVS, ſocietatis Ieſu theologus, *de moni-*

monitoriis ecclesiasticis ad extorquendam restitutionem aut reuelationem, prout supra *tit. de furtis §. 12. sqq.* iam docui. Ab his principiis vulgaribus tamen magnopere recessit LVDOVICVS ELLIES DV PIN *de discipl. eccles. dissert. III.* quæ *de antiqua infligendæ excommunicationis ratione* agit, & in quem abusum crassissimum tractu temporis tracta fuerit, ostendit, indeque sinceriorem eius vsum deducit. Idem quoque præstitit inter Catholicos doctores PAVLVS SARPIVS in tractatu *italico idiomate* tempore PAVLI V., senatum Venetum excommunicantis & rempublicam ipsam *interdicto* percutientis, conscripto, sub titulo: *consolatione delle mente*, quem potissimum *pro immunitate regum principumque contra curiæ Romanæ fulmina* confecit, & ea occasione in multis propius ad veritatem accessit. Diu hactenus hic libellus in tenebris iacuit, in solatium reipublicæ prædictæ priuatim duntaxat compositus, lucemque demum ante paucos annos cum versione gallica aspexit. vid. *infra §. 66.* Acta & scripta, quæ controuersias inter PAVLVM V. & Venetos ac excommunicationis fata continent, coniunctim edita sunt sub titulo: *controuersiæ memorabiles inter Paulum V. pontificem max. & Venetos.*

Scriptores qui saniora principia habent.

§. IV. Inter *Protestantes*, quibus *Reformatos* quoque hic annumero, quidam plura adhuc retinuerunt ex communibus iuris canonici doctrinis, quidam rectiora secuti sunt. Illis annumero IO. FECHTIVM *de excommunicatione eccles.* ad solidiora rarius excurrentem. Plura atro carbone notata sunt in *bibliotheca noua* hoc loco edita *part. XXI.* quæ a prædicto autore nouum opusculum extorserunt germanice conscriptum: Kurtze Nachricht von dem Kirchenbann, dessen göttlicher Einsetzung und Christlichen Billigkeit, in quo principia sua colore nouo incrustare studuit, vti *part. XXIX. dictæ bibliothecæ* ostensum est. Solidiora tradidit SAMVEL BASNAGE duplici dissertatione, quarum prima de *excommunicatione Iudaica*; altera de *excommunicatione Christiana* agit. vid. *tom. II. annal. eccles. p. 478. seqq.* Quæ ad *antiquitates Iudaicas* pertinent, simulque praxin Christianorum primæuam illustrant, sedulo & cum insigni eruditione excussit IOANNES SELDENVS *de synedriis veter. Ebræor. lib. I. c. 7. sqq.* in quo admodum inclinat in eorum sententiam, qui non tam ex *iure clauium*, quam ex *confœderata Christianorum disciplina* natales eius deduxerunt. Antiquitates Iudaicas præterea singulari cura & industria illustrauit IO. MORINVS *de administr. sacram. pœnit. lib. IV. c. 23. sqq.* & passim quoque hanc doctrinam, quatenus inter Christianos vsum habet, a fecibus scholasti-

Scriptores Protestantes.

corum purgauit. Præ cæteris vero hoc argumentum prolixiori opera excutere atque euoluere ſtuduit Dn. IO. GEORGIVS PERTSCHIVS in tract. vom Recht des Kirchen-Banns, in quo originem, progreſſum vſum, & abuſum *excommunicationis* tradidit, & inprimis *ſtatum excommunicationis ciuilem* paulo accuratius conſtituit, aliaque tradidit, quæ hanc doctrinam ab erroribus vulgaribus vindicant. Denique vſum eius omnem prorſus damnauit inter Chriſtianos THOMAS ERASTVS medicus *in explicatione grauiſſimæ quæſtionis: vtrum excommunicatio, quatenus religionem intelligentes & amplexantes a ſacramentorum vſu propter admiſſum facinus arcet, mandato diuino nitatur, an excogitata ſit ab hominibus?* Dum abuſus huius remedii notare voluit, in alterum extremum incidit, ceu vtplurimum fieri ſolet.

Status ciuilis excommunicatorum ex natura eiectionis æſtimanda.

§. V. Quemadmodum vero prælaudati autores hanc doctrinam in vniuerſum tradiderunt & explicuerunt; ita facile ab eius pleniori excuſſione abſtineo, & duntaxat ſuppono, dari in eccleſiis Proteſtantium *excommunicationem*, legibus ac ſtatutis eccleſiaſticis determinatam & ſtabilitam. Interim tamen de *ſtatu excommunicatorum ciuili* nihil certi conſtituere licet, niſi ſimul ratio eius paucis explicetur, & communis iuris canonici doctrina tradatur, vt intelligatur, qua occaſione factum ſit, vt etiam *ciuiles effectus* pedetentim induerit. Intelligo autem per *ſtatum ciuilem* non primario tres illos decantatos ſtatus *libertatis*, *ciuitatis*, *familiæque*, qui per excellentiam hac appellatione gaudent; ſed potius omnem conditionem & qualitatem, quam quilibet ſubditus ex iure publico & ciuili priuato habet, vnde peculiaria iura ciuilia ſibi aſſerere poteſt. Huc ergo referri debet conditio, quam quis obtinet ratione *exiſtimationis*, *ciuilis commercii*, *officiorum publicorum*, *fori*, ceterorum, ita, vt ſtatus controuerſiæ primario huc collineet: *vtrum excommunicatione maiori ligatus priuandus ſit vſu iurium publicorum & priuatorum, ita vt tanquam putridum membrum reipublicæ conſiderari, eique in negotiis quibuscunque ciuilibus hæc nota obiici poſſit?* De *maiori* hic vnice loquor; minori enim *ciuiles* non tribuunt effectus, niſi quod *canonica infamia* laborare dicatur excommunicatus, ſeu a *ſacramentorum vſu* excluſus, quæ in hoc conſiſtit, quod male audiat apud clericos, quorum iudicia facile ſequuntur plerique laicorum.

Quid per ſtatum ciuilem intelligi debeat?

Status controuerſiæ.

Neceſſitas diſciplinæ in primitiua eccleſia.

§. VI. Sed ad ipſam rem. Obſeruatum iam eſt *tit. de pœnis §. 28. ſeqq.* in primitiua eccleſia *diſciplinam* quandam fuiſſe neceſſariam, eamque, ſine alio quodam fundamento, tum ex *ſtatu ſingulari*, in quem

quem ob persecutiones gentilium Christiani coniecti erant, tum ex natura *collegiorum* deduci potuisse & deductam fuisse. Necessitatem *disciplinæ* alicuius agnouit CLERICVS *in histor. eccles. duorum primorum secul. p. 804. §.* aiens: *Necessaria erat ecclesiis Christianis ea disciplina, qua iis grauiorum delictorum vel errorum rei eiiciebantur, duplici de ratione. Prior fuit, vt homines emendati, eo ecclesiarum iudicio, ad castigatiores mores, aut saniorem doctrinam redirent, si qua iis superesset amoris, probitatis, aut veritatis scintilla, neue alii eorum exemplo delinquerent aut errarent, vnde sequeretur æternæ salutis iactura. Altera ratio erat, ne ob prauitatem morum aut opinionum infamaretur apud ethnicos ecclesia Christiana; facile enim fieri potuisset, vt propter propudiosos quorundam errores aut flagitiosam vitam male audiret tota ecclesia Christiana.* Quæ in compendio Dn. CLERICVS retulit, fusius a me explicata sunt *diss. III. ad Plin. II. & Tertull. §. 2.* ex ipsis antiquitatibus, quæ ostendunt, hac *disciplina* obturandum fuisse os obtrectatoribus gentilibus, & ecclesiam a malis hominibus purgandam, quod ea tunc esset ratio ecclesiarum, præsidio reipublicæ omni destitutarum, vt salvæ & incolumes esse non possent, facinorosis quibuslibet toleratis. Accedebat zelus singularis pro cultura pietatis, qui commercium cum facinorosis non admittebat, vt eos a se dimouerent, & *iure suo* ab omni commercio sacro excluderent. Hunc vt obtinerent finem, *mutua confœderatione & vnione* duo inter se constituerunt: primum erat, *ne quis reciperetur in ecclesiam per baptismum, nisi eiuratis facinoribus*, qua formula adhuc hodie vtimur in baptismo infantum. Solenniter ergo in conspectu ecclesiæ fidem dabant catechumeni de fugiendis criminibus, vnde sua sponte sequebatur, vt, quis his postea sese maculabat, iure accepto priuari & a *fraternitatis iure* excludi posset & deberet. Alterum erat, *ne ab vna ecclesia eiectus ab alia reciperetur*, quo vnio inter omnes particulares cœtus conseruaretur, nec integrum esset ecclesiæ maioris in communione autoritatis, minorum ecclesiarum acta rescindere, aut facta sub suum reuocare examen.

Inde nemo nisi eiuratis facinoribus receptus.

Vnde secuta est eiectio sua sponte.

Ab vna ecclesia eiectus ab altera non recipiendus.

§. VII. Ita vero magnopere differebat a *iudaica excommunicatione*, vt vix probabile sit, Christianorum eiectionem inde traxisse originem, quod tamen cum pluribus aliis asserere atque adstruere videtur SELDENVS *de synedr. lib. 1. c. 9.* Negari nequit, *Christianos a Iudæis* legitimam propaginem habere, vt passim patres loquuntur, indeque non mirandum, si *instituta Iudaica* in synagogis inter Christianos quoque retenta fuerunt. Neque illud negari potest, aliquam

Hæc eiectio differebat ab excommunicatione Iudaica.

 fuisse

fuiſſe conuenientiam inter excommunicationem *Iudaicam* & *Chriſtianam*, quam ſummatim ſiſtit exhibetque CAMPEGIVS VITRINGA *de ſynag. veter. lib. III. P. I. c. 9. p. 739.* Denique nec illud nego, poſtquam excommunicatio ſemel inter Chriſtianos eſt recepta, eam paulatim ad mores & inſtituta Iudaica fuiſſe efformatam, & ad eius rationes compoſitam, quod potiſſimum oſtendunt argumenta a VITRINGA *cit. l.* SELDENO & MORINO *lib. IV. de pœnit. adminiſtr. c. 23.* allata, indigitantque, *ſeculis III. & IV.* vſum *excommunicationis Chriſtianorum* a priſca ſimplicitate iam deſciuiſſe, & *pœnarum ciuilium* naturam accepiſſe, more *Iudaicæ excommunicationis*, vt infra dicam. Inde tamen non ſequitur, Chriſtianos primitiuos natales ſuæ *eiectionis* inde deriuaſſe. Videlicet apud Iudæos erat *pœna mere ciuilis*, *capitis diminutionis ſpecies*, & nota grauioris cuiusdam *infamiæ*, non vero ſacrorum *commercium* tollebat, vt vel ipſius Saluatoris, diſcipulorumque eius exemplo conſtat, qui ex ſynagogis non eiecti, aut a ſacris, quæ *publici iuris* erant, remoti fuerunt, licet dubium nemini eſſe poſſit, eos inter excommunicatos Iudaico more relatos fuiſſe. *Ioh. XII, 42.* Præterea apud Iudæos quilibet etiam e vulgo rite excommunicabat, quod tamen ad *Chriſtianorum diſciplinam* applicari non poterat, vt ipſe SELDENVS *cit. c. 9.* teſtatur.

quod ſpeciatim oſtenditur.

§. VIII. Denique etiamſi conceſſerim, excommunicationem a Chriſtianis ex *moribus Iudaicis* tractam fuiſſe; adhuc tamen in confeſſo eſt, illam a Chriſti præcepto, inſtituto, & doctrina deriuari non poſſe, quod tamen VITRINGA *cit. l. p. 737.* adſtruere videtur. Neque enim probabile eſt, nec CHRISTI officio conſorme erat, vt *pœnas ciuiles* & *infamiæ notas* aut *capitis diminutionem* inducentes inter ſuos introduceret, de eorum vſu leges ferret, & ita, quod volunt Romanæ eccleſiæ doctores, *iudicia* quædam *eccleſiaſtica* erigeret. Neque hunc in finem in mundum venerat, vt iudicaret *more forenſi* improbos, ſed vt eos in viam ſalutis deduceret. Longe diuerſum ſcopum habuerunt eius præcepta, non *pœnis forenſibus* aut *ciuilibus*, ſed vnice per *doctrinam* ab apoſtolis inculcanda ſecundum commiſſionem illis datam: *Ite & DOCETE omnes gentes.* Non addidit vero Saluator, *ſi vos audire nolunt*, *excommunicate eos more forenſi infamiaque eos notate*, qua poteſtate nunquam inter ſuos vti voluit. Nouerat, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ideoque ſollicite præcauebat, ne *imperii* alicuius *ciuilis* vmbram aut ſpeciem ſibi arrogarent apoſtoli. Id tamen

Si ex moribus iudaicis deriuanda, non poteſt ex Chriſti doctrina deſcendere,

quod Chriſtus ciuiles pœnas non introduxerit.

reuera

reuera intendere hi videntur, qui excommunicationis fulcra tum in *doctrina Christi*, tum in *institutis iudaicis* simul quaerunt.

§. IX. Videlicet primis ecclesiae temporibus *excommunicationis* vsus *simplicissimus* erat, in vna tantum specie subsistens. Excludebatur excommunicatus ab omni sacrorum commercio, & inprimis ab agapis & eucharistia, communiumque precum commercio, vt TERTVLLIANVS *in apol. c. 39.* ait. Vnde his appellationibus denotata fuit: *arceri & eiici ab ecclesia*, aut *a fraternitatis communione & iure relegari*, *submoueri a limine & tecto omni ecclesiae*, *sacramento benedictionis exauctorari*, *communione interdici*, *abscindi*, *depelli*. His loquendi formulis, a SELDENO *cit. l. c. 9.* collectis, indigitatum fuit, eiectos ab ecclesia, *communione externa ecclesiae*, & inde dependentium iurium priuatos fuisse; alios vero effectus *ciuiles* nec habuisse, nec ex intentione Christianorum habere debuisse, qui vnice purgare ecclesias a facinorosis hominibus intendebant, *poenas* autem *ciuiles* introducere aut exercere, multominus vero contumaces ad obsequium reducere, haud cogitabant. Id certum est, inculcatum fuisse ab Apostolis sedulo, vt fideles deuitarent improbos, nec familiarius cum iis viuerent. *Rom. XVI, 17. 2 Thess. III, 6. 14. 15. Eph. V, 11. ad Tit. III, 10.* Hoc etiam recta ratio indicat, iubetque, ne quis societatem cum pessimis ineat, secundum vulgatum illud: *noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.* Inde vero nec *excommunicatio Iudaica forensis* colligi, nec tuto inferri potest, eiectionem a coetu fidelium a PAVLO Christianis mandatam praeceptamque fuisse, quamuis his monitis excitati ex *necessitate status ecclesiarum* tandem disciplinam quandam inter se introduxerint Christiani, *confoederatione mutua*, vti supra dictum. Haec tamen *eiectio* commercium ciuile cum eiectis non tollebat, quod *Iudaicae excommunicationi* proprium erat, sed id tantum operabatur, ne extra ecclesiam familiarius cum eiectis agerent, & inprimis *haereticorum* societatem euitarent, ne eorum doctrina inficerentur, quod aequum & rationi conforme erat.

Simplicior excommunicationis vsus in primitiua ecclesia.

quae eiectum ab externa communione separabat,

non commercium ciuile tollebat.

§. X. Atque hoc ipsum testimoniis Doctorum Romanae ecclesiae saniorum illustrare atque confirmare iuuabit. Primum peto ex doctrina IOANNIS MORINI *de administrat. sacram. poenit. lib. IV. c. 2. §. 7.* aientis: *Notandum obiter, tum temporis* COMMERCIVM CIVILE *cum eiectis ab ecclesia non fuisse fidelibus interdictum. Hoc enim diserte sancitur c. 40.* (intelligit *constit. apost. Clement. lib. 2. c. 40.*) *cum iis igitur, quos propter peccata excommunicastis, habete res, congressus, &* *con-*

Posterius illustratur testimonio Io. Morini.

conuictum, curantes, consolantes, fulcientes, illudque dicentes: Inualescite remissæ manus &c. *Id est apud antiquos illos vulgatissimum, vt docet lapsorum historia apud S. Cyprianum, qui licet ad ecclesiam non admitterentur, martyres tamen ambibant, literas communicationis ab iis impetrabant, quosuis fideles, vt pro ipsis intercederent, exorabant, adusque ecclesiæ limina cum iis miscebantur. Imo tum temporis ni hoc fecissent, sese ad ecclesiæ limina, cum sani erant, repræsentarent, illis ægrotis tumque pœnitentiam petentibus reconciliatio denegabatur. Illa omnis commercii ciuilis & ecclesiastici prohibitio spectabat saltem haresiarchas, & quosdam hareticos, quibus præcipua cura erat fidelium subuersio. Id paucis verbis* TERTVLLIANVS *more solito considerate loquens nos docet apolog. c. 39. Explicat, quæ in christianorum synaxi fieri solent: ibidem* (sequuntur verba Tertulliani) *etiam exhortationes & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de* DEI *conspectu, summumque futuri iudicii praiudicium est, si quis ita deliquerit, vt a communicatione orationis & conuentus, & omnis sancti commercii relegetur.* Post hæc SEPTIMII verba sequentia adiungit MORINVS: *Maxima igitur ecclesiæ censura, quæ peccatis magis* (magnis forsan) *infligebatur, erat ab omni sancto commercio non ciuili relegatio. At inter ciuilia commercia scripturarum & sermonum auditio censebatur, tantum abest, vt pœnitentiæ loco imponeretur.*

Dupinii testimonium.

§. XI. Alterum testimonium veritatis occurrit apud DVPINIVM *in tract. de discipl. eccles. diss. III. c. 3.* mox in principio, vbi ita edisserit: *Ex dictis, ni fallor, iam intelligitur, excommunicationis mortalis hunc esse effectum primarium ac præcipuum, vt aliquis ex albo Christianorum expungatur, & synaxi, eucharistia, precibus communibus, ac ceteris officiis, quibus societas & communio Christianorum cohæret, indignus esse pronuncietur: id enim significant verba Christi: sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Hoc est, iam non habeatur, vt frater & Christianus, sed quemadmodum ethnicus & publicanus. Sicut ergo* SOCIETAS CIVILIS *seruatur cum ethnicis & publicanis, ita per excommunicationem non excluduntur homines* A SOCIETATE CIVILI, *nec iis priuantur officiis, adiumentis, & bonis, quæ ipsis tanquam hominibus & ciuibus iure naturali, gentium & ciuili debentur. Itaque primus ac præcipuus effectus, imo, si stricte ac proprie loqui velimus, unicus excommunicationis effectus est priuatio officiorum spiritualium, non eorum, quæ iure naturali, gentium aut ciuili debentur, cuiusmodi est coniugum habitatio,*

tatio, parentum in liberos, liberorum in parentes, consanguineorum inter se, ac Regum in subditos, & subditorum in Reges officia necessaria.

An libera officia ciuilia eiectis denegata?

§. XII. Vlterius quidem progreditur DVPINIVS, putatque, *libera commercia* & *officia ciuilia* fuisse excommunicatis denegata a temporibus Apostolorum, idque hoc modo probare intendit: *Quod vero spectat ad libera, vt amicitiæ, mutui conuictus, & alia eiusmodi, hæc, licet non videantur iure diuino probibita esse, ab ipsis tamen Apostolorum temporibus in vsu fuit, hæc excommunicatis denegare, constat ex beato Paulo multis in locis, 1 Cor. 5. Scripsi vobis in epistola, vt non commisceamini fornicariis, non vtique fornicariis, huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, &c. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri, si is, qui frater nuncupatur, est fornicator, aut immundus, &c. cum eiusmodi ne cibum sumere. Quibus verbis Paulus probibet, ne libera officia mutui conuictus, quæ ipsis ethnicis impendi poterant, fratribus excommunicatis impendantur. Idem probatur ex 2 Thessal. 3. Denunciamus vobis, vt subtrahatis vos ab omni fratre inambulante inordinate. In epist. ad* Titum. *Hæreticum hominem post vnam aut alteram correptionem deuita. Quod clarius habet Ioannes: Nolite recipere eum in domum, ne aue ei dixeritis; qui enim dicit illi aue, communicat eius operibus malignis. Certe hæc, non consuescere cum aliquo, in domum suam eum minime recipere, ne quidem aue dicere, sunt officia ciuilia, quæ denegantur excommunicatis, sed vt iam dixi libera, quæ nec iure naturali, nec iure ciuili, nec iure gentium necessario debentur. Nam quæ necessaria sunt, non ita possunt excommunicatis denegari, imo debent impendi. Sic enim Paulus iubet principibus licet infidelibus obediri, itemque vetat, ne mulier fidelis virum infidelem relinquat; iubet seruis fidelibus, vt obediant dominis suis, quia hæc officia sunt necessaria.* Enimuero 1) nondum adhuc probatum est, in his locis occurrere, aut ab apostolo mandatam esse eam *excommunicationem*, quæ paullo post a Christianis recepta, & in vsum deducta est, cum loca adducta ostendant, *commercium familiare*, quod potissimum ex conuictu cognoscitur, facinorosorum euitandum esse, quod euitandum erat etiam extra *excommunicationem*. 2) PAVLVS ipsemet *2 Thessal. III, 14. & 15.* hæc notatu digna dicit: *nolite quasi inimicum existimare, sed corripite eum vt fratrem*, quod absque *commercio libero ciuili* fieri non poterat. 3) Ipse MORINVS iam ostendit contrarium, docuitque, eiectos a commercio *libero ciuili* minime exclusos, sed id tantum fidelibus iniunctum fuisse, vt a societate omni hære-

Quod contra Dupinium negatur.

hæreticorum sese temperarent. 4) Pro salute eiectorum maxime sollicitierant episcopi, martyres, imo quilibet fidelium, & pro eo reducendo laborabant. Quis vero fine *officio libero ciuili* hanc curam & sollicitudinem sibi concipere potest? 5) Qui reuerti nolebat ad ecclesiam, hunc merito vt *hostem ecclesiæ* vitabant quouis modo, quatenus fieri poterat, non item eum, cuius reditum ad ecclesiam sperabant, vtut adhuc exclusus esset. Denique 6) si in locis adductis excommunicationis sedes adest, singulis quoque, more Iudaico, illa permissa erit, nec ex *iure clauium*, quod tamen inculcant, petenda. Enimvero in primitiua ecclesia non *singulorum* erat, eiicere aliquem & excludere a cœtu fidelium: quin potius hoc negotium, *ecclesiæ qua tali*, relictum erat, episcopo in cognitione super exclusione eiiciendorum tantum præsidatum gerente. *Abstentio* quidem singulis permissa est, quæ tamen *excommunicationis* effectus non habebat, atque hæc tantum in locis adductis continetur.

Fleurii testimonium veritatis.

§. XIII. Tertium veritatis testimonium perhibet CLAVDIVS FLEVRIVS *P. III. instit. iur. eccles. c. 20. §. 2.* vbi præmittit, per gradus cum facinoroso actum, eumque tandem vt putridum membrum a corpore ecclesiæ abscissum fuisse. *Sin malum*, ait, *omnia membra corripuisse, nec medendi spem superesse videbant, adbibito episcoporum & longo vsu subactorum presbyterorum consilio, re exquisite pensitata, immedicabile membrum, ne partes sinceræ inficerentur, resecarunt, dolentes tamen & lacbrymantes, vniceque dicto Pauli: auferte malum e vobismet ipsis, 1 Cor. V, 13. obtemperantes. Excommunicatus habebatur vt infidelis, & Christiani nullum cum eo commercium, præsertim in precibus habuere. Poterat quidem venire in ecclesiam, & scripturam prælectam concionesque audire, quod ipsis infidelibus non negabatur; sed idem cum infidelibus a mysteriis diuinis remouebatur, vt desiderium orandi cum fidelibus in eo excitaretur, & ceteri eius exemplo terrerentur. Interim episcopus eum non neglexit, si vel maxime altera vice lapsus esset. Non abhorruit ab eius consortio, non a conuictu: memor, Christum manducasse cum Pharisæis & peccatoribus. Consolabatur, exhortabatur, ne animum desponderet. Resipiscentem & pœnitentia dignos fructus ostendentem gaudio perfusus recepit, tanquam filium perditum, ac manuum impositione cum ecclesia reconciliauit, precumque & sacramentorum fecit participem.* Hoc modo vestigia premebant IOANNIS apostoli, qui, teste EVSEBIO *lib. III. hist. eccles. c. 23.* iuuenem, institutis suis educatum, sed paulo post in societatem latronum prolapsum, adeo-

adeoque ecclesiæ desertorem hostemque, omni cura & sollicitudine ab erroris tramite reducere studuit, anxie eundem quæsiuit, nec destitit, donec tandem quoque ipsum in ecclesiam reduxerit, vt plenius EVSEBIVS refert enarratque. Saluator ipsemet cum peccatoribus *conuictu commercioque ciuili* vsus est, liberaque officia, vt ea vocat DVPINIVS, illis exhibuit, vt eos in rectam reduceret viam. Vnde imputatio decantata, *Luc. XV, 2.: hic peccatores recipit & manducat cum illis;* cum *causa finalis* tale commercium cum improbis iustificet & improbet, ad quam vnice respiciendum est.

§. XIV. Veritatem huius rei etiam agnouisse, sed simul dissimulasse videtur ESPENIVS, ne crabrones irritaret. Obseruauit, communi sententia trahi excommunicationem ex *Matth. XVIII, 15. 16. 17.* ibique *processum eius* determinari, quo posito illa hunc effectum habere nequit, vt ex Christi doctrina excommunicatus ab omnibus quoad *ciuile commercium* euitetur. *Dicet quis*, ait *P. II. iur. eccles. tit. 11. c. 4. §. 10. si excommunicatus non sit vitandus, nisi vt ethnicus & publicanus, non videtur excommunicatus excludendus a communi fidelium conuersatione, aut ciuili commercio: nam nec ethnicus, nec publicanus ab his excludendi sunt, nec vetuit Christi fidelibus communicare in his cum ethnicis & publicanis.* Admittit hoc dubium, aitque: *Verum est, attendenda sola Christi verba, quibus autoritatem excommunicandi expressit, non videntur excommunicato ea neganda, quæ ethnicis & publicanis permittuntur: cum Christus solum dicat, ecclesiam non audientem habendum esse vt ethnicum & publicanum;* quibus verbis indigitat, hunc effectum excommunicationi non ex *iure diuino*, sed *humano* duntaxat attributum fuisse, quod etiam confirmat GERSON *tom. I. p. 791.* Putat tamen ESPENIVS, Apostolos eorumque successores, *vt fideles a contagio vitiorum & errorum cautius præseruarentur*, hoc instituisse atque voluisse, vt a *familiari* & *ciuili communione* excommunicatorum abstineretur, secundum illud *Ioh. epist. II: Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeris: qui enim dicit ei aue, communicat operibus eius malignis.* De priuata *abstinentia*, singulis commendata, loqui Apostolum, nec eum legem scripsisse, aut *iura excommunicationis* determinasse, adeo euidens est, vt mirandum sit, acutissimum ESPENIVM ius quoddam *nouum* & *humanum* inde exsculpere voluisse, quod alioquin singulis permissum esse debuerit, excommunicare errantem & paradoxa dogmata proferentem. Sicuti Saluator fugam falsorum prophetarum commendat

Espenii sententia titubans.

atque inculcat, suosque dehortatur, ne Pharisæorum hypocrisi inficerentur; ita IOANNES idem præstat officium, & *fugam malorum Doctorum* commendat, quæ etiam singulis commendata esse debet ante omnem *excommunicationem*. Absolute tamen *commercium ciuile* non prohibet, sed a *salutatione amica* & *intimiori* tantum dehortatur fideles. Optime interpretes Galli L'ENFANT & BEAVSOBRE ad hunc locum: *Les salutations des premiers Chretiens n'étoient pas, comme celles d'aujourdhui, qui ne sont que de vains complimens. C'étoient des marques reelles d'amitié et de communion, qui l'on ne doit pas avoir avec un ennemi declaré de Iesu Christ et un faux frere connû pour tel; quoique d'ailleurs il faille s'aquiter envers lui de devoirs de la charité Chretienne & de l'honneteté civile.* Vnde liquet, nec iure *diuino*, nec *humano* hunc effectum excommunicationi datum esse; non illo, quod agnoscit ESPENIVS: non etiam hoc, quia Apostolorum munus non fuit, *leges* & *iura ecclesiastica* præscribere, aut singulis potestatem dare excommunicandi hæreticos, sicuti verba adducta id non euincunt, quod ex illis exsculpere intendit ESPENIVS. Denique idem etiam agnoscit IACOBVS BENIGNVS BOSSVET in *defens. declarat. Gallic. eccles. tom. 1. p. 153.* (de qua infra agendi locus erit,) aitque: *quod autem* POSTEA *inter Christianos excommunicati, nisi resipiscant, sint infames, intestabiles, ad quædam vitæ ciuilis officia inhabiles, id ex eo ortum est, quod Christiani principes, quoad fieri potest, leges suas ad bonos mores atque euangelicam disciplinam aptent, non quod excommunicatio* PER SE *vllo temporali iure bonoque priuet.* Effectus ergo ciuiles accepit *postea* ex principum Christianorum legibus ad suggestionem episcoporum, quamuis hoc ipso detrimentum insigne reipublicæ & supremæ potestati attulerint, atque pontificibus occasionem dederint, sub prætextu, quod hi effectus ciuiles per se excommunicationi inessent, sæuiendi in ipsa imperiorum & regnorum viscera, vt infra dicendum erit.

Albaspinæi doctrina longius a veritate recedens.

§. XV. GABRIEL ALBASPINAEVS *de veter. eccles. ritibus lib. I. obs. 1.* longius a veritate recedit, & quæ seculo IV. & V. obtinuerunt, ad primitiuæ ecclesiæ tempora transfert, in quo sæpius peccari solet. Ait: *Vt ius illud situm erat, in rerum omnium humanarum & diuinarum participatu & societate, ita excommunicatorum (ex quorum cognitione, quid sit communicare, & communio, constabit liquidius) diuersa omnino erat conditio. Non solum a sacris arcebantur, sed etiam omnes eos aspernabantur, omnes abhorrebant, omnes eos, vt putre mem-* brum

brum & resecandum fugiebant, cum iis rationem inire, aut rem vllam contrahere, nefas erat, nemo eos salutatione, nemo fratris appellatione nemo aspectu, nemo alloquio, nemo conuiuio eos dignos iudicabat, tanta seueritate, vt ne Deo quidem preces cum eis adhibere liceret. Canones conciliorum, quos hunc in finem allegat, sunt *IV. & V. seculi* documenta, ad quæ etiam referri debent *canones Apostolici*, vt eruditi non diffitentur. Enimuero non quærimus, quid hoc tempore iam per concilia nouiter constitutum, sed quæ *purioris ecclesiæ disciplina* fuerit, quam ALBASPINAEVS non explicat.

Status ciuilis excommunicatorum per tria priora secula mutari non potuit.

§. XVI. Id vero interim manifestum est, *statum ciuilem* eiectorum in *tribus prioribus seculis* nec deliquium passum fuisse, nec vllo modo mutari potuisse. Si enim vel maxime Christiani excommunicatum euitassent, & cum eo *libera officia* miscere recusassent, (quippe quæ singulorum arbitrio subiecta sunt) *status ciuilis* eiectorum tamen in Republica manere debuit saluus atque incolumis. Imperium summum eo tempore adhuc in manibus gentilium erat: ab huius determinatione vnice dependebat, quis integrum statum ciuilem retinere, quis vero ob delictum eo priuari debuerit. Christianis eo tempore fas non fuit de *iure publico* leges ferre, aut *iura publica* immutare, & ad suam disciplinam trahere; a quo dominatu etiam abhorruerunt, qui sane inanis fuisset, si papale ingenium episcopi affectassent. Qui asserunt, iis non *voluntatem*, sed *occasionem* tantum defuisse, statum ciuilem excommunicatorum immutandi; episcoporum mores ex præsenti genio æstimant, eosque nobis repræsentant, non quales reuera fuerint, sed quomodo ex principiis curiæ Romanæ esse debuerint.

Nec excommunicatio tollebat præcise vnionem cum Deo.

§. XVII. Quemadmodum ergo excommunicatio eiectum vnice *vsu commercii sacrorum* priuabat, vt optime MORINVS supra laudatus obseruauit, & ex TERTVLLIANO illustrauit, adeoque duntaxat *communionem externam* cum ecclesia soluebat, saluo vinculo ciuili; ita haud creditum fuit, exclusum a cœtu fidelium semper quoque exclusum esse ab vnione cum Deo, vt optime obseruat BASNAGE *cit. diss. de excommun. Christian. §. 13.* Quandoque enim mœchis, homicidis & idololatris *in perpetuum* pax denegata, eisque omnis spes adempta fuit, priorem locum in ecclesia recuperandi, quibus tamen spes salutis in dubium vocata non est, quod illustrat ALBASPINAEVS *cit. tr. lib. 2. obs. 17.* & ex *concil. Eliberino* infra illustrabitur. Neque enim eo tempore, quo hæc disciplina in quibusdam ecclesiis recepta erat,

ex iure *ligandi* & *soluendi* excommunicatio petebatur, id quod si factum fuisset, ecclesiæ seueriores *tyrannidem* magis, quam *disciplinam* exercuissent, in perpetuum ligando eos, quos eiecerant ob crimina grauiora, & quos in perpetuum ligari apud Deum, iuste existimare debuerunt ex doctrina Christi. Deinde quoque illud inde manifestum est, etiam in hoc eiectionem hanc a *Iudaeorum moribus* admodum declinasse, qui excommunicatos plerumque absoluebant, si ad saniorem mentem redierant, eosque restituebant in integrum. Fuit ergo *arbitraria* hæc disciplina legibus vniuersalibus non adstricta, vti CYPRIANVS passim fatetur.

Pedetentim noua assumsit iura

§. XVIII. Sed non diu stetit excommunicatio in *simplici exclusione externa a cœtu ecclesiastico & commercio sacrorum*, a toto cœtu peragenda: pedetentim noua assumsit principia, ex quibus insignia augmenta cepit, & paulatim admodum transformata est. Hæc *noua*

& principia.

principia ad duo reuoco, quorum *primum* est, quod excommunicatio ex quodam *imperio sacro*, in potestate *soluendi* & *ligandi*, vel *iure clauium* fundato, tracta, & hoc modo iure *magistratus ecclesiastici* exerceri cœperit. *Alterum* vero, quod mox ad *disciplinam Iudaicam* accommodata, & conciliorum decretis penitus cum ea exæquata fuerit, quo ipso *ciuiles* accepit *effectus*, & in *pœnam ciuilem*, qualis erat *excommunicatio Iudaica*, degenerauit.

Primum est, quod iure magistratus ea exerceri cœperit,

§. XIX. Primum principium seculo III. inualuisse, & sub CYPRIANI episcopatu iam altas radices egisse videtur, quod ante eum occulte tantum serpebat. Seditiones intestinæ, & interni motus contra eum excitati ansam CYPRIANO dederunt, vt vigorem *episcopalis potestatis* plus iusto eueheret, & CORNELIO quoque, in similes turbas deiecto, autor esset, vt *maiestatem imperii sacri* contra seditiosos & repugnantes tueretur. *In epist. IV. edit. Brem. p. 9.* episcopalem potestatem ex *iure sacerdotali Mosaico* repetit, & argumentum a pari ita

ex iure gladii spiritualis,

format: *Interfici Deus iussit, sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus a se ad tempus constitutis non obtemperantes; sed tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat; nunc autem, quia circumcisio spiritualis esse apud fideles seruos Dei cœpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de ecclesia eiiciuntur. Neque enim viuere foris possunt, cum domus Dei vna sit, & nemo saluus esse, nisi in ecclesia possit.* Attribuit his verbis episcopis 1) *magistratum quendam*, qualem *summi sacerdotes* cum imperio apud Iudaeos gesserunt: 2) *ius gladii spiritualis*, quem in excommunicatione ponit, & in

in ea primarias partes episcopis assignat; 3) *ius interficiendi immorigeros spiritualiter*, dum excommunicationi iacturam salutis æternæ adscribit, & salutem ad *vnionem* cum *externa ecclesia* adstringit. Præterea vero *epist. 3. & 59.* alibique passim *ius summi sacerdotii*, episcopatui cohærens, inculcat, eique adhuc *ius clauium* adiungit *in epist. 33. p. 66. Dominus noster, cuius praecepta metuere & obseruare debemus, episcopi honorem & ecclesiæ suæ rationem disponens in euangelio loquitur, & dicit Petro: ego tibi dico, quia tu es Petrus, & supra istam petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Vnde liquet, CYPRIANVM episcopale imperium in *ligandi & soluendi potestate* iam collocasse, nouisque his fulcris excommunicationem muniuisse, quod ipse agnoscit SELDENVS *de synedr. lib. I. c. 9.* aiens: *ius autem eiusmodi potestatis singularis ab illis*, (episcopis presbyterisque) *ita nec aliis exercendæ ex vtroque fœdere a scriptoribus coæuis eisque percelebribus iam peti cœpit. E fœdere veteri huc adductum est, quod e Deuteronomii verbis, de iudiciis capitalibus, in gladium spiritualem iam conuersum in Cypriano paulo ante memoratur. Gladium sic iam dictum spiritualem in corporalis, seu, vt postea vocatus est, temporalis locum iure successisse, iam voluere in Christianis aliqui - - - - E nouo autem fœdere præter obuia ex epistolis canonicis testimonia huc trahi solita illud ex euangelio de clauibus regni cælorum Petro datis, vt &, tanquam ethnicum & publicanum habendum fratrem, qui peccasset, nec rite commonitus ecclesiam audisset, potestas item ligandi & soluendi Petro Apostolisque reliquis concessa, velut iuris huius fundamenta iam offerebantur.* Fundamenta paulo post vocat NOVA PRINCIPIA, *quæ ad excommunicationis Christianæ ius firmandum a viris tunc aliquot magnis adsumi cœperunt*, ostenditque, nec in *clauibus*, nec in *potestate ligandi soluendique* ius excommunicationis quæri debuisse, de quo magna etiam cum eruditione disquirit Cancellarius Academiæ Tubingensis meritissimus Dn. PFAFFIVS *in orig. iur. eccles. p. 13. sqq.*

item ex iure ligandi & soluendi,

obseruante etiam Seldeno.

§. XX. Interim iam TERTVLLIANI æuo nouum hoc dogma auditum fuisse, ipsemet docet de *pudicit. c. 21.* insimulque hoc reprobat in ZEPHYRINO, episcopo Romano, qui publice declarauerat, se adulteris quoque post pœnitentiam veniam daturum esse. Persuasum habeo, hoc fundamento vsam esse Romanam ecclesiam, veniam

Tertulliani tempore iam quodammodo ad ius ligandi prouocatum.

mœchis reuersis dandam esse, existimantem, quod ius *absoluendi* in iure clauium datum sit in genere episcopis & ecclesiæ. Ait enim SEPTIMIVS: *de tua nunc sententia quæro, vnde hoc ius ecclesiæ vsurpes? Si, quia dixerat Petro Dominus: super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, tibi dedi claues regni cœlestis: vel quæcunque alligaueris, vel solueris in terra, erunt alligata, vel soluta in cœlis, idcirco præsumis, & ad te deriuasse soluendi & alligandi potestatem, i. e. ad omnem ecclesiam Petri propinquam. Qualis es euertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem* &c. Videlicet varia tunt erat ecclesiarum disciplina: quædam adulteris veniam dabant, vt Romana: quædam in perpetuum denegabant, vt ecclesiæ Africanæ & Montanistæ. Romana ecclesia vsum suum sine dubio legitimabat ex adductis locis, & argumentis a TERTVLLIANO reprobatis. Sed, quod incidenter obseruo, non videntur eo tempore ius *excommunicandi* in locis adductis quæsiuisse, qui eis vtebantur. Illud aliunde illis competebat, nec a TERTVLLIANO impugnabatur, quin potius quæcunque eius scripta testatum faciunt, illum hoc ius *ecclesiæ* strenue vindicasse. Ergo de hoc iure non erat quæstio, nec pro eo legitimando necesse erat, recurrere ad ius *clauium*, aut ad potestatem *soluendi* & *ligandi*. Hoc argumento duntaxat vtebantur illæ ecclesiæ, quæ paulo liberius eiectos ex quocunque lapsu recipiendos esse credebant. Aiebant, ecclesiæ competere potestatem *soluendi*, h. e. recipiendi eiectos, & *ligandi*, h. e. denegandi reditum ad ecclesiam, eiusque gremium. Non ergo liquet, tempore TERTVLLIANI in potestate *ligandi* fundamentum *excommunicandi* iam quæsitum fuisse, quod CYPRIANVS demum, vt autoritati episcopali magnopere impugnatæ nouum munimentum circumponeret, in scenam produxisse videtur.

quo vero sensu? demonstratur.

§. XXI. Ita vero noui prorsus effectus excommunicationi dati sunt, inculcatumque fuit, excommunicatum & non solutum in hac terra, in cœlo quoque in perpetuum ligari, atque ea de caussa hanc pœnam esse *spiritualem*, atque *ligare conscientiam, animamque eiecti*, quod seculo quarto potissimum inculcatum est. AVGVSTINVS præcipue huius dogmatis promotor insignis fuit, vt docent loca a GRATIANO ex eius scriptis excerpta. Primus occurrit in *c. 6. C. 24. qu. 1. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo: si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit ecclesia; si autem in ecclesia fit, (vti quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur, & quæ soluuntur in terra, soluantur in cœlo; quia cum* com-

Inde noui effectus, veluti quod liget in cœlo. ex doctrina Augustini,

excommunicat ecclesia, in cælo ligatur excommunicatus; cum reconciliat ecclesia, in cælo soluitur excommunicatus) si ergo hoc in ecclesia fit, Petrus, quando claues accepit, ecclesiam sanctam significauit. Alter occurrit in *c. 1. C. 24. qu. 3.* vbi disquirit, vtrum pro peccatis patris anathemate feriendus sit filius? Respondet ad exempla ex veteri fœdere adducta: *Hac enim fuit corporalis pœna, qua legimus, quosdam contemtores Dei cum suis omnibus, qui eiusdem impietatis participes fuerunt, pariter interfectos. Tunc quidem ad terrorem viuentium mortalia corpora perimebantur, quandoque vtique moritura. Spiritualis autem pœna, qua fit, quod scriptum est: Quæ ligaueris in terra, erunt ligata & in cælo, animas obligat; de quibus dictum est: Anima patris mea est; & anima filii mea est: anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Non amplius ergo excommunicatio separabat tantum reum a *communione externa*, sed etiam *animam* obligabat, vt ab *interna* cum Deo *vnione* esset exclusus, quod tamen non *excommunicationi*, sed ipsi *delicto* erat tribuendum, vt ipse fatetur in *c. 8. C. 24. qu. 4.* &, *neque enim*, ait, *solum ad ecclesiam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi, qui in eius vnitate corporaliter misti per pessimam vitam separantur.* Hæc ergo separat a Deo, non autem *excommunicatio*, quæ inique etiam his, qui Deo vniti sunt, contingere potest, vt P. QVESNELLI theses *§. 1.* relatæ, sed a curia Romana iniquissime damnatæ, docent. Veritati adhuc suo tempore dedit testimonium HIERONYMVS in *c. 4. C. 24. qu. 3.* &, *si quis*, ait, *non recto iudicio eorum, qui præsunt ecclesiæ, depellatur, & foras mittatur: si ipse non ante exiit, hoc est, si non ita egit, vt mereretur exire; nihil læditur in eo, quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, vt interdum ille, qui foras mittitur, intus sit, & ille foris, qui intus retineri videtur.* Eiusdem sententiæ fuit ORIGENES *in c. 7. C. 24. qu. 3. Cum aliquis*, inquiens, *exit a veritate, a timore Dei, a fide, a charitate, exit de castris ecclesiæ, etiamsi per episcopi vocem minime abiiciatur: sicut e contrario, dum aliquis non recto iudicio foras mittitur; scilicet, si non ante exierit, id est, si non egerit, vt mereretur exire; nihil læditur, interdum enim, qui foras mittitur, intus est, &, qui foris est, intus retineri videtur.* Ita ergo *delictum* separat a Deo, non *excommunicatio*, quæ *vnionem externam* cum ecclesia duntaxat dissoluit. Illo deficiente, hæc non præiudicat animæ. Illo commisso, nihil prodest delinquenti *communio externa.* Si vtrumque concurrit, *delictum* rursus tantum, non *excommunicatio* præiudicat animæ.

quæ tamen non cohæret,

& ab aliis negatur.

§. XXII.

Fechtii doctrina examinatur.

§. XXII. Enimuero si audiendus esset FECHTIVS *in tract. de excommunicat.* §. 12 & eius doctrina pro articulo fidei, ab A. C. addictis asserto, habenda, sine dubio nobis dicam scriberent dissentientes. Exacte conspirat cum principiis nouis a patribus assumtis. Ait: *Et cum quicquid ligatum est in terris, ligatum quoque sit in cœlis, Ioh. XX, 23. qui per excommunicationem extorris ab externis ecclesiæ beneficiis, id est, tanquam ethnicus & publicanus Matth. XVIII, 17. declaratus, ei simul ianua cœli clauditur, isque separatus a Deo atque de Christi corpore ac regno excisus mancipium redditur dæmonum, qui eundem captiuum ducunt iuxta voluntatem suam. 2 Timoth. II, 26.* Secundum hoc dogma, quod papali ipsius ingenio admodum conveniens fuit, si FECHTIVS B. SPENERVM, quem iniquissimo prosecutus est odio, excommunicasset, hic ex eius libidine & voluntate pessima factus fuisset *mancipium diaboli*, ipsemet autem excommunicans amicus Dei permansisset. Inepte enim docuit *traditionem satanæ*, de qua *1 Corinth. V*, 3. 4. 5. fuisse *partem necessariam excommunicationis* inter Christianos vsitatæ, cuius contrarium SAMVEL BASNAGE in dissert. *de traditione flagitiosi satanæ atque anathemate, tom. II. annal. pag. 473.* inserta, ostendit, confirmatque Dn. BVDDEVS *in theol. moral. Part. 3. c. 3. §. 63. in not. Nec obstat locus 1 Corinth. V, 3. 4. 5. quippe qui non de excommunicatione, sed de potestate extraordinaria corporis afflictiones in peccatores immittendi Apostolis concessa intelligendus est.*

Alterum principium nouum, quod ad rationes excommunicationis Iudaicæ composita sit. Inde effectus ciuiles accepit,

§. XXIII. Alterum principium, quod ex iure nouo *excommunicationi Christianorum* accessit, in eo constitui, quod eiectio, Christianis in more posita, ad rationes *excommunicationis Iudaicæ* pedetentim composita, & ita simul in *pœnam ciuilem* conuersa fuerit, quæ in *excommunicatione Iudaica* latitabat. Id vero vel ideo vix præcaueri potuit, quod ecclesiæ essent collectæ quoad maximam partem ex Iudæis: quod hi institutis iuribusque patriis superstitiosissime inhærerent: quod cœtus Christianorum compositi & effigiati essent ad formam *synagogarum* Iudaicarum, & ipsi Apostoli Iudæis zelantibus multa adhuc indulgere & permittere debuerint: quod ipsum *regimen externum* ex moribus Iudaicis tractum, & pleraque instituta in ecclesia primitiua ita comparata fuerint, vt, si cum moribus Iudaicis conferantur, amica quædam conspispiratio in iis deprehendatur, quæ cuncta luculentis argumentis illustrauit VITRINGA *de synagoga vetere*, cum SELDENO aliisque.

Ab

Ab initio quidem *Christianorum eiectio* ab *excommunicatione iudaica* adhuc distincta erat, prout supra obseruaui, adeo, vt si vel maxime PAVLVS *1 Cor. V. excommunicationem iudaicam* in traditione facinorosi diabolo facta, in imitationem traxerit, (quod Iudaei quoque formulis eiusmodi vsi fuerint, obseruante Dn. PFAFFIO *cit. l. p. 72.*) illa tamen potestas a PAVLO *virtute extraordinaria* exercita est, quae iudaicis imprecationibus non cohaerebat, adeoque nullibi per modum *regulae* praescripta est Christianis, vt ea specie vterentur, atque eo intuitu recte dicitur, eam excommunicationi, qua tali, non cohaesisse.

Varia excommunicatio apud Iudaeos,

§. XXIV. Id quod vt eo rectius intelligatur, & dubiis a Dn. PFAFFIO *cit. l.* motis satisfiat, sciendum est, non vnam eandemque excommunicationis speciem Iudaeis vsitatam, sed aliam *minorem*, quam Rabbini *Niddui* separationem, vel segregationem vocabant: aliam *maiorem*, quae *Cherem* plerumque dici solita est; vt tradunt ex magistrorum doctrina MORINVS *de admin. sacram. poenit. lib. IV. c. 23.* SELDENVS *de synedr. lib. 1. c. 7.* VITRINGA *de synag. vet.* BEVEREGIVS *in comment. ad c. 10. Apostol.* aliique. Quidam, vt MORINVS & BEVEREGIVS, tertiam addunt speciem, excommunicationem per *Shamata*, quam SELDENVS haud admittit, sed ostendit, *Shamata* pro ipso *deperditionis* aut *mortis decreto* quocunque vsurpari, & sic interdum *Niddui*, interdum vero *Cherem* denotare. Excommunicatus per *Niddui*, patiebatur eam *status mutationem*, vt intra cubitorum quatuor spatium nemo ad eum accedere posset, exceptis vxore & liberis. Imo in tantum *infamia* laborabat *ciuili*, vt ei fas non esset, vlli adesse conuiuio, aut cibum cum aliquo capere, quod docent loca a MORINO *cit. l. §. 2. & 3.* adducta. Maledicta tamen & execrationes ei non accedebant, quae demum *maiori* adhaerebant, *Cherem* dictae. Haec enim diris horrendissimis referta erat, & commercio aliorum omni modo aliquem priuabat, si vel elapso legitimo tempore, quo in minori steterat, non curasset, vt ab eo, a quo excommunicatus fuerat, absolueretur, vel si qualitas delicti statim maiorem desiderabat. Reuera ergo *capitis diminutionem* hoc fulmine tactus patiebatur, *mediae* non absimilem, quae apud Romanos obtinuit, atque in hac demum vsitatae erant formulae, quas adfert Dn. PFAFFIVS *cit. l. p. 72.* adeoque euidens est, ad *excommunicationem iudaicam* in genere & *per se* non spectasse, quod de *traditione satanae* adferri solet ex *1 Cor. V, 2. 3. 4.* licet in *maiori* formulae *execrationum* tales adhibitae, quae *angelum perditionis* in eum prouocabant, & inuitabant, quo sensu acci-

minor,

maior maledictis referuata,

& quaedam capitis diminutio,

pienda sunt, quæ a me *in differt. ad Plin. II. & Tertull. p. 144.* adducta sunt. Neque in his formulis id effici poterat, quod PAVLVS autoritate & *virtute extraordinaria* efficere volebat, adeoque illa *traditio Satanæ* a PAVLO facta & præstita minime inerat excommunicationi iudaicæ. Vtraque species iudaici fulminis *pœna ciuilis* erat, excommunicatum *communione ciuili*, indeque dependentibus iuribus priuabat, ac *infamiam ciuilem* continebat; gradu tamen diuerso constabat, nec *communione sacrorum*, ad minimum *templi*, excludebat. Plures vero fuere causæ, ob quas *maior* solebat infligi, quas ex magistris Hebræorum MORINVS *cit. l. c. 27.* refert, nec adeo improbabile est, PAVLVM ad eam conspexisse *1 Cor. V.* vtut *extraordinaria virtute* eam executus fuerit.

distincta a traditione satanæ per Paulum exercita.

§. XXV. Verum iam ostensum est, apud Christianos in primitiua ecclesia morem eundem in *eiectione* adhibitum non fuisse, nec ad *pœnam ciuilem* aut *forensem* eam declinasse, quamdiu in sua primitiua integritate stetit ecclesia. *Vnius speciei* tantum faciunt mentionem patres, quæ in *totali exclusione*, & quidem a *commercio sacrorum*, consistebat; effectus ciuiles tamen, nec vllam *capitis diminutionem* aut *infamiam* continebat, multo minus execrationibus aut diris referta erat. Sed seculo III., quo quorundam episcoporum principatus & ambitio sese extollere cœpit, excommunicatio a quibusdam, more prorsus insolito, etiam extensa est ad denegationem *ciuilis commercii & officiorum liberorum*, quorsum pertinet conuictus communis, hospitalitatis officium, colloquia, cetera. Notissima est audacia STEPHANI, episcopi Romani, qui ob id Afros, quod ab iis dissentiret, & in alia omnia iret in quæstione de *rebaptizatione hæreticorum*, a communione ecclesiæ, quantum in se fuit, exclusit, & ab Afris missis, qui concordiam tentarent, *officia* humanitatis *libera* prorsus denegauit. Id admodum reprehendit & iniquitatis incusat FIRMILIANVS episcopus apud CYPRIANVM *epist. 75. p. 228. edit. Brem.* scribens: *Quid enim humilius, aut leuius, quam cum tot episcopis per totum mundum dissensisse; pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus (quod nec vos latere confidimus) modo vobiscum, qui in meridie estis? A quibus legatos Episcopos patienter satis & leniter suscepit, vt eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret: adhuc insuper dilectionis & caritatis memor, praeciperet fraternitati vniuersæ, ne quis eos in domum suam reciperet, vt venientibus non solum pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur.* Hoe est seruas-

Diuersa quoque erat Christianorum excommunicatio,

ab episcopo Stephano seculo III. tamen iam ad mores iudaicos accommodata.

seruasse vnitatem Spiritus in coniunctione pacis, abscindere se a caritatis vnitate, & alienum se per omnia fratribus facere, & contra sacramentum & fidem contumacis furore discordiae rebellare. Equidem consortium omne cum haereticis solebant fideles vitare, vt supra iam monitum est; ast in quaestione adducta nulla eo tempore *haeresis* collocari poterat, quia *concilio oecumenico* haud decisa, sed *particularibus* duntaxat definita erat, quorum decreta nemini legem imponebant, & sicuti episcopi Italiae in conciliis suis ab Afris recesserant, ita his pariter integrum erat, a sententia Italorum recedere, quod tamen, *salua pace ecclesiastica*, fieri debuit. Enimuero, cum contra omne ius & fas STEPHANVS in eam audaciam erumperet, vt omnem Afris communionem hoc casu denegaret, mox etiam, inaudito hactenus more, addidit *commercii ciuilis* denegationem, vt etiam aduentantibus *tectum* & *hospitium* ab omnibus negandum esse, constitueret.

§. XXVI. Ita paulisper ad *mores iudaicos* componi coepit Christianorum excommunicatio. Neque *seculo IV. seqq.* euidentiora vestigia huius *noui iuris* duntaxat occurrunt; sed *gradus* etiam *excommunicationis* constituti fuere, quemadmodum apud Iudaeos *maior* vel *minor* erat, quanquam non deprehendam, hanc disciplinam fuisse vniuersalem. Olim tantum ob *crimina grauiora* & delicta publica eiectio decreta fuit, non item ob *leuiora.* His pedetentim ex nimio zelo patrum poena etiam imposita fuit: & quia poena delicto conformis esse debet, simulque notum fuit, Iudaeos quoque ob *leuiores excessus* excommunicatione minore peccantes percellere; creditum fuit, *gradus* quoque *excommunicationis* more iudaico esse constituendos. Parum quidem tribuendum esse arbitror *canonibus apostolicis*, qui olim apocryphis scriptis annumerati sunt; ad minimum tamen fidem historicam de moribus seculi IV., ad finem currentis, & seculi V. facere possunt, & quidem in *ecclesia orientali*, cuius instituta potissimum in illis recensentur. In his vero *duplicis segregationis* saepe fit mentio, h. e. vel *totalis* & *perpetuae*, vel *partialis* seu *temporalis*, quae instar suspensionis fuit, vt paulo post declarabo. In *can. 9.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. pag. 11.* haec habentur: *quicunque fideles ingrediuntur, & scripturas audiunt, in precatione autem & sacra communione non permanent, ob ecclesiae confusionem offerentes, segregari oportet.* Peccatum hoc leuius fuit, cui *eiectio perpetua* imponi non potuit; ergo haec *segregatio*, seu ἀφορισμός minor poena esse debuit, quam *excommunicatio* in tribus prioribus seculis duntaxat cognita. Pariter in *c. 10.*

Seculo IV. haec mutatio magis firmata,

gradusque excommunicationis constituti,

vt ex canonibus apostolicis illustratur.

ſi quis cum excommunicato vel in domo vna precatus fuerit, is ſegregetur. In *c. 23.* tempus *ſegregationis* determinatur: *laicus, qui ſe ipſum mutilauit, tribus annis ſegregetur.* Ab hac *ſegregatione temporali* diſtinguebatur illa ſpecies, qua quis *a communione omnino exſcindebatur*, olim tantum cognita, cuius exemplum traditur in *c. 28.* In *c. 56.* laico, qui irriſerit claudum, vel ſurdum, vel eum, cui vitioſus eſt inceſſus, pœna *ſegregationis*, vel *ſeparationis* dictatur, quæ iniuria admodum leuis, imo ſpernenda erat. In *c. 63.* eadem pœna laico dictatur, qui Iudæorum vel hæreticorum ſynagogam *ad orandum* ingreſſus ſit. Quis vero crederet, etiam prohibito tempore ieiunantes ſegregatos fuiſſe? Audiamus *canonem 65. ſi quis clericus inuentus fuerit die dominico ieiunare* (quod *nefas* erat teſte TERTVLLIANO) *vel ſabbatho* (quo more tamen eccleſia Romana vtebatur hoc ſeculo) *præterquam vno ſolo*, (intelligit antepaſchale ieiunium) *deponatur: ſin autem laicus, ſegregetur.* Leuiorem hanc *laicorum excommunicationem* fuiſſe, ait SVICERVS *in theſ. eccleſ. voce ἀφορισμὸς*, per quam ſegregati inter *pœnitentes* conſtituti fuere, & quidem eos, qui *conſiſtentes* vocabantur ad *quartum* iam promoti *gradum*, de quibus gradibus ſuccincte agunt ALBASPINAEVS *lib. II. de vet. eccleſ. ritibus, obſ. 22. ſqq.* & BINGHAM. *in orig. eccl. vol. VIII. lib. 18. c. 1.* Verum hæc coniectura dubitatione non caret.

Inprimis vero ex concilio Eliberino, in quo itidem occurrit excommunicatio temporalis & perpetua.

§. XXVII. In *concilio Eliberino* circa annum 304. vel 305. habito deprehendi etiam veſtigia quædam, differentiam hanc indigitantia. Etenim *c. 16.* prohibitum eſt, ne hæreticis dentur catholicæ puellæ, *eo quod nulla ſocietas eſſe poſſit fideli cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abſtineri per quinquennium placet.* Hæc *abſtentio* eſt quædam *excommunicatio*, leuior tamen, quia *temporalis*, ad exemplum *iudaicæ minoris*, quæ ad *triginta dies* erat reſtricta. In *c. 21.* de his, qui non frequentant eccleſias, hoc cauetur: *Si quis in ciuitate poſitus tres dominicas ad eccleſiam non acceſſerit, pauco tempore abſtineat, vt correptus eſſe videatur.* In *c. 40.* ſimiliter prohiberi *placuit, vt cum rationes ſuas accipiant poſſeſſores, quicquid ad idolum datum fuerit, acceptum non referant; ſi poſt interdictum fecerint, per quinquennii ſpatia temporum a communione eſſe arcendos.* In *c. 46.* poſt *decem annos* communionem dandam apoſtatis reuerſis, disponunt patres. In *c. 54.* contra frangentes ſponſalia hæc decernitur pœna: *Si qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore abſtineant ſe a communione.* Contra eos, qui defunctæ vxoris ſororem in matrimo-

trimonium sibi collocant, in *c. 61.* hoc dispositum est: *si quis post obitum uxoris suae sororem eius duxerit, & ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstinere, nisi forte dari pacem velocius necessitas coëgerit infirmitatis.* Vnde liquet, *separationem*, *segregationem*, *abstentionem* vel ἀφορισμὸν habuisse suos gradus, Hebraeis etiam vsitatos, qui itidem species suas excommunicationis appellatione *separationis* designabant. Id obseruauit SELDENVS *de synedr. lib. 1. c. 7.* & ait: *atque ob pristini iuris seu communionis eiusmodi priuationem dicebatur, tam qui minori, quam qui maiori feriretur, separatus seu diuisus a coetu, synagoga, ecclesia, vniuersitate, seu republica suorum, i. e.* ἀποσυνάγωγος *seu extra synagogam factus, licet separatio ipsa ac diuisio maioris multo grauior esset & dissimilis ab ea, quae fuit minoris.*

Habuitque hoc modo suos gradus.

§. XXVIII. In quo autem *differentia specifica* vtriusque *excommunicationis*, seu *segregationis*, aut *abstentionis* constiterit, & vtrum SVICERI coniecturis *§. 26. in f.* adductis locus relinquendus sit, inquirendum paucis est. Variam fuisse praxin per tria priora secula circa *ejectionem*, iam obseruaui aliquoties: quibusdam ecclesiis pacis spem poenitentibus, quibusdam negantibus & adimentibus. Inde excommunicatio quandoque erat *perpetua*, quandoque *temporalis*, & ita magis *suspensio a communione ecclesiastica ad tempus*, quam *totalis priuatio.* Hispani ex seueriori suo temperamento in *perpetuam* admodum inclinarunt *excommunicationem*, quod tum *Eliberinum*, tum *Toletana concilia* docent. In Oriente varius *separationis* vsus fuit; interim tamen eiecti, quibus spes *restitutionis* non deerat, ad certum tempus non solebant separari, quin potius *separatio indefinita* erat. Probabile autem admodum est, ecclesias, quae olim excommunicatos nunquam restituebant, aucto *eiectionis* vsu, & minoribus etiam excessibus applicato, de rigore aliquid remisisse, & duplicem separationem, *temporalem* & *perpetuam* admisisse. Quamuis vero haec illa longe durior atque grauior esset, vtraque tamen voce *separationis* vel *abstentionis* denotata, & in hoc eiusdem fuit effectus, quod sicuti haec *in perpetuum*, ita illa *ad tempus* communionis ecclesiasticae iura eiecto adimeret, nec adeo cum hodierna *maiori* & *minori* excommunicatione conferri posset. Colligo hanc differentiam indigitatam (1) ex canonibus *Eliberinis*, in quibus grauioribus delictis *perpetua excommunicatio* imposita est sub hac formula: *placuit nec in fine eum communionem accipere*, vt in *c. 1. 2. 3. 6. 7. 8. 10. 12. 13. 18. 19. 34. 37. 47. 63 65. 75.* leuioribus autem ad tempus sub simili fere formula: *placuit post biennium vel quinque annos communio-*

Vnde noua haec praxis deriuanda.

Scilicet quod olim quaedam ecclesiae eiectos nunquam receperint.

Iterim vtraque eiusdem effectus fuit.

Cuius fundamenta traduntur.

 nem

nem accipere, vt in *c. 46. & 55.* vel *dare communionem* vt *c. 69. & 72.* (2) recte obseruat ALBASPINAEVS in *not. ad c. 1. concil. Eliberin.* etsi nomine *communionis* quandoque *eucharistia* intelligi soleat; in his tamen canonibus antiquisque iudiciis raro hoc sensu accipi, sed potius *fidelium societatem & ius societatis* designare, a qua peccatores vel *in perpetuum*, vel *ad tempus* remouebantur, ne eorum consortio & consuetudine ceteri fideles inficerentur. Hac de causa *absolutionis* appellatione abstinuerunt, & reditum in ecclesiam vel eius negationem designarunt formulis adductis, quod vel *accipere*, vel *non accipere* diceretur *communionem*. Vnde (3) auguror, statum *excommunicatorum* non adeo diuersum fuisse, siue ad *tempus*, siue in *perpetuum* a communione separati essent, nec, quod SVICERVS asserit, & MORINVS quoque *de admin. sacram. pœnit. lib. IV. c. 3.* confirmat, recipiendum esse indistincte. Licet enim, qui ad tempus a *communione segregati* erant, interim *pœnitentiam* agere deberent; palam tamen est, eo æuo pœnitentes in statu *eiectorum* fuisse, & *communione ecclesiastica perfecta* priuatos, vt ad tempus etiam relegati *gradus pœnitentiales* subire coacti fuerint, vti hi, qui indefinite olim eiecti erant. Hoc indicat *c. 5. 14. & 76. concil. Eliber.* vbi hæc formula occurrit: *post quinquennii tempora, acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti; pœnitentia* autem *legitima* nihil aliud erat, quam quæ secundum *leges ecclesiasticas* per gradus præscriptos peracta erat. (4) Præterea etiam, qui ad tempus tantum *alieni ab ecclesia habebantur*, vt dicitur in *c. 41.*, post restitutionem in integrum pacem *accipere* vel *reconciliari* dicebantur, vt in *c. 61.* sub hac formula: *nisi forte dari pacem velocius necessitas coëgerit infirmitatis.* Similiter in *c. 69.* vbi hæc adest formula: *placuit eum quinquennium agere de ea re pœnitentiam, & sic* RECONCILIARI, qua indigitatur, per quinquennium illum a communione priuatum & in *statu pœnitentium* fuisse. In *c. 72.* similis occurrit loquendi vsus: *placuit eum communioni* RECONCILIARI, & *c. 79. post annum poterit* RECONCILIARI *communioni.* Iam autem constat, tribus prioribus seculis, in quibus *indefinita excommunicatio* tantum vsitata erat, has loquendi formulas illis tributas fuisse, qui restituti erant in integrum, & rursus in ius fraternitatis admissi. Denique (5) etiam id obseruo obiter, ex hac *excommunicatione temporali* ortum traxisse *tempora pœnitentialia*, quæ pedetentim singulis delictis in conciliis attributa fuerunt, quibus durantibus reuera in statu *excommunicatorum* degebant pœnitentes.

Cum hodierna diuisione in maiorem & minorem conferri nequit.

§. XXIX.

§. XXIX. Sed etiam hoc a moribus & institutis *iudaicis* tractum, vt quandoque excommunicationi *execrationes* fuerint adiectæ, formula *anathematis* adhibita. Hæc enim *execrationem* denotabat, obseruante SVICERO *in thes. eccles. hac voce*, quod iuxta BALSAMONEM *ad c. 3. synod. CPolit. sub* PHOTIO *anathema sit separatio a Deo.* In *concil. Laodic. c. 29.* anno 327. *anathema* dicitur iudaizantibus. V. HARDVIN. *tom. I. concil. pag. 786.* & secundum SOCRATEM *lib. 7. hist. eccles. c. 34. communi suffragio omnes clerici anathematis vinculo Nestorium innodarunt.* Atrocior est formula, quam *concil. Tolet. IV. de anno 633. c. 75.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 594.* habet: *Anathema sit in conspectu Spiritus S. & martyrum Christi: atque ab ecclesia catholica, quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni communione Christianorum alienus; neque partem iustorum habeat, sed cum diabolo & angelis eius æternis suppliciis condemnetur, vna cum eis, qui eadem coniuratione nituntur: vt par pœna perditionis constringat, quos in perniciem praua societas copulat.* Pariter in *concil. Tolet. XVI. de anno 693.* apud EVNDEM *cit. l. pag. 1800: Anathema sit in conspectu Dei patris & angelorum atque ab ecclesia catholica, quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Christianorum alienus, & damnatus in futuro iudicio habeatur.* Et post pauca: *sit anathema maranatha h. e. perditio in aduentu Domini, & cum Iuda Ischarioth partem habeat.* LEO papa IX, *in epist. 10.* ad Ioannem *archiepiscopum Salernitanum* apud HARDVIN. *tom. VI. concil. p. 965.* hac vtitur formula: *Sciat, se autoritate beati Petri, apostolorum principis, cælorum regni clauigeri, nostroque anathematis vinculo & innodatum, & a regno Dei alienatum, atque cum diabolo & eius atrocissimis pompis transgressorem sanctorum patrum canonica traditione deputatum.* Eadem fere formula vtitur in *epist. 12. ad Ioannem Portuensem episcopum* apud EVNDEM *cit. l. p. 973.* hoc adhuc superaddito: *atque cum Iuda traditore Domini nostri IEsu Christi cum diabolo & omnibus pompis eius æterno incendio concremandum.* Crescentibus enim seculis creuerunt execrationum formulæ, adeo, vt anno 990. in *concil. Syluanectensi* apud EVNDEM *cit. l. p. 720.* patres hanc terrificam conceperint formulam: *Autoritate omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, interueniente & adiuuante beata Maria semper Virgine, cum omnibus Sanctis, autoritate quoque ac potestate Apostolis tradita, nobisque relicta, excommunicamus, anathematizamus, damnamus, & a liminibus sanctæ matris ecclesiæ separamus Atalgerum presbyterum, diaboli membrum, episcopi & cleri, & totius populi*

Secundum mores iudaicos excommunicationi execrationes additæ seu anathemata.

Quæ formulæ admodum creuerunt.

puli Remensis traditorem: eos quoque, qui huius traditionis exstiterunt inuentores, auctores, factores, cooperatores, fautores, ciuiumque depopulatores, & a propriis dominis rerum suarum sub nomine emptionis abalienatores. His adiungimus Laudunensis episcopi peruasores, ac ipsius episcopi grauissimos tutores. Fiat illis, sicut scriptura dicit: Qui dixerunt, haereditate possideamus sanctuarium Dei: Deus meus, pone illos, vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: sicut ignis, qui comburit siluam, & sicut flamma comburens montes; ita persequeris eos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos, imple facies eorum ignominia, & quaerent nomen tuum Domine. Erubescant & conturbentur in saeculum saeculi, & confundantur, & pereant; & cognoscant, quia nomen tibi, Dominus, tu solus Altissimus in omni terra: & quia pupillum & viduam non miserati sunt, neque templa Dei reueriti, dominiumque ecclesiarum sibi vsurparunt, fiant filii eorum orphani & vxores viduae: scrutetur foenerator omnem substantiam eorum, & diripiant alieni labores illorum; nutantes transferantur filii illorum & mendicent: eiiciantur de habitationibus suis, fiant dies eorum pauci, & principatum eorum accipiat alius: & duplici contritione contere eos Domine Deus noster: nisi resipiscant, & ecclesiae catholicae fructuosa poenitentia satisfaciant. Amen, fiat, fiat. In *concil. Lemouicensi de anno 1131. sess. 1.* apud EVNDEM *cit. l. p. 874.* maledictionum formula alia concepta, & coram populo in tribunali ante altare lecta est: *Ex autoritate Dei patris omnipotentis* &c. *excommunicamus illos milites; maledicti ipsi & adiutores eorum in malum: maledicta arma eorum, & caballi illorum; erunt cum Cain fratricida, & cum Iuda traditore, & cum Dathan & Abiran, qui viui introierunt in infernum. Et sicuti hae lucernae extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguetur in conspectu sanctorum angelorum.* Alias similes execrationum formulas habent MORINVS *de admin. sacram. poenit. lib. 8. c. 21. §. 8. sqq.* STEPHANVS BALVZIVS *tom. II. capitular. p. 665. sqq.* aliique, quas non regustabo, sed paucis tantum monebo, inde excommunicationem eamque *maiorem* postea diuisam fuisse in *solennem*, quae *anathema* adiunctum habet, *c. 10. de iudic. c. 1. locat.* vel *non solemnem*, quae sine solennitate etiam verbo fit, *c. 1. X. de eo qui ord. furtiu. suscepit. c. 4. de iur. patron.*

Hoc modo mutata excommunicatio statum ciuilem mutare coepit.

§. XXX. Hoc modo excommunicatio ad iudaicum morem & instituta composita non potuit non *statum ciuilem* excommunicatorum immutare, & in *poenam mere ciuilem* transire, qualis erat *iudaica*, imo ingentem terrorem omnibus & singulis incutere, quam patres & suis *execra-*

execrationibus, ac adhibitis solennibus, & denique nouis excogitatis effectibus admodum auxerunt. Hoc indigitant grauissima prædicata excommunicationi assignata, quæ significarent, nihil terribilius in mundo excogitari hominibusque accidere posse, *cum ecclesia non habeat, vltra quid faciat*, vt dicitur in *c. 10. X. de iudic.* In *concil. Colon. I. de anno 1536. P. XIII. c. 5.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 2025.* excommunicatio pœna esse dicitur, *qua nulla maior est in ecclesia*, & quod *anathema* sit *aeternae mortis damnatio*, quod iam olim in *Meldensi concilio c. 56.* & GRATIANO in *c. 41. C. 11. q. 3.* relato, traditum est. In concilio *Narbonensi de anno 1609. c. 44.* apud HARDVIN. *tom. IX. p. 50.* *MALVM MALORVM* esse dicitur excommunicatio, cuius rationes in *concilio Toletano de an. 1590. P. IV. c. 1.* apud EVNDEM *tom. X. p. 1815.* traduntur. *Graue profecto*, aiunt patres, *& incomparabile damnum est, extra communionem sanctorum esse, Dei optimi maximi gratia, spirituali eiusdem protectione, Christi meritis, & demum ecclesiae suffragiis & sacramentorum vsu priuari. Haec omnia facit excommunicatio, quae pœnarum omnium grauissima, formidabilissimaque, vt Christianis minime contemnenda, sed potius summo cum tremore pertimescenda.*

& vt pœna terribilis proposita est.

§. XXXI. Hac de causa qui excommunicatione non terrentur, sed eam contemnunt, paruique habent, grauiter admodum delinquere, seque *hæreseos* suspectos facere dicuntur, quo crimine rursus nihil terribilius excogitari potest. Iam olim monuit IO. CHYSOSTOMVS in *c. 31. C. 11. qu. 3.* *Nemo contemnat vincula ecclesiastica. Non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris.* Addit AVGVSTINVS in *c. 33. C. 11. qu. 3: Nihil sic debet formidare Christianus, quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius. Quisquis autem, inquit Apostolus, Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Præterea vero, vt in *c. 32.* idem tradit, *satanae traditur: quomodo? scilicet, quia extra ecclesiam diabolus est, sicut in ecclesia Christus.* Neque hoc duntaxat restringendum ad excommunicationem *iustam; sententia enim pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est*, vt asseritur in *c. 1. & 27. C. 11. q. 3.* Secus qui fecerit, tanquam *contemtor clauium ecclesiae* habendus & coërcendus, per *c. 38. concil. Colon. de anno 1266.* apud HARDVIN. *tom. VII. p. 575.* quia *contemnere claues haeretica prauitas est*, ex sententia *concilii Albiensis de anno 1254. c. 31.* apud EVNDEM *cit. l. p. 462.* vel ad minimum suspi-

Hanc pœnam qui parui habet, ab hæresi vix abest,

adeoque ab omnibus timenda,

etiam iniusta.

ſuſpicionem de hæreſi operatur, vt decernit. *concil. Compendienſe de anno 1404. c. 4.* apud EVNDEM *cit. l. p. 1276.*

Ante omnia vero vitandus ab omnibus eiectus.

§ XXXII. Ecce enim, eiusmodi homo, qui ſatanæ traditus, extra eccleſiam conſtitutus, & ab ipſo ligatus eſt Chriſto, ab omnibus vitandus, & vt peſtifera lues fugiendus eſt. Hic primus effectus produxit omnes reliquos *ciuiles*, quia cum eo *commercium ciuile* nullum ſuſcipi poteſt, qui ab omnibus vitandus eſſe creditur. Quo circa de hoc effectu primum videndum. Iam obſeruaui, per tria priora ſecula hanc fugam eiectorum in *cauſis ciuilibus* defuiſſe, quæ demum ſeculo V. grauiter inculcata eſt, cum ſeculo IV. euidentia argumenta & veſtigia deſint. Nam in *c. 10. Apoſt.* tantum, ne quis cum excommunicato precetur, prohibetur, quamuis etiam hic apocryphus ſit. Aſt in *concil. Antioch. de anno 341. c. 2.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. pag. 594.* hæc doctrina certius, iuxta ISIDORI interpretationem, inculcatur: *non autem liceat communicare excommunicatis, neque cum his per domos ingredi, & cum eis orare, qui eccleſiæ non participant in oratione.* Enimvero melior eſt *Dionyſiana* interpretatio: *nec cum his, qui per domos conueniunt, deuitantes orationes eccleſiæ, ſimul orandum eſt*, vt ſenſus ſit, cum eis non eſſe ſimul in domibus priuatis orandum, qui ob excommunicationem ad eccleſiæ ſacra accedere non audent, adeoque commercium ſacrum iis tantum interdictum eſt. *Communicare* enim *cum aliquo* dicebantur ſecundum eccleſiæ antiquæ ſenſum, qui tanquam cum *membro eccleſiæ* ſeu *fratre in ſacris* eius communione fruebantur, veluti cum eo orantes, agapen communem cum eo facientes &c. Iam tamen anno 400. in *concil. Tolet. 1. c. 15.* apud HARDVIN. *tom. I. p. 991.* & GRATIANVM in *c. 16. C. 11. q. 3.* prohibitum quoque eſt, ne quis ad excommunicatum, vel ad domum eius accedat. *Si quis enim*, aiunt patres, *cum illo colloqui, aut conuiuari fuerit deprehenſus, etiam ipſe abſtineatur.* Probat illuſtratque hoc ipſum GRATIANVS ex ſententia CHRYSOSTOMI relata in *c. 24. C. 11. q 3.* quod Apoſtolus non prohibeat, ad menſam ire paganorum, bene tamen facinoroſorum, aiens: *Si quis, qui frater nominatur, fuerit fornicator, aut auarus, aut ebrioſus, nec cum eo cibum ſumere*, quæ verba quidem de *excommunicato* proprie non diſponunt, ad illum tamen, quod in eo talia delicta ſupponantur, a GRATIANO tracta ſunt. Confirmata ſunt hæc ſtatuta in *concil. Arelat. II. c. 49. de anno 452.* apud HARDVIN. *tom. II. concil. p. 777. ſecundum inſtituta ſeniorum, ſi quis a communione ſacerdotali fuerit autoritate ſuſpenſus; hunc non ſolum a clericorum, ſed etiam a*

vnde effectus ciuiles orti;

quorum veſtigia ſeculo IV adhuc deſunt,

quo adhuc commercium ſacrum tantum interdictum

Seculo V. iam commercium ciuile ademtum

TOTIVS

TOTIVS POPVLI COLLOQVIO *atque conuiuio placuit excludi*, quo ipſo *ciuili infamia* reuera notatus eſt. Cum quo enim nec colloquia miſcere, nec cibum ſumere licet, ille pro *abiectiſſimo* habendus, in quo ratio infamiæ conſiſtit. In *concil. Epaonenſi c. 15. de ann. 517.* ſpeciatim hoc applicatum ad *conuiuia hæreticorum* ſummopere vitanda; generatim autem in *concil. Antiſiodorenſi de anno 578. c. 39.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. pag. 446.* ad omnes extenſum excommunicatos: *ſi quis presbyter, aut quilibet de clero, aut de populo excommunicatum abſque voluntate ipſius, qui eum excommunicauit, ſciens receperit, aut cum illo panem manducauerit, vel colloquium habere decreuerit, ſimili ſententiæ ſubiacebit.* Ex hic adductis locis liquet, demum ab anno 400. & ſic a *primordio ſeculi V.* per canones fugam excommunicatorum *effectus ciuiles* accepiſſe, quæ olim tantum operabatur, ne quis in ſacris cum iis communicaret. Agnoſcit id ipſum DVPINIVS *diſſ. III. de diſcipl. eccleſ. c. 3. p. 295.* aiens: *vix ac ne vix quidem eandem pœnam* (excommunicationis) *antiquis canonibus ſtatutam leges in eos, qui cum excommunicatis cibum ſumerent, ſed recentioribus tantum canonibus, vt concilii Epaonenſis c. 15. Antiſidiorenſis c. 39.* quamuis in his non demum hic *effectus ciuilis* introductus, ſed iam ante in *Toletano I.* & *Arelatenſi II.* receptus & introductus fuerit.

quod ſententia Dupinii illuſtratur.

§. XXXIII. Ab hoc tempore *effectus ciuiles* excommunicationis magis magisque aucti ſunt, quo eo grauius pondus ei accederet, & *reipublicæ eccleſiaſticæ* ſua ſtaret auctoritas, præſertim cum excommunicatio non tantum ob *crimina commiſſa* decreta, in quo vſu ſubſtitit eccleſia primitiua; ſed etiam ad *contumaciam* extenſa, hæc autem in eo quæſita fuerit, quando reus *præceptis eccleſiæ* quibuscunque, etiamſi iura eiusdem prætenſa concernant, parere recuſat. Bona, quibus excommunicatus priuatur, hoc denotantur verſiculo vulgatiſſimo:

effectus ciuiles in compendio referuntur.

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

quem plenius explicant EVEILLON. *cit. tr. tom. II. art. 31. p. 263. ſeqq.* de DICASTILLO *cit. tr. dubit. 33. pag. 113. ſq.* GIBALINVS *cit. tr. diſquiſ. VII. qu. 9. p. 1. p. 279.* Videlicet (1) *oris* nomine non tantum *oſculum*, ſed etiam *colloquium* indigitatur, vt ne quidem per *literas*, *nuncium*, *ſigna*, aut *nutum* cum eo agi debeat. (2) Per τὸ *orare* prohibetur omne *commercium ſacrum* cum eiecto, qui effectus olim vnice eiectioni inerat. (3) Voce *vale* omnis honorifica ſalutatio deſignatur, excommunicato adeo deneganda, vt ne quidem caput aperire, neque aſſurgere,

neque via decedere, neque vllum aliquod honoris aut reuerentiæ signum exhibere excommunicato liceat, vt Doctores a GIBALINO *cit. l. p. 280.* adducti credunt. (4) *Mensa communis* porro esse nequit cum excommunicato, multo minus ergo communi lecto aut habitatione cum fulmine hoc tacto vtendum. Hi effectus in *capitularibus lib. V. c. 62.* quoque traduntur: *& vt sciatis, qualis sit modus istius excommunicationis, in ecclesiam non debet intrare, nec cum vllo christiano cibum vel potum sumere, nec eius munera quisquam accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se iungere, vel salutare.* Denique (5) *commmunio* prohibetur, qua appellatione omne *commercium ciuile* designant, vt nullum negotium ciuile vel humanum cum eo suscipere liceat. En explicationem a DICASTILLO *p. 114.* traditam: *voce* communis *prohibetur omnis associatio in aliis actionibus exterioribus; huiusmodi sunt cooperari simul vel illum iuuare in aliqua actione, seseque illi socium adiungere in aliquo negotio gerendo, inire cum illo contractus, cohabitare in eadem domo, dormire in eodem lecto, negotia etiam turpia cum illo exercere.* Quid ergo, si meretrix cum excommunicato scienter coeat? etiam tunc excommunicata est, vnde adhuc delectum habere debet, ne quemuis, præcipue excommunicatum, admittat. Vno verbo: tam infamis, atque turpissima macula notatus est, vt ne quidem meretrix, infamis persona, secure cum eo concumbere possit, ob metum communionis carnalis. En ἀσύστατα, quæ nimia interpretum curiositas subtilitas introduxit.

Capitis deminutionem introducit.

§. XXXIV. Tradidi in compendio doctrinam communem ex dogmate male intellecto, *de fuga excommunicatorum* natam, vnde statim liquet, *statum* excommunicatorum *ciuilem*, secundum placita recentioris iuris ecclesiastici, nullum esse, eosque fere pro *capite minutis*, seu iis, qui *mediam* passi erant, habendos. Id quod vt speciatim ostendam, per singulos *effectus ciuiles*, ab ANTONIO RICCIVLLO *de iure person. extra grem. eccles. existent. lib. IV.* explicatos fusissime, in compendio ire licebit, & primo loco quidem, qui *forum* & publica *officia* concernunt. Videlicet (I) *excommunicatus neque accusare neque agere potest*, quod alias singulis permissum, vt ne quidem infames ab *agendo* & iure suo persequendo arceantur. Apud BALZ. *tom. I. capitul. lib. III. c. 180.* hac de re ita cautum: *vt excommunicatus a sacerdote, quamdiu in ipsa est excommunicatione, maiores natu vel episcopos accusare non præsumat, quia hunc non humanis, sed diuinis vocibus mortuum esse scimus*, vt *lib. VII. c. 322. p. 1096.* additur. Iam in *concilio*

Nam 1) nec agere nec accusare potest excommunicatus.

Afri-

Africano per *c. 1. C. 4. q. 1.* cautum erat: *Definimus, eum recte ad accusationem non admitti, qui postquam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, siue sit clericus, siue laicus, accusare voluerit.* Proinde accusatori opponi potest *exceptio excommunicationis*, vt ne quidem hæc elidatur per replicationem, quod reus communicauerit cum excommunicato actore, quia hæc *excommunicatio* tantum *minorem* operatur, atque non a *foro*, sed a *sacramentorum participatione* remouet *c. 2. 8. de except.* Licet vero agere non possit, conueniri tamen potest, vt per alium respondeat in iudicio, ne videatur *de sua malitia commodum reportare. c. 7. X. de iudic.* Ceterum exceptio *excommunicationis* actori opposita *dilatoria* quidem est, interim in qualibet iudicii parte opponi potest, quia *nullitatem* operatur, sicuti in genere *inhabilitatis* ad agendum *per c. 12. de except.* vel vt dicitur in *c. 1. de except. in 6. vt ex hoc magis censura ecclesiastica timeatur, communionis periculum euitetur, contumaciæ vitium reprimatur, & excommunicati (dum a communibus actibus excluduntur) rubore suffusi ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum facilius inclinentur.* Necesse tamen est, vt excipiens de excommunicatione 1) speciem eius exprimat, ac 2) intra octo dierum spatium opertissimis documentis eam doceat; alioquin, ea non obstante, iudex in causa procedere poterit, quia compertum fuit, sæpe per *malitiam* hanc exceptionem opponi *c. 1. de except. in 6.* Neque vero hoc ad iudicia ecclesiastica duntaxat pertinet: iudex secularis quoque per censuram ecclesiasticam compellendus, vt excommunicatos ab agendo repellat, *c. 8. h. t. in 6.* adeoque hoc *spirituali* gladio iudicem secularem ad suam voluntatem & lubidinem quouis modo compellere possunt.

hæc exceptio actori semper opponi potest

§. XXXV. Præterea (II) *excommunicatus nec postulando, nec testimonium ferendo in foro comparere potest.* vid. *concil. Syluanectense de anno 1326. c. 4.* apud HARDVIN. *tom. VII. pag. 1532.* Quod enim ius postulandi pro aliis concernit, expresse decreuit ALEXANDER IV. in *c. 8. h. t. in 6.* ne iudices seculares excommunicatos ad *patrocinandum* admittant, siue partes *actoris*, siue *rei* tueantur. Valida nihilominus tamen acta fore, licet admissus fuerit excommunicatus, arbitratur GIBALINVS *cit. tr. p. 270.* quod valor scripturæ ex argumentorum ponderibus & eruditione dependeat, non ex *permissione patrocinandi.* Breuiter: ex mente eius iudex quidem male agit, quod excommunicatum admiserit, actis tamen nullum vitium inde cohæret, quæ labe excommunicationis haud infecta sunt. Pari ratione nec *procuratoris* par-

ab aduocatorum officio remouetur

nec potest esse procurator

partes tueri potest, ideo quod in iudicio stare non possit *c. 7. X. de iudic.* Exceptionem *infamiæ* quidem sustulit Imperator in *§. 5. I. de except.* sed excommunicatio plus operatur ex mente iuris canonici, quam nuda & simplex *infamia.* Rursus tamen Canonistæ docent, si neque a *parte*, neque a *iudice* repulsus est, valere ab eo gesta, adeoque falsum esse, superuenientem excommunicationem inducere reuocationem mandati, obseruante GIBALINO *cit. l. p. 271.* Posterius quidem asserere videtur ANTON. RICCIVLLVS *de iure person. extr. eccles. grem. exist. lib. IV. c. 24. n. 9.* non tamen *n. 11.* negat, valere ab excommunicato gesta, si de excommunicatione non excipiatur. Eadem de causa secundum RICCIVLLVM *cit. l. n. 30.* non potest excommunicatus Notarius munus suum exercere in iudicio, quod, quamdiu hoc vinculo ligatus est, interim nullam *fidem ciuilem* mereatur. Denique a *testimonio* quoque repellitur per *c. 8. de sentent. excomm. in 6.* Vnde antiquitus moris fuit, vt testes interrogarentur: ob sich Zeuge irgend eines Banns bewust sey? adeo, vt in der Hoffgerichts-Ordnung GEORGII, *Ducis Brunsuicensis & Luneb. de anno 1639. tit. 43.* adhuc hoc interrogatorium probatum fuerit: Ob Zeuge in geist- oder weltlichen Bann, Acht und Oberacht begriffen? quod tamen per infra dicenda hodie reiicitur.

nec Notarius

nec testis

exclusi excommunicati ab officiis publicis

§. XXXVI. Inprimis vero (III) *excommunicati ad officia publica non admittendi, nec admissi munus suum exercere possunt.* Hac de re ita cautum est in *concil. Auenionensi de anno 1326. c. 16.* apud HARDVIN. *tom. VII. concil. p. 1500. Item statuimus, quod excommunicati, in iudices, consules, rectores, bailiuos, potestates, assessores, vel notarios, vel ad alia quaeuis publica officia, nullatenus assumantur, nec etiam admittantur: & si de facto admissi fuerint, sententia per eos vel eorum auctoritate in iudicio vel extra habita, & monimenta coram eis, vel per eos facta, nulla & nulli sint ipso iure. Et nihilominus quicumque, cuiuscumque dignitatis, status, aut conditionis existant, si tales excommunicatos ad aliquod officiorum prædictorum scienter assumserint, vel assumtos per alios approbauerint, vel confirmauerint, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto. Et si requisiti per ordinarium, vel alium eius nomine, huiusmodi excommunicatos infra decem dies a tempore requisitionis a prædictis officiis sic assumtos non amouerint cum effectu: loca illa, in quibus ad aliquod prædictorum officiorum assumti fuerint, sic & tamdiu remaneant ecclesiastico supposita interdicto, donec sic excommunicati, a susceptis officiis realiter, & sine fraude,*

de, & sine aliqua restitutionis spe, quamdiu in excommunicatione perstiterint, sint amoti: vniuersitas ac ciuitas castri vel villæ, quæ excommunicatos, & in ecclesia publice denunciatos ad aliquid prædictorum officiorum assumserit vel elegerit, vbi eis alias hoc liceret, ecclesiastico etiam sit supposita interdicto. Acerbius vix quicquam constitui potest. Etenim 1) acta eorum pro *nullis* declarantur, quod sine summa reip. calamitate & iniuria constitui non potuit, præsertim, cum tot capita sint, ex quibus quis iram atque indignationem cleri incurrere & excommunicari queat: 2) ab officiis remouendi sunt: 3) si superiores eosdem non remouerint, ipsi quoque ipso iure bannum hoc incurrunt, & tandem 4) terra *interdicto* pulsatur, vt subditi *tædio interdicti* affecti ad seditionem contra magistratum mouendam excitentur. Id vero ideo constituendum fuit, vt hoc mucrone excommunicationis magistratus quilibet eo strictius adigi queat ad voluntatem *ecclesiæ* seu *cleri imperantis* in omnibus sequendam, & sub tanto periculo quiduis eidem concedendum. In *concil. Valentino de anno 1248. c. 14.* apud EVNDEM *cit. l. p. 427.* idem constitutum esse deprehendo: *Item excommunicati, in consules, potestates, assessores, bailiuos, vel ad alia officia publica nullatenus eligantur: & qui tales scienter elegerint, excommunicentur: & nulla sententia lata per ipsos siue eorum auctoritate valeat; seu processus habiti per eosdem, siue auctoritate ipsorum.* Præterea in *c. 17.* contra eos, qui nihilominus officiis sese ingerunt, hoc cautum: *Item excommunicati publice se officiis ecclesiasticis pertinaciter ingerentes, nec volentes inde recedere, ad sacerdotis, seu prælati mandatum; propter hoc excommunicentur, & a suo prælato excommunicati publice nuncientur, & non nisi per sedem Apostolicam ab hac excommunicationis sententia absoluantur.* Pariter *Albiense* an. 1234. *c. 34.* apud EVNDEM *cit. l. p. 463.* confirmant *Valentini concilii statuta* his verbis: *De excommunicatis autem in consules, potestates, rectores, assessores, bailiuos, vel ad alia publica officia nullatenus assumendis, & illis, qui tales scienter elegerint; nec non illis, qui contra excommunicatores, vel denunciatores excommunicationum, statuta banna faciunt, seu præcepta; ac de excommunicatis publice, qui se officiis ecclesiasticis ingerere pertinaciter non verentur, nec inde volunt recedere, a sacerdote moniti vel prælatis; & de interfectoribus clericorum: supradictum concilium Valentinum seruari volumus & mandamus.* In *c. 31.* omnibus comitibus, baronibus aliisque secularibus potestatibus seuerissime iniungitur, *ne aliquem excommunicatum*

cum magna reipubl. confusione

quod per varia concilia confirmatum.

catum suum iudicem, consiliarium, vel bailiuum faciant, sub pœna minoris excommunicationis.

& in iure canonico fundatum est.

§. XXXVII. Atque cum his quoque doctrina communis iuris Canonici conspirat. Etenim cautum est in *c. 24. X. de sent. & re iud.* sententiam latam fore nullam, *si vnus ex delegatis vinculo excommunicationis publice innodatus fuerit.* Publica tamen denunciatio desideratur, quod euidentius postea & generaliter constitutum est in decretali MARTINI V. *ad euitanda scandala*, quam refert & explicat EVEILLON *cit. tr. tom. I. p. 67.* Vnde quoque ne quidem voluntate partium recipi potest excommunicatus in *arbitrum*, quamuis de eo olim in Germania graues excitatæ lites fuerint. ANTON. RICCIVLLVS *cit. tr. lib. IV. c. 20.* Rationem petunt ex *c. 12. X. de except. ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare teneatur.* Licet enim infames non repellantur, obseruatum tamen iam aliquoties est, fulmen hoc plus operari, quam simplicem infamiam, omnemque communionem prohibere.

excommunicato magistratui supremo deneganda obedientia,

§. XXXVIII. In hunc finem quoque (IV) *magistratui excommunicato, etiam supremo, non amplius parendum, nec ei seruiendum vt domino feudi, sed omne vinculum subiectionis & fidelitatis excommunicatione rumpitur*, adeo, vt tandem summi principes deponendi, & ab officio suo publico remouendi sint. Hæc conclusio, quo iniquior & improbior est, eo grauiori calamitate affixit imperia, regna, principatus, ciuitates. Sed hæc detrimenta & mala publica pastor ecclesiæ vniuersalis, vt dici voluit, parui duxit, & contemnenda esse censuit, vt suo pedo vniuersum orbem subiicere, & supremos imperantes hoc fulminis grauissimi terrore in subiectione & fidelitate continere posset. GREGORIVS VII. audax ille papa, in *c. 4. C. 15. q. 6.* dictatorio suo decreto hoc confirmauit: *Nos sanctorum Prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica autoritate a sacramento absoluimus: & ne eis fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* Pariter VRBANVS II. in *c. 5. ibid.* eandem fulminis huius autoritatem agnouit & approbauit: *Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipsi, quamdiu excommunicatus est, seruiant, prohibeto. Qui si sacramenta prætenderint; moneantur, oportere Deo magis seruire, quam hominibus. Fidelitatem enim, quam Christiano Principi iurarunt, Deo eiusque sanctis aduersanti, & eorum praecepta calcanti,* nulla

nulla cohibentur autoritate persoluere. Id vero tunc inprimis locum habere censuere pontifices, si *vltra annum* in excommunicatione permanserit, & *clauem ligantem* contemserit, quod tunc, prout supra ostensum est, pertinax fiat suspectus de hæresi, cui non amplius seruiendum, nec obediendum, quamuis pontifex maioris securitatis gratia absoluere soleat subditos a *nexu subiectionis* per *c. fin. X. de pœn. c. fin. de haeret.* Conf. RICCIVLLVS *cit. tr. lib. IV. c. 52.*

inprimis si intra annum in excommunicatione stetit

§. XXXIX. GIBALINVS tamen, quamuis e tali familia sit, quæ raro in æquiorem sententiam inclinat, *cit. tr. de sacra iurisd. in ferend. censur. & pœn. eccles. p. 309.* quod mirandum est, in hac quæstione bonam agnoscit fidem, nec putat, hunc effectum, qui atrocissimus est, omnesque improbitate sua superat, per se non cohærere censuræ. Quæstionem enim mouet hanc: *an vasalli & subditi communicare possint cum domino excommunicato?* Respondet: *Posse in iis omnibus, quæ ad homagium & debitam subiectionem spectant, ex nostra regula generali; cum enim vi censuræ principes & alii domini neque dignitatem, neque dominium, neque iurisdictionem amittant; tenebuntur vasalli & subditi ea omnia præstare domino excommunicato vitando, quæ ante excommunicationem debebant; quandoquidem enim manet idem ius in domino, & obligatio in subdito, illa omnino implenda est, & si nequeat impleri absque communicatione, communicandum erit, atque ita soluenda tributa, & alia debita iure subiectionis, etiamsi in propria persona exhiberi debeant, vt sunt homagia quædam personalia; si enim priuatus non amittit rerum suarum dominium per excommunicationem, neque eius prætextu potest spoliari bonorum suorum possessione a domino: quo iure ipse dominus ratione solius censuræ suis iuribus, dominiis, debitis ac bonis spoliabitur a subditis, fidelitatem, obedientiam, tributa, aliaque obsequia, ad quæ præstanda ratione subiectionis tenentur, denegantibus, quando manet eadem subiectio post excommunicationem, quæ ante illam erat?*

Gibalinus tamen hunc effectum excommunicationi non tribuit.

§. XL. Ita quidem recte censet GIBALINVS, quamuis ante omnia disquiri debuisset, vtrum etiam supremus imperans hoc vinculo, quod summi præiudicii est, ligari possit? Assumam interim, quod vt plurimum a curiæ Romanæ asseclis tradi solet, reges excommunicari posse, & tantum de huius fulminis *effectibus ciuilibus* ero sollicitus. Vix enim quisquam est inter Romanæ curiæ addictos, qui hanc quæstionem negauerit, adeo, vt etiam PECHTIVS *cit. tr. §. 7.* inter Protestantes eandem improbe defendendam susceperit. Reformatos quoque in

Supponunt enim reges principesque supremos excommunicari posse.

Gallia vſum *excommunicationis* erga *principes*, qui ſuæ confeſſionis erant, extendiſſe, euidens eſt ex iis, quæ tradit de PLESSIS MORNAY *dans ſes lettres & memoires p. m. 536.* vbi ſingulariter notanda eſt epiſtola Præſidis IEANNINI, vnde frequentior vſus apparet, quem adductus autor *p. 545.* defendit. CONDEVS, vtut ſanguine regio cretus eſſet, a conſiſtorio Rupellenſi excommunicatus eſt; quid? quod HENRICVS IV., quod virginem defloraſſet, a reformatis pœnitentiæ ſubiectus fuerit. Quis ergo mirabitur, doctores eccleſiæ Romanæ hoc dogma acriter defendere, inprimis vero curiæ Romanæ proceres, vtpote animaduertentes, hoc fulmine reges in *officio* & *ſubiectione* erga *eccleſiam* h. e. *magiſtratum eccleſiaſticum* contineri. Poſſe enim ad curiam Romanam vaticinium poetæ applicari perſuaſum hab eo, quod olim de vaſtiſſimo imperio Romano cecinit:

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacisque imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Quod etiam ipſi principes agnouere.

§. XLI. Ceterum tam altas radices hæc ſententia olim egerat, vt etiam ipſi Reges & imperantes hoc agnouiſſe videantur, quorum plurimi id tantum præcauere ſtuduerunt, ne ab epiſcopis vel ſedis Romanæ legatis hoc fulmine tangi poſſent. Hunc in finem Reges Angliæ & Galliæ a curia Romana hoc priuilegio mactati ſunt, ne ab vllo epiſcopo vel legato excommunicari poſſent *absque ſpeciali iuſſione & approbatione ſedis apoſtolicæ*, vt infra *§. pen.* declarabo. Ea vbique inſtar *articuli fidei* doctrina tradebatur, poteſtati ſacerdotali omnia regna eſſe ſubiecta, & ſummos imperantes æque inter *oues* ac reliquos laicos minimos referendos eſſe, ſecundum INNOCENTII III. philoſophiam in *c. 6. X. de maior. & obed. & c. 13. X. de iudic.* & ita æque correctione eccleſiaſtica conſtringendos. Hac eadem doctrina imbutus archiepiſcopus Cantuarienſis ad regem Angliæ EDWARDVM

Fundamenta eius lubrica.

anno 1340. in hæc verba apud WHARTONIVM *in Anglia ſacra P. I. p. 27.* ſcripſit: *Duo ſunt, quibus principaliter regitur iſte mundus: ſacra pontificalis autoritas, & regalis ordinata poteſtas, in quibus eſt pondus tanto grauius & ſublimius ſacerdotum, quanto & de regibus illi in diuino reddituri ſunt examine rationem. Et ideo ſcire debet regia celſitudo, ex illorum vos dependere iudicio, non illos ad veſtram poſſe dirigi voluntatem. Quis enim dubitat, ſacerdotes Chriſti regum & principum omniumque fidelium* PATRES *&* MAGISTROS *cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe dignoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus*

lus magistrum sibi subiugare conetur? plurimique pontificum alii reges alii imperatores excommunicasse testatur autoritas canonica scripturarum. Et si speciale aliquid de personis principum inquiratis, B. Innocentius Arcbadium imperatorem excommunicationis vinculo innodavit, quia concessit Iohannem Chrysostomum violenter a sede sua expelli. Sanctus etiam Ambrosius Mediolanensis archiepiscopus pro culpa, quæ aliis sacerdotibus non adeo videbatur enormis, Theodosium M. imperatorem excommunicationis percussit mucrone. Qui postea præstita satisfactione condigna meruit ab eodem absolui: & de tempore certiori & de consimilibus exempla plurima possunt poni. Ideoque qualescunque pontifices, etsi errore humanitus accidente, non tamen contra religionem fidei nullatenus excedentes, nullatenus videntur a potestate seculari posse vel deberi percelli. Boni principis est, contritas & concussas ecclesias restaurare, ac nouas ædificare, sacerdotes Dei honorare & cum reuerentia summa tueri, ad instar pii principis Constantini, dicentis, cum ad eum fuisset delata quæstio clericorum: Vos a nemine iudicari potestis secularium iudicum, qui estis solius Dei iudicio reseruati iuxta asseuerationem Apostoli dicentis: spiritualis homo (h. e. clericus) *a nemine iudicatur. Consideret igitur vestra serenitas, quanta & qualis sit* FILII *pœna, diuino iure & humano debita & inflicta patris verenda inhumaniter detegentis, patremque innocentem nequiter diffamantis, cui filius, vt præmittitur, tenetur impendere reuerentiam & honorem. Paganorum principes templorum & idolorum suorum pontificibus, quos Flamines appellarunt, non modicum honorem exhibuerunt, & exhibent suo more: Quanto magis Christi ministros & pontifices reuereri tenentur Christianorum principes veri Dei, fideique Christianæ cultores?* Tædet alia addere, quæ ad imbecillitatem iudicii huius PATRIS, qui imperium in regem independentem, sibi vero exemtionem ab omni subiectionis vinculo impudenter adscripsit, vt non mirandum fuerit, regem hac impudentia grauiter offensum fuisse. Ipsa argumenta & exempla tam inania sunt, vt ad Lydium lapidem reuocata per se sine vllo negotio corruant, irrisione quam refutatione digniora. Et tamen his similibusque inermibus fulcris fundata fuit potestas excommunicandi summos imperantes.

Remissius iudicium de excommunicatione regum fert Dupinius.

§. XLII. Quamuis vero ipsa pontificalis potestas excommunicandi imperantes vnanimi ore asseratur, de *modo excommunicandi* tamen dissentiunt doctores ecclesiæ Romanæ, quibusdam *remissius* agentibus, quibusdam excommunicationis *effectus ciuiles* in excommunicatis

tis imperantibus vltra modum extendentibus. Inter illos eminet DVPINIVS *de discipl. eccles. diss. 3. c. 2. p. 279.* vbi præmittit quæstionem præiudicialem aitque: *Itaque hoc vnum inquirendum restat: utrum Reges excommunicari possint; cum enim Romani pontifices a Gregorio VII. ita Reges excommunicarint, vt simul eorum subditos a sacramento fidei absoluerent, regnaque eorum cuilibet occupanda traderent; hinc factum est, vt Regum defensores negarint, absolute Reges excommunicari posse, eo scilicet modo, quo Romani pontifices eos excommunicare conabantur: Verum, si quis exacte loqui velit, dicere debet, Reges absolute ab ecclesia excommunicari posse, hoc est, indignos ecclesiæ communione declarari in rebus spiritualibus, non autem in temporalibus ac ciuilibus; nam proprius effectus excommunicationis, vti modo diximus, non attingit temporalia, sed spiritualia. Nullum autem mihi dubium moueri posse videtur, quin Reges peccatores vel heretici declarari possint hoc sensu ecclesiæ communione indigni. Nam, licet Monarchæ sint, & principes reipublicæ ciuilis, in republica tamen ecclesiastica membra tantum sunt, & legibus eius reipublicæ debent obtemperare, aut ab ea excidere; nam ecclesiæ nullus est Dominus, nullus Monarcha, nullus in ea ab eius legibus immunis. Potest ergo absolute is princeps, qui leges Christi & ecclesiæ violat, ecclesia indignus haberi & declarari.* Postquam vero hanc sententiam quibusdam exemplis illustrauit, subiungit, contra *regulas prudentiæ* hanc excommunicationem esse. Nam *p. 280.* hæc addit: *Verum licet absolute possint excommunicari Reges, non tamen* EXPEDIT, *id facere, plus enim inde detrimenti reipublicæ Christianæ accedit, quam boni; nec id fieri potest sine magno periculo schismatis, pacis publicæ perturbatione, ecclesiæ vexatione, & cæteris calamitatibus, quas inde sequi moraliter, vt aiunt, certum est. Quapropter iuxta regulam superius ex Augustino traditam,* VIX VNQVAM *debent excommunicari Reges ac principes: atque hinc in Imperatores Christianæ religioni infensissimos & hæreticis addictissimos nullam excommunicationis censuram antiqui episcopi fulminasse leguntur, ne scilicet eos grauius exacerbarent aduersus ecclesiam. Quis ignorat, quantum fuerit Constantii in hæreticos studium? Cui sunt ignotæ vexationes, quibus episcopos orthodoxos in ecclesia affecit? Non tamen propterea quisquam eum excommunicauit, non Anastasius, non Osius, non Liberius vllam in eum excommunicationis dixere sententiam. Valentem Arianum nemo a communione ecclesiæ expulit, imo Basilius eum ad sacra mysteria admisit, teste* THEODORITO *lib. 4. hist. c. 19. Zenonem Imperatorem fidei catho-*

putatque illam non prudenter regibus infligi.

catholicæ iniquiorem & hæreticis fauentem benigne adhortati sunt Romani Pontifices, nec censuris eum percusserunt, sed totam culpam in Acacium refudere: vide Epistolam tertiam Felicis tertii ad Zenonem, & Gelasii epist. 11. ad Dardanos. Vitalianus Papa Constantem, Heraclii nepotem, hæreticum, fratricidam & sacrilegum, qui Martinum e sede deiecerat, & relegatum fame confecerat, qui in Maximum & eius discipulos sæuierat, non modo non excommunicauit, sed & honorifice excepit. Gregorius Magnus legem Mauritii parum æquam promulgauit, nec propter eam illum excommunicatione perculit, sed vt legem reuocaret, decenter admonuit. Idem Pontifex Phocam, crudelissimum Mauritii interfectorem, non modo non excommunicauit, sed & multis laudibus extulit. Ex quibus, & aliis innumeris, quæ hic afferri possent, abunde liquet, reges & principes, licet malos, in ecclesia tolerandos sæpius esse, quam excommunicandos. Hæc, quæ tradita sunt, qui examinat, facile mecum in eam ibit sententiam, reges principesque excommunicari non debere, inprimis, postquam adeo a prisca sua indole desciuit excommunicatio, vt non tantum in *pœnam ciuilem* penitus degenerauerit, sed etiam *iacturam status ciuilis* non possit non secum ferre, quæ in principe ipsum publicum afficit statum, remque publicam euerit, turbat, destruit, quod a verbo DEI & intentione Saluatoris alienum est. Qualecunque ergo temperamentum huic regum principumque excommunicationi in ecclesia Romana circumponatur, palam tamen est, illud absque effectu & inane esse, quod doctrina communis, imo curiæ Romanæ eidem repugnet.

quæ argumenta ostenduut, reges excommunicandos non esse.

§. XLIII. Ipse Pontifex Romanus hoc dogma a temporibus GREGORII VII. omnibus modis propugnandum censuit, *reges non tantum posse excommunicari, sed excommunicatos etiam deponi, & regno suo priuari*, qui effectus ex doctrina plus iusto extensa de *fuga excommunicatorum* & maxime *hæreticorum absoluta* deriuandus est. Equidem OTTO Frisingensis *lib. VI. c. 35.* dum GREGORII VII. audacissima facinora enarrat, hæc præmittit: *lego & relego Romanorum regum & imperatorum gesta, & nusquam inuenio, ante hunc a Romano pontifice vel excommunicatum, vel regno priuatum.* Prius tamen simpliciter negari nequit, bene tamen posterius, quod primus GREGORIVS VII. ex doctrina communi traxit, & in vsum deduxit. En ius decretum funestum in imperatorem HENRICVM IV. *in concilio Romano* VII. apud HARDVIN. *tom. VI. P. I. concil. p. 1591. Quapropter confidens de iudicio & misericordia Dei, eiusque piissimæ matris, semper*

Gregorii VII. methodus in excommunicando imperatore & deponendo.

virginis Mariae, fultus vestra autoritate, saepe nominatum Henricum, quem regem dicunt, omnesque fautores eius excommunicationi subiicio, & anathematis vinculis alligio: & iterum regnum Teutonicorum & Italiae ex parte omnipotentis Dei & vestra interdicens ei, omnem potestatem & dignitatem illi regiam tollo, & vt nullus Christianorum ei sicut regi obediat, interdico; omnesque, qui ei iurauerunt, vel iurabunt, de regni dominatione, a iuramenti promissione absoluo. Vt autem se ad hoc improbum facinus legitimaret, hæc ex communi doctrina adiecit: *Agite nunc, quaeso, patres & principes sanctissimi, vt omnis mundus intelligat & cognoscat, quia, si potestis in caelo ligare & soluere, potestis in terra imperia, regna, principatus, ducatus, marchias, comitatus, & omnium hominum possessiones pro meritis tollere vnicuique & concedere. Vos enim patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, episcopatus frequenter tulistis prauis & indignis, & religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia iudicatis, quid de saecularibus vos posse credendum est? & si angelos dominantes omnibus superbis principibus iudicabitis, quid de illorum seruis facere potestis? Addiscant nunc reges, & omnes saeculi principes, quanti vos estis, quid potestis, & timeant paruipendere iussionem ecclesiae vestrae: & in praedicto Henrico tam cito iudicium vestrum exercete, vt omnes sciant, quia non fortuito, sed vestra potestate cadet. Confundatur vtinam ad paenitentiam, vt spiritus sit saluus in die Domini.*

quo modo se ad hoc legitimauerit.

Curiae Romanae praxis noua anno 1614.

occasione libri a Suaresio editi,

§. XLIV. Neque posthac curia Romana hanc hypothesin dereliquit, sed quauis occasione propugnauit. Adhuc anno 1614. occasione libri a SVARESIO, societatis Iesu theologo editi, cui titulus: *defensio fidei Catholicae & Apostol. contra errores sect. Anglic.* graues mouit fluctus PAVLVS V. contra Parlamentum Gallicanum, quod hunc librum, vt impium, condemnauerat, in quo tamen pontificis potestas deponendi reges, & subditos ab omni vinculo absoluendi asserta erat. Fata huius certaminis refert VASSOR *in histor. Ludov. XIII. tom. I. p. 532. sqq.* Ipse pontifex non erubuit, doctrinam SVARESII defendere, & publice hæc Gallis obiicere: *Autor hic rationem omnino habuit asserendi, me accepisse potestatem excommunicandi supremos principes haereticos, eosque etiam regno priuandi, quando in peruersis suis opinionibus subsistunt, simulque cogere subditos ad earum receptionem nituntur. Si Iesus Christus non dedisset hanc potestatem Petro, eiusque successoribus, sane non satis conseruationi ecclesiae suae prospexisset. Nunquam Deus permittat, vt me eiusmodi praeuaricationis reum faciam,*

&

& derelinquam propugnationem iuris cathedræ S. Petri competentis, in qua me Deus collocauit. vid. VASSOR *cit. l. pag.* 543. Equidem in *comitiis regni vniuersalibus* anno eodem, quem designaui, status regni *d.* 15. *Dec.* hunc articulum contra curiæ Romanæ dogmata proposuerunt, & teste VASSORE *cit. tr. tom. II. p.* 74. sanctione muniendum censuerunt: *Que pour arreter le cours de la doctrine pernicieuse, qui se repandoit depuis quelques années contre les Rois & contre les Puissances souveraines etablis de Dieu, sa majesté seroit suppliée de faire publier dans l' assemblée des Etats Generaux comme une loi inviolable & fondamentale du Royaume, que le Roi etant reconnu souverain en France, & ne tenant son autorité, que de Dieu seul, il n' y a sur la terre aucune puissance spirituelle ou temporelle, qui ait droit de le priver de son Royaume, ni de dispenser ou d' absoudre ses sujets, pour quelque cause que ce soit, de la fidelité & de l' obeïssance, qu' ils lui doivent. Que tous les Francois generalement tiendront cette loi pour sainte, veritable & conforme à la parole de Dieu, sans nulle distinction, equivoque ou limitation. Qu' elle sera jurée par tous les Deputés aux Etats Generaux, & desormais par tous les beneficiers & Magistrats du Royaume, avant que d' entrer en possession de leurs benefices ou de leurs charges. Que tous les Precepteurs, Regens, Docteurs & Predicateurs seront tenus de la defendre. Que l' opinion contraire, aussi bien, que celle, qui permet de tüer & deposer les Souverains, & de se revolter contre eux pour quelque raison, que ce soit, seront declarées fausses, impies, detestables, & contraires à l' etablissement de la Monarchie Françoise, qui depend immediatement de Dieu seul. Que tous les livres, qui enseigneront cette mauvaise doctrine, seront regardés comme seditieux & damnables. Que tous les etrangers, qui entreprendront de la soutenir, seront censés ennemis de la couronne. Que tous les sujets du Roi, qui l' embrasseront, de quelque qualité & condition qu' ils puissent etre, seront punis, comme rebelles, infracteurs des Loix fundamentales du Roiaume, & criminels de lezé majesté au premier chef. Que si quelqu' etranger ecclesiastique, ou religieux publie un ouvrage, qui contienne des propositions directement, ou indirectement contraires à la Loi reçû, les ecclesiastiques ou religieux des memes ordres, seront tenus de refuter le livre de leur Confrere sans aucun egard & avec toute la bonne foi possible, sous peine d' etre punis comme fauters des ennemis de l' Etat.* Enimuero clerus Gallicanus eo tempore, quod mirandum, ingentes mox clamores excitauit, ac hunc articulum admittere prorsus noluit, vt

contra ausus parlamenti Gallicani.

vt IDEM *cit. l. p.* 77. plenius enarrat. IDEM præcipue Cardinalis PERRONII audaciam depingit, adeo, vt hæ concertationes publicæ impediuerint, ne huic articulo *de iure pontificis deponendi reges*, dicam scripserit clerus Gallicanus.

In Gallia anno 1682 per edictum doctrina Romanæ curiæ de depositione regum reprobata & damnata est.

§. XLV. Enimuero quod eo tempore ob concertationem cleri non potuit in effectum deduci felicem, tandem LVDOVICVS XIV. in edicto *de anno 1682. d. 23. Mart.* effecit, atque *quatuor propositiones* publicauit, ab archiepiscopis & episcopis Parisiis congregatis, declaratas atque determinatas. Prima huc redit: *regentes & principes nulli ecclesiæ potestati Dei ordinatione subiici, neque autoritati clauium ecclesiæ directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia ac præstito fidelitatis sacramento solui posse, eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus ecclesiæ quam imperio vtilem, vt verbo Dei, patrum traditioni & sanctorum exemplis consonam, omnino retinendam.* Hæc doctrina per *sanctionem pragmaticam* adeo approbata est, vt nihil illi contrarium a quocunque, in quocunque collegio, in posterum doceri, literis prodi, aut inculcari debuerit, grauissima pœna delinquentibus imposita. Hoc edictum non potuit non crabrones irritare, & adulatores curiæ Romanæ ad arma conuocare, quibus illud impugnarent, vt iam *tit. de accusat. tom. IV. §. 69. n. 3. & 4.* obseruaui. Etenim mox contra illud prodiit *defensio sedis S. Petri* auctore P. AGVIRRIO, quo tractatu facile obtinuit, vt ab INNOCENTIO XI. dignitate Cardinalitia post biennium decoraretur. Anno 1684. quoque personatus quidam EVGENIVS LOMBARDVS *SS. Theol. & I. V. Doctor* illud acriter impugnauit in tr. cuius inscriptio: *Regale sacerdotium Romano pontifici assertum*, optime se functum suo officio existimando, si ex *textibus iuris canonici* impetum in has quatuor propositiones faceret, quos *p. 127. sqq.* cum magno apparatu in aciem producit, vt *cit. l.* iam monstraui. Admodum insipide! cum pontifex vt testis in causa propria aduocetur, imo vt *iudex in causa sua*, in qua sibi ineptissimo conatu imperium in vniuersum orbem asseruit, vt recte dicere possis:

A nonnullis impugnatum.

nam quis iniquæ
Tam patiens vrbis, tam ferreus, vt teneat se.

Si tam ἀσύστατα, tam misera & lepida commenta in medium producuntur, difficile omnino est, censuram non scribere. Sed etiam præterea alia scripta, hanc *declarationem Gallicanam* impugnantia, eo tempore in publicum prodiere, nil nisi hæreses, schismata, aliaque rem chri-

christianam turbantia mala ex his *quatuor propositionibus* deriuantia, quæ tamen mera ſpectra, quibus creduli terrentur, fuere. Verum etiam in Gallia non defuerunt, qui patrocinium huic *declarationi* præſtarent, inter quos quoque MAIMBVRGIVS nominandus, qui iam annis grauis anno 1685. edidit: *Traité hiſtorique de l' etabliſſement & des prerogatives de l' Egliſe de Rome & de ſes evêques*, cuius epitomen ſuccinctam dederunt *acta eruditorum Lipſienſia Menſ. Mai. 1685. p. 216. ſqq.* Sed longe ſolidior & maiori cum apparatu conſcripta eſt *defenſio declarationis celeberrimæ, quam de poteſtate eccleſiaſtica ſanxit clerus Gallicanus XIX. Mart. MDCLXXXII.* ab epiſcopo Meldenſi IACOBO BENIGNO BOSSVETTO, *ex ſpeciali iuſſu* LVDOVICI *magni Chriſtianiſſimi Regis.* Diu latuit hoc præſtantiſſimum opus, diu etiam deſideratum, tandem vero propter feruentia partium ſtudia in Gallia e latebris erutum, & anno 1730. in lucem emiſſum, vt inde conſtaret, quæ genuina Gallicanæ eccleſiæ doctrina ab antiquo fuerit, edicto regio etiam corroborata, inſignem vſum contra noua aulæ Romanæ attentata habitura.

Propugnatum vero a Maimburgio, & Boſſuetto.

§. XLVI. Nondum videlicet concoquere potuit curia papalis cladem imaginariam, immenſæ poteſtati ſuæ illatam per edictum regium de anno 1682, quo ius deponendi reges, ſubditosque ab obedientia abſoluendi prorſus conculcatum atque e ſcholis Galliæ eradicatum erat. Spes nulla ſupererat, hanc doctrinam a clero Gallicano reuocatum iri, hinc alia via, per machinationes pias, agendum, & quod vi non potuit, callidis conſiliis *per indirectum* reducendum erat. Hunc in finem pontifex anno 1729. *officium nouum* ſeu *ordinem* honori GREGORII VII. dicatum, cuius feſtum *d. 25. Mai.* ſacratum erat, approbauit, voluitque vt *breuiariis* adiiceretur. Plagulæ hæ miniſterio monachorum, ad id aptiſſimorum, ſparſæ etiam erant per *Galliam*, non ſine indignatione Epiſcoporum & Parlamenti. Aduocatus regis PETRVS GILBERTVS VOISINIVS inſidias *propoſitioni primæ* antea adlatæ ſtrui animaduertens, nomine communi aduocatorum in Parlamento hæc propoſuit: „Meſſieurs, une feuille imprimée *pour ſervir du ſupplement au Breviai-„re Romain* ſe repand depuis peu dans le Roiaume: & dans cette feu-„ille, où ſe trouve *un office conſacré à la memoire du pape Gregoire „ſeptieme*, nous voions avec le derniere etonnement, ce qu' il y a de „plus capable d' inſpirer *l' excès des prétenſions Vltramontaines.* „Nous n' avons pas beſoin, de vous entendre ſur tout ce qui compoſe „cet office. Vous en jugerez par vous-memes à l' inſpection de l' im-

Curiæ Romanæ inſidiæ contra hoc edictum.

Per publicationem noui officii Gregorio VII. dicati.

Quod coram Parlamento impugnatum.

„primé, que nous laisserons sous vos yeux. Et que pourrions-nous „ajouter à l' impression de ces paroles toutes seules, qu' on voit dans „l' une des leçons? *Contra Henrici imperatoris impios conatus fortis „per omnia athleta impauidus permansit, seque pro muro domui Israel „ponere non timuit: ac eundem Henricum in profundum malorum pro-„lapsum fidelium communione regnoque priuauit, atque subditos populos „fide ei data liberauit.* On savoit assez, que Gregoire VII. si celebre „par ses differends avec l'Empereur Henri IV, est celui, qu' on a vû „porter plus loin *ces prétensions ambitieuses, inouies dans les premiers „siecles de l' eglise*, qui causerent de si grands troubles & allûmerent „des guerres si cruelles de son tems. Mais, qu' il soit permis de le dire, „on n' avoit pas lieu de s' attendre de voir entrer dans son eloge, & „célebrer dans un office ecclésiastique *l' excès, où le conduisirent enfin „des principes si dangereux. Est-ce donc le chef-d' oeuvre de son zéle, „d' avoir entrepris de priver un Roi de sa couronne, & de délier ses „sujets du serment de fidelitée?* Et pouvons-nous voir sans douleur, „qu' on apuie sur un fait *si digne d' etre enseveli dans l' oubli*, les titres, „qu' on lui donne de *defenseur de l' eglise, de restaurateur de la liberté, „de rempart de la maison d' Israel?* Pourquoi faut-il, que les vestiges „d' un entreprise, dont le tems sembloit affoiblir la memoire, repa-„roissent ajourd' hui jusques sous nos yeux, qu' ils viennent encore „exciter notre devoir & notre zele? souffrirons-nous, qu' à la faveur „*de ce pretendu supplement du Breviaire Romain*, on mit dans les „mains des fideles, dans la bouche des ministres de la religion, ius qu' „au milieu de nos saints Temples & de la solennité du culte divin, „ce qui tend à ebranler les principes inviolables & sacrez de l' atta-„chement des sujets à leur souverain, & ce qui blesse les maximes, „que l' on a toujours maintenues dans ce Royaume tres-Chretien avec „la constance la plus invincible? Engagez par le devoir de nos char-„ges, nous addressons à la cour, dont l' autorité s' est toujours si „heuresement emploiée pour la conservation de ce dépôs précieux. „Par les conclusions, que nos avons prises par ecrit, nous avons l' hon-„neur de lui proposer ce qui paroit le plus convenable dans l' occa-„sion, qui nous excite aujourd'hui, & nous attendons avec une juste „confiance, ce qu' il lui plaira de statuer à se sujet.„ Hac facta pro-positione Parlamentum Parisiense publico decreto prohibuit sub gra-vissima pœna tum eius vsum lectionemque, tum commercium, quo ipso non potuit non grauiter offendi curia Romana, vt traditur

A Parlamento condemnatum.

dans

dans le Mercure historique & politique tom. 87. Mens. Aug. 1729. pag. 127. sqq. additumque *p. 133.*, eadem fata quoque hanc nouam formulam in Germania habuisse, nonnullisque in locis ope carnificis publice combustam.

§. XLVII. Hac curiæ Romanæ indignatione non obstante, plures episcopi in Gallia præterea per *mandata* huius *officii* vsum prorsus interdixerunt, vt *episcopus Antissiodorensis*, cuius interdictum tam ægre tulit BENEDICTVS XIII., vt *in bulla de anno 1729. d. 17. Sept.* illud irritaret & annullaret, relata *in bull. magno tom. X. p. 408.* *Metensis episcopus* pariter publico mandato eius vsum lectionemque inhibuit, quod insigne veritatis documentum continet, vt illud hic repetere conducibile visum fuerit:

Prohibitus eius vsus ab episcopo Antissiodorensi, Metensi,

„HENRI CHARLES DV CAMBOVT, par la permission divine, „Evêque de Metz, Prince du St. Empire, Duc de Coislin, Pair de „France, Baron des anciennes Baronnies, de Pontchâteau, & de la „Rochebernard, Pair & Président né des Etats de Bretagne, premier „Baron de Champagne, premier Aumônier du Roi, Commandeur „de l' ordre du St. Esprit. Au Clergé Seculier & Regulier, & aux „Fideles de notre Diocese Salut & Benediction en notre Seigneur. „La fidelité, que les sujets doivent à leur Souverain, est consacrée „par des Oracles si clairs & si précis de l' Ecriture Sainte & de la „Tradition; elle est conforme aux Regles les plus communes de la „Loi naturelle, & si nécessaire à la conservation de la Societé, a la „sûreté des Peuples & à la tranquillité des Monarchies, qu' on ne „peut donner atteinte à une obligation inviolable par tant de titres, „sans ébranler des fondemens de la Religion & de l' Etat. Jesus-„Christ a ordonné, *de rendre à Cezar ce qui est à Cezar, comme à „Dieu ce qui est à Dieu.* Les Apôtres, ces Interpretes infallibles de „l' Evangile, nous ont enseigné, *que c' est la volonté de Dieu*, que nous „soyons *assujettis au Roi.* Que toutes les Puissances Souveraines *sont „de Droit Divin.* Que tout le monde *doit leur être soumis.* Que *qui „leur resiste, resiste à l' ordre de Dieu.* Qu' il faut *leur obéir non seule-„ment par la crainte des peines, mais encore par un devoir de conscience.* „Les Peres de l' Eglise, fideles Depositaires des Dogmes Evangeliques, „nous ont constamment enseigné dans tous les siecles la même Doctri-„ne. ATHENAGORE, dans *son Apologie pour les Chrêtiens*, addressée „aux Empereurs Marc Aurele & Commode, leur dit, qu' on voit en „eux *une Image du regne Celeste;* que le Ciel les a revêtus *de la Souve-*

Cuius Mandatum adfertur.

„*raine Puissance*, & *qu' ils ne tiennent l' Empire*, *que de Dieu*. *Regno* „*diuinitus in vos collato*. St. IVSTIN, Martir, dans sa *seconde Apologie*, „dit à l' Empereur *Antonine le Pieux*, que Iesus-Christ a appris aux „Chrétiens, *à n' adorer que Dieu*, & *à être soumis au Prince en toute* „*autre chose*. TERTVLLIEN, aprés avoir dit, que c' est de Dieu, que „les Princes tiennent leur Puissance, ajoute, que dans le Gouvernement „temporel ils n' ont que Dieu au-dessus de leur tête: *a quo sunt se*„*cundi, post quem primi*. St. OPTAT, Evêque de Milêve, reprochant „à Donat ses attentats contre l' Autorité du Prince, lui dit, *qu' au*„*dessus de l' Empereur il n' y a que Dieu*, *qui l' a fait Empereur*, & „*que c' est aller au-delà des justes limites de la condition humaine*, *que* „*de ne pas craindre celui*, *qui*, *aprés Dieu*, *doit être craint de tous les* „*Hommes*. St. IEAN CHRISOSTOME nous decouvre toute l' étenduë „de cette grande maxime du Christianisme. *St. Paul nous montre*, „dit il, *que ce Commendement oblige le Clergé Seculier & Regulier*, „*aussi bien que les Personnes Laïques*, *lorsqu' il déclare*, *que tout Homme*, „*soit Apôtre*, *soit Evangeliste*, *soit de tout autre Rang*, *doit être soumis* „*aux Puissances suprêmes* : & *cette sujettion n' est pas contraire à la* „*Religion*, *parceque c' est Dieu*, *qui l' a établie en établissant la Souve*„*raineté*. St. FVLGENCE parlant à un Roi Arien lui dit : *Nous sa*„*vons*, *que c' est liberalité de Dieu*, *qui vous a élevé au faîte de la* „*Dignité Royale*. St. GREGOIRE *le Grand* ecrivant à l' Empereur „Maurice au sujet d' une Loi Imperiale nouvellement faite, & que „ce St. Pape desaprouvoit avec raison, ne s' éleva pas contre l' Auto„rité de ce Prince, il ne se porta pas à le ménacer, à le détrôner, à soule„ver contre lui ses Sujets: Mais, aprés lui avoir hardiment remontré l' „injustice de sa nouvelle Loi, il lui rendit humblement comte de la „publication, quil en avoit faite, suivant en cela *le devoir de sa charge*, „& *se reconnoissant son Serviteur* & *son Sujet*. Vne verité si claire, „appuyée sur des principes si solides, autorisée par la prédication com„mune, confirmée par la pratique de l' Eglise pendant une durée de „plus de mille ans, sembla s' obscurcir sur la fin du XI. siecle; Vn „Pape, (GREGOIRE VII.) dont il eut eté à souhaiter, que l' integri„té des moeurs & la grandeur du courage eussent été accompagnées „de lumieres plus pures, & de sentimens plus mesurez sur l' Autori„té, que son Siege a recûë de Iesus-Christ, crût être en droit, *de se ren*„*dre en quelque maniere le Roi des Rois*, *de les renverser de leurs* „*Trônes*, & *de délier leurs Sujets du Serment de fidelité*. La Condui-

„te

„te de ce Pape, fondée fur une prétenfion fi chimerique, fi contraire „au Repos public, & à l' ordre etabli, de Dieu, mais en meme tems fi „flatteufe & fi éblouiffante, ne trouva que trop d' Imitateurs parmi „ceux, qui fuccederent à fon Esprit, auffi-bien qu' à fa Dignité. „Mais quelles en furent les fuites? Les Hiftoriens les plus devoüez „aux interêts de la Cour Romaine, nous en font uné peinture affreufe. „Les Revoltes & les guerres les plus funeftes déchirerent l' Europe; „des Fleuves de Sang inonderent l' Italie & l' Allemagne; les Schismes „& les Herefies fe multipliérent; on ne vit plus que relachement de „la Difcipline, que débordement des vices, que factions, dont la fu„reur alluma le feu de la divifion entre les Nations & les Villes, & „jusques dans le fein de Familles. *Une doctrine, qui n' a pû produire „autre fruit, que d' attirer fur la Chrétienté ce déluge de maux, peut„elle venir du ciel?* Non, la puiffance, que les Apôtres ont recûë de „Iesus-Chrift, ne peut fervir qu' à l' édification, & jamais à la deftru„ction: Celui par qui les Rois regnent, en établiffant le Sacerdoce, „n' a pas prétendu renverfer l' Empire, ni aneantir fes Droits les plus „legitimes, puisqu' au contraire, pour raffurer les Puiffances du Siecle „contre les ombrages, qu' elles pourroient prendre du Pouvoir de l' „Eglife, Pouvoir fuprême, mais tout fpirituel, tout renfermé dans „les chofes fpirituelles; il dit au Magiftrat, qui reprefentoit l' Empe„reur Romain, que fon Roiaume n'eft pas de ce monde. L'experien„ce de tant d' Evenemens funeftes, qui avoint pris leur fource dans „les Entreprifes de GREGOIRE VII. fembloint avoir depuis long tems „arrêté le cours de cet embrafement; mais il en a paru depuis peu „une etincelle, qui feroit capable de le ralumer, fi chacun de ceux, „que le Pere celefte a mis à la garde de fa maifon, n' accourroit pour „en prévenir la communication dans la portion du troupeau, qui lui „a été confiée. Il vint de fé repandre une feuille imprimée pour „fervir de Supplement au Breviaire Romain; & dans cette feuille, „que contient un Office confacré à la Mémoire GREGOIRE VII., les „Prelats & les premiers Magiftrats du Royaume ont apercû, ce qu'il „y a de plus capable d' infpirer l' excès des Prétentions Vltramon„taines. On lit dans la 5 Leçon cet Office, *que ce Pape refifta cou„rageufement & comme un athlete intrepide aux efforts impies de l' „Empereur Henri; qu'il ne craignit pas, de s' oppofer comme un mur „pour la Maifon d' Ifrael, & que le meme Henri etant tombé dans un „abime de maux, il le priva de la communion des Fideles & de fon*

 Roy-

„*Royaume*; *& déchargea ses Sujets de la fidelité*, *qu' ils lui avoient ju-*
„*rée*. La connoissance, que nous avons de votre zele pour la Person-
„ne du Roi, & de votre fidele attachement au Servic de Sa Majesté, & a
„l' obeïssance, que vous devez à vos Souverains, ne nous laisse au-
„cun lieu de douter, que vous ne soyez touchez aussi sensiblement,
„que nous l' avons été, en voyant dans ce peu de paroles un dessein
„formé de proposer au Clergé & aux Peuples, comme un Eloge de-
„stiné à rendre croyable la Sainteté d' un Pape, *ce qui suivant les prin-*
„*cipes de la Foi & les lumieres de la Raison*, *ne devroit servir qu' à*
„*la condamnation de son Gouvernement*. Votre piété, sans doute,
„s' est senti d' autant plus blessée, que cet étonnant office a été ren-
„du public, sous les apparences d' une Autorité empruntée de celle
„du St. Siege. Mais cette vûë ne doit point allarmer votre venera-
„tion pour ce premier Siege de l' Eglise. Le S. Pontife, que la Pro-
„vidence a placé sur la Chaire de St. Pierre, n' a eu nulle part à la com-
„position, encore moins à la publication de cet artificieux Ouvrage.
„Il a appris dans l' Ecole de ce Chef des Apôtres, le respect & l' obeïs-
„sance, qui est dûë aux Souverains. Il préfere à cet égard les instru-
„ctions & l' exemple de St. Gregoire le grand, a la conduite & aux
„Entreprises de GREGOIRE VII., l' humilité du Serviteur des Ser-
„viteurs de Dieu, éloigne de son coeur les pensées de Maitre des
„Sceptres & des Couronnes. Et sa sagesse est trop ecclairée pour ne
„pas voir, qu' une pretension si mal fondée n' est capable, que d' aigrir
„les Princes, & d' indisposer les Peuples. A ces Causes, Nous vou-
„lant dans une occasion aussi importante, donner au Roi des preuves
„de la fidelité, que nous lui avons vouée; à l' Empereur, à S. A. R.
„de Lorraine, & aux autres Souverains, qui ont quelque portion de
„leurs Etats dans notre Diocese, de l' attention que nous aurons toû-
„jours pour ce, qui les interessera, & pour preserver les Ames com-
„mises à notre charge, des illusions, que le Prétexte d' une pieté mal
„entenduë pourroit leur faire. Vü ladite feuille, commençant par
„ces mots: *Le 25. Mai*, *Fête de St. Gregoire VII.*, *Pape & Confesseur*;
„& finissant par ceux-ci: *On dit la Messe*, *Statuit*: A vons defendu
„& défendons par ses Présentes, a toutes les Communautes, & à
„toutes les Personnes de l' un & de l' autre Sexe de notre Diocese, soi
„disant exemptes, qui se servent du Breviaire Romain, ou qui recitent
„les Offices de noveaux Saints, qu' on infere dans ce Breviaire, de re-
„citer, soit en public, soit en particulier, l' Office imprimé dans la dite
„feuille.

„feuille. Défendons pareillement à tous Imprimeurs, Libraires & „à tous autres, d' imprimer, vendre ou diftribuer la meme Feuille. „Ordonnons, que les Exemplaires en feront rapportez au Greffe de „notre Chambre Epifcopale; le tout fous les peines de Droit. Et fe„ront les Préfentes lûës & publiées par tout, où befoin fera. Don„né à Frefcati, fous notre Seing, celui du Secretaire de notre Cham„bre, & le Sceau de nos Armes, le 16. du Mois d' Août 1729.

Henri Charles du
Cambout.

§. XLVIII. Eminentiora veritatis teftimonia adhuc deprehendi in fequenti mandato, quod exhibet *Mercure hiftorique & politique cit. l. p. 374. fqq.* priori ibidem *p. 250. fqq.* relato:

Idem quoque factum in alio mandato epifcopali.

„CHARLES IOACHIM, par la permiffion divine, evêque „de Montpellier: au clergé feculier & regulier & à tous les fideles de „notre Diocefe falut & benediction en Jefus Chrift notre Seigneur. „Dieu a mis entre le facerdoce & l' empire, mes très-chers Freres, „des bornes, qu' il n' eft pas permis de transgreffer. Jefus Chrift „les a marquées dans fon evangile avec des caracteres ineffaçables. „En ordonnant à rendre à Cezar, ce qui apartient à Cezar, & à Dieu, „ce qui apartient à Dieu, il a voulu nous faire comprendre, que les „devoirs, que nous contractons comme membres de l' eglife, ne don„nent aucune atteinte à ceux, que nous avons contractez comme „membres de l' etat. Quelque difproportion qu' il y ait entre les „Royaumes de la terre & le Royaume de Jefus Chrift, nos obliga„tions envers le Roi ne ceffent point par le regne fublime, au quel „la religion nous eleve. Nous ne perdons point la qualité de mem„bres de l' etat, en devenant Citoiens de la même cité que les faints. Oui, „mes très cheres freres, le chriftianisme, loin de détourner les peuples „de la foumiffion, qu' ils doivent à leurs fouverains, ne fait que reffer„rer les liens, qui uniffent les Rois avec leurs fujèts. L' infidele „obéït à fon prince par des vûës terreftres; le Chretien par des motifs „autant élevez, que la religion, qu' il profeffe, eft éloignée des chofes „de la terre. Que les Rois le plus jaloux de leur autorité ne craignent „donc point de voir naitre la religion Jefus Chrift dans leurs „etats. Celui qui donne des couronnes eternelles, ne leur envie point „la puiffance temporelle, dont ils font revêtu. Au contraire, parcè qu' elle

„qu' elle vient de Dieu, & quelle eſt néceſſaire dans l'ordre civile, Je-
„ſus-Chriſt s' y eſt ſoumis jusqu' à ſe livrer à celui, qui le jugoiet
„injuſtement. C'eſt ſur cet exemple, mes tres-chers freres, que nos
„peres ſe ſont conduits *durant mille ans.* Heureux les ſiecles, qui ont
„ſuivi, ſi jamais on ne ſe fut ecarté de ces regles inviolables! GRE-
„GOIRE VII. eſt un de ceux, qui ait paru les méconnoitre d' avan-
„tage. Placé ſur le premier ſiege de l'egliſe, dans un tems, ou l' ini-
„quité abondoit de toutes parts, il crût, pour y remedier, ne devoir
„donner aucunes bornes à l' autorité, dont il ſe voioit revêtu. Il
„la porta iusq' à entreprendre de dépoſer les Rois, d' abſoudre leurs
„ſujets du ſerment de fidelité, & de leur défendre d' obéïr à leurs
„princes, ſous peine d' anathême. *Maudit eſt celui, qui n' enſan-
„glante pas ſon epée* diſoit-il. Il vouloit arrêter tous ſes ſcandales,
„& il ne voioit pas, que ſon zele lui en faiſoit commettre, qui de-
„mandoient les remedes les plus promts & les plus efficaces. Quel
„ſera donc votre etonnement, mes trés-chers Frères, en aprenant,
„*qui l' on s' efforce aujourd' hui de canoniſer ces excès, & de les
„faire paſſer pour l' ouvrage de l' Esprit Saint.* Nous avons, entre les
„mains une feuille imprimée, qui contient un prétendu office pour
„la Fête de Gregoire VII. On y lit dans les leçons du ſecond Noctur-
„ne, que Gregoire s' eſt montré en tout un athlete intrepide contre
„les efforts impies de l' empereur Henri: qu' il s' eſt exposé comme un
„mur pour la defenſe de la maiſon d' Iſraël: qu' il a privé de la com-
„munion & de ſon Roiaume le même HENRI, qui étoiet tombé dans
„un abime de maux & qu' il a abſous les ſujets du ſerment de fidelité,
„qu' ils lui avoient prêté. *Contra Henrici imperatoris impios cona-
„tus fortis per omnia Athleta impauidus permanſit, ſeque pro muro do-
„mui Iſrael ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum
„malorum prolapſum fidelium communione regnoque priuauit atque
„ſubditos populos fide ei data liberauit.* Ainſi, l' on fait devant
„Dieu un ſujet de merite à Gregoire d' une entrepiſe, dont les ſui-
„tes ont couté tant de larmes & tant de ſang à l' egliſe, au lieu qu' il
„faudroit combler d' eloges les peuples, qui auroient ſuffert jusqu' à
„l' excommunication, plûtôt, que de manquer de fidelité à leur Em-
„pereur, même excommunié. En effet, un pere excommunié ne
„perd pas l' autorité, que la qualité du pêre lui donne ſur ſes Enfans.
„L' excommunication le retranche de ſein de l' egliſe, & lui fait per-
„dre, ſi elle eſt iuſte, le droit qu' il avoit au biens ſpirituels, dont
„jouïſſent

„jouïssent les membres du corps mistique de Jesus-Christ; mais, tout
„excommunié qu' il est, il conserve sur ses Enfans, & sur leurs biens
„temporels la meme puissance & le même domaine qu' auparavant.
„Il en est ainsi de l' autorité du prince sur ses sujets. Est il nécessai-
„re pour le bien de prince, ou pour celui de l' eglise, d' en venir
„jusqu' à l' excommunication contre lui? Les premiers Pasteurs sont
„en droit de le frapper du Glaive spirituel, que Jesus-Christ leur a
„mis en main, pour punir les grandes crimes. St. Ambroise retran-
„cha de la communion l' Empereur Theodose, & ne le retablit, qu' après
„qu' il eut donné des marques publiques de son repentir. Mais s' il
„est des cas où les premiers pasteurs peuvent excommunier les prin-
„ces, il n' en est point où les papes puissent les priver de leur Royaume,
„& dispenser les sujets de la fidelité qu' il leur doivent. Les deux pre-
„miers Apôtres, qui ont fondée l' eglise de Rome, & qui l' ont ar-
„rosée de leur sang, ont appris à toute l' eglise à se soumettre aux Em-
„pereurs, quoiqu' Idololâtre, & à respecter l' autorité dans ceux-mê-
„mes, qui en abusent les plus. Tibere, Caligula, Neron etoient
„regardez comme des monstres. Cependant les Apôtres ne distin-
„guent point entre les princes, qui font un usage legitime de leur pou-
„voir, & ceux, qui en abusent. *Conduisez-vous parmi les Gentils d'*
„*une maniere sainte*, disoit l' apôtre St. Pierre, *afin qu' au lieu, qu' ils*
„*medisent de vous, comme si vous étiez des Mechans, les bonnes oeu-*
„*vres, qui vous verront faire, les portent à rendre gloire à Dieu au jour*
„*de la visite. Soiez donc soumis* (remarquez cette consequence, mes
„Frêres,) *soiez donc soumis, pour l' amour de Dieu, à toutes sortes*
„*de personnes, soit au Roi comme au Souverain, soit aux Gouverneurs,*
„*comme à ceux, qui sont envoiez de sa part pour punir ceux, qui font*
„*mal & pour traiter favorablement ceux qui font bien. Car c' est-*
„*là la volonté de Dieu, que par votre bonne vie vous fermiez la bou-*
„*che aux hommes ignoranz & insensez; etant libres, non pour vous*
„*servir de votre liberté comme d' un voile, qui couvre vos mauvaises*
„*actions, mais pour agir en serviteurs de Dieu. Rendez à tous l' hon-*
„*neur, qui leur est dû: aimez vos Frêres; craignez Dieu; honorez*
„*le Roi.* A quoi il ajoute, *Serviteurs, soiez soumis à vos Maitres a-*
„*vec toute sorte de respect, non seulement à ceux, qui sont bons & doux;*
„*mais meme à ceux, qui sont rudes & fâcheux. Car ce qui est agré-*
„*able à Dieu est, que dans la vûë de lui plaire, nous endurions les*
„*maux & les peines, qu' on nous fait souffrir avec injustice.* Telle

„est la doctrine du premier Pape: Doctrine conforme à celle, que l' „Apôtre St. Paul prescrivoit en particulier aux Romains, lors qu' il leur „disoit: *Que tout le monde soit soumix aux Puissances superieures; „car il n' y a point de Puissance, qui ne vienne de Dieu, & ce est lui, „qui à établi toutes celles, qui sont sur la Terre.* En disant, que tout „le monde soit soumis aux Puissances superieures, l' Apôtre n' exce- „pte personne dans l' Eglise de Rome. Il se confond avec les autres. „Et en ajoutant sans restriction: *Celui qui s' oppose aux Puissances, „resiste à l' ordre de Dieu*, il fait entendre bien clairement, que la qua- „lité d' Eveque de Rome ne donne aucun droit sur les Empires & sur „les Royaumes, pour en priver les legitimes possesseurs sous quelques „prétextes, que ce puisse être. St. Paul continue, *Le prince est mini- „stre de Dieu pour executer sa vengeance. - - - Il est donc nécessaire, „de vous y soumettre non seulement par la crainte du châtiment, mais „aussi par un devoir de conscience. - - - Rendez à chacun ce qui lui „est dû: le Tribut à qui vous devez le Tribut, les Impôts, à qui vous „devez les Impôts; la Crainte, à qui vous devez la Crainte; l' honneur, „à qui vous devez l' Honneur.* Que ce langage est différent de celui, „que l' on canonise dans Gregoire VII? St. Paul dit: *Redez le Tri- „but, à qui vous devez le Tribut, quand ce seroit à un Idololâtre, quand „ce seroit à un Persecuteur de nom Chrétien.* Et GREGOIRE dit: „*Nous vous défendons, sous peine d' encourir l' indignation des Bien- „heûreux Apôtres Pierre & Paul, de payer le Tribut, & de garder la „fidelité a Henri, que nous avons excommunié & deposé.* Il est triste „pour nous, mes très-chers Frêres, de nous voir dans la nécessité, „de relever de pareilles contradictions entre les Sts. Apôtres, Fonda- „teurs de l' Eglise de Rome, & quelques-uns de leurs Successeurs. „Mais pourquoi nous y force-t' on? Pourrions-nous, sans marquer „à ce que nous devons à Dieu, au Roi, à la Patrie, laisser repandre „dans l' Eglise & dans le Royaume une doctrine, que l' Ecriture con- „damne, que la Tradition rejette, & qui a été la source d' une infi- „nité de Meurtres dans tous les lieux, où l' on a voulu la mettre en „pratique? Est il permis à un Evêque, de laisser introduire dans son „Diocése un office, où l' on demande à Dieu de remplir du même ze- „le, dont etoit animé Gregoire VII. lorsqu' il déposa l' Empereur Hen- „ri, & qu' il dispensa ses Sujets du serment de fidelité? Comment „oser proposer aux Fideles, pour nourrir leur piété des actions, pour „lesquelles ils ne sauroient avoir trop d' eloignement. Ne seroit ce

„pas

„pas le comble du malheur, qu' ils fussent exaucez dans leurs deman-
„des, & qu' ils devissent dans le mal des Imitateurs, de celui, qu' ils
„ne doivent imiter que dans le bien? A ces causes &c. Donné à
„Montpellier en notre Palais Episcopal le 30. Juillet 1729.

Signe, Charles - Joachim,
Evêque de Montpellier &c.

§. XLIX. Principia, ab his Galliæ episcopis, ex *iure diuino*, *recta ratione*, & *consensu communi ecclesiæ* assumta & petita in hisce mandatis, aperte bellum indicunt *iuri publico monstroso curiæ Romanæ*, quod adeo horridum est, vt merito hostilitatem æternam omnium regum & imperantium experiri debuerit. Laudanda est diuina prouidentia, quæ athletas impauidos fortesque excitauit pro defendenda & propugnanda *autoritate* & *sanctitate regum* & *imperantium* contra aulæ Romanæ dogmata seditiosissima, quæ æternum religioni christianæ vulnus inflixerunt. Non tamen diffiteri possum, commune illud principium de *iure excommunicandi reges principesque*, pontifici episcopisque asserto, has conclusiones nefandas produxisse, præsertim postquam illi *effectus ciuiles* per summum nefas attributi sunt. Hoc ipsum armauit pontifices in quoscunque imperantes, vt iure se egisse crederent, quod excommunicati ab omnibus vitandi essent, adeoque etiam, ob imperium sacrum in reges & principes sibi assertum, non potuerint non ad tam funestam cladem rebuspublicis infligendam adduci, de quo post *§. LI. & sq.* dicendi locus erit. Cum vero Galli prius quidem concedant, posterius vero negent, & pontificis potestatem a *iure deponendi reges* excludant, inde quidem factum est, vt *anno 1682.* edictum contra doctrinam curiæ Romanæ secundum conclusum cleri Gallicani publicatum fuerit; nihilominus tamen hæc ipsa quauis occasione principia sua asserere & in vsum deducere studuerit. Enimuero insidiæ eius, vt in præcedentibus ostensum, vanæ & sine effectu fuerunt, quin potius occasionem præbuerunt, *declarationis cleri Gallicani defensionem*, a BOSSVETTO olim conscriptam, publicandi, & machinationibus insidiosis curiæ Romanæ opponendi. Vtrum per aulæ Gallicanæ conniuentiam hæc publicatio facta fuerit, asserere quidem non audeo, non tamen constat, illam impedimentum aliquod eidem posuisse, aut publicationem improbasse.

Hæ nouæ insidiæ causam dederunt, vt declaratio cleri Gallicani publicaretur.

eque Giba-
us ius de-
nendi re-
s negat,
od Iesuitæ
irmant re-
lariter.

§. L. Quæ cum ita sint, miraberis forsan GIBALINI modestiam, qui contra sectæ suæ principia in loco, § 38. adducto, mitiora secutus videtur. Iesuitas enim hoc dogma, quod Romana curia strenue hactenus propugnauit, omnino suum facere & magnopere inculcare, acta publica docent. Aliquot tractatus anno 1612. eo nomine collecti sunt, hoc sub titulo: *Varia tam Facultatis theologicæ, & curiæ Parisiensis, quam aliorum theologorum & iure-consultorum opuscula, decreta & censuræ, item commonefactiones, & postulata Regiorum in Gallia cognitorum, quibus primarium Iesuiticæ fidei caput, de Romani pontificis potestate super omnes reges & principes, eorumque subditos, regna & principatus, euertitur*: in quibus immensæ papali autoritati dicam scribunt autores contra Iesuitarum dogmata; sed vix cum effectu, quamdiu *ius excommunicandi* eidem indulgent, vt iam antea monui. Neque vero GIBALINVS tam immemor huius dogmatis suæque familiæ fuit, vt non *tecte* idem approbauerit. Id vnice quippe defendit asseruitque *cit. l. p. 310.* depositionem regum atque absolutionem subditorum a vinculo subiectionis *non esse annexam ex natura rei censuræ excommunicationis;* mox enim addit: *vtrum vero eiusmodi priuationis pœna possit annecti excommunicationi ab ecclesiastica potestate, implicatioris operæ est definire.* Hanc quæstionem decidere ausus non fuit, vtut a MARIANI & SVAREZII dogmatibus ex ratione familiæ suæ, cui addictus est, haud alienus fuisse videatur. Impium hoc dogma, quo pestilentius excogitari non potuit, scil. *de iure deponendi & interficiendi reges principesque, quos clerus tyrannos* (i. e. Clero repugnantes) *vel hæreticos declarauit*, multis venenosis argumentis persecutus est GVILIELMVS ROSSAEVS *de iusta reipublicæ christianæ in reges impios & hæreticos autoritate*, quem librum contra HENRICVM IV. autor pessimus, quem GENEBRARDVM Archiepiscopum Aquensem fuisse volunt, conscripsit. Nec clerum Gallicanum olim ab hac doctrina alienum fuisse, ad minimum in casu, si rex vel imperans in hæresin prolapsus dicatur, (quod facile imperanti affingi poterit, si curia Romana cum clero ei infesta est, vt exempla illustrium excommunicationum ostendunt) declarant euincuntque argumenta Cardinalis PERRONII, ex sensu cleri Gallicani in *comitiis regni* anno 1614. prolata, quæ tamen sedulo examinat, & plene planeque elidit refutatque VASSOR *tom. II. cit. tr. p. 92. sqq.* & erroris redarguit BOSSVET *in defens. declarat. Gallicana tom. I. p. 98.*

§. LI.

§. LI. Neque adeo hæsitandum est, cuilibet imperanti excommunicato facile imminere periculum amittendi regni, licet asserant, ex excommunicatione hanc iacturam non necessario sequi. Id enim ex duobus euidenter constat, & quidem 1) ex doctrina communi, quod excommunicatus *anno integro* in excommunicatione perseuerans, &, vt loquuntur, *insordescens*, suspectus dicatur fieri *de hæresi*, & contra eum, vt talem, procedi queat. *c. 7. de hæret. in 6.* Probarunt hanc doctrinam *Tridentini sess. XXV. de reform. c. 3. in f.* disponentes hoc modo: *Excommunicatus vero quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur; sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum INSORDVERIT, etiam contra eum, tanquam suspectum de hæresi, procedi potest.* De hac *insordentia*, vt loquuntur, supra *tom. IV. tit. de accusat. §. 66. n. 51.* quædam attuli, plenius autem RICCIVLLVS *cit. tr. lib. IV. c. 7. & 8. in f.* egit ostendens, contra *insordescentem* processum ab inquisitoribus hæreticæ prauitatis moueri & inquisitorie procedi, vt se purget ab hac suspicione, quod etiam exponit ex mente *inquisitionis* LIMBORG *in histor. inquis. hæret. prau. lib. III. c. 18.* Fac ergo, imperantem *per annum integrum* insordescere in excommunicatione, i. e. se non humiliter submittere pontifici & absolutionem petere: dicitur fieri *suspectus de hæresi.* Quid si iam a pontifice citetur, vt se purget ab hac imaginaria hæresi, nec veniat? Nihil aliud imminet ei, quam iactura regni, quia docent fere omnes, etiam olim clerus Gallicanus, duce FERRONIO, *hæreticum* regem posse iuste regno priuari. Est autem hæreticus, qui se *post annum* non purgat, quia tunc pro confesso & conuicto habetur. Qui autem *insordescit* in excommunicatione, reuera sese oponit excommunicationi papali; adeoque vix probabile est, eum post annum compariturum esse.

Ex doctrina ecclesiæ Romanæ ostenditur, regulariter excommunicationi cohærere ius deponendi reges.

Maxime si insordescentia accessit.

§. LII. Idem quoque 2) colligi potest ex doctrina ab antiquo iam inculcata, *excommunicatum, qui per annum integrum in excommunicatione insorduit, brachio seculari compelli, & in ordinem reduci posse.* In *concil. Melodunensi* de *anno 1216. c. 2.* apud HARDVIN. *tom. VII. concil. p. 85.* hoc dogma probatum est: *si aliquis per annum & diem excommunicationem publicam sustinuerit, compellatur potestas secularis, vt excommunicatum ad vnitatem ecclesiæ per suam potestatem venire compellat, mittendo manum in ipsum & res eius.* Idem confirmatur in *Synodo Lambethensi de anno 1261. ibid. pag. 538. sq. Claromontana de anno 1268. c. 6.* apud EVNDEM *cit. l. p. 609. in conc. Bituricensi de anno*

Quin etiam contumacem excommunicatum hoc modo cogendum esse docent.

 1286.

1286. c. 31. apud EVNDEM *cit. l. p. 960. sq. Exonienſi de anno 1287. c. 35. ibid. p. 1105. concil. Auenionenſi de anno 1326. c. 41. ibid. p. 1508. ſq.* vbi de magiſtratu, excommunicatum cogere recuſante, hæc additur clauſula: *Si vero dominus* (territorii) *bailiuus, ſiue iudex hac non curauerit efficaciter adimplere: in ipſum per eandem curiam excommunicationis ſententia proferatur,* quod nolit humiliter obedire præceptis clericalibus. Quid ſi ergo ſupremus imperans *per annum* inſorduerit in excommunicatione, a quo hic cogendus & compellendus? Deficit ſuperior: ergo non aliud ſupereſt curiæ Romanæ remedium, quam, vt abſoluat ſubditos a vinculo ſubiectionis, eosque hoc modo armet in legitimos ſuos imperantes; quod licet ſeditioſum ſit, iuſtum tamen cenſendum, quod curiæ Romanæ proſit. Ceterum qui plenius cognoſcere cupit, quæ ſit mens ſaniorum inter Catholicos de hoc funeſto dogmate, adire poteſt SARPIVM in *tr.* ſupra laudato *tom. I. c. 5. & 9.*

Denique excommunicatus infamiam iuris contrahit.

§. LIII. Plures adhuc quæſtiones mouent circa effectus ciuiles interpretes, quas lubens prætereo. Hunc vero effectum (V) omittere non poſſum, quod *infamia iuris* notetur excommunicatus, quæ inſignes per ſe producit effectus, qui etiam in *excommunicatos* cadunt. STEPHANVS in *c. 17. C. 6. q. 1.* catalogum eorum, qui *infamia* laborant, contexuit, cui etiam inſeruit *omnes anathematizatos, vel pro ſuis ſceleribus ab eccleſia pulſos.* Equidem GIBALINVS *cit. tr. p. 313.* arbitratur, hanc infamiam tantum eſſe *canonicam,* non *ciuilem,* niſi inflicta fuerit excommunicatio propter crimen, quod ius ciuile infamia notat. Verum hæc infamia *canonica* eosdem, imo longe grauiores fere effectus producit, quam *ciuilis,* cum quem clerus odit, parui pendet, contemnitque & pro *abiectiſſimo* & *monſtro* habendum eſſe iudicat, ille omni exiſtimatione & inde dependentibus iuribus priuetur.

Inde merito imperatores & reges inſpectionem in excommunicationem ſibi vindicarunt.

§. LIV. Poſtquam igitur excommunicatio *effectus ciuiles* accepit, recte olim imperatores ſuam impoſuerunt autoritatem, ne *temere* ea exerceretur. Liquet hoc ex *Nou. 123. c. 11.* vbi IVSTINIANVS in hæc edixit verba: *Omnibus autem epiſcopis & presbyteris interdicimus, ſegregare aliquem a ſacra communione, antequam cauſa monſtretur, propter quam ſanctæ regulæ hoc fieri iubent. Si quis autem præter hoc a ſancta communione ſegregatus eſt, ſolutus excommunicatione a maiore ſacerdote, ſanctam mereatur communionem. Qui vero aliquem a ſancta communione ſegregare præſumſerit: modis omnibus a ſacerdote, ſub quo conſtitutus eſt, ſeparabitur a communione, quanto tempore ille perſpexerit; vt quod iniuſte fecit, iuſte ſuſtineat.* Pariter

ter reges Francorum prohibuerunt, ne excommunicatio paſſim & *ſine cauſa* fieret. vid. *lib. V. capitul. 136. & l. VI. cap. 217.* apud BALVZ. *tom. I. Capitul. p. 729.* & *p. 96.* Idem plenius confirmant capitularia CAROLI CALVI *c. 56.* apud BALVZ. *tom. II. capit. p. 36.* item de *anno 869. c. 10. ibid. pag. 233.* Denique etiam imperatores poſtea per *occidentem* leges de *excommunicatione* tuliſſe, fuſius docet SELDENVS de *ſynedr. lib. I. c. 10. p. m. 244. ſqq.* qui mihi hac in re otium fecit. Id vnicum duntaxat obſeruo, in *Anglia* olim neminem facile excommunicari potuiſſe absque præſcitu regis, quod confirmat *concilium Clarendonenſe de anno 1164. c. 7.* apud HARDVIN. *tom. VI. P. 2. concil. pag. 1605.* *Nullus, qui de rege tenet in capite, nec aliquis dominicorum miniſtrorum eius excommunicetur, nec alicuius eorum terræ ſub interdicto ponantur, niſi prius dominus rex, ſi in regno fuerit, conueniatur; vel iuſtitiarius eius, ſi fuerit extra regimen, vt rectum de eo faciat: & ita, vt, quod pertinebat ad regis curiam, ibi terminetur; & de eo, quod ſpectat ad curiam eccleſiaſticam, ad eandem mittatur, vt ibi terminetur.* Porro in *c. 10*: *Si ab archidiacono vel epiſcopo ſuper aliquo delicto citatus fuerit, vnde debeat eis reſpondere, & ad citationes eorum noluerit ſatisfacere; bene licet eis ſub interdicto ponere eum; ſed non debent ipſum excommunicare, priusquam capitalis miniſter regis villæ illius conueniatur, vt iuſtitiet eum ad ſatisfactionem venire. Et ſi miniſter regis inde defecerit, erit in miſericordia regis; & exinde poterit epiſcopum ipſum accuſatum eccleſiaſtica iuſtitia coërcere.* Eundem vſum in *Gallia* & *Hiſpania* olim obtinuiſſe obſeruat SELDENVS *cit. l. p. 248.* qui etiam *p. 251. ſqq.* mores Anglicanos addit. Atque hoc *ius antiquum* rationi admodum conſentaneum erat, quod intereſſet imperantium, ne ſubditis per excommunicationem *ſtatus ciuilis* imminueretur, aut quid in eum ſtatueretur, vnde poſſent *iura ciuilia* ſingulorum deliquium pati. Horum enim diſpoſitio non ab arbitrio *epiſcoporum*, ſed a *principis* decreto vnice pendebat. Verum per aulæ Romanæ aſtutiam atque *violentas artes* hæc iura legitimis imperantibus interverſa ſunt, poſtquam in conciliis ſeueriſſime concluſum eſt, magiſtratus ſeculares nullo modo prohibere aut impedire poſſe, quo minus magiſtratus eccleſiaſticus excommunicet. In *concil. Tridentino ſeſſ. XXV. de reform. c. 3.* expreſſe dicitur: *Nefas ſit ſeculari cuilibet magiſtratui prohibere eccleſiaſtico iudici, ne quem excommunicet; aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, ſub prætextu, quod contenta*

tenta in præsenti decreto non sint obseruata, cum non ad seculares, sed ad ecclesiasticos hac cognitio pertineat.

Praxis Protestantium,

§. LV. Quæ cum ita sint, quilibet sine dubio mecum constituet, *excommunicationem* per se non debere operari *effectus ciuiles*, vt *statum ciuilem* subditorum immutare queat. Primitiua sane excommunicatio ab his effectibus libera fuit. Et cum Protestantes omnia ad meliorem vsum reuocauerint, non facile quoque *effectus ciuiles* admittere, sed vnice *priuationem iurium ecclesiasticorum* eidem tribuere debent. Enimuero non eadem est praxis ecclesiarum Protestantium. Docet enim formula excommunicationis in *ordin. consist. Megapolit.* præscripta, laudata & defensa a FECHTIO *cit. l. §. 12.* commercium ciuile in eadem quodammodo prohibitum esse. Est autem huius tenoris: Derohalben ich, als dieser Christlichen Kirchen gemeiner Diener und Seelsorger, in dem Nahmen unsers HErrn JEsu Christi, diesen unbußfertigen offenbahrlichen Sünder dem Teuffel ietzund übergebe zum Verderben des Fleisches, auf daß sein Geist selig werde am Tage des HErrn, wenn er sich wiederum bekehren wird. Verkündige ihm hiemit GOttes schrecklichen Zorn und Ungnade, und, daß er von der Gemeinschafft aller Heiligen im Himmel und auf Erden ausgeschlossen und abgeschnitten, und mit allen Teufeln in der Hölle verflucht, und ewiglich verdammt sey, so lange er in dieser Unbußfertigkeit verharret. Versage ihm auch hiemit alle Kirchen-Rechte, und aller heiligen Sacramenten Gemeinschafft, ausgenommen die Anhörung der Predigt. Bitte auch, und vermahne alle Christen, daß sie mit diesem Menschen forthin nichts zu schaffen haben, und sich seiner Gemeinschafft gantz entschlagen, nicht mit ihm essen, oder trincken, ihn nicht zu Gevatter bitten, zu keiner Hochzeit oder anderer ehrlicher Gesellschafft laden, auch auf der Strasse oder sonst nicht grüssen; damit er beschämet oder gedemüthiget werde, und seine Sünde desto eher bekenne, und sich zu GOtt bekehre, und damit der Christlichen Kirchen, die er mit seinem Ungehorsam zum höchsten beleidiget und geärgert hat, versühne. Vides, in hac formula & notam quandam infamiæ inuri, & *communionem ciuilem* prohiberi, quod ad palatum FECHTII est, qui excommunicationi hoc *essentialiter* inesse

(1) ex Megapolitana ordinatione.

esse credit, quod oppido falsum est, quamuis legislator ciuilis tales effectus eidem tribuere queat. Pariter in formula *excommunicationis Vinariensis* relata in *ord. eccles. lib. II. c. 27. p. 490.* suspensio etiam ab officiis publicis ei adiuncta est, vt sequens tenor docet: Und dahero soll Er (oder Sie) mitler Zeit der Besserung und Wiederaussöhnung mit der Kirche zu keiner Gevatterschaft ersuchet, vielweniger bey der heiligen Taufe zugelassen, zu keinem Ehren-Amte gebrauchet, oder in Christlichen Zusammenkünfften (ausser der Predigt göttliches Worts, als dadurch der heilige Geist die Hertzen der fleißigen Zuhörer zu erleuchten und zu bekehren pfleget,) geduldet oder zugelassen werden. Haud mitior est *Ordin. prouinc. Saxon. Elect.* in qua continentur die *General-Articul de anno 1580. art. 11. in Codice Augusteo P. II. L. I. c. I. p. 681. sqq.* vbi de effectibus ciuilibus ita cautum est: Nach Verlesung dieser Sentenz, soll der Custos die fürgestellte Person öffentlich durch das Volck aus der Kirchen führen, und sie ihres Weges ziehen lassen. Alsbald solches durch den Pfarrer verrichtet, soll unser Amtmann, Erb- und Gerichts-Herr, wie es ihme von Uns aus dem Synodo iederzeit, von ieder Person insonderheit befohlen wird, der ausgeschlossenen Person alle Hochzeit, und andere ehrliche Gesellschafft, auch alle Wehr verbiethen; und darüber den andern Unsern Unterthanen verkündigen, wo einer oder mehr befunden, so mit derselben wissentlich in den ehrlichen Versammlungen Zechen halten, die sollen nach ihrer Gebühr gestraffet werden, darnach wisse sich männiglich zu richten: doch soll solcher Person ihre weltliche Handthierung mit kauffen nicht abgestrickt seyn. Magis probandum est, quod contra *abusus excommunicationum* etiam inter Protestantes in der Erledigung derer in anno 1563. und 1657. übergebenen Gebrechen *in cod. Augusteo P. I. p. 285.* habetur. Ob wohl zum zwantzigsten in denen Generalien und sonsten gantz vorsichtig und Christlich geordnet, welchergestalt man mit dem Kirchenbann wieder beharrliche und unbußfertige, ruchlose Sünder verfahren solle, diese Kirchenstrafe auch in GOttes Wort gegründet: so beklaget sich doch unsere getreue Landschafft, wie heutiges Tages grosser Mißbrauch darinnen verspühret worden, indem die Priester meistentheils aus Priuat-Affecten, und wenn etwa ein Pfarrkind ihnen ihre öffters denen Generalien zuwider erhöhete reditus und Accidentien nicht bald ab-

(2) ex Vinariensi

(3) ex electorali Saxonica

abführet, oder sonsten in secularibus nicht nach Willen lebet, zu solcher Straffe greiffen, die Pfarrkinder vom Beichtstuhl stossen, und so lang davon abhalten, bis sie dasjenige, so sie auch wohl unbillig begehren, gewilliget; wodurch sie das, was der grundgütige GOtt und Heiland aller Welt aus hertzlicher Liebe allen armen und gläubigen Sündern zum Trost eingesetzet, gleichsam zu ihren Gerichts-Zwang brauchen, viel Gewissen, so sie trösten solten, aus angemaßter Rachgier betrüben, ja wohl etliche gar in Gefahr ihrer Seligkeit und Verzweiffelung setzen. Pariter mitigatus est rigor iuris canonici in *ord. eccles. Magdeburg. c. 22. §. 25. & 26.* Soll die weltliche Obrigkeit iedes Orts einem solchen Menschen verbiethen, alle Hochzeiten, Kindtauffen, und ehrliche Gesellschafften zu meiden, und Achtung darauf geben, daß niemand dergestalt einige Gemeinschafft mit ihm habe. Doch soll ihm seine Nahrung zu suchen, zu arbeiten, zu handeln, und bürgerlicher und nachbahrlicher Rechte zu geniessen, unverbothen, und er schuldig seyn, seine Dienste, Pflichten und anders zu leisten, auch bey allen Predigten sich einzustellen, und an einem ihme angewiesenen besondern Orth zu stehen.

(4) ex Magdeburgica

Illustrantur dicta ex libris Symbolicis A. C. addictorum,

§. LVI. Quamuis vero eiectis *commercium ciuile* in officiis liberis etiam denegandum esse censuerint quidam Status A. C. addicti, pro libertate, qua leges ferre possunt; eam exorbitantem efficaciam tamen, quam ius Canonicum ex *decreto curiæ Romanæ* ei adscripsit, minime defendi posse censuerunt, præsertim, quod hoc modo pontifex & episcopi de omni *statu hominum ciuili* per indirectum disponant, atque vniuersum arbitrium circa eum sibi arrogent. Quocirca maiores nostri in *August. Conf. tit. 18.* merito reprobarunt, *quod pontifices freti potestate clauium violentis excommunicationibus non solum conscientias onerauerint, sed etiam regna mundi transferre & imperatoribus adimere imperium conati fuerint. Hæc vitia*, addunt, *multo ante reprehenderunt in ecclesia homines pii & eruditi.* Postea de *potestate ecclesiastica* disponentes optime monent, eam tantum in *docendo* & *administrando Sacramenta* consistere. *Non irrumpat*, aiunt maiores, *in alienum officium: non transferat regna mundi: non abroget leges magistratuum: non tollat legitimam obedientiam: non impediat iudicia de vllis*

vllis ciuilibus ordinationibus aut contractibus: non præscribat leges magistratibus de forma reipublicæ &c. At vero hæc omnia, prout obseruatum est, fiunt per excommunicationis *ciuiles effectus*, eidem per iniuriam superadditos, quod merito reprobatum est. Post pauca docent, ministros ecclesiæ a communione eius impios excludere posse *sine vi humana, sed verbo.* Euidentius vero inculcarunt in *articulis Smalcaldicis P. III. art. 9.* maiores, *maiorem illam excommunicationem, quam papa ita nominat, non nisi* CIVILEM POENAM *esse ducimus, non pertinentem ad nos ministros ecclesiæ;* & quidem recte, propter effectus *ciuiles* insignes, quos, relicto vero scopo, assumsit ex abusu potestatis ecclesiasticæ. Quocirca etiam *maior*, vbi hodie inter Protestantes exercetur, (α) per Consistoria exercetur, quæ sunt *iudicia ecclesiastica*, a principe dependentia: (β) suam determinationem, suosque effectus ciuiles, si quos habere debeat, vnice a *legislatoris ciuilis* dispositione accipit: quod reipublicæ magis consentaneum est, quia legislatoris & summi imperantis est, statum subditorum integrum conseruare, minuere, modosque definire, quibus amitti queat.

§. LVII. Superest, vt paucis quædam adiiciam, quæ ad intelligendos textus, h. t. occurrentes, facere possunt. Sciendum autem, (1) sub auspiciis INNOCENTII III. nouam inualuisse excommunicationis speciem, *minorem, maiori* oppositam, cuius rationem, ortum, & vsum iam passim explicui, & quidem *tom. III. tit. de missa §. 43. seqq.* atque *tit. præced. §. 33.* nec non *tom. III. tit. de baptismo §. XL. sqq.* exemplo WESEMBECII, hac *minore* innodati, illustraui. Hæc vero (a) ratione *laicorum* tantum *effectus ecclesiasticos* producit, atque operatur, vt a *sacramentorum vsu* interim excludantur, salua de cetero *communione ecclesiastica*, vt §. 33. dictum; cum *maior* hanc penitus adimat, & inprimis grauissimos ciuiles effectus producat, *capitis deminutioni* non absimilis, vnde non possunt non mala infinita redundare. Ratione *clericorum* (b) adhuc euidentior sese sistit differentia, supra *tit. XXVII. huius libri §. 2.* tacta, qui si *minori excommunicatione* innodati sunt, & nihilominus ministrant seu rem diuinam agunt, peccant quidem, sed *irregulares* non fiunt, cum non tam a *collatione* quam *participatione sacramentorum* remoti videantur, pontifice iudice in *c. f. X. de cleric. excommun. depos.* Vnde valide ad actum *electionis* concurrunt, quia ita

Noua species excommunicationis, minor scil. seculo XIII. inventa.

Differt a maiori

 nihil

nihil *percipiunt*, ſed aliis conferunt, denique etiam actus iurisdictionis valide celebrant. Ortum enim traxit (c) a *iure confeſſionariorum*, denegandi *abſolutionem* iis, quos impœnitentes & indignos cenſent, qui per indirectum etiam excluduntur ab vſu ſ. cœnæ, quod tandem ad *ſacramenta quauis* extenſum eſt. *c. pen. X. h. t.* Atque hanc demum poteſtatem parochi acceperunt, poſtquam omnibus parochis *forum pœnitentiale ordinarium* collatum cum facultate, *euentualiter* abſoluendi pœnitentes, qui olim non abſoluebantur regulariter, niſi peracta & impleta pœnitentia. Vnde etiam (d) quia minor plane *noua ſpecies exorbitans*, & *irregularis* eſt, voce *excommunicationis* abſolute poſita, non intelligitur, ſed *maior* potius, quæ *propria* & *regularis* cenſenda. *c. 59. X. h. t.* Denique (e) *maior* virtute *iurisdictionis* a ſolo *epiſcopo*, vel *extra ordinem* ab eius *vicario nato* exercetur, vt exemplo *Archidiaconi Paderbornenſis* probatum dedit SCHATEN. *lib. XI. annal. Paderborn. ad ann. 1263.* præſcriptione immemoriali tuti, & ſic pertinet ad *forum externum contentioſum*, proceſſumque deſiderat regulariter. *Minor* vero ad *forum pœnitentiale* pertinet, virtute *ſimplicis iuris clauium* exercetur parochis etiam communicata, *iurisdictione eccleſiaſtica* licet deſtitutis. Id etiam in vſum trahunt Proteſtantes, atque *maiorem* a conſiſtorio tantum decerni conſtituunt, quia *pœna* eſt; *minorem* autem etiam a quibusuis parochis exerceri poſſe arbitrantur, virtute *iuris clauium*, de quo ediſſerui fuſius *tom. III. lib. 3. tit. 41. §. 51. ſqq.* Vnde licet principem & imperantes a *maiori excommunicatione* abſoluant, *minore* tamen eum ligari poſſe quidam conſtituerunt, quam ſententiam ſub examen reuocaui *cit. l. §. 60.*

[…]culo XIII. […]ceſſit ex[…]mmunica[…] ipſo iure […]flicta:

§. LVIII. Acceſſit præterea (II) hæc noua doctrina, quod, licet per ſecula XII. excommunicatio maior tantum *expreſſe* vel per *ſententiam iudicis* eſſet inflicta, noua tamen ſpecies illi ſuperaddita ſit, quæ *ipſo iure*, ſine iudicis eccleſiaſtici declaratione, & ita *immediate* ex ipſo facto illicito inferri dicitur. Ad exemplum *infamiæ*, qua ſecundum principia iuris Romani *ipſo iure* aliquis notari poteſt ex notoriis factis turpibus, nullam cauſæ cognitionem deſiderantibus, hæc introducta videtur, quod excommunicatio pariter famam lædat, quamuis eiusmodi *priuationem iurium eccleſiaſticorum* inuoluat, quæ absque *declaratione iudicis eccleſiaſtici*, & cauſa cognita, concipi vix poſſit. Olim

Olim hæc ſpecies incognita, & adhuc ſeculo XII. inaudita, vt docent teſtimonia *tom. III. lib. III. tit. 41. §. 46.* adducta, atque ſupra *tit. 18. huius libri §. 21.* iam euictum. Equidem AVGVSTINVS in *c. 8. C. 24. qu 3.* eleganter ait: *Sed nec ille dicendus eſt in* ECCLESIA, *& ad iſtam* SOCIETATEM SPIRITVS *pertinere, qui ouibus Chriſti ficto corde miſcetur: (ſanctus enim ſpiritus diſciplinæ fugiet fictum) Neque enim ſolum ad eccleſiam non pertinent, qui ſeparationis aperto ſacrilegio manifeſti ſunt, ſed etiam illi, qui in eius vnitate corporaliter miſti per peſſimam vitam ſeparantur.* Aſt quilibet vacuus præiudicio, facile mecum conſtituet, nouam eam ſpeciem, de qua hic agitur, his non deſignari verbis. *Eccleſia* enim vel deſignat *externum cœtum*, ſeu *ſyſtema eccleſiarum externarum politicum*, a quo nemo excludi, niſi *expreſſe*, olim poterat, quo non facto, eius membrum manebat, quod etiam euincunt loca *tit. præced. §. 46.* adducta: aut vero deſignat *vnionem vere fidelium cum capite ſuo Chriſto*, ſine reſpectu ad *externum eccleſiæ ſyſtema*, qua excidunt impii per peccata, & ita multi ſunt in *eccleſia externa*, qui non ſunt de *eccleſia* in poſteriori ſignificatu. Quocirca AVGVSTINVS *lib. IV. de bapt. contra Donatiſt. c. 8. tom. IX. p. 127. edit. Pariſ.* de hoc ſignificatu aſſerit, *eos eſſe in vnitate corporis Chriſti, qui ſunt in pace Chriſti; eos autem eſſe in pace Chriſti, qui ſunt bonæ voluntatis*, quales non ſunt peccatis indulgentes, adeoque ab hac vnione excluſi, etiam ſi fuerint in ſupremo ſacerdotio conſtituti. IDEM *lib. 3. cit. tr. p. 118.* pacem vnitatis in *ſolis bonis eſſe*, ait, *in malis autem non eſſe, ſiue foris tumultuentur, ſiue intus cum gemitu tolerentur, & baptizent & baptizentur.* Enimuero in ſpecie hac noua *ipſo iure* aliquis priuari dicitur *communione* cum *ſyſtemate* externo, vel, vt hodie loquuntur, cum *republica eccleſiaſtica*, cuius caput ſupremum eſt pontifex, id quod prorſus nouum eſt. In eundem ſenſum trahendum eſt decretum ex *Synodo quinta* adductum in *c. 9. C. 24. q. 3*: *Certum eſt, quod qui impius demonſtratus eſt, omni modo ſeparatus eſt a DEO, ſicut etiam ille, qui anathematizatur, tamquam impius ſeparatus eſt. Nihil enim aliud ſignificat anathema, niſi a DEO ſeparationem.* Hoc ſenſu omnes impii extra *eccleſiam* h. e. *vnionem cum Chriſto* ſunt, & myſtice ſeu ſpiritualiter *excommunicati*, ſeu a *communione cum Chriſto* excluſi dicuntur, licet adhuc membra ſint *reipublicæ eccleſiaſticæ*, ſeu *ſyſtematis externi*, quod politico more regitur & corpore

ad eam non pertinet c. 8. C. 24. q. 3.

nec c. 9. C. 24. q. 3.

pore externo constat. Ast excommunicatio, quae *ipso iure* facto illicite imposita est, omnes effectus *excommunicationis expresse promulgatae* habere dicitur, vt licet non sit publicata, effectus suos tamen exserat, vtpote si hoc modo excommunicatus elegit, electio inualida habeatur. Qua de causa haec adhiberi solet praecautio, vt nuncius apostolicus, qui ei forsan interest, ante electionem *prouisionaliter* absoluere soleat electores quoad hunc actum ab omnibus censuris, maxime occultis, quibus vnus alterue forsan innodatus esse potest, ne postea, probato aliquo crimine, electio impugnari queat. Quae cum ita sint, recte obseruat ESPENIVS *P. III. iur. eccles. tit. XI. c. 6. §. 19.* per decem secula ignotam fuisse hanc excommunicationis speciem, imo nequidem seculo XII. me iudice, ea cognita fuit, cum in decreto GRATIANI nulla eius vestigia exstent. Nequidem enim in *c. 29. C. 17. qu. 4.* eam deprehendere licuit, vtut interpretes vno fere ore contendant, eam, qui manus violentas infert clerico, *ipso iure* excommunicatum censeri; id enim ex *cit. tx.* euinci nequit, sed eius sententia tantum huc redit, eiusmodi reum excommunicandum, nec ab alio, quam pontifice absoluendum, cuius rationem *tit. praeced. §. 54.* dedi. Iure *decretalium* vero percutiens clericum *ipso iure* est excommunicatus, licet publice non sit denunciatus, ad hunc effectum, vt ab omnibus vitandus sit, *c. 14. X. h. t.* quem in sensum omnes, qui in magno numero *h. t.* occurrunt, de percutiente clericum, sunt intelligendi, adeo vt DVPINII interpretatio, quam supra *tit. 18. huius lib. §. 21.* adduxi, iuri canonico haud conformis videatur. Denique originem huius nouae speciei non aliunde arcessendam esse arbitror, quam ex erronea *decretistarum* interpretatione *cit. c. si quis suadente diabolo 29.* Etenim verba *cit. c. anathematis vinculo subiaceat* a glossatoribus hoc nouo sensu declarata vel potius corrupta sunt: *ille canon est latae sententiae*, cum tamen ipsa verba vnice designent, excommunicandos esse clericorum percussores. Hac interpretatione a curia Romana in *decretalibus* assumta, nouae pedetentim species superadditae sunt, vt tandem numerus earum in immensum per *bullas papales*, inprimis vero *bullam coenae Domini*, & *statuta synodalia*, excreuerit, cum magno rei ecclesiasticae incommodo, vt non diffitetur ESPENIVS *cit. l. 16. & 17.*

nec c. 29. C. 17. q. 4.

quamuis ex eius erronea interpretatione deducta.

§. LIX. Verum (III) etiam haec noua ex hoc principio propullulauit doctrina, quod etiam in *incognitum* & *incertum* sententia excommunicationis ferri queat. Cum enim ex delicto in iure canonico

Lata etiam tandem est in incognitum & incertum.

eo notato & per bullas papales designato, *ipso iure* animam delinquentis excommunicatio constringere dicatur, vtut nemini illud innotescat, sed quoad Deum ligatus censeatur; inde collegerunt, etiam in *incognitum* & *incertum* illam expresse ferri posse, vt vinculum anathematis eius conscientiæ iniectum sit, a quo non aliter, quam præuia *absolutione* liberari possit. Huius vsum supra *tit. 18. de furt. §. 12. sqq.* in excommunicatione quoad *effectum reuelandi* & *restituendi* ostendi, simul tamen docui *§. 20. sq.* illam plane nouum inuentum IOANNIS XXII. esse, & olim tantum eiectionis decretum in *certa* & *cognita* subiecta latum fuisse. Quia autem tradiderunt, per excommunicationem eiectum tradi diabolo, & ab omni communione cum Deo efficacius ita excludi, vt, nisi præcepto pareat, & reuelanda reuelet, non posset sperare salutem æternam, in eum terrorem panicum coniecti sunt creduli, vt, hoc remedio occultissima sæpe erui & restitutio ablatorum recuperari queat. Ligat ergo sententia *excommunicationis* & *nominatos* & *ignotos*, ita tamen demonstratos, vt quisque delicti conscius intelligere queat, se hoc fulmine tactum fuisse, licet omes alii id ignorent.

Ipso iure executionem secum trahit

§. LX. Quocirca (IV) nouus hic effectus excommunicationi assignatus est, vt post *publicationem* secum trahere executionem dicatur, licet vel maxime eiectus ab hoc decreto appellauerit. Etenim INNOCENTIVS III. in *c. 53. X. de appell. vers. verum.* quæsitus de eo, qui sententia excommunicationis condemnatus appellauerat, vtrum nihilominus denunciare eundem & ad tempus beneficiis spoliare posset iudex? respondit: *quod cum executionem excommunicatio secum trahat, & excommunicatus per denunciationem amplius non ligetur, ipsum excommunicatum denunciare possit iudex, vt ab aliis euitetur, eius prouentus ecclesiasticos subtrahere, cui ecclesiæ communio denegata.* Sic itaque hæc appellatio tantum *deuoluit* causam ad superiorem, non *suspendit* executionem, quod IDEM in *c. 8. X. de offic. iud. ord.* inculcat his verbis: *Excommunicationis sententia per appellationis non suspenditur obiectum.* Cum vero *interdictum*, de quo mox, pari fere passu cum *excommunicatione* ambulet, eundem quoque accepit effectum, vt appellatio non suspendat executionem, sed statim interstitium sacrorum seu *sacristitium* inductum sit. Vt ergo hic effectus, appellantem magnopere

non obstante appellatione

quod etiam ad interdictum tractum

vt abſolutio ad cautelam neceſſaria ſit.

pere grauans auertatur, recepta eſt *prouiſionalis abſolutio* ſeu *ad cautelam*, vt loquuntur, quam ligatus, appellatione facta, a ſuperiore petere debet, quo eam proſequi & grauamina deducere queat; quod minime neceſſe foret, ſi eius effectus per appellationem ſuſpendi poſſet. *c. 2. h. in 6.* De hac *abſolutione ad cautelam* ſuccincte ediſſerit TOVRNETIVS, aduocatus Pariſienſis, quod opuſculum *tomo I. operum ſuorum iuridicorum* adiecit FRANCISCVS FLORENS.

Potiſſimum adhiberi ſolet ad imperantes contumaces conſtringendos

§. LXI. Denique (V) his addo, excommunicationem hunc tandem peruerſum *principalem* tamen accepiſſe abuſum, vt eſſet *medium ſubiugandi reges principesque*, eosque ad ſuum nutum & arbitrium componendi & cogendi, quos ſuo ſubiectos pedo temere aſſeruerunt. Ipſe INNOCENTIVS III. *lib. ep. 197. edit. Baluz.* publice aſſerere non veretur, Deum, vt *ex puluere ſuſcitatus*, *inter principes*, *imo ſuper principes ſederet & de principibus iudicaret*, voluiſſe. Id vero primario inde deriuandum eſſe iudico, quod omnium ſuffragiis conſtitutum fuerit, reges & imperantes etiam *excommunicationi* ſeu *gladio ſpirituali* eccleſiæ eſſe ſubiectos. Hoc aſſumto principio, duplicem huius fulminis ſpeciem conſtituerunt, *criminis*, & *contumaciæ;* illam more antiquo eccleſiæ ob *crimina commiſſa* infligentis, quæ rationem habuit, olim tantum vſitata & agnita; hanc vero, quæ ob *contumaciam* infligitur, in eo collocantes, ſi quis *præceptis eccleſiæ*, h. e. *pontificis* vel *epiſcoporum*, ſeſe humiliter ſubmittere recuſat. Is enim eſt *contumax*, qui *præcepto ſuperioris*, qualem ſe pontifex reſpectu regum aſſerit, non paret, nec in omnibus eis morem gerere paratus eſt. Ita vero leges ſummis imperantibus poſuit, eorum poteſtatem & imperium ſibi ſubiecit; atque in *temporalia*, vt loquuntur, etiam ſibi aliquam adſcripſit poteſtatem, regalia, reſeruata, bona, & infinita iura in quæuis regna ſibi vindicauit, aſſeruitque: atque qui his contradicit, mox *contumax* cenſetur, fulminisque ſacri metu deterretur, ne iniquis & iniuſtis vtplurimum prætenſionibus reſiſtere poſſit. Hoc modo pontifices vtplurimum fuere iudices in propria cauſa; quia enim regium morem affectant, & infinitas contentiones imperantibus de his vel illis iuribus mouerunt, mox ſibi ius dixerunt, & ſub *pœna contumaciæ* iis iniunxerunt, ne his vel illis iuribus ſeſe ingererent, ſcituros, ſe alioquin vt *contumaces*, qui præceptis eccleſiæ parere recuſant, excommunicatum iri. *Libertatem eccleſiæ* in im-

nous ſpecie excommunicationis contumaciæ inventa

contumax eſt, qui non paret clero maiori

immenſum extenderunt, clericos quoscunque a debita ſubiectione imperantium ſecularium eximentes, adeo vt iure imperii erga clerum ſuum agentes *inuaſores* & *violatores libertatis eccleſiaſticæ* enuncient, & imperantes *contumaciæ reos* arguant, qui clericos ad obſequium debitum reducunt. In hac cauſa *admonitionibus* & *dehortationibus* agunt, ſecundum formam *Matth. XVIII. 15. ſqq.* (quamuis ea de *contumaciæ excommunicatione* non agat) quæ ſi nihil proficiunt, metum fulminis addunt, & tandem ob *perſeuerantem contumaciam* illud in eos vibrant, quia *ius contradicendi* ſe habere credunt. Quis enim ignorat, quam inſignis contentionum inter *ſacerdotium* & *imperium* ſit cumulus, in quibus tamen hoc modo ſe conſtituit iudicem pontifex, & in propria cauſa ius dicit, contumaciæ arguens eos, qui eius decreto ſe ſubmittere nolunt. Fuit ergo *bannum contumaciæ* illud principale medium, quo pontifex ad eam poteſtatem immenſam tandem euectus eſt.

Nouum cogendi imperantes medium per interdictum additum eſt.

§. LXII. Enimuero quia nimia ad excommunicandum procliuitas, etiam ob *cauſas leuiores*, tandem contemtum huius fulminis peperit, vt principes eius metum parui duxerint, arctius *cogendi* medium pro confirmado *imperio ſacro* in quoscunque imperantes huic ſuperaddendum eſſe arbitrati ſunt, id quod tandem in *ſacriſtitio* ſeu *interdicto eccleſiaſtico* conſtituerunt. Nouerunt, plebem externo cultui, & *ſacris ceremoniis* eſſe addictiſſimam, eique velut Numini adhærere, imo magis *ſuperſtitione* quam vera regi pietate; inde vero non ſine ratione collegerunt, ſubtractione huius *cultus externi* plebis mentem a principis ſui obſequio facile abduci atque ad ſeditionem prouocari; principem vero hoc metu *inteſtinorum motuum* tandem adigi, & conſtringi poſſe, vt voluntati pontificis ſeſe ſubmittere cogatur. Poſtquam enim imperantes omne *ius ſacrorum*, aſtutia paparum & epiſcoporum, dimittere, & in illorum manus reſignare coacti ſunt, vt *exercitium cultus externi* vnice ab arbitrio *cleri maioris* & *pontificis* dependeat, omni iure in *ſacra externa*, quo olim imperatores & reges gaudebant, illis ſubtracto: inde factum eſt, vt etiam *ſacriſtitium* indicere, templa claudere, & adminiſtrationem ſacramentorum denegare, denique quoscunque presbyteros ſibi ſubordinatos in ſui obſequium priuatiue trahere potuerint. Quamuis enim 1) ob *contumaciam regum principumque* h. e. ob obedientiam clero maiori denegatam ſubditi plectantur; id tamen ex *ratione ſtatus eccleſiaſtici* fieri cenſendum eſt, quæ iuſtum eſſe decernit omne

illud, quod ei conueniens atque salutare est, licet alio respectu impium fuerit. Quamuis præterea 2) haud conueniens, sed potius a natura religionis alienum esse videatur, cultum diuinum ad *dominatus instrumentum* flectere, & eius exercitium, prout hierarchiæ conducibile esse videtur, omittere, suspendere, & rursus in vsum reuocare, sed DEVS simpliciter ex integro corde, & nullo habito respectu politico, venerandus atque colendus sit; *ius canonicum* tamen aliud dicendum esse iudicauit in *republica ecclesiastica*, cuius salus *suprema lex* esse debet. Sicuti autem salus eius omnis consistit in obsequio omnium laicorum summorum & infirmorum, & in imperii sacri conseruatione atque arctissima confirmatione; ita omne illud, quod ad hunc finem obtinendum facit, iustum & legitimum censeri debet.

Interdictum excommunicationis species dicitur

§. LXIII. Denique cum excommunicandi potestas pontifici & episcopis *iure diuino* dicatur concessa, quis *interdicti censuram* eisdem negaret, quæ est quædam species *excommunicationis?* ad minimum tam proxime ad eam accedere videtur, vt etiam *interdicto* ipsi nonnunquam tribuatur. AVTOR *vitæ S. Virgilii Episcopi Saltzburgensis* apud MABILLONIVM *in actis Benedict. seculo III. P. 2. p. 313.* recenset *excommunicationem ecclesiæ* a VIRGILIO episcopo factam, his vsus verbis: *quo cognito Virgilius episcopus excommunicauit eam* (ecclesiam) *& appellauit eam* DISCORDIA, *& omnibus presbyteris contradixit, vt nemo ibi cantaret missam, nec aliud officium DEI, & ita* EXCOMMVNICATA *permansit, quousque Virgilius episcopus vixit.* Nemo in dubium vocabit, sub appellatione *excommunicationis* his verbis designatum fuisse *interdictum*, quod ecclesia, illi subiecta, a communione ecclesiastica quoad vsum exclusa sit. Vixit vero VIRGILIVS episcopus circa annum 780. & ita palam est, *interdictorum* vsum iam seculo VIII. cognitum fuisse, vtut forsan rariorem, adeo vt *interdicti* appellatio adhuc inusitata, & sub designatione excommunicationis intellecta fuerit. Imo *excommunicationis* conceptus iure antiquo, qui reuera in *interdicta communione ecclesiastica* consistebat, non tantum *personis* sed etiam rebus *sacris*, imo & *profanis* attributus est, quatenus vsus earum prohibitus. Supra *tit. praeced. §. 9. in f.* obseruaui, NICOLAVM I. hos, quibus vino & carne interdictum erat ob contumaciam, *a participatione vini & carnis excommunicatos* appellasse. In *pœnitentiali* EGBERTI *Archiepiscopi Eborac. c. 25.* vsu ciborum interdi-

Seculo VIII. iam vsitatum.

ctum

ctum pariter contumacibus clericis: *si quis clericus superbire præsumserit, sæpius proprio excommunicetur cibo.* Denique in *concil. Lemouic. II. de anno 1031. sess.* 7. apud HARDVIN. *Vol. VI. P. 1. p. 885.* ODOLRICVS abbas proposuit medicinam, contra *generalem morbum* illius terræ, (contumaciam & resistentiam principum & potentiorum intelligebat contra cleri mandata) adhibendam esse, &, quærentibus patribus, in quo hæc constituenda esset? respondit: *Nisi de pace acquieuerint,* LIGATE *omnem terram Lemouicensem* PVBLICA EXCOMMVNICATIONE, *eo videlicet modo, vt nemo, nisi clericus aut pauper mendicans, aut peregrinus aduenicus, aut infans a bimatu & infra in toto Lemouicino sepeliatur, nec in alium episcopatum ad sepeliendum portetur. Diuinum officium per omnes ecclesias latenter agatur, & baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in ecclesiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundant. Pœnitentia & viaticum in exitu mortis tribuatur.* ALTARIA *per omnes ecclesias, sicut in parasceue,* NVDENTVR: *& cruces & ornamenta abscondantur, quia signum luctus & tristitiæ omnibus est. Ad missas tantum, quas vnusquisque sacerdotum ianuis ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur, & iterum post missas nudentur. Nemo in ipsa* EXCOMMVNICATIONE *vxorem ducat. Nemo alteri osculum det. Nemo clericorum aut laicorum, vel habitantium vel transeuntium, in toto Lemouicino carnem comedat, neque alios cibos, quam illos, quibus in quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum aut clericorum tondeatur, neque radatur, quousque districti principes, capita populorum, per omnia sancto obediant concilio.* In hoc præscripto processu latere *interdictum locale,* nemo in dubium vocabit, quod tamen *excommunicationem* vocat ODOLRICVS abbas, adeoque addit: *si quis vero probatus fuerit aliquo modo huius vinculi violator, non recipiatur nisi cum digna pœnitentia. Magnopere enim episcoporum* EXCOMMVNICATIO *est seruanda.* Porro quæsitum fuit, quid faciendum, si quidam principes paruerint, reliqui autem in pertinacia perseuerauerint? & tandem conclusum, illorum terras absoluendas, *ceteras* autem *partes Lemouicensis terræ, quæ rebelles principes habent, in supradicto relinquenda* ANATHEMATE. Denique si aliqui de priuatis militibus siue minoribus principibus concilio inobedientes reperti fuerint, *eos priuatim excommunicandos, vt sint segregati a communione corporis & sanguinis Domini*

& ex potestate excommunicandi tractum atque legitimatum.

mini &c. Diſtinxerunt ergo patres huius concilii inter *excommunicationem priuatam* & *publicam*, vt illa ſingulis infligenda; hæc vero per modum *anathematis terræ* imponenda.

Ergo Seculo XI non adeo cenſura hæc inuſitata fuit,

§. LXIV. Obſeruat ESPENIVS *P. III. iur. eccl. tit. XI. c. 9. §. 21.* hanc cenſuram Lemouicenſium epiſcoporum fuiſſe *nouam* & *inſolitam*, vt antiqui ſcriptores & ipſe IVO faſſi ſunt. Facile quidem hoc admitto, ſi *formam* eius ſingularem intueor, & *vſum* contra potentiores inobedientes; denique ſi *generalem* eius *ad totam prouinciam extenſionem* contemplor. Principia tamen, vnde profluxit, iam antea nota fuere, & ſatis decantata, ex quibus etiam *excommunicationem eccleſiarum* deduxerunt. Quamuis enim in ſeculis præcedentibus exempla *eccleſiæ vnius alteriusue particularis*, huic *excommunicationi irregulari* ſubiectæ, memorentur; facile tamen poſtea in hanc concluſionem abire potuerunt, vt crederent, id quod in vna *particulari eccleſia* iuſtum eſt, etiam iuſtum cenſeri poſſe in omnibus per aliquam terram ſparſis eccleſiis, præſertim quod in hoc *ſacriſtitio excommunicationem* & *anathema* vniuerſæ terræ impoſitum, quærerent. Interim nec ab omnibus olim approbata ſunt interdicta *particularium eccleſiarum*, in grauem ſæpe abuſum tracta, maxime in Hiſpania, adeo vt ob quamcunque iurgii cauſam ſacerdotes ſacra ſiſterent, & altaria nudarent, quod tamen cum ſacro eloquio euidenter pugnabat: *Væ illis, qui faciunt Domini opus negligenter.* Ex hoc principio patres Toletani in *concil. Toletano XIII. anno 683.* habito *c. 7.* apud HARDVINVM *tom. III. p. 1743.* ita edixerunt: *Quicunque ergo ſacerdotum vel miniſtrorum deinceps cauſa cuiuslibet doloris vel amaritudinis permotus, aut altare diuinum vel veſtibus ſacris exuere præſumſerit, aut qualibet alia lugubri veſte accingi, ſeu etiam ſi conſueta luminariorum ſacrorum obſequia de templo DEI ſubtraxerit, vel extingui præceperit, aut quodcunque lugubritatis in templo DEI induxerit, atque (quod peius eſt) occaſionem nutrierit, vnde de templis Domini aut officia conſueta deſint, aut oblatio ſingularis ſacrificii videatur in aliquo defraudari, ſi eum antea veræ pœnitudinis coram metropolitano ſatisfactio non purgauerit, ignobilitati perpetuæ mancipatus, iuxta ſuperiorem ſententiam domini, & loci ſui dignitate ſe nouerit & hoc honore priuari.* Retulit etiam hunc canonem GRATIANVS in *c. 13. C. 26. qu. 5.* ſed admodum more ſuo truncauit atque mutilauit. *Denudatio altarium* eo æuo admodum familiaris erat, vt *tom. III. tit. de iur. patron.*

pedetentim latius extenſa,

olim nonnumquam improbata.

patron. §. 133. oſtendi, quæ ipſo facto impediebat *cultum diuinum*, vt ex verbis *concilii Toletani* liquet, ſimul tamen conſtat, ob iurgia, delicta, vel contentiones hanc ceſſationem a ſacris decretam fuiſſe, a *patribus Toletanis* tandem improbatam.

§. LXV. Sed, non obſtante *Toletanorum* prohibitione, ad modum rationabili, vſus *interdicti* nequidem in Hiſpania quieuiſſe videtur, & ab ipſis poſtea pontificibus maxime ſeculo XII. approbatus & late extenſus. Hac de cauſa *ſcholaſtici* eius naturam penitius rimati ſunt, eamque ab *excommunicatione* diſtinguendam cenſuerunt, præcipue quod diuerſos produceret effectus, nec operaretur, vt, quorum ciuitas vel terra *interdicto* ſubiecta eſt, ab omnibus vitandi eſſent, quod excommunicationi proprium. Hæc præterea magis in *ſingulos* cadit, quorum animas ligare, & diabolo addicere creditur; interdictum magis ad vniuerſitatem porrigitur & loca ſacra, nec tale ligamen continet. Breuiter, in interdicto *vſus ſacrorum qua talis* ſiſtitur: in *excommunicatione* communio omnis cum fidelibus ſoluitur, & a corpore eccleſiæ penitus eiectus abſcinditur, quod non fit in interdicto. Tres autem communiter conſtituerunt *interdicti* ſpecies: *locale*, ſi ciuitas, terra, regnum interdicto percellitur: *perſonale*, ſi immediate *ad perſonam* dirigitur, adeoque ſi in *clericum*, reuera ſuſpenſionem iudicit. Denique *mixtum*, ſi directo in *locum* & perſonas fertur, vt cum *terræ alicuius populus interdicto notatur*, cuius effectus eſt, vt ſinguli de populo non debeant alicubi audire diuina, etiam extra terram ſuam. *c. 16. h. t. in 6.* LOCALIS triplex illuſtre exemplum ob *litigioſa matrimonia* adferam, quorum *primum* præbet Gallia, cui anno 1200. ſacris interdictum, quod Rex PHILIPPVS, dimiſſa vxore, regis Daniæ ſorore, ſub prætextu nimiæ conſanguinitatis, aliam duxiſſet ex ſententia GVILIELMI Cardinalis & legati in Gallia. Enimuero factum improbauit INNOCENTIVS III., iniunxitque ſeuere regi, vt dimiſſam reciperet vxorem, poſterioremque abiiceret. Hæc vero cum facere Rex nollet, cenſura *interdicti generalis* ad obedientiam eum reducere ſtuduit, hoc modo, *vt nullum in Gallia præter baptiſmum paruulorum & pœnitentiam morientium diuinum celebraretur officium. Sicque*, pergit RIGORDVS *in vita Philippi II. ad ann. 1199. tota terra Regis Francorum arctiſſimo eſt interdicto concluſa; ita vt clauſis ianuis nusquam in cemeteriis ſepelirentur corpora mortuorum, quia etiam ſuper terram ſeruabantur*

Parum profuit hæc prohibitio.

Interdicta ab ipſis pontificibus probata.

Tres ſpecies interdictorum.

Exempla localis interdicti.

Intuitu Galliæ.

bantur vbilibet insepulta. Formam huius *interdicti* a PETRO Cardinali eo tempore promulgatam ex *MSC. Corbeiensi* retulit MARTENIVS *tom. IV. thes. nou. anecdot. p. 147.* In furorem his sacris ablatis acta plebs tandem regem coëgit, vt vxore recepta eam, quam superinduxerat, dimitteret, quod plenius recenset RAYNALDVS *ad cit. ann. 1200. n. 9. sqq.* Idem Pontifex ob causam matrimonii ab ALFONSO Legionensi, cum THERASIA Lusitana absque *dispensatione papali* initi, quam dimittere præfracte recusabat, vniuersam *Lusitaniam interdicti* censuræ subiecit, teste MARIANA *de reb. Hispan. tom. II. lib. XI. c. 9. in f.* circa *annum 1196.* quod matrimonium demum diremtum est anno 1200. & ita per *quatuor annos* interdictum durauit. Denique simile fatum circa annum 1259. *Lusitania* ob causam dimissæ ab ALFONSO vxoris Mathildis habuit. Ait MARIANA *tom. II. lib. XIII. de reb. Hispan. c. 12. p. 106. edit. de anno 1733. Romanus pontifex* (ALEXANDER IV.) *Alfonsum monet atque obtestatur, vt, redintegrata cum Mathilde gratia, ad primum coniugium redeat: quanto in salutis discrimine versetur, docet: non esse numina importunis actionibus irritanda. Ad has voces Alfonsi aures obturatæ erant, præfractus animus; cupiditas & ambitio, mali consultores oculis officiebant, ne lumen viderent. Ergo parere recusantem diris pontifex deuouet: Lusitaniamque, quam longe fines regni pertinebant, sacrificiis interdicit. Interdictum tenuisse* DVODECIM ANNOS *scribunt. Dum neque rex mutat, neque consequentes pontifices de iustissima indignatione remittunt, regiæ improbitatis pœnam innocentes populi sustinent: sic sunt res humanæ: sic fert conditio mortalium.* Plura exempla *interdictorum localium* mox dabo, iniquitatem eorum liquido & per se docentia.

Lusitaniæ.

In personali interdicto continetur suspensio.

§. LXVI. Progredior ad PERSONALE, quod in *vnam* vel *plures porrigitur* personas, & reuera *suspensionem* operatur, in varium adhibendam finem. Vel enim decernitur (1) in pœnam *contumaciæ*, vt sit medium eam frangendi & clericos ad obsequium reducendi, ita vt vel ab *officio* tantum, vel etiam simul a *beneficio* suspendantur; *c. 10. X. de purgat. canon.* modo (a) *monitio* debita præcesserit; etiam in *excommunicatione* & *interdicto* ex capite *contumaciæ* infligendis, necessaria: *c. 26. X. de appell.* (b) in *scriptis* fiat, quod pariter in prioribus speciebus attendendum. *c. 1. h. t. in 6.* (2) Etiam nonnunquam decernitur ob *culpam* vel *delictum*, hac pœna coercendum. *c. cit. 26. c. 26. X. de V. S.*

V. S. Hac maxime vtimur in *excessibus clericorum* leuioribus castigandis, vt *§. vlt. tit. de excess. prælat.* obseruatum. Vel (3) decernitur ob *accusationem* vel *inquisitionem* ex graui crimine contra clericum motam, quod non videatur congruum & sine scandalo publico, vt, qui de grauissimo crimine insimulatus est, sacris vacare possit, antequam se purgauerit. *c. 10. de purgat. canon.* Hanc ob rem Archiepiscopus Cantuariensis ROBERTVS seculo XIV. accusatus, quod *contra Regem, statum apostolicum, & sacrorum canonum instituta multipliciter excessisset*, a pontifice *ab administratione spiritualium & temporalium* suspensus & Romam euocatus est. Vid. HENR. WHARTON. *in Anglia sacra P. 1. p. 16.* MIXTVM denique & ad *locum* & ad *personas* porrigitur, vt hæ extra illum sacris nequidem vacare queant. Hoc interdicto nonnunquam subiectæ sunt terræ *torneatorum*, vt docent literæ PETRI *Wintoniensis episcopi ad Pandulphum* legatum sedis Apostolicæ apud RYMER *tom. I. actor. Anglic. p. 245. sq.* quod eo ipso primario torneatores constrinxit. Ipse etiam legatus anno 1220. in Anglia vsum *torneamentorum* seuere prohibuerat eo anno, sub pœna *excommunicationis*, vt docet RYMER *cit. l.* pontificibus inprimis exosum, testibus literis pontificum apud EVNDEM *cit. tom. I. p. 301 tom. II. p. 29.* & variis aliis locis.

Mixti exemplum.

§. LXVII. Quamuis vero pontifices animaduerterint, non sine summo religionis detrimento *interdicta localia*, maxime per totam prouinciam & regna plures per annos sese extendentia, decerni posse, quippe quibus tandem plebs indomita ab omni sensu Numinis abducta, a veneratione *religionis* quotidie alienior reddita, & ad feritatem belluinam tracta: rei tamen ecclesiasticæ ratio non permisit, vt penitus illorum vsus aboleretur, quin potius, vt eo strictius a quibuscunque clericis, *maioribus & minoribus*, obseruarentur, cautum fuit, vt interdicti censuram violentes *irregulares* fierent, *c. 1. X. de postul. prælat.* qua pœna respectu *clericorum* nihil acerbius nihilque grauius constitui potuisset. Sunt enim *irregulares* prorsus inhabiles ad officia sacra capessenda, & exercenda, nec aliter quam *dispensatione*, plerumque pontificia, habilitati pristinæ restituuntur, vt IOSEPHVS CABALLINVS *de irregularit. c. 1. qu. 2. n. 2. sqq.* plenius declarat. Eo magis autem *interdicta localia* nocuerunt *religioni*, quo diuturniorem sæpe tractum temporis habuerunt, vt modo exemplo *Lusitaniæ*, per XII. annos interdi-

Clerici interdictum non seruantes, fiunt irregulares.

quamuis nocent religioni

cto

cto subiectæ, vidimus. Hoc etiam apparuit in electione WILHELMI Hollandi, FRIDERICO II. abiecto oppositi, INNOCENTII IV. suggestionibus; quia enim Bauaria, Sueuia, aliæque prouinciæ in fide erga imperatorem constanter permanserant, pontifex mediante *interdicto* a debito obsequio, per summum nefas, populos harum prouinciarum abducere studuit, sed frustra. Id ex VITI ARNPEKII in *Chron. Boioar. lib. 5. c. 18.* apud P. BERNHARDVM PEZIVM *in thes. anecdot. nouiss. tom. III. P. III. p. 267.* testimonio manifestum est, narrantis, anno 1247. *diuina fuisse suspensa in Bauaria, Sueuia, & omnibus terris Ottonis Ducis Bauariæ, ac Regis Conradi Ducis Sueuiæ, & omnium eorundem fautorum propter Fridericum imperatorem depositum & excommunicatum; illudque interdictum positum a papa* SEPTEM ANNIS *durasse, ita, quod nec diuina, nec sepulturæ fiebant, nisi in eis, qui cruce declarabant, se schismati tali non fauere: ac propterea ducem clericos odisse, & eis multa mala intulisse.* Ab hac interdicti censura tamen liberata fuit Frisinga a pontifice, quod ostendisset, se minime FRIDERICO imperatori adhærere, per diploma, quod MEICHELBECK. *in histor. Frising. tom. II. P. 1. p. 31. in f.* recitat. Nota sunt publica mala, quæ PAVLI V. *excommunicatio Venetiarum* ducis & totius senatus, cum adiuncto *interdicto*, anno 1606. produxit, pluribus impugnata scriptis, inprimis vero P. SARPII opusculo, cuius titulus est: *Consolatione della mente nella tranquillità di conscienza causata dal bon modo di viuere nella citta di Venetia nel preteso interdetto di Paulo Quinto*, quo mentes eorum, qui hoc malo publico grauiter perculsi erant, erigere, & alleuare studuit. Aliquoties iam obseruaui, scriptum hoc diu latuisse, anno 1721. demum cum versione Gallica publicatum sub *titulo: Les droits des souverains defendus contre les excommunications & les interdits des Papes. Hungaria* similem calamitatem perpessa est a GREGORIO IX. anno 1232., vt docent literæ ANDREAE Hungariæ regis ad pontificem, quibus conqueritur, se iniuste interdicto suppositum esse, relatæ a d' ACHERIO *tom. III. spicil. eccles. p. 610. nouiss. edit.* Forma *interdicti*, quo *Anglia* ob contumaciam prætensam IOHANNIS Regis perculsa est ab INNOCENTIO III., refertur in *thes. nou. anecdot.* MARTENII *tom. I. p. 612.* in qua hæc quoque obseruo: *Altaria denudentur in ecclesiis*, quod iam olim vsitatum fuit: *mulieres ad purificationem non admittantur. Sponsalia & matrimonia non contra-*

exemplum interdicti in Bauaria & Sueuia,

in republica Venetorum,

in Hungaria,

in Anglia.

trahantur &c. Vel hæc vltima interdicti clausula sufficiens fuit ad confusionem omnium rerum in Anglia inducendam, quod etiam pontifex sine dubio in votis habuit. Etenim, teste MATTHAEO *Paris. ad annum 1208. p. 109.*, hac pontificis audacia adeo Rex commotus fuit, vt iuraret in conspectu episcoporum, se, executione interdicti facta, in continenti vniuersos Angliæ prælatos, clericos pariter & ordinatos ad papam missurum, & bona eorum omnia fisco addicturum; denique se *Romanos* quoscunque, vbicunque reperiri potuerint, *erutis oculis, naribusque præcisis*, Romam translaturum, *vt his intersigniis*, vt verbis MATTHAEI vtar, *a ceteris possent nationibus ibidem discerni.* His tamen minis haud deterriti sunt episcopi Angliæ, quin potius die constituto *interdictum* executioni dederunt. *Cessauerunt itaque*, ait MATTHAEVS, *in Anglia omnia ecclesiastica sacramenta præter solummodo confessionem & viaticum in vltima necessitate & baptisma paruulorum. Corpora quoque defunctorum de ciuitatibus & villis efferebantur &* MORE CANVM *in biuiis & fossatis sine orationibus & sacerdotum ministerio sepeliebantur.* Rex hac executione offensus bona clericorum fisco addici præcepit, & ipsa Anglia in summam rerum perturbationem coniecta est Hac contumacia papa tum incensus tum audacior factus 1212. eum solio etiam priuauit, & tandem ad iniquissimas & regiæ autoritati haud conuenientes conditiones ineundas impulit, quas MATTHAEVS *p. 198. sq.* refert. Conf. MANRIQVIVS *in annal. Cisterc. tom. III. ad ann. 1207. c. 3. p. 476.* VITVS ARNPECKIVS *in Chron. Bauar.* apud PEZIVM *tom. III. thes. anecd. nouiss. P. 3. p. 328.* In has calamitates regna nunquam coniecta fuissent, nisi duo dogmata seditiosa admisissent: 1) *clerum*, inprimis *maiorem*, a potestate ciuili cum *cultu sacro externo* esse independentem: 2) reges & quoscunque imperantes excommunicatione ligari posse. Hinc illæ lacrymæ!

§. LXVIII. Contra hanc pestem, a curia Romana regnis prouinciisque illatam, varia præsidia comparata sunt, præcipue per priuilegia *immunitatis exemptionisque* ab huius censuræ effectu, a pontificibus ecclesiis ordinibusque concessa. Etenim quandoque 1) in *generali interdicto* exemtæ sunt certæ ecclesiæ in certis locis, in quibus *sub certa forma* celebrare sacra licuit, qualis concessio tamen pro lubitu reuocabilis fuit, vt VRBANI IV. literæ de anno 1264. testantur apud MARTENIVM *tom. III. thes. nou. anecdot. p. 94.* 2) Quibusdam religiosorum ordini-

Immunitates concessa contra interdicta, 1) certis ecclesiis a generali interdicto exemtis, 2) certis ordinibus ad lo-

cum interdictum venientibus, dinibus priuilegium hoc concessum, vt si forte ad locum interdicto subiectum venirent, in eorum *iucundo aduentu* (quod populo sacra sitienti solamen adferrent) *semel in anno aperirentur ecclesiae*, vt exclusis speciatim excommunicatis, diuina ibidem officia celebrarentur; quod papa tamen in *concilio Lateran. IV. cap. 57.* apud HARDVIN. *tom. VII. p. 62.* & RAYMVNDVM in *c. 24. X. de priuil. & excess. priuil.* restrinxit ad *vnam* loci interdicti *ecclesiam*, prout iam obseruaui *cit. tit. de priuileg. §. 4.*

3) episcopis, 3) In *eodem concil. c. 58.* episcopis quoque simile priuilegium indultum. *Quod nonnullis est religiosis indultum, in fauorem pontificalis officii ad episcopos extendentes, concedimus, vt cum communi terrae fuerit interdictum, excommunicatis & interdictis exclusis, possint quandoque ianuis clausis, suppressa voce, non pulsatis campanis celebrare officia diuina, nisi hoc ipsum eis expresse fuerit interdictum. cap. 25. X. de priuil. & excess. priuileg.* Huius priuilegii mentionem facit VRBANVS IV. apud MARTENIVM *cit. l.* vt quando *patriarchae, archiepiscopi & episcopi ad loca huiusmodi*, quae speciatim ab interdicto exemta sunt, *declinant; illius vti priuilegio possint libertatis, quod episcopis in fauorem pontificalis officii constitutio concilii generalis indulsit.*

4) plures ordinum religiosorum ecclesiae, 4) Plures ordines eo studia sua direxerunt, vt priuilegio *immunitatis* a papis mactarentur, quo ecclesiae suae tempore *generalis interdicti* sacris vacare possent, & tempore *calamitatis publicae* occasionem lucrandi haberent. Tale priuilegium LEO X. anno 1516. intuitu *ordinis aurei velleris* dedit CAROLO V. apud AVBERTVM MIRAEVM *tom. I. diplom. Belg. cap. 114. p. 236. nouiss. edit.* vt sodalibus huius ordinis *liceret habere altare portatile cum debitis reuerentia & honore; super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis, etiam ecclesiastico interdicto ordinaria vel apostolica autoritate suppositis, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, nec eis specialiter interdictum esset, ac fecerint, quantum in eis fuerit, vt in iis propter quae interdictum ipsum dicta autoritate apostolica pro tempore oppositum fuerit, paritio fieret, & ea executioni debitae demandarentur, ac per eos non steterit, quo minus pareretur, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam horam, vel etiam circa & parum post meridiem per proprium vel alium sacerdotem idoneum in sua & cuiuslibet ipsorum, familiarium, domesticorum, parentum, consanguineorum pro tempore existentium praesentia missas & alia diuina officia celebrari facere, & tempore interdicti*

dicti huiusmodi in ecclesiis ianuis clausis diuinis officiis interesse, & illa, vt praemittitur, celebrari facere, nec non si eos tempore interdicti huiusmodi decedere contingeret, eorum corpora ecclesiae sepulturae, sine tamen funerali pompa, tradi, ipsisque eucharistiam, & alia ecclesiastica sacramenta a quocunque presbytero idoneo, vbicunque voluerint, saluis iuribus parochialium ecclesiarum, etiam in die paschatis recipere, & sacerdotibus eligendis huiusmodi, vt missas & alia diuina officia, vt praefertur, celebrare libere licite possent. 5) Cluniacense monasterium ex priuilegio PII IV. hanc accepit immunitatem, vt nullius episcopi Interdicto subiici posset, de quo loquitur *c. 26. X. de priuileg.* vt *cit. tit. §. 4.* obseruaui. Eodem etiam gaudet *Casinense* ex gratia EVGENII IV., quod recitat TAMBVRINVS *tom. I. de iur. abbat. pag. 412. & 416.*, qui etiam *tom. II. p. 194. sq. & tom. IV. p. 91.* alias eiusdem farinae immunitates adducit. Abbatiae *trium fontium* ad *Aquas Syluias* priuilegia & donationes *anno 805.* indulsisse LEONEM III. & CAROLVM M. ex diplomate apud VGHELLIVM *tom. I. Ital. sacrae p. 50.* constare videtur, in quo etiam haec clausula occurrit: *vt nullus alius, nisi solus summus pontifex, & in praefatis ecclesiis interdictum ponere, vel aliquem clericum excommunicare, nisi rector iam dictae ecclesiae S. Anastaxi possit.* Haec clausula tamen mihi admodum suspecta videtur, quod appellatio *interdictorum* in eo sensu, qui postea inualuit, *aeuo Carolingico* adhuc inusitata & potestas eximendi incognita fuerit. Haec immunitas postea omnibus monasteriis passim data, quae exemta vel in singulari protectione pontificis fuerunt, vt cernere licet apud VGHELLIVM *tom. I. Ital. sacrae pag. 1393. tom. II. p. 538. sq. 605. tom. III. p. 221. 274. 422. tom. IV. pag. 1030. &c.* Denique *monasterio S. Mariae de nouo portu* apud VGHELLIVM *tom. I. p. 332.* ab ALEXANDRO anno 1177. contra interdictum hoc praesidium datum est: *cum generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, ianuis clausis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, diuina officia celebrare.* Inprimis vero CISTERCIENSES hac immunitate gaudent, vt ab episcopis & aliis ecclesiarum rectoribus non possint interdicto supponi, quod hic ordo exemtus sit ab ordinariorum iurisdictione, testibus MANRIQVIO *in Cisterc. annal. eccles. tom. I. ad ann. 1114. cap. 3. n. 8. sq.* & CHRYSOSTOMO HENRIQVEZ *in regul. constit. & priuileg. ordin. Cisterc. priuil. IV. VII. VIII. XI. & LXXI.* adeo

vt ne ſedis apoſtolicæ legatus quidem ſine ſpeciali mandato Romani pontificis in monaſteria eorum *interdicti* ſententias promulgare queat, vt declarat *priuilegium XI. de anno 1219.* apud HENRIQVEZ *cit. l.* Hanc immunitatem ſpeciatim intuitu *interdicti* denuo confirmauit INNOCENTIVS III. anno 1204. apud AVERTVM MIRAEVM *tom. II. in ſuppl. ad diplom. c. 50. p. 841. nou. edit.* atque interdicta contra hanc immunitatem publicata irritat. Simile priuilegium 6) INNOCENTIVS III. anno 1214. regi Angliæ dedit, *ne a quoquam eius poſſit excommunicari perſona vel interdici capella ſine mandato ſedis apoſtolicæ ſpeciali*, quod refert RYMER. *tom. I. actor. Anglic. p. 183.* GREGORIVS IX. quoque anno 1236. LVDOVICO regi Francorum ſimile priuilegium indulſit, *vt nulli liceret capellas regias eccleſiaſtico ſupponere interdicto, niſi de licentia ſedis apoſtolicæ ſpeciali*, teſte d' ACHERIO *tom. III. ſpicileg. p. 606. nouiſſ. ed.* quod confirmauit ALEXANDER IV. apud EVNDEM *anno 1254. & 1255. cit. l. pag. 633. ſq.* & CLEMENS IV. *anno 1265. ib. p. 659.*

Regiæ capellæ.

Tandem ab ipſis pontificibus interdictorum rigor admodum laxatus eſt.

§. LXIX. Denique 7) ipſi pontifices tandem infinita mala, quæ interdictorum ſtrictiſſima obſeruatio religioni chriſtianæ infligit, ponderantes multum de rigore eorum remiſerunt in *c. 43. X. h. t. c. 57. eod. c. 24. h. t. in 6.* Mala ipſa, quæ hæc irreligioſa cenſura produxit, ipſe agnouit BONIFACIVS VIII. in *c. 24. h. t. in 6.* aiens: *quia vero ex diſtrictione huiusmodi ſtatutorum excreſcit indeuotio populi, pullulant hæreſes, & infinita pericula animarum inſurgunt, ac eccleſiis* SINE CVLPA EARVM *debita obſequia ſubtrahuntur.* Sic tandem ſero ſapiunt Phryges, & curia Romana agnoſcit, quam infinita mala in rem ſacram & publicam imprudenti & profana hac cenſura dederit, quæ ſine dubio haud cautius mercari diſcet, cum læta tempora præterierint, quibus tam indomito dominatu regnis quibusuis leges præſcripſit. Etenim Diuina prouidentia his calamitatibus publicis dedit finem, & mihi quoque conceſſit, vt quod anno M DCC XIV. exædificare cœpi opus, iam, quantum per Dei gratiam licuit, perficere, & ad exoptatum perducere potuerim exitum.

FINIS.

INDI-